




dm/g
123E

2/6/-

Weyer, or Wyer (Latinized Wierus), a physician & pupil of Cornelius Agrippa, was the first to protest against the witch mania. He maintained that it was a delusion, but none the less the work of the Devil, whose object was "to convert persons unlearned, lawyers & [illegible] judges into torturers & murderers".

See Orian [illegible]

IOANNIS WIERI,

Illustrißimi Ducis Iuliæ, Cliviæ, &c. quondam Archiatri

OPERA OMNIA.

QUORUM

Contenta versa pagina exhibet.

Editio nova & hactenus desiderata.

Accedunt Indices Rerum & verborum copiosissimi.



AMSTELODAMI, 7-6

Apud PETRUM VANDEN BERGE, sub Signo *Montis Parnassi.*

ANNO MDCLX.

ELENCHUS
OPERUM
IOANNIS WIERI.

I.

De Præstigiis Dæmonum, *& Incantationibus ac Veneficiis Libri sex. Ab auctore sexies aucti & recogniti, justa Exemplar Basiliense* 1583,

II.

Liber Apologeticus, *& Pseudomonarchia Dæmonum.*

III.

De Lamiis Liber, *& de Commentitiis Iejuniis.*

IV.

De Ira Morbo, *ejusdem Curatione Philosophica, Medica & Theologica Liber.*

V.

Observationes Medicæ Rariores, *quibus accedit, Liber secundus, nunc demum ex Germanico Idiomate, in Latinum translatus.*

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Spectatissimisque

DOMINIS

D. CORNELIO DE GRAEF,

Toparchæ de Zuyd-Pols-broeck, &c.

D. IOHANNI HUYDECOPER,

Equiti, Toparchæ in Maersseveen, Neerdijck, &c.

D. HENRICO SPIEGEL.

D. SIMONI VAN HOORN, I.V.D.

POTENTISSIMÆ AC TOTO ORBE CELEBRATISSIMÆ CIVITATIS AMSTELODAMENSIS CONSULIBUS MERITISSIMIS, DIGNISSIMIS.

UT ET

D. NICOLAO TVLPIO,

Medicinæ Doctori celeberrimo.

D. CORNELIO WITZENIO I.V.D.

EJUSDEM CIVITATIS EX CONSULIBUS THESAURARIIS FIDELISSIMIS.

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimique Domini



Hemistius cognomento εὐφραδὴς, (quod interpretari licet SUADAM) amænissimum aurei seculi germen, cum animadverteret Imperatorem, quasi quendam terrarum

Deum, maxima veneratione ab hominibus coli, pretioſiſſimiſque muneribus, maxime coronis aureis & gemmeis communi civitatum gratulatione donari; ne ipſe tot obſtrictus nominibus, in eo munerando defuiſſe videretur; excogitavit aliquid ſane Conſtantino ſuo dignum. Coronam ſcilicet non auro gemmiſque diſtinctam, non duodenis radiis antiquo ritu illuminatam; ſed ex pulcherrimis Philoſophiæ floribus, ex viridiſſimis Academiæ lauretis concinnatam: quam ipſe texuerat συλλεξάμενος ἐκ τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους λειμώνων. Næ eo munere & Philoſophiam velut in ſolio Imperatorio collocavit, & tanto aliorum munificentiam intervallo anteceſſit; quanto fortunæ bonis veriſſimi animorum theſauri, hoc eſt, ſapientiæ inventa antecellunt. Verum pace Themiſtii dictum eſto. Superiori ſeculo, JOANNES WIERUS Domo Gravienſis, Medicus & Philoſophus undiquaque doctiſſimus, non quidem Principi alicui, ſed VERITATI atque corporis animiq; SANITATI, ſertum longe floridius ad pulchritudinem, ad venuſtatem gratius, atque ad diuturnitatem perennius, in Horto Sapientiæ ex omnium coronamentorum elegantia elaboravit. Dum enim *veteres avias* (ut cum Perſio loquar) *de pulmone revellit*, diaboli ejuſque ſatellitum fraudes detegendo,

gendo,

gendo, innoxios Magiæ ſuſpicione liberando, illos qui alimento ſe non indigere jactabant, proſtituendo, ac denique morbis conclamatis præſidium non ex Orco, ſed interioribus Medicinæ penetralibus ſollicitando: quicquid eruditum ex officina Sapientum prodierat, quicquid ut in Arce collocandum in Palladia incude ab hominibus limatiſſimis erat fabricatum, quicquid ex arcanis Encyclopædiæ myſteriis, ex Ecademi Heroo, meliore metallo formata ingenia depromſerant, quicquid denique omnis ætas, omnis regio, omnes Philoſophorum labores pepererant, in hanc ſuam Coronam, quaſi Gygis aut Apollonii theſaurum, elegantiſſima artificioſiſſimaque manu congeſſit: ut ei merito velut Isii Ægyptii veſtibulo elogium iſtud πάνσοφον inſcribas, Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ ὂν καὶ γεγονὸς καὶ ἐσσόμενον. Non diffitendum, Invidiam, quæ comes ſolet eſſe virtutis, atro loliginis ſucco non tam inficere, quam obſcurare laboraſſe præfulgidum Coronæ hujus jubar; at quam irrito conatu, patet ex gemina Apologia huic noſtræ Editioni ſuperaddita. At, cum nihil ſub Sole ſit conſtans & ſtabile, atque ipſa ſidera ſuas habeant maculas & Eclipſes, Corona hæc toto alias orbe celebratiſſima, per præpoſterum ſtudium, aut verius fatum hominum

nostri ordinis, (Typos suos ut plurimum destinantium Æternitati librorum deteriorum) parum quin dissoluta, si non ignorantiæ tenebris oppressa fuit. Eoque, ego, qui nomen meum inter eos profiteor, quos Magnus Erasmus sæculorum sospitatores vocare solet, officii mei esse ratus sum, pro restauranda hac corona, omnes librorum lemniscos ad eam pertinentes conquirere, quod persuasum haberem, lumen quod ex iis radiat, cujuscunque conditionis hominibus tum erudiendis tum oblectandis servire plurimum. Ac quoniam nullum detrectavi laborem; sub inde Herculeo parem, nec ullis peperci sumptibus (permagnos feci, dum per totum ferme orbem dispersos libros colligo, & quosdam ex Germanico idiomate in Latinam linguam transferri curo) Deus è coelo conatui huic benedixit: atq; eodem favente hanc præfulgidam coronam omnibus suis lemniscis & ramentis instructam, primus congessi, ordinavi, polivi. Quum vero hæc ipsa ritu & cæremoniis amplius initianda sit; nulli occurrerunt, præter vos, Viri Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi, quibus ea offerri mereatur. Vos enim per virtutem eruditi, per eruditionem optimi, tanta prudentia & laude civitatis maximæ, & sub alio quoque sole potentissimæ. Quietem & felicita-

tem

tem procuratis,ut obstupescant peregrini,ringantur injuria. Gloriosissimo Imperat. Ferdinando I. quærenti, qua ratione tanta hominum multitudo,quam tum Noriberga mænibus suis complectebatur,in officio contineri posset,Joannes Tucherus Consul respondit: *Bonis verbis, & asperis pœnis.* Iisdem artibus, vos quoque, cives & inquilinos vestros in officio continetis; simul, non modo Mercurium iis quam propitium redditis,dum urbem vestram(quæ jam diu audit orbis Epitome) Orientis & Occidentis divitiis locupletatis; sed Minervam quoque faventissimam;dum omnigena ornamenta literaria,& liberalium ingeniorum exercitia,quibus celeberrimæ quoque Academiæ destituuntur,velut Mercurialis strepitus linimenta, regiis impensis procuratis. Patiamini ergo, Domini Clementissimi,hanc coronam,quam sera posteritas Colophonio calculo comprobabit, foribus vestris & Tholo publicæ Bibliothecæ (quam instructissimam habetis) suspendi, simul favete conatibus hujus vestri civis,qui Deum rogat bono reipublicæ perennare atque feliciter rem gerere possitis, simulque manet

Magnificarum Dominationum Vestrarum humillimus cliens

PETRUS VANDEN BERGE.

Amstelodami
cIↄ Iↄc LX.



IOANNES WIERVS.

ANNO ÆTATIS LX SALUTIS M. D. LXXVI.

Εἰς Ἰωάννην τὸν Βίηρον ἰατρὸν
Γ. φαλκεμπυργείν.


Ἦεν βίω ὁ Βίηρος ἔφυ μέγας ἦεν γὰρ αὐτὸς
Ἰητὴρ νοσεροῖς κ' ἀβλεμέεσσι φίλος,
φάρμακα δὲς νοσεροῖς βιοτήσια τῆς ὑγιείας,
[illegible] θυμοφθόρα φάρμακα πᾶσι χόλος,

Εἰς τὸν αὐτόν.

Σώματος ἰάτρευμα οὐ μὲν μόνον, ὥσπερ οἱ ἄλλοι,
Ἀλλὰ σὺ καὶ ψυχῆς οἶδας ἀκεστορίην.
Τοὔνεκα καὶ πολλῶν πλέον προφερέστερος ἄλλων,
Ὅσσον τῆς ψυχῆς σῶμ' ἀμενηνότερον.

VITA
IOANNIS WIERI.

Floruit circa annum 1570.



ERMANIA *est universa in superiorem & inferiorem distributa: quæ* Belgium & Gallia Belgica *appellatur. In hac natum accepimus* JOAN. WIERUM *Latino cognomento* Piscinarium, *quo apud exteros notior fuit, domo honestissimâ, patre* Theodoro, *matre* Agnete, *sub annum Christi* millesimum quingentesimum, decimum quintum, *in oppido circa Mosam ad Brabantiæ limites sito*, Gravia *nuncupato. A puero ad literas adhibitus statim indolis egregiæ documenta dedit præclara. Pervenit deinde in* Henrici Cornelii Ægrippæ *notitiam: cujus aliquandiu se usum esse institutione fatetur: cum &* præceptorem & herum suum venerandum **vocet. Apud hunc scribit legisse se partem librorum* Steganographiæ Trithemii *scriptum, cum figuris & spirituum nominibus, eamque inscio illo exscripsisse. Quid verò de ejusmodi senserit, *ibidem indicat:* præstigias, *inquit:* ostentant, non miracula: quæ non DEI adsistentia; sed permissione ob hominum incredulitatem, & dæmonum pactione sortiuntur *effectum*.

Ioannis Wier. Piscinarius dictus.

Gravia oppidum H. Cornel. Agrippa preceptor Wieri.

**Wier. l. III. de præstig. dæm. c. 22. & 38. Steganographia Trithemii.*

**Lib. 2. de præstig. cap. 6.*

Quemadmodum autem omnes, quotquot in literis excelluerunt, multa tulerunt & fecerunt: ita & ipse literis abditus primis earum jactis fundamentis, publica ad Lycea sese contulit, illud poëtæ cogitans:

——— tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.

E Germania itaque egressus Lutetiam *Parisiorum venit, ac medicis potissimùm operam dedit. Lutetiâ* Aureliam *accessit, ubi* Natalis Ramardi, *medici regii filios duos*, Natalem *apud S. Lazarum in suburbiis Priorem, &* Ioannem *cum* Ioanne Verreto *nepote, instituendos suscepit: eosque paulò post Pari-*

Lutetiam venit Wierus. Inde Aureliam.

** *sios*

Anno 1534.

ſios reduxit. Eo autem * *tempore Aureliam venit, quo tragœdia accidit, cum Prætoris Aurelienſis uxore defunctâ & monachis mendicantibus: quam* Sleidanus *deſcribit. Generis igitur humani, ubi à* DEO *diſceſſeris, artem conſervatricem, medicinam dico amplexus, & ab iis quæ ſunt* πρὸ ὁδοῦ *egregiè inſtructus, magnis itineribus eo in ſtudio progreſſus eſt: celeriterque ad metam, inſignibus doctoralibus non precariò obtentis, pervenit.*

In Africam proficiſcitur.

Peregrinatione deinde ſuſceptâ, in Africam *trajecit, ubi quæ viderit circulatorum & Theraphim genera, ipſe recenſet in* *commentariis de præſtigiis dæmonum. *Pervenit & in* Cretam *inſulam: ubi hoc ſe, quod ferè fidem ſuperet, vidiſſe narrat. Ruſticus in quodam tumultu ſagittâ circa dorſum impactâ, vulneratus fuit; evulsâ ſagittâ ferrum in thorace eſt relictum. Chirurgus vulnus ſanat, fruſtra quæſitâ cuſpide. Poſt biennium juxta alvum ea excidit ſemiexeſa. Hæc ipſe.*

** lib. 2. cap. 15. Et in Cretam.*

Domum ad ſuos reverſum, ut virtus latere neſcit, illuſtriſſimus princeps Guilielmus *Cliviæ dux, ad ſe eum* * *invitavit: ut à curâ corporis ac valetudinis ſibi eſſet. Id officium cum* viginti *vel* triginta *quaſi annis fideliter obiiſſet: non ſuo ſolum principi acceptus gratuſque; ſed & compluribus aliis comitibus ac magnatibus à medicinis, verèque* κοινὸν ἀγαθὸν *fuit.*

Fit archiater princip. Clivienſis.

** Anno 1550.*

Accidit ipſo tunc in aulâ Clivenſi agente, quod ſilentio involvendum minimè videtur. Unnæ *in comitatu Marchiæ, fuit puella quædam* duodecim *annorum* Barbara, *à lethali decubitu nihil cibi aut potus adſumſiſſe credita. Eam cum* WIERUS *vidiſſet toto corpore benè habitam & agilem, ſed ventre collapſo: meram impoſturam eſſe, ingenuè teſtatus eſt. Tandem impetrat ut examini ſuo in ædibus, quas Cliviæ habebat, principis decreto committeretur. Hic puellæ clam obſervatæ ſtatim detecta fuit verſutia & dolus: dum ubi ubi potuit, clanculum eſculenta & poculenta ſurripuit. Tametſi verò pœnam & paren-*

Puella ſine cibo & potu vivere credita. Sed falsò.

parentes virgunculæ & ipsa puella cum sorore, antea ciborum subministratrice, meriti essent: tamen WIERO *deprecante princeps illis ignovit, senatu Unnensi seriò reprehenso; qui sibi tam stupidè à puellâ passus esset imponi. Hæc fuit comœdia illius catastrophe, paulò lætior illâ, quæ * Eslingensem virginem mansit.* * De quo Crusius lib. 11. part. 3. cap. 20. annal.

Tandem fatis concessit vir benè de Repub. literaria, quin & de sagarum genere meritus. Nam apud ducem illum dum versatur, non sine suspiriis aliquoties vidit multos Christianū vulgi, præsertim vetulas, ob veneficii suspicionem in carceres compingi: quæstionibus subjici; flammis exuri. Id ei ansam præbuit; ut laudatum multis scripserit opus de veneficis & sagis: *in quo quantum in Theologiâ, in Iurisprudentiâ, Medicina, Philosophiâ profecerit; re ipsâ declarat; argumenta ex illarum disciplinarum fontibus desumta adferendo. Etsi autem eo scripto operam non lusit, cum ex magistratibus non pauci eo nomine gratias ipsi egerint: quippe qui prudentiores cautioresque eo scripto facti essent: non defuerunt tamen; qui in eo & reprehenderent non pauca; & in certamen provocarent. Inter hos fuit* Paulus Scalichius, Joannes Campanus Leo Suavius: *nec* Joanni Brentio *usquequaque satisfecisse videtur.* Opus de veneficis & sagis. Adversarii Wieri.

Floruit amicitiâ virorum eâ tempestate magnorum. In Gallia familiariter usus est multis non obscuri nominis viris, potissimum medicis. Gerardo Fabro Cadurcano, Vitali Besumbæo, Joachimo *quodam ex Provinciâ oriundo*, Michaële Villanovo, *& aliis. In patria verò* Joanne Echtio, Bernhardo Cronenbergio, Huberto Fabro *medicis Coloniensibus, aliisque permultis in germaniâ & extra eam doctrina laude claris viris.* Amici.

*Corpore fuit satis compacto viribusque integris adeò, ut de se commemoret * : dies aliquando quatuor illæsè absque omni cibo & potu sanum vixisse: imò longiùs ferre jejunium potuisse:* Valetudo. * lib. de commentit. jejuniis.


 tuisse:

tuisse : nisi quid gravius sibi ex continuis vigiliis fuisset veritus.

Fratres habuit duos Arnoldum & Matthiam : *cum quibus domi paterna hoc se observasse * scribit admodum puerum, non sine ingenti terrore. In tabulato (sub quo forte dormiebant) asservabatur magna lupuli copia, unde quaestum pater faciebat. Quoties igitur venturi essent emptores : lares narrat fuisse auditos : atque saccorum per scalas devolutorum strepitum imitatos, omine semper fausto & veraci. Audit enim diabolus mercatores, aliquò mercium causa profecturos, de illis anteà inter se colloquentes : videt iter ingredientes. Itaque apud eos, ad quos illi tendunt, sua antè agitat ludibria ; ut pronunciasse futura videatur.*

* Lib. de praestig. cap. 14.

Lares futurorum praescii.



MAR-

MARTINI SCHOOCKI
Professoris in Academia Groningæ & Ommelandiæ Judicium de libris JOANNIS WIERI, inscriptis
DE PRÆSTIGIIS DÆMONUM.

VT invidia eminentia præ cæteris petere solet; ita sapientes atque eruditos perpetuo comitatur, quod soli non solum audiant, sed re ipsa quoque sint homines. Maxime vero infesta est ingenii monumentis, in quibus post cineres & favillas quoque certo vivere possent, nisi ea supprimere, non quidem è vulgo homines, sed illi ipsi, qui docti haberi cupiunt, omnibus modis laborarent. Fatum hoc non hujus illiusve solum libri, aut Scriptoris, sed omnium, quotquot in librariis & Bibliothecis noti sunt. Plato, cui ipsa Invidia testimonium hoc perhibere cogitur, quod fuerit omnium, quicunque scripserunt, aut locuti sunt, & copia dicendi & gravitate princeps, per scomma aureus vocatus est ab Epicuro: in illius quoque Dialogis plerique confusionem jam olim notarunt, atque si credimus Athenæo, contra illos librum quoque scripsit Theopompus Chius, contendens plerosque mendaces & inutiles esse. Discipulus Platonis Aristoteles, quo nihil politius aut acutius se nosse testatur Marcus Cicero, florentibus adhuc Athenis, scriptorum & morum suorum Censores expertus fuit Aristoxenum, Timæum, & Epicurum, atque nequid dicam de novitiis ipsius adversariis, ipse Gregorius Nazianzenus cum stomacho hæc alicubi pronunciat: *Abjicè Aristotelis minute loquacem sagacitatem, abjicè mortiferos illos super anima sermones, & universa humana illa dogmata.* Ciceroni ipsi, Romuli nepotum di-

ſertiſſimo, ridicula poëmata non modo Juvenalis tribuit, verum M. Cato eum *ridiculum conſulem*, Papirius vero Præliis aut *velitem*, aut *conſularem ſcurram* vocavit. Ciceroni jungendus Demoſthenes, oratorum Græcorum princeps. De illo apud ipſum Ciceronem, qui alias eum admirari ſolet, hæc legas in Oratore: *Nobis non ſatisfacit ipſe Demoſthenes, qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non ſemper implet aures meas.* Ne quis iraſcatur æmulo Demoſthenis Æſchini, qui applaudente ex parte Dionyſio Halicarnaſſæo, dictionem ſummi viri, ut moroſam & elaboratam nimis traduxit. Similiter Strabo Geographorum maximus, de Herodoto non dubitavit ſcribere, quod in hiſtoria ſua *nugetur, atque condimenti loco prodigioſas fabulas orationi immiſceat.* Quod Herodoto, contigit quoque Thucydidi, quem quamquam Cicero agnoſcit eſſe *rerum geſtarum pronunciatorem ſincerum atque grandem*, plurimi tamen Flavio Joſepho teſte, variorum mendaciorem eundem accuſarunt. Virgilius Maro, quem Vellejus Paterculus Latini carminis principem vocat, non Grammaticorum ſolum, ſed, ipſorum virorum principum ſiniſtra judicia incurrit. Ennii ſtercora gemmis illius Hadrianus Princeps prætulit, Auguſtique pronepos Caligula divinam Æneidem convitiis inceſſere, & parum quin proſcribere, inſtituit. Cornelius Tacitus, in quo laudando Lipſius modum invenire non potuit, quemque parentem ſuum Tacitus Auguſtus vocare ſolet, (ſi fides Æmilio Ferreto habenda) non ſatis Latine ſcribit, ejuſque dictio, judice Alciato viro ſummo, præ illa Pauli Jovii, aſpera & ſentieto alicui ſimilis eſt. De Seneca Philoſopho, inſigni illo morum magiſter, hoc judicium fert Fabius Quintilianus, quod *in Philoſophia parum diligens fuerit, uſuſque corrupta in eloquendo oratione, rerum pondera minutiſſimis ſen-*

ten-

tentius fregerit. At cur privis exemplis colligendis immoror? Nunquam ulli adhuc ſcripto, ad unguem licet facto, omnibuſque ſtatuis emendatiori, hoc contigit, quod Phidiæ Minervæ, quæ digna habita fuit, ut extra invidiæ atque obtrectationis regnum in arce collocaretur. Ut alios omittam, hos invidiæ & malevolentiæ inſultus expertus fuit JOANNES WIERUS, Medicus non modo experientiſſimus, verum vir quoque undiquaque doctiſſimus, cum elaboratiſſimum opus de Præſtigiis dæmonum evulgaſſet: in quo cum abeat à recepta ſententia, iiſque obloquatur, qui anilibus conjecturis moti, rogo deſtinare ſolent homines Magiæ duntaxat ſuſpicione laborantes; non modo habitus fuit publice Magiæ diabolicæ fautor & patronus, verum etiam graphicus Magus. Ne quid enim dicam de Bartholomæo Fayo, qui paſſim in ſuo Energumeno hoc nomine eum notat & reprehendit; Joannes Bodinus vir doctus & ſcriptis plurimis celeberrimus, ex profeſſo hoc egit in peculiari libello annecti ſolito illius Dæmonomaniæ. Summa accuſationis eſt hæc, quod WIERUS ipſe fateatur ſe non modo exſcripſiſſe Joannis Trithemii Steganographiam, quam in muſeo Magiſtri ſui Agrippæ repererat; ſed lib. 2. cap. 5. de Præſtigiis, fateatur ſe fuiſſe Agrippæ diſcipulum, atque lib. 3. cap. 35. hunc vocet *Magiſtrum ſuum fidelis memoriæ*, itemque *venerandum præceptorem*. Sed an propterea Magus habendus WIERUS? Quid ſi Cornelium Agrippam virum longe doctiſſimum falſo Magiæ inſimulari pertendiſſet, (hoc modeſte docere ſolum inſtituit d. lib. 2. cap. 5.) haut magis peccaſſet, atque multi viri ſummates, quos duces ſecutus vir hoc ſeculo ſummus Gabriel Naudæs integrum caput xv. Apologiæ, ſcriptæ pro iis, qui per calumniam Magiæ inſimulati fuerunt, excuſando Agrip-

pæ consecravit. Quam Apologiam antequam vidissem, persuasissimum mihi erat, Agrippam, juvenem fortè, Magicis sacris irretitum mature resipuisse, maxime cum hoc ipse innuat in Præf. præmissa ad libros de Occulta Philosophia, qua non modo veniam petit, sed notat quoque censoria virgula libros à se prima ætate conscriptos. Commendat ergo WIERUS Agrippam, sane supra seculum suum eruditum, qualem fuerat expertus, & familiariter, cum eo per domesticam consuetudinem conversando, noverat. Vitio quoque WIERO verti non debet, quod exscripserit Steganographiam Abbatis Trithemii. Calculum suum lib. 2. de Præstig. cap. 6. adjicit calculo Caroli Bovilli, atque nihil sani in toto hoc scripto agnoscit. Quanquam Naudæus d. lib. cap. 17. Trithemium ab omni Magiæ specie liberare nititur, quod & ante eum fecerat Tannerus Jesuita, cui hic non convenit cum socio suo Delrione. Steganographia ipsa Trithemii calculo multorum specimen exhibet artis Notoriæ, videturque docere Cryptographiam. Legi velim Anonymi (sed qui putatur fuisse Orthodoxus Theologus) Epistolam, qua anno sexto hujus seculi, secundum Editionem Francofurtensem, hanc ipsam Steganographiam obtulit Philippo Electori Palatino, atque diligentius attendi protestationem ipsius Trithemii, amolientis à se crimen Magiæ, quæ ibidem occurrit. Ut ut sit vero, hæc non tangunt WIERUM, ut neque juvenilia & inconsiderata Cornelii Agrippæ scripta: quique his argumentis moventur, ut putent WIERUM ad ordinem Magorum non modo relegandum esse, sed & Doctorem singularem Magiæ habendum, æque procul à sana mente, atque à candore absunt. Quid facias tamen? hodie adhuc inveniuntur, quibus volupe est cum mortuis luctari, cum tamen Larvæ his parcere consue-

verint

verint Talibus aliud non oppono, quam illud Maronis:

——— *Iam parce sepulto,*

Nec Patris Anchisæ cineres, Manesve revelle.

Interim tamen non omnia probanda sunt, quæ in libris WIERI de Præstigiis Dæmonum, & in libris, De Lamiis, occurrunt. Tria præ aliis jure merito in illis argui existimo. 1. Quod in Scriptura nullibi Magia, ut illicita condemnetur. 2. Quod nulli unquam cum Diabolo, de exercenda ad tempus aliquod Magia, pactum inierint, confessionesque Magorum deliriis esse accensendas. 3. Ac proinde nefas esse, ob crimen Magiæ aliquem ultimo supplicio afficere. Quæ Paradoxa licet vir prudens & salutis proximorum suorum quam studiosus, tueri instituerit; quod videret à crudelibus magis quam severis judicibus, quotidie multos innocentes, quasi Magos, ad ignem rapi, speratamque bonorum confiscationem judici crudeli & avaro dictare tormenta, ipsi Phalaridi ignota; nihilominus hæc ipsa jure summo nominatim in authore ex Pontificiis notarunt præ aliis Bodinus, Fayus, Binsfeldius, Martinus Delrio, Adamus Tannerus, Paullus Layman (hi tres posteriores fuerunt Jesuitæ) pluresque alii, quos longum foret enumerare. Ex Augustanæ vero Confessionis Theologis, & Reformatis, nominatim Brentius, Hemmingius, Danæus, Raynoldus, Perkinsus, & qui primo loco adduci debuisset Jacobus Magnæ Britanniæ Rex in sua Dæmonologia. Nec tamen æque WIERUS deliquit, atque Reginaldus Scot nobilis Anglus, cujus liber jussu laudati jam Regis in Anglia combustus fuit, quod aperte Magiæ crimen non modo negasset, sed etiam ex professo oppugnasset. WIERUS etiam ante editos libros de Præstigiis, adversarium habuit Thomam Erastum, non modo Medicum & Philoso-

losophum incomparabilem, verum etiam Theologum judiciosum, qui viso Apologetico WIERI, mox eodem anno, sive anno superioris seculi septuagesimo octavo, evulgavit responsum, oppido quam eruditum, in quo licet solide ad argumenta WIERI respondeatur, non tamen Magiæ WIERUS arguitur, sed ut vir doctus commendatur. Quod, ut publice constet, lubet paucula ex Epistola Dedicatoria hic repræsentare. *Ita ergo ibi Erastus:* Inventus est vir doctus, qui miseratione infelicium mulierculrarum permotus, pro magis ut arbitror, quam recto studio earum defensionem suscepit. Nec me inscio fecit, sed ante annos aliquot de consilio suo certiorem me reddidit. Ego vicissim ei respondi, non modo non ingratum mihi hoc fore, sed jucundissimum. Quin etiam obtestatus sum, ut, si errare nos videret, audacter nos confutaret. Equidem non de caussa aut vitiosa nuce, sed de hominum, pro quibus Christus mortem subire acerbissimam dignatus est, salute agitur: ac proinde non sceleratus solum, verum etiam immaniter impius juste censeri possem, si crudelem & falsam opinionem humaniori, & veriori sententiæ anteponerem. Mori certe malim quovis mortis genere, quam sciens & prudens, in re tanti momenti errare: præsertim cum error in talibus non sit simplex lapsus, sed periculosus & cum pernice aliquorum conjunctus. Quamobrem serio eundem rogavi, ut publice hominum salutis causa argumenta sua, quibus meam sententiam refelli posse arbitraretur, vel privatim communicaret, vel publice omnibus expendenda proponeret, me, si rectiora docuisset, publice quoque gratias libenter acturum esse, sive privatim sive publice erudivisset. Res est in annos aliquot dilata, & cum nihil sperarem amplius, tandem circa principium hujus anni tanto ante intentata confutatio prodiit. Ego eam

eam cum avide perlegissem, & meliora me visurum frustra expectavissem, mirum est, quam fuerim demiratus. Nihil enim prorsus, quod quidem momenti alicujus esset, deprehendi, quod non antea solide à me confutatum fuisset. Itaque sic mecum ratiocinari cœpi: Si vir cantus, & in hac ipsa quæstione tam exercitatus tot jam annis nihil excogitare potuit, quo vel tua infirmaret, vel sua corroboraret, satis manifestum est, quanta causæ, quam defendis, bonitas sit. *Hactenus Erastus.* Non diffiteri licet præter jam dicta, alia pariter occurrere, quæ jure merito aliquis arguat. At, quisquis eruditus, & simul candidus est, semper cogitat illud Horatii:

——— Non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Eoque (ut finiam) existimo bene de Republ. literaria promeritum fuisse Typographum, quod scripta WIERI diu desiderata nitidioribus Typis exscribi curarit. Adfer modo, benevole Lector, candorem & mentem defæcatam, atque (ut persuasum habeo) non minus mihi, quam Typographo applaudes. Quod reliquum, Vale.

Judicium ejusdem de reliquis WIERI scriptis.



Uod dubius essem, an Typographus, quid WIERI, *præter ejus libros de Præstigiis Dæmonum, evulgaturus esset, de his solummodo, simul succurrendo Authoris innocentiæ, judicium meum interposui. At, quum supra eos se voluerit tollere, qui uni lucro student, nullisque sumptibus pepercerit, quò omnia scripta viri, supra quam dici possit, eruditi, colligeret, atque in unum volumen redigeret, conducendo etiam nonnullos, qui ea, quæ Germanica solum legebantur, Latina toga induerent; ulteriori ejusdem desiderio satisfacere volui, atque libere profiteri, quid censeam de reliquis scriptis, quæ posthac nostri* MONTANI *studio & diligentia uno volumine comprehenduntur, quum antehac ullo vix precio comparari possent. Quantum ergo ad libros de Lamiis, diffiteri non possum, me ratione variorum in alia omnia à* WIERO *discedere; suspiciendam tamen, & maximopere commendandam puto, non minus, omnigenam ipsius eruditionem, quàm studium justitiæ, imo conscientiæ. Quis ita rerum imperitus, qui ignoret, plurimos utriusque sexus homines, ductos fuisse & ultricibus flammis traditos, nullam aliam ob causam, quam quod avarus judex, contra eos produxisset quosdam viros Belial, qui contra innocentes quædam Magiæ specimina, ab iis quasi exercita, probassent? Item, tales judices, justos quoque ab hominibus sui commatis haberi consuevisse, quod per dira tormenta & Phalaridi quoque ignota, confessionem criminis atrocissimi extorsissent vitæ suæ prodigis. Qui licet haud aliam ob caussam se reos prodiderint, quam ut tormentis eximerentur, judici tamen nomen decusque per innocentiam suam procurarunt, quod ex formula egisset. Si cui vero placuerit attendere ad illa, quæ disputat* WIERUS, *circumspe-*

spe-

spectius versabitur, maxime, si urnæ judiciali assideat; nec inanibus suspicionibus omni ratione destitutis, tantum tribuet, ut iis equuleum destinet. Certe hoc collegisse videor, quod ex quo scripta WIERI *prodierunt, per Germaniam, Galliam, & Belgium, ratio submoverit suspiciones, quæ Majorum ævo, sufficere videbantur ad aliquem, velut veneficum submovendum. Liber de fictitiis Iejuniis, errori populari expugnando destinatus, tum per liquidas rationes docet, admirationem non mereri apud naturæ consultos, ad quæ vulgus obstupescere solet; tum etiam prostituit æruscatores, per speciem religionis, ex talibus ludibriis quæstum facere solitos. Cum hoc* WIERI *libro conferri meretur eximius Tractatus & excellentissimi Philosophi Fortunii Liceti de Feriis Altricis animæ: Atque, si quis instituerit utrumque inter se contendere, næ eximium operæ pretium fecerit. Porro in Tractatibus Medicis Author noster singularis est, &, quasi sub Herculis sidere natus esset, non nisi adversus morborum monstra fertur, Hydropem, Quartanam, &c. Scorbutum, seu, Sceletyrben Plinii, morbum multis populis Endemium, naturæ præsidiis expugnari atque profligari posse, ex primis docuit. De Varenis (morbus est per Westphaliam nimis quàm familiaris) primus & solus forte egit. Atque, cum adversus illum præsidia potissimum Magica adhiberi inter Westphalos consuevissent, ipse ostendit circa naturam matrem, Pœnorum proverbium cum ratione usurpari possem, quo dicitur eadem terra & ciconias, & serpentes proferre. Tractatulum ejusdem Germanice scriptum, cum à filio Henrico submissus esset, tanti fecit vir Celeberrimus Henricus Smetius, Medicinæ Professor Senior in Academia Heidelbergensi, ut eum, Latine à se conversum Miscellaneorum Medicorum libro tertio, velut Emblema quod, inserere voluerit. Quæ habet de morbo Gallico, (utinam non modo Gallis, sed & omnibus Christianis ignoto!) Sudore Anglico, Pestilentia Epidemica, atque Iliaca Paßione, talia videntur mihi, (qui alias, nec pro*

Medici filio me gero) ut, illorum evulgatione, homines tam diu devotos sibi reddiderit, quam ipsi cum morbis luctabuntur. Qui tam feliciter cum corporis Tyrannis congressus erat, experiri quoque voluit, quid & quantum posset circa animi morbos. Eoque elegit ejusdem insaniam, (Iram innuo) quæ cum sit plurimorum peccatorum fons, quomodo illius vena obstrui possint, non minùs Philosophicè & Medicè, quam Theologicè ostendere instituit. In quo quid præstiterit, ipse, benevole Lector, dijudica. Librum hunc inventu antehac rarissimum, & parum quin auro contra carum, Montanus Typographus reliquis WIERI *scriptis sociavit: eoque dignum judico, cui Resp. literaria hoc nomine gratias agat, quam obstringet se æternum, si, non nisi libros cum* WIERI *scriptis paria faciente sive optimos, exscribere posthac instituerit: quod facturum auguror, imo voveo.*

AD

AUGUSTISSIMUM TOTIUS ORBIS CHRISTIANI CÆSAREM, REGES SERENISSIMOS, PRINCIPES ET DUCES ILLUSTRISSIMOS, COMITES GENEROSOS, ET QUOSCUNQUE ULLUM MAGISTRATUM GERENTES, TAM SECULARES QUAM ECCLESIASTICOS,

Libellus supplex.

INVICTISSIME Imperator, Reges & viri principes, quibus ordine legitimo, rationibus gravissimis gladium ad coercendam merito supplicio maleficorum effrenem inobedientiam: ad eos verò qui se rectis politiæ legibus inculpatè submittunt, vigilanter defendendos, eoque nomine tranquillitatem reipublicæ ritè constitutæ sedulò conservandam, commendavit Rex regum, & Dominus dominantium: vobis demissa oratione hunc supplicem libellum cum omni subjectione reverenter offero, ex cordis penetralibus orans, obsecrans & obtestans quàm humillimè, ut concedere non dedignemini in illis dæmonum præstigiis, quibus à rerum primordiis tam densas hominum oculis offudit tenebras ille primus universi mali architectus: & in iis quas senescente mundo demum idem ille veterator mille artifex in deliris stupidisque quibusdam mulierculis fabricatus est in Christianæ Europæ fœdissimam labem, hominum errorem crassissimum, cædem insontium frequentissimam, & vulnus conscientiarum magistratus haud profectò leve: concedere inquam clementer, mihi minimo obsequentissimoque vestro clienti, tempus apud vos proponendi his sex libris meam qualemcunque sententiam. Quæ si supremi ordinis vestri punctum non tule-

tulerit, eam uti meritò exibilandam explodendamque, ut quàm ocyssimè, ita & libentissimè palinodia supprimere non gravabor, rationibus argumentisque nervosioribus convictus. Sin verò authoritatis vestræ calculo ea confirmabitur, operæ precium me fecisse, in animum inducam: non minori denuò supplicans studio, ut huic sententiæ tum locus detur, semota vetustatis religione, & opinionis tot seculis imbibitæ affectu posito: si quando in vestri Imperii regnis, provinciis & ditionibus se offerat occasio deliberandi, judicandi & pronunciandi de causis illis diabolicis; & potissimùm de Lamiarum negocio hactenus tam multifariis tricis involuto. Hoc modo sereniore mentis oculo hujusmodi dæmonum ludibria diseretum iri, omnesque verè Christianos non tantam eorum esse potentiam cognituros, ut dubito minimè: sic quoque minus innoxii sanguinis, quem avidissimè sitit ille ab initio homicida, fundetur: nec ita quietis publicæ, cui ipse tragœdiarum author invidet summopere, compages luxabuntur: & conscientiæ rariore pungentur aculeo: satanæ item imperium indies magis ac magis collabascet, atque Christi regnum longius latiusque propagabitur.

PRÆ-

PRÆFATIO

De totius Operis argumento.

Rem profectò arduam, & omnino tenuitatis meæ vires exuperantem agressum me esse fateor, qui cum fraudulentis spiritibus, larvis & mundi dominis in theatrum prodire, luctarique audeam: quum tot illi habeant modos fallendi incomprehensibiles, & cuniculos, occultosque elabendi recessus, quibus ob essentiæ subtilitatem, motus celeritatem, vitæ longissimæ usum, & voluntatis perversitatem, longè lateque crassitiem nostram terream eludant, ut quibuscunque eos adoriaris rationibus, defraudatum te esse palàm videas. Quanquam vera hæc esse non inficiar: in alia tamen enutritus schola, atque ab aliis institutus præceptoribus, quàm Plato ethnicus apud superstitiosos suos Ægyptios & vates Memphiticos, vel Proclus apud suum Marcum, dæmonum clientem: Actor. 9. *ex D. Pauli, vasis electi, & pugilis adversus spirituales astutias in cælestibus invicti consilio, manibus indubitatæ fidei firmissimis arripui doctrinam Conditoris cæli & terræ, omniumque quæ* Philip. 2. *in eis sunt, & verbum Christi (in cujus nomine horum spiri-* Ephes. 6. *tuum genua flectuntur, ipsique dicto citius fugantur) gladium quippe spiritus ancipitem, tentaturus quid cum divini luminis radio & rationum machinis, in luce cum rectoribus tenebrarum seculi hujus potero, in eo potissimùm fraudium genere, quo illi hactenus tam densas hominum oculis offuderunt nebulas, ut quò se convertere securè debuerint, tanquam in ipsa caligine palpi-* Occasio operis. *tantes, ignorarint quamplurimi. Id autem est ille incantamentorum labyrinthus: cujus ut, invento qualicunque filo, explicandi commonstrarem viam multò aliam, quàm hactenus observatam videre licuit, hoc institui Opus. Ne verò obscuritatem gigneret orationis perpetuitas, in sex illud distribui libros: ut ejus ordo tamen, quasi rectè instituta rerum œconomia, suis convenienter cohæreret partibus.*

Cæte-

ARGUMEN. libri Primi.

Cæterùm quum universum id negocium sit dæmonum præstigiis ac dolo implicatum, ut ad eorum quæ in reliquis dicentur libris, intelligentiam sterneretur via, in Primo libro, diabolus quid sit, quæ ejus origo, qui primi dolosi ejus conatus, perniciosique progressus ab Eva in rerum primordiis, ad hæc usque tempora, quæ item ipsius potentia, quid etiam prorsus non possit: quodq́ limites illi à Deo præfigantur, ultra quos ferri nequit, describitur.

SECUNDI. Magi infames.

Hinc, quid per suam clientelam operetur, ostensurus: ad magos infames, dæmonum operâ quascunque præstigias oculis nostris destinato studio multifariam objicientes, divinationumq́ variis larvis alios deludentes, & medicinæ sacra suis imposturis satanicis fœdè conspurcantes, progredior: quos etiam Tertio libro à Lamiis segrego, ut quæ sexu inconstantes, fideique lubricæ, & ætate non satis mentis compotes, diaboli ludibriis magis sint obnoxiæ: qui in illarum vim imaginativam sive vigilantibus sive dormientibus se insinuans, quascunque formas ipsis inducit, ea dexteritate concitatis in hunc dolum humoribus & spiritibus, ut nihil aliud illæ sciant, aut queant fateri, quàm rerum à dæmone ex Dei abstrusa voluntate vel consensu peractarum, aut plagarum hominibus bestiisve invectarum, sive designatorum flagitiorum, aut malorum pronatorum naturæ ductu, se effectrices esse: quemadmodum mentem quoque lædi, multifariisque imbui imaginibus, sæpe in iis quorum cerebrum atra bilis vel ejus vapor vitiarit, spectamus. Nullos quoque libros eas habere, nullos exorcismos, characteres, aut similia monstra, velut magi infames: nullos etiam præceptores alios, præter læsam à dæmone mentem, aut corruptam imaginationem: unde & à Magis illis infamibus non parum differre, omnibus erit perspicuum. Hi namque viri sunt sæpe docti & cordati, sed curiosi longius etiam peregrinantes, ut artem imbibant dæmoniacam, quæ saltem præstigias & rerum ludibria, præter naturalem morem ostentant: illæ verò utplurimùm fœminæ, eædemque vetulæ, & mente tituban-

TERTII. Lamiæ.

tes,

tes, domique latentes: in quarum, uti organorum convenientium, phantasiam propè torpidam, velut sedem suis studiis accommodatam, in melancholia morbo, mærore, vel extrema desperatione, ut spiritus est, illabitur: nec tam præstigiis deludens, quàm quæcunque hominum infortunia, calamitates & interitus tanta vehementia imprimens, ut qualia quantaque ea sint, se perpetrasse, ut dixi, arbitrentur: à quibus tamen hæ fuêre alienißimæ & prorsus insontes. Has itidem à veneficis, quos φαρμακεύσεις Græci dicunt, separo: qui veneno vel propinato vel illito, vel eo loco ubi halitu feriat collocato, homines vel bestias lædunt. Sic plurimùm interesse inter prophanos magos, lamias & veneficos intelligetur: de quibus tamen, velut iisdem hactenus confusè actum, disputatum, & pronunciatum est. Venefici. φαρμακεύσεις.

Ut autem hæc innotescerent clarius, Quarto libro eos qui Lamiarum maleficio affici putantur, propono, demonstrans eos à dæmonibus exerceri, vel obsessos esse, ex occulta Dei permißione, citra ullam ullius Lamiæ aut hominis alterius cooperationem. QUARTI.

Hinc justo ordine, libro Quinto, ad eorum qui ejusmodi maleficio collisi creduntur, curationem, infinitis partibus aliam quàm hucusque observata sit, me confero: ubi, quæcunque curationes illicitæ à dæmoniis in sui regni confirmationem efficta, pervetitas conjurationes, characteres, ligaturas, periapta vel appensa, annulos, sigilla, imagines, & similes umbrarum furias, sacrosanctæ Scripturæ authoritate & rationum pondere convincuntur, exploduntur que: ut ab iis facibus, velut expurgato Augiæ stabulo, liberatæ mentes, in quacunque afflictione ad ordinata à Deo remedia posthac confugiant, puris manibus in cælum sublatis, ac medicinæ sacræ in hoc negocio incorruptius conscientia syncerione tractentur: qui præcipuus fuit hujus instituti mei laboris scopus. QUINTI.

In hac tamen gravi meditatione aliquandiu suprà quàm dici potest occupatus, tantumque non (novit ille quem nihil latet) excruciatus, quòd vetulas illas dementatas, à dæmone illusas, La-

mias vulgò dictas, quæ nihil flagitii singularis commisissent (non enim loquor de veneficis) tam atrociter, sine ulla commiseratione multis in locis in caliginosos squalidosque carceres, horrida umbrarum hospitia & dæmoniorum domicilia inconsideratius præcipitari, inde in carnificinam truculentius rapi, ac demùm flammis devorandas temerè objici viderem: propriæque amentium anicularum confeßioni stari, nec satis inter Lamias & veneficas discerni: & Magos sacrilegos, in lege veteri mulctatos graviter, jam impunius, imò cum laude apud plerosque versari: non potui non inquam argumenti ratione, conscientiæ impulsu actus, meam hac de re sententiam qualemcunque, quin-
SEXTI. *que iis libris adjungere: Sextoque libro velut appendice declarare, quid & quibus rationibus nixus, sentiam de punitione Magorum infamium, à* CHRISTI *veritate rempubl. cum*
Act.13. *Simone & Elima avertentium, eamque sedatam turbantium: quid item de modo puniendi Lamias à diabolo seductas, velut*
Hæretici. *melancholia agitatas, vix autem hæreticas (ea enim mente illæsa, sed præfracta constant:) postremò etiam, quid de veneficorum supplicio statuendum existimem, subjunxi: ubi locum*
Contra veneficas edictum Mosis. *habere videtur promulgatum ex Dei voluntate Mosis edictum, Græcè à Septuaginta senioribus redditum, & velut explicatum*
Exod.22. *in varia illa Hebraicarum vocum significatione,* φαρμάκους οὐ περιποιήσετε,
Lib. 4. cap.8. antiq. Iuda. *Veneficos (vel ut Hebræi habent, veneficas) non sinetis supervivere. Ad venena usurpantes legem hanc quoque refert Iosephus Iudæus.*

Nec sibi hîc leges à me arrogantius præscribi criminentur Magistratus, aut legum periti. hoc enim meum fuisse institutum minimè, testor Deum: sed ex commiseratione meditationem meam solummodò aliis cordatioribus & piis viris, necnon veritatis inquirendæ potius, quàm opinionis inconsideratius multis seculis imbibitæ affectu defendendæ studiosis, excutiendam sereno mentis oculo, summiße offero. Qui operæprecium me præstitisse agnoscent, ingenuam hanc libertatem bene interpre-

tentur:

tentur: qui secus censebunt, ignoscant benevolenti. Interim mea qualiacunque argumenta, quibus toto hoc Opere nitor, ἄνω κάτω conferri cupio, dum in consilium vocantur Speculator & Iohann. Andr. titulo de Sortilegiis: aut Summista, Hostiens. Gotfridus Reinerius in Summ. de Sortilegiis: Canon in cap. 1. & 2. ubi Alb. post Iohan. And. de sortil. in antiquis: Alb. cons. 55. 1. volum. incip. Casus talis, per Oldrad. consilio illo 210. incip. Regularis: vel etiam recentiores post gl. in c. accusatus. §. de hæretic. initiis: Alber: de Rosatis in Dictionario, super verbo Sortilegium: sive Bonif. de Vitalin. in titul. de Sortilegiis, in tractatu Criminalium: aut Matth. de Afflict. in constitution. Neapolit. de malis & noxiis medicamentis, parte tertia: item auditor ejus Grillandus, aut etiam 2. Lib. Sylvestri Prieratis de Strigomagis: seu Bonavent. super 3. Sent. Quibus autem firmamentis sua scripta munierit quilibet author, horum librorum collatione manifestius intelliget æquus Lector.

Porrò de re ipsa & materia, quoniam ad veritatis doctrinam, & Ecclesiæ CHRISTI *quietem, ac proximi utilitatem spectat, non est quòd multis agam: quum ea sit hujusmodi, ut quantum libet in elegantem sit sortita artificem, satis tamen ipsa per se, omnium oculis sese queat & debeat commendare: præsertim ob res non paucas in lucem magis erutas, quæ hactenus vel ut incognitæ, vel ut obscuræ latuêre. Solitum verò esse apud Græcos olim proverbii loco, hominibus parum scitè in re præclara versantibus objici, Proba quidem materia, si probum nacta fuerit artificem, non ignoro: at cuilibet liberum permitto de artificis opere statuere, quod illi libitum erit. Quod enim ad me attinet, ut nullius vel nasuti Momi, aut perspicacis Aristarchi reprehensionem, sive severi Catonis censuram deprecor, si merear: ita nec auram popularem, aliámve laudem magnopere venor, bona fretus conscientia, quâ hanc aggressus sum telam. Dies erit, quando unicuique à Domino laus sua accedet: dummodò illius accrescat gloria, & satanæ tyrannis imminuatur, abundè satis erit factum meis votis.*

IN

IOAN. WIERUM

Illustrissimi Clivorum Ducis
Archiatrum.

E. CAR. UTENHOVII F.

Allusionum Lib. I.

EPIGRAMMA.

ILle VIA tota totoque ERRARE videtur
ERRO vagus coelo, docte WIERE mihi,
Qui Paracelsistæ latitans sub nomine sectæ
Nomen ab ERRANDO credidit esse tibi.
Ni quòd ABERRANTES recto de tramite, rectam
(Ceu Paracelsistas) cogis inire viam.
Nam neque cognomen tibi DEVIUS indidit ERROR,
Quem neque transversum DEVIUS ERROR agit.
Non VIA tartarei quæ fert Acherontis ad undas
LATIOR: Angustum dat tibi nomen ITER.
Fit VIA VI quæ nos supera ad convexa polorum
Ducit, & acclivi surgit in astra VIA.
Tu modò qua ducit VITÆ VIA, perge, beatæ,
VIQUE tibi cœlo sterne WIERE VIAM.
Sic fueris Latia VITÆQUE VIÆQUE CUPIDO,
Argolicáque BIÔY voce WIERUS ΕΓΩΣ.

ΟΥ ΘΕΝ, ἄτερ μουσέων καὶ χαρίτων, ὁ-ΒΙΟΣ.

AUTHORES

In hoc Opere citati.

A.

ABdias Bab. *Episc.*
Abenezra.
Accursius.
Ælianus. Ælius Gallus.
Ælius Spartanus.
Ætius. Æneas Sylvius.
Henr. Corn. Agrippa.
Aias.
Albertus Crantz.
Albertus de Rosat.
Albertus Mag. *Teutonicus.*
Albucasis.
Alchindus *Arabs.*
Alciatus. Alcimus.
Alexander Aprodiseus.
Alexander I.
Alexander ab Alexan.
Alexander Benedictus.
Alexander Trallianus.
Almansor.
Aloysius Cadamustus.
Amatus Lusitanus.
Ambrosius Magirus.
Ambrosius. Andreas Masius.
Andreas Thevet *Angoul. hist.*
Andreas Vesalius.
Angelonius.
Angelus Politianus.
Anselmus Parmensis.
Antiphon.
Antonius Benivenius.
Apollonides.
Apollonius Molon.
Apollonius Tyaneus.
Appion Grammaticus.
Apulejus. Arator. Aratus.
Archelaus. Aristophanes.
Aristippus. Aristoteles.
Arnoldus de Villa nova.
Artemon. Artephius.
Asclepiades. Athanasius.
Athenæus.
Athenagoras.
Athenorodus. Averrhoës.
Augerius Ferrerius.
Augustinus.
Augustinus Steuchus Eugub. *Episc. Kisam.*
Ausonius. Avicenna.
Azaravius.

B.

BAldus.
Bartolus.
Bartholomæus Anglicus.
Bartholomæus Pisanus.
Basilius Magnus.
Bassianus Landus.
Beda.
Benedictus Victorinus *Favent.*
Benno Cardinalis.
Bernardus.
Berno. Berosus.
Bias Prieneus.
Boccatius. Boëtius.
Bonaventura.
Bonefacius de Vital.

C.

CÆsar Constantinus.
Jul. Cæsar Scaliger.
Hier. Cardanus.
Carolus Bovillus.

***** Car-

Carpocrates.
Caspar Peucerus.
Cassianus.
Cassiodorus.
M. Cato. Catullus.
Celsus. Chilo.
Chrysippus.
Chrysostomus.
Cicchus Asculus *Florent.*
Cicero.
Cyprianus.
Cyrillus.
Claudianus.
Clemens *author libr. Recogn.*
Beat. Clemens de Constant. *Apostol.*
Cleopatra.
Cœlius.
Columella.
Constant. Imperat.
Cordus. Cornelius Nepos.
Costaben Luca *Hebr.*

D.

Damascenus.
Damon.
David Kimhi.
Decretalia.
Democritus Abderites.
Diodorus Siculus.
Diogenes.
Dion Nicæus.
Dionysius.
Dioscorides. Duris.

E.

Eduardus.
Egesippus.
Egnatius. Empedocles.
Epicurus. Epiphanius.
Erasmus. Eucherius.
Eurycles. Euripides.
Eusebius. Eustachius.

F.

Gabr. Fallopius.
Ferdinandus Corthesius.
Ioan. Fernelius.
Leon. Fioravantus.
S. Fontainus.
Hier. Fracastorius.
Franciscus Morand.
Fulgentius Placiades.
Fulgosus.
C. Furius Cresinus.

G.

Galenus.
Garcias ab Horto.
Gaudentius Merula.
Gaufridus Antisiod.
Gellius.
Georgius Agricola.
Georgius Pictorius.
Georgius Sabinus.
Gerson. Gesnerus.
Gyraldus. Giselbertus.
Gordonius.
Gotfridus Reinerius.
Gratianus. Gregorius.
Gregorius Nazianzenus.
Grillandus.
Grugna Stryac.
Guidus Cauliacensis.
Guilielmus Brabantinus *Hist.*
Guilielmus Malmes *Hist.*
Guilielmus Placentinus.
Guilielmus Turnerus Angl.
Guilielmus Vatignana.

H.

Harpocration.
Haymo.

Hector

Hector Boëthius *Hist.*
Helinandus.
Heliodorus.
Heinricus *Instit.*
Helmoldus.
Hermes.
Hermogenes.
Heracletus. Herodotus.
Hesiodus.
Hieronymus.
Hilarius.
Hildebertus.
Hildegardis.
Hippocrates.
Hippol. Marsil.
Homerus.
Honorius.
Horatius.
Hugo Cluniacensis.
Hugo Eterianus.
Hugo de S. Victore.

I.

IAcobus de Chusa.
Iacobus *D. in Leichtenburch.*
Iacobus Meyerus.
Iacobus Ruffus.
Iacobus Sprenger.
Iamblichus.
Iason Pratensis.
Idiota.
Igmarus Remensis *Archiepisc.*
Ioan. And.
Ioan. Anglicus.
Ioan. Baptista Porta.
Ioan. Francis. Picus.
Ioan. Franc. Ponzivibius *Placentinus.*
Ioann. Genadius.
Ioann Guinterius *Ander.*
Ioann. Herold.
Ioann. Kentmannus.
Ioann. Langius.
Ioann. Leo African.
Ioann. Nider.
Ioann. Salisberiensis.
Ioann. Sleidanus.
Ioann. Vasseus.
Iodocus Damhouderius *Brug.*
Iosephus.
Irenæus.
Isodorus.
Isogonus.
Isychius.
Iulianus Apostata.
Iulianus Philosophus.
Iulius Cæsar.
Iulius Obsequens.
Iustinus.
Iuvenalis.

L.

LAbeo.
Lactantius.
Lælius.
Laërtius.
Leo. Leonides.
Levi Gersonis filius.
Lilius Gregorius Gyrald.
Lysimachus.
Livius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucretius.
Ludovicus Cœlius Rhod.
Ludovichus Milichius.
Ludovic. Roman. *Patrit. Hist.*

M.

C. Manilius.
Marcellus.

Marcus Heremita.
Marcus Marius Fryschius.
Martianus.
Marsilius Ficinus.
Martinus de Arles. Marullus.
Matthæus Curtius.
Matth. de Afflict.
Matthiolus.
D. Maximus.
Maximus Tyrius.
Melanchthon.
Memphodorus.
Menander.
Mercurius Trismegistus.
Mesue. Methodius.
Publ. Mimus.
Moses Ægyptius.
Moses Bar-cepha *Syrus Episc.*

N.

NAuclerus.
Neratius.
Nicephorus. Nicolaus.
Nicolaus Monardis.
Nonius.

O.

OCtavianus.
Oenomaus.
Olaus Magnus.
Oldralus.
Olympiodorus.
Origenes.
Ovidius.

P.

PAmphilus.
Paulinus.
Paulus Ægineta.
Paulus Venetus.
Pausanias. Persius.
Petrarcha.
Petrus Aponensis de Ebano.
Petrus Argelas.
Petrus Alphonsus.
Petrus Bellonius.
Petrus Bembus.
Petrus Blesens.
Petrus Cantor.
Petrus Cluniacensis.
Petrus Damianus.
Petrus Lombardus.
Petrus de Palude.
Petrus Pomponatius.
Petrus Præmonstratensis.
Pherecydes.
Philarchus.
Philastrius.
Philo. Philochorus.
Philostratus.
Phocylides.
Picatrix Hispanus.
Pythagoras.
Platina. Plato.
Plautus. Plinius.
Plinius Iunior.
Plotinus. Plutarchus.
Pogius Florentinus.
Pontanus.
Porphyrius.
Possidonius. Primasius.
Priscianus *Philos.*
Proclus. Propertius.
Prosper. Psellus.

Q.

Quintilianus.

R.

RAbanus.
Rabi Ismaël.
Rabi Moses.
Rabi Simon.

Radul-

Radulphus. Ravisius.
Raymundus.
Remigius.
Reuchlinus.
Rhases.
Robertus Anglicus.
Rogerius Bachon.
Rondeletius.
Ronsæus. Ruffinus.
Ruffus Ephesius.
Rupertus.

S.

SAadias.
Sabellicus.
Salonius. Savonarola.
Saxo Grammaticus.
Saxoniæ Chronicon.
Sebastianus Franc.
Sedulius. Seneca.
Serapion Ascalonites.
Q. Serenus. Sestius.
Severus Sulpitius.
Silius. Sigebertus.
Iac. Sylvius.
Sylvester Prioras.
Synesius.
Smaragdus.
Socrates.
Solinus. Sophocles
Sophronius. Soranus.
Speculator.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.

T.

TAcitus.
Tatianus Assyrius.
Tertullianus. Terentius.
Thebit. Themison.
Theocritus. Theodoretus.
Theodorus *Byzant*.
Theognides.
Theophrastus.
Theophrast. Paracels.
Theophylactus.
Thomas Aquinas.
Tibullus. Timagenes.
Ioan. Tritemius.

V.

VAlerius Maximus.
Valerius Flaccus.
Valesius de Taranta.
Varignana. Varro.
Vegetius. Victor.
Vincentius. Virgilius.
Ulpianus.
Ulricus Molitor.
Volaterranus.
Vopiscus.

X.

XAnthus.
Xenocrates.
Xenophon.
Xiphilinus.

Z.

ZOnaras *Hist*.
Zeno.
Zoroaster. Zozimus.

Illustrißimo atque Excellentißimo

Principi ac Domino,

D. GUILIELMO,

Cliviæ, Juliæ & Mont. Duci, Comiti Marchiæ ac Ravensburgi, Domino in Ravestein, &c. suo Domino Clementissimo, perpetuam in Christo JESU felicitatem precatur

IOANNES WIERUS *Medicus.*



N tam perniciosa varietate fanaticarum & pestilentium opinionum, quibus hoc ævo miserè orbem concutit Christianum Satan, non minimi eam momenti esse sentio, Princeps illustrißime: quam idem ille velut perditißimum seminarium, mentibus hominum insevit incantamentorum nomine. Etsi enim multifariam in religionis nostræ controversiis, vel ob diversos ceremoniarum ritus, vel non æquè intellecta Scripturæ loca, animi distrahantur, sententiæque varient, faces sub dente antiquo serpente: non tamen inde tam deploranda subsequitur calamitas, quàm ex semel imbibita, ipsius instinctu, persuasione de eo mali genere, quod hominibus & bestiis citra veneni vel propinationem vel applicationem, inferre creduntur quædam dementatæ anus, quas Lamias vel Sagas nuncupant. Licet enim ex prioribus quidem disceptationes hinc inde oriantur diversæ vel pro hominum affectu, vel prout cuilibet sua satisfacere mens videtur, aut pro talenti à Deo donati pondere & qualitate: tamen momenti tantum eæ sæpius non habebunt, ut aut animæ salutem aliquo attingant modo, aut etiam amicitias omnino turbent, vel dissuant. At quàm execrabilem à Deo alienationem, quàm conjunctam cum dæmone necessitudinem, quanta inter proximos odia, quàm rixosas vicinarum factiones, quas rusticorum simultates, quæ urbium dißidia, quàm frequentes insontium cædes, parente tragœdo diabolo, gignat fœcundißima illa calamitatum mater, opinio nimirum concepta de Lamiarum maleficii

Controversiæ de Religione.

Rom. 14.

Opinio de Lamiis.

(non

(non inquam veneficii) prodigiosa potestate, quotidiana docet experientia. Et quum pauci sint morbi, quorum causas ad Lamiarum opus non referat, perversè in religione Christiana institutum vulgus: vix alius hominum ordo comperitur, cui universum hoc impietatis negotium penitius sit notum, & justior de hoc actionem instituendi occasio incumbat, quàm medicorum: quorum eo incredulitatis genere ita turbantur animi, & aures raduntur, ut nihil in iis æquè concrepet apud ægrotos, quàm mordax illa falsaque innocentium muliercularum de inflicto ejuscemodi malo criminatio. Quam Camarinam aliquandiu non tam virulentum expirantem fœtorem, cum paulatim sana ex Dei verbo institutione prorsum interituram spes esset, eam denuò graviter moveri, ut contagionis virus jam multò longius latiusque cum plurimorum pernicie, procellarum spiritu horribiliter afflante, exhalet, quàm hactenus unquam, indies magis ac magis sentio. Causa scribendi. *Tanta vigilantia quamcunque observat occasionem veterator ille, somnolenter hujus artes permittentibus iis, quorum intererat die noctuque doctrinæ Evangelicæ machinis, ipsius propugnacula concutere, funditusque evertere. Dum itaque ad gravem hanc impietatem silentio connivent Theologi plerique omnes: dum opinionum falsitatem in morborum causis, eorumque impiis curationibus tolerant Medici: dum sententias ex persuasione, longa annorum serie & præscriptione non tam ratione discussa, quàm præjudicio quodam citra contradictionem usurpata, hic pronunciant Iurisconsulti: dum denique neminem audiam, qui mortalium misertus, aut totum hunc Labyrinthum nobis aperuerit, aut saltem exitiali medendo vulneri manum admoverit: operæ mihi precium facturus videbar, si ego velut* κίσσα ἐν ταῖς μούσαις, *garritu saltem aliis veternum excuterem: & arduam hanc rem, quæ nostræ religioni Christianæ summæ sit contumelia, altius perscrutandi, discutiendique, qualemcunque ansam fusiori oratione & quantulacunque demonstratione subministrarem. Etsi non eram nescius, pravæ opinionis sine ratione* Prava.

per-

opinio, inexpiabilis tinctura.

pertinaciam, inexpiabilem esse tincturam, & quæ elui nequeat, ut scitè à Galeno nostro scribitur, his verbis: [Greek text, partly illegible] *Sic enim educatos, ad resipiscentiam aut veritatis frugem non posse reduci arbitratur. Tam non facile est, novam rem ad communem hominum mentem & assensum accommodare.*

Nec tamen hoc meum institutum quisquam calumniabitur, quasi nimis Suffenus, minusque tenuitatis meæ conscius, quicquam præ aliis intelligere, aut posse, mihi temerè præsumam. Quàm sit mihi curta supellex, probè novi, & me certius nemo: atque hoc scio, quod nescio. Nemini hîc præjudicatur. Accedunt quotidianæ medicationes, & profectiones assiduæ, quæ certè ferias ejusmodi lucubrationibus sedulò donandas, mihi præripiunt: ut hoc nomine superioribus venationibus Hambachi institutis, dum tuæ Cels. atque ejusdem illustri generosæq; soboli ex officio inservirem, huic potissimùm studio vacaverim.

Complures igitur alios infinitis partibus longè meam hanc infantiam superare potuisse & posse etiamnum penitiore veritatis inquisitione, oratione luculentiore, & demonstratione evidentiore, magisq; nervosa, cum ob ingenii acumen, ac doctrinæ excellentiam, tum verò maximè propter amplioris ocii accessionem, non modò libenter & ingenuè agnosco, sed quoque palàm liberè profiteor. At interea jejuno meo scripto felicia illa ingenia provocatum iri sperare volo, ut vel dicendo, me rectius erudiant, qui ejusmodi collationum solet esse fructus: vel, tacendo meam hanc sententiam ab inolita religioso illo seculo opinione [Greek text, illegible] *dissonantem, comprobent. Hac ratione reportasse me ex laboribus usuram satis uberem confidam: nec me præstitæ pœnitebit operæ, si saniore doctrina in veritatis cognitionem revocer, aut saltem in rara paucisq; audita opinione confirmer. Etenim ut naturam in profundo veritatem penitùs abstrusisse, rectissimè docuit Democri-*

Veritas in profundo abstrusa.

mocritus: ita eam vigilantius inquirere, investigare & rimari decet. Id siquidem cum majori æquitate conjunctum est: quam sententiam, quam temere quis amplexus sit, pertinaciter defendere.

Argumentum autem hujus commentationis nostræ partim est Theologicum, quo diaboli artes & studia, Sacrarum literarum testimoniis produntur: & quo iis modo tutissime obviam iri possit, docetur, Partim etiam Philosophicum, dum naturalibus convincuntur rationibus vana satanæ ludibria, & corrupta sagarum imaginatio: Partim item Medicum, ubi secundum naturæ legem, morbos, eorum causas & symptomata Lamiis perperam hactenus imputata, oriri demonstratur. Partim id etiam Iurisprudentiæ placita spectat, quum de magorum infamium, Lamiarum & veneficorum pœnis, pro delicti qualitate & magnitudine, alio quam hactenus usurpatum est modo, differatur. Argument. operis. Theologicum, Philosophicum. Medicum. Juridicum.

Historias autem inserui passim varias, eo potissimum fine, quod quum tam diversa tamque multifaria sæpenumero in hoc satanæ negotio à multis referantur: ex nostrarum narrationum collatione, ἀναλογία & qualicunque explicatione, citius in actionum præstigiarumque dæmoniacarum, & rerum multijugarum cognitionem ac judicium perveniri posse arbitratus sim. Cur variæ inserantur historiæ.

Ne autem hic mei ingenii metas & professionis limites temere præfractaque opinione, nimis proprio fisus cerebro, transiliisse censerer, hæc mea πονήματα plerisque doctissimis, etiam ex tuæ Cels. familia viris, Theologis, Legum peritis, & collegis excellentissimis, eo animo legenda excutiendaque proposui, ut horum censura vel starent, si ratione niterentur: vel caderent, si convincerentur erroris: vel mutarentur, si qua aut additione aut castigatione egerent. Nec enim quicquam eodem tempore simul inchoatum ac absolutum fuit.

Iam vero si maleficarum Malleum hoc absolvisse pensum quis objiciat, is ubi illius libri congestas à Theologis, Henrico Institoris & Iacobo Sprenger ineptias absurdas, sæpe etiam impias, legerit: & cum hoc nostro scripto, affectu omni sejuncto, contule- Malleus maleficarum.

****** *rit: sen-*

rit: ſententiam profectò aliam omnino, imò contrariam me ſuſtinere ac defendere intelliget. Penelopes enim telam retexere, actumque agere, ſane lubet minime. Pauca quidem in hanc rem dixit Vlricus Molitor, Sigiſmundi Bohemiæ regis conſiliarius, in Dialogis de Lamiis & Pithonicis: nonnihil quoque de ſtrigibus ſcripſit Ioannes Franciſcus Picus*: Abbas item Spanheimenſis Ioannes Tritemius quæſtiones quinque Maximiliano Cæſari propoſuit: noſtra quoque lingua argumentum hoc attigerunt quidam Germani: quo autem judicio, operis noſtri collatione innoteſcet.*

Cæterùm præter multas graveſque cauſas, quæ ut tuæ Celſitud. has meas qualeſcunque cogitationes conſecrarem, me impulerunt, hæc quoque induxit potiſſimum: quod quum jam in viceſimumſextum annum tuæ Celſitud. à medicinis fuerim, ac diverſas ſæpenumero in tuæ Celſ. aula audierim de Lamiarum jam denuo in ampliſſimis ditionibus tuis renatarum, potentia & incantamentis ſententias: vix à nemine tamen certiorem, meæ conſonam magis, & è veritatis fontibus erutam penitius, me unquam hîc cognoviſſe, atque illam quam aliquoties à tuæ Celſitud. ore his hauſerim auribus, velim nolim fateri cogor: Sententia ducis Cliven. de Lamiis. *nimirum Lamias nemini ulla voluntate maligna quacunque dira imprecatione, aut intuitu malicioſo nocere poſſe: ſed vitiata per occultos dæmonis cuniculos phantaſia, eas tanquam melancholia agitatas, in mentem ſibi inducere, quæcunque mala ab ipſo ſatana illata, vel naturali occaſione ex abſtruſo Dei conſilio prognata, abs ſe perpetrari. Vbi enim actionum modus ad trutinam vocatur, & earum organa indagine circumſpectiore obſervantur, luce clarius mox omnium oculis patet rei* ἀδυναμία *&* Veneficium. *falſitas. Veneficium ſolummodo à* φαρμακοποιοῖς *vel veneficis, veneno vel propinato vel illito, noxiè fieri in hominum & animantium internecionem, doctè, prudenter & piè concedit tua Celſitudo. Hinc fit, quòd non multorum more, pœnam deluſis aniculis ſtatim ſevere infligi jubeat: ſed matura deliberatione prius de veneno dato exacte inquiri, poſt ſi de ea indubitanter conſtet, le-*

gum

gum præscripto satisfieri, à Deo ad hoc constituta tua Cels. velit. Hoc profectò accedit meritò ad reliquas præclarissimas & innumeras animi ingeniiq; dotes, quibus ita quotidie quam nactus es Spartam (κατὰ τὸ ἀπόφθεγμα à tua Cels. celebrari solitum) adornas, illustrasque, ut & tuorum & vicinorum omnium oculos in te convertas. Nihil hìc præter institutum dicam, de non vulgari tuæ pietatis studio: cujus ut plurima, & quidem memorabilia, ita imitatione dignissima possem adducere exempla, ni hinc potius inclementiam expectandam, quàm favorem, vererer. Sit autem hoc unum, quod neque solem exorientem unquam videas, neque vesperi te lecto componas, quin ardenter prius fusis ad Deum precibus, à sacra lectione te totum, & omnes tua Cels. subjectos, ipsius patrocinio fideliter commiseris. Nihil addam de temperantia in potu, quo unico nomine non modò tuis subditis omnibus numerosissimis exemplar existis admirabile: sed et tui ordinis illustrissimis, eisdemque potentissimis heroibus optimo præluces jure: ut ebriam tuam Celsitud. vidisse neminem, non minima laus sit imò ratam esse velis Assueri regis legem, qua ne quis poculorum certamen urgeat, severè cavetur. Sed tamen non sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quàm vita regentis. Quo fit, etiam, ut nemo te præsente non solùm dejerare, verum etiam jurare audeat. Conscius est enim unusquisque, quàm Celsitud. tua odio plusquam Vatiniano prosequatur omnes, qui assiduis suis dejerationibus tremendum Dei nomen prophanare non erubescunt: qua blasphemia omnes propemodum horribiliter concrepare aulas, est quòd Christianæ religionis homines meritò doleant, lugeantque, plagis hinc enatis palam visis. Taceo continuos in quorumcunque libellorum supplicum, & aliorum scriptorum quotidie affluentium lectione, maturaque responsione labores: quo vel unico incomparabili exemplo, verè paternum affectum erga commissum tua tutelæ subditorum gregem, quis non exosculetur? quibus ut nec contemptum hic Karlorum nomen, in aliorum ore innatans assiduè, unquam à tua Celsitud. objectum fuisse, quis audivit,

Mores principum plus legibus valent.

Esth. 1.

Claud.

Kerll.

ita

ita sæpenumero eos blandissimo filiorum nomine dignaris: nec quicquam usque adeo tua Celsitud. studio curaque esse norunt omnes, quàm tuam rempublicam in summa tranquillitate perpetuo conservare: id quod cum rara, imò divina prudentia proximis aliquot annis turbulentissimis, undequaque bellico strepitu circum maximas tuæ Cels. ditiones sæviente, nec tamen eas concutiente, testatus es. Nec postremam meretur laudem, quinimò apud omnem posteritatem propagandam, quod velut doctorum Mecœnas, singularem facias interdum ingeniorum delectum in iis, quos ad exteras regiones & præclaras in quacunque facultate Academias tuis impensis ablegari, ali, studiorumque curriculam feliciter perficere voluisti, quo aliquando tuæ Cels. & reipublicæ decori usuiq; esse queant: ut ea ratione insignibus doctrina, Prudentia, existimatione, & rerum cognitione, usuque viris, illustrem illum tuæ Cels. comitatum esse ornatum, ad reliqua celeberrima tuæ aulæ ornamenta, non immerito referri debeat. Minus tamen id mirum videri debet, quod ipse doctus, eruditos semper eo prosequutus sis studio, ut quibuscunq; honorariis & stipendiis eos in tuam amplissimam pellicere accireque familiam, jam inde à quo princeps es, non intermiseris. Sic providentia non vulgari factum est, quod hîc in venerando ordinis Senatorii consessu, primo sit dignata loco tua Cels: virum doctrina multijuga, nec vulgari prudentia, rerumque variarum usu & eximiis animi corporisque dotibus clarissimum, D. Henricum Barzium cognomine Olislegerum, LL. Doctorum & Cancellarium Clivensem vigilantissimum, patriaque amantissimum. At prorsus calamo hîc imperasse præstat, quam leviter oratione jejuna verè heroicas tuæ Cels. virtutes, omnem omnium laudem post se relinquentes attigisse: quas non aliorum relatu cognovi, sed hisce oculis in tua Cels. velut in lucidissimo speculo quotidie contueor. Tali itaque ac tanto Principe patrocinium non denegante, mordaces vitilitigatorum insolescentium dentes haud difficulter victurum me confido: præsertim cùm à meis partibus in procinctu stare invictam veritatem non dubitem. Precor Deum opt. max patrem Domini nostri JESU CHRISTI, *ut quod pro sua bonitate immensa in tua Celsitud. feliciter cœpit, majore sui Spiritus accessione uberius augeat, ad nominis sui gloriam, Celsitud. tuæ salutem, & florentissimarum ditionum tuarum felicitatem.*

DE DIAB.



DE
DIABOLO,
EJUS ORIGINE,
STUDIO ET POTENTIA,
LIBER PRIMUS.

DE
Diaboli Origine, quando sit creatus, quæ ejus essentia, & de illius lapsu.

CAP. I.



DÆMONUM præstigias & incantamenta explicaturus, à primario eorum authore Diabolo, hujus artibus, studiis & potestate exordiar: ut eo cognito, illiusque authoritate ac existimatione perspecta, evidentius cunctas ejus actiones unusquisque dilucido mentis oculo introspicere, & posthac minus impedite penitusque dijudicare queat.

§ 2. Religionis autem Christianæ sacram amplexus doctrinam, fideique indubitatæ confessionem, quemadmodum Aristotelis & Peripateticorum, adeoque Sadducæorum, non esse dæmones in rerum natura contendentium, placita prorsus rejicio: sic & Platonis commentitiam distinctionem omnino approbare, aut etiam Porphyrii, Pselli, Procli, Plotini & Iamblichi opinionibus subscribere nequeo, qui copiose quidem de dæmonibus, verum multa, quæ non videre aut cognovere, tanquam rei notæ historiam conscripserunt. *Peripat. negant dæmones. Act. 23. Fabula de dæmonibus.*

§ 3. Omnipotentem itaque universi architectum Deum, ante aspectabilis hujus mundi opificium, corpoream illam cœli machinam admirandis spirituum ordinibus in ministerium pulchre ornatam condidisse, ex historia sancta Mosis, divinæ Majestatis legati, atque fidelis- *Gen. 1. Hebr. 1. Angeli quando creati. Exod. 33.*

fidelissimi scribæ (cum quo facie ad faciem quasi cum amico loquutum esse Deum, perhibet Sacrarum literarum veritas) firmiter credendum est.

Angeli quid *Dionys. de Divin. nomin.*

§ 4. Boni vero hi spiritus erant omnes, quemadmodum omnia à summo bono creata: naturæ nimirum intelligentes, *ἀσώματοι*: essentia sua divinæ naturæ quadantenus conformi, sed finita: à quibus agnosceretur & coleretur Deus, eo, quo ipse vellet & præscriberet, modo: quibus & suam vicissim bonitatem in omni æternitate communicaret, quare illis excellentem intelligentiam, eximiam perspicaciam, notionesque æternæ & immotæ justitiæ suæ illustres, tanquam radios de æterna sapientiæ suæ luce accensos indidit. Ac de angelorum quidem natura, præter alios, Nazianzenus scribit in Oratione *εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα*: unde vero *ἀγγελικῶν δυνάμεις*, idem etiam *εἰς τὰ γενέθλια*.

Dæmonum. origo. *2. Pet 2.* *Jud. epist.* *Iob. 4.* *Luc. 10.* *Esaia. 41.* *Apoc. 12.* *Esaia 14.*

§ 5. Sed ubi quidam, ob dotes, quibus condecorati erant, præstantissimas, proprio efferrentur arbitrio, & adeo insolescerent, ut sese tandem Deo conferrent, non servantes suam originem, relinquentes suum domicilium, ac peccantes: eos honoribus nudatos, ministrorum suorum numero exclusit iratus Deus, repulit ac præcipites egit, vinculisque perpetuis sub caligine ad magni illius diei judicium servavit. Huc illud Esajæ vaticinium de superbissimi Babyloniæ regis (quem Luciferum vates nuncupat) fastu & altissimo lapsu contorquent quamplurimi. Hic draco ille magnus, in terram projectus cum suis angelis, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas ut Joannes ait, tortuosus serpens Esajæ. Hunc casum non solum nostri & Hebræorum Theologi docent: verum etiam Assyrii, Arabes, Ægyptii & Græci suis dogmatibus confirmant. Homerus sub Ates deæ nomine eum obscurasse videtur. Alii per *γιγαντομαχίας* eundem tacite significasse, & graphice hujus angeli supercilium depinxisse volunt:

Qui ausus similem regi componere sedem,
Non veritus summi regis, nec fulminis ictus,
Paulatim carpens sublimia tecta tonantis,
Cum superimpositum Pyndo subvertit Olympum
Ira Iovis, terramque dedit sub tartara pestem.

Ophi.

§ 6. Pherecydes idem dæmonum lapsum describit: & Ophin, hoc est, serpentem dæmoniacum, rebellantis, & à divinæ mentis placito deficientis exercitus caput & antesignanum fuisse tradit. Eandem.

dem ruinam & Trismegistus in Pimandro depingit: vetustissimum Empedoclem, dæmones οὐρανοπετεῖς cælo ruentes vocantem, eorum casum novisse, significat Plutarchus in sermone de Fœnore.

§ 7. Eleganter hic Augustinus: Quæris unde diabolus? Inde utique, unde & cæteri angeli. Sed cæteri angeli in sua obedientia perstiterunt, ille inobediendo & superbiendo lapsus est angelus, & factus est diabolus. Item de Vera relig. cap. 13. Diabolus, in quantum angelus est, non est malus: sed in quantum perversus, propria voluntate. Magis enim seipsum quam Deum diligendo, subditus ei esse noluit, & intumuit per superbiam, & à summa essentia defecit. Item De civit. Dei, VIII: 22: Dæmones esse credendum est spiritus nocendi cupidissimos, à justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidentia lividos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aëre habitant, quia de cæli superioris sublimitate dejecti, merito irremissibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere prædamnati sunt. Nec tamen, quia supra terram & aquas aëri locus est, ideo & ipsi sunt meritis superiores hominibus, qui eos non terreno corpore, sed electo in auxilium Deo vero, pia mente facillime superant. Sed multis plane participatione veræ religionis indignis, tanquam captis subditisque dominantur, quorum maximæ parti mirabilibus & fallacibus signis sive factorum sive prædictorum deos se esse persuaserunt. Vide eundem contra Iulian. VI. 9. & de Nat. boni adv. Manich. 33. & 1. Hypognost. contra Pelag.

Tract. in Ioan. 42.

§ 8. Hi ergo spiritus antea divini, cælestes, puri, lucidi, nullius malitiæ conscij, Dei solius nutum observantes, in ministerium emittendi propter eos, qui hæredes futuri essent salutis, angelicam essentiam non omnino perdiderunt: sed perditissime, originali justitia & lumine gratiæ privati, vitiarunt, denigraruntque, ut jam aërei, mundani, obscuri, tenebricosi, & (uno verbo) immundi malique dicantur & sint. Ac licet lumen intellectus naturalis etiamnum obtineant, lapsus tamen pœnam infinitis partibus duriorem, obscurata obfuscataque divinæ sapientiæ luce sustinent: & graviorem expectant, quam ex transgressione genus humanum. Quanquam si hoc quoque supremæ prudentiæ radios, quos in primorum parentum animis de suo æterno lumine Deus incenderat, retinuisset, plurima perspicacissimo mentis acumine intueretur clarius, penitius intelligeret, certiusque dijudicaret; quæ nunc hebetato mentis oculo, ceu solis faciem per densas nubes aut atras in aere nebulas conspicit.

Heb. 1. Psal. 103. & 104.
Spiritus immundi & mali.
Ephes. 2. 6. 1. Corinth 2. Zach. 13. Matth. 8. 12. Marc. 1. 3. 5. Luc. 8. 9. 11. Act. 19. Iudic. 9.
Genus humanum.
Genes. 1.
Genes. 2.

Qui Theologi quibus in locis de dæmonum lapsu, causa lapsus, & natura scripserint.

CAP. II.

Lib. 1. ad Monimum. De causa lapsus angelorum scribit in hæc verba Fulgentius: Superbia tunc initium sumpsit, quum angelus adversus Deum elatus, & ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam (quæ est radix, omnium malorum) volens usurpare quod illi datum à Deo non fuit, à Deo discessit & cecidit: in quo si stetisset, non cecidisset. Sed per concupiscentiam malam, qua concupivit plus extra se, minus factus est in se: quam concupiscentiam licet explere nequiverit, opere tamen retinuit voluntatem. Sic ipse sibi jam factus est pœna, ut supplicium esset semper voluntas mala, tanquam cæco ipsa cæcitas sua.

§ 2. Et Alcimus in lib. de Peccato Originali:

Angelus hic dudum fuerat: sed crimine postquam
Succensus proprio tumidos exarsit in ausus,
Se semet fecisse putans, suus ipse creator
Quod fuerit, rabido concepit corde furorem,
Autoremque negans: Divinum consequar, inquit,
Nomen, & æternam ponam super æthera sedem,
Excelso similis, summis nec viribus impar.
Talia jactantem præcelsa potentia cœlo
Jecit, & ejectum prisco spoliavit honore:
Quique creaturæ præfulsit in ordine primus,
Primas venturo pendet sub judice pœnas.

§ 3. Quoniam autem à veteribus Theologis cum de lapsu dæmonum, tum de causa lapsus, illorumque natura tam eleganter & copiose scriptum est, ut actum agere videar, si ea omnia hic congererem, indicabo veluti digito autores & loca, quæ haud difficulter consulet lector studiosus. Id eo libentius & necessario magis facio, quod instituti sit mei, aliena non meis, sed cujusque authoris verbis in omni nostra scriptione repræsentare. Sic enim nullius aut laudem interverti, aut sensum detorqueri, lectoris studio ac judicio consuli; mihi autem, & vero ipsi veritati optime caveri existimo. Scribunt igitur de tribus illis Epiphanius lib. 2. tomo 1. hæresi 64. Athanasius in lib. de Virginitate: & in Quæstionibus sacræ Scripturæ, quæstione 6. Gregorius Nazianzenus, oratione 1. de Reconcil.

monach. τῶν ἀγγέλων πτῶσις idem describit ἐν τῷ περὶ θεολογίας. Greg. Nyssenus de vita Mosæ. Basilius Magnus, in serm. Quod Deus non sit author malorum. Chrysostomus hom. 15. in cap. 1. Joan. in homil. de Adam & Eva. Cyrillus in Dial. de ador. in spirit. Ambrosius Epistol. 84. Eusebius de Demonst. Euangelica, Lactantius lib. 2. cap. 9. Damascenus lib. 1. cap. 18. Isychius lib. 4. in 13. cap. Levitici. Hieronymus in epist. ad Antonium, & Adv. error. Joa. Hierosolym. Antonius epistola 2. Prudentius in Hamartigonia. Gregorius Moral. 11. 17. & in cap. 9. Job. lib. 9. cap. 2. & lib. 2. in cap. 2. primi Reg. & lib. 3. in caput 7. primi Reg. item Moral. in Job IV. 13. Leo ad Turbium Asturicensem episcop. & serm. 4. de coll. eleemosyn. Prosper de Vita contempl. III. 23. Primasius in cap 1. ad Rom. Joha. Cassianus coll. VIII. 10. Paulinus epist. 4. Sedulius in cap. 1. ad Rom. Theodoretus quæstion. 19. & 24. in Genes. Eucherius lib. 1. in lib. Reg.

§ 4. Unde sit diabolus, annotat & Rabanus de Sermon. propriet. IV. 10. Idem lib. de Modo pœnitentiæ cap. 18. In Ecclesiasticum, III. 3. & in epist. Rabani & Fuldensium monach. ad Otgarum archiepisc. Haymo in Psal. 18. 81. 143. In Apocal. 1. 2. & super Euangel. feriæ 3. post Invocavit, & super 3. caput Oseæ. Hincmarus ad Hincmarum Laudunensem cap. 44. Idiota cap. 2. de Vera pœnitentia. Giselbertus in lib. Altercat. cap. 3. Radulphus lib. 8. cap. 1. in Levitic. Anshelmus. Cur Deus homo, 1. 7. Idem in 12. cap. Matth. In 10. cap. prioris ad Corinth. In cap 1. ad Ephes. In 3. cap. prior. ad Timoth. Ibidem cap. 6. In Dialogo de casu diab. cap. 3. Petrus Damianus in epist. cujus initium, Prodigium. Rupertus in Joan. l. VII. 7. & lib. VIII. 8. in eundem. in Apocal. VII. & VIII. 13. 18. & X. 17 & XI. Eandem. & XII. 21. & in Matth. v. 5. & XIII. 26. In Exod. III. 10. Lib. 1. De Victoria verbi Dei, 1. 8. 21. De glorif. III. 8. Petrus Alphonsus Tit. 10. Honorius in Psal. 18. Hugo de S. Victore in eulogio de sponsa. Bernardus serm. 5. de verbis Esajæ, & serm. 27. inter parvos, & serm. 17. super Cant. Lombardus lib. 2. distinct. 6. Petr. Blesensis epist. 34. Petr. Cantor cap. 13. de Invidia, & cap. 15. de Humilitate. Hildebertus epist. 31. Hildegardis lib. 1. Visione 2. Hugo Eterianus lib. de regressu animarum ab inferis, cap. 9. Bartholomæus

Anglicus de proprietatibus rerum, 11. 19.

Quare & quomodo Evam deceperit diabolus, & primum corruperit mundum.

CAP. III.

Diaboli erga Deum odium immedicabile.

PORRO ex illa sui exclusione, repulsa, ac ignominiosa ex patriis sedibus deturbatione, tam ingens, ἄσπονδον & immedicabile erga Deum odium conceperunt hi spiritus, ut, quæ eum offendere, vel ejus gloriam labefactare, aut, quod admiranda providentia fabricatus fuerat mundi opificium, deformare, vitiare & corrumpere posse viderentur, acerrima indagine investigare, & studio indefesso conari cœperint.

§ 2. Ac primum nobilissimam inter creaturas, clarissimo sapientiæ cœlestis lumine illustratam, absque labe Deo fœdere consociatam, primam parentem nostram Evam adoriuntur: quam partim amissi status dolore, partim alienæ felicitatis invidia à Deo alienare, suique exitii sociam reddere satagunt, deluduntque astu quam blandissimo, & ubi nullus videbatur subesse fucus, submota comminationis certissimæ mortis opinione, his scilicet verbis: Nequaquam moriemini. Deinde fraudulenter elusis & abjectis præceptionibus à Deo datis, Evam erigunt falsis pollicitationibus in spem longe majorum ornamentorum, excellentiorisque potentiæ, hoc modo: Deus novit, quod ipso die, quando comederitis ex ipsa arbore, aperientur oculi vestri, eritisque sicut dii, scientes bonum & malum. Idem profecto laqueus, quo semetipsos statim à creatione sua & allectos & irretitos fuisse sentiebant. Sic perfecerunt tandem, ut misera à mandato descisceret, sequereturque consilia in suam internecionem contra Deum instituta atque ordinata. (Gen. 3.)

§ 3. Nam Satan jam malus, malum transgressione edoctus, & causæ sui lapsus probe conscius, quod nimirum præscriptas sui ministerii metas fastu transilire cogitasset, in idem studium Evam pertrahere conatus est gratæ persuasionis illecebris, quod ab esu vetito oculis Evæ & Adæ reseratis, diis adæquarentur, scientes bonum antea solummodo cognitum, & malum nondum notum. Nec illi, subsequuturæ ex inobedientia calamitatis præscio, labor fuit inanis: licet illa se à serpente falsam, sero agnosceret, confiteretur-que. Violata siquidem obedientia, factus est hostis Dei homo, in

Hostis Dei factus homo ex inobedientia.

pœnas

pœnas illapsus transgressioni divinitus constitutas, condemnationem nempe, diaboli tyrannidem, ac mortem tum hanc, tum æternam: deniique & exutus honoribus, dignitate & dominatu, quibus maxima cum authoritate ipsum ornarat Deus.

§ 4. Proinde Tatianus Assyrius contra Græcos: Verbum, inquit, ante creatos homines produxit angelos, utraque vero creatura, arbitrii sui libertati permissa est, &c. & paulo post: Postquam vero homines callidiorem quendam, utpote provectiorem ætate, sequuti sunt, & divinæ legi se opponentem pro Deo habuerunt, tum verbi potentia & hujus dementiæ authorem, & obsequutos ei homines, commercio suo privavit: & qui ad imaginem Dei factus erat homo, potentiore spiritu jam exutus, mortalis fit: angelus autem ille primogenitus in dæmonem mutatur: & alii phantasmata ejus sequuti dæmonum exercitui deputantur, & propter arbitrii libertatem stultitiæ suæ permittuntur. Scite admodum quoque Augustinus hic scribit ad Julianum comitem: Diabolus est angelus per superbiam separatus à Deo, qui in veritate non stetit: & doctor mendacii, quia ab ipso primum inventum est mendacium. Alibi interserit: A semetipso deceptus, alterum decipere concupivit. Ipse est adversarius effectus generis nostri, inventor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor turpium voluptatum. Hinc ergo, cum illum primum hominem à Deo factum, Adam patrem omnium nostrûm intueretur, videretque hominem ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, charitate circumdatum, immortalitate vestitum: æmulus atque invidus tantam beatitudinem hominem accepisse, quam ipse dum angelus esset, per superbiam agnoscitur amisisse, invidit statim insatiabilis homicida, primumque parentem nostrum tantis & talibus bonis expoliavit, & nos interemit.

Quando creati angeli, & quales.

Contra Judæos, Paganos & Arrianos cap. 2.

Diabolus quid.

Hominum ante lapsum status.

§ 5. Hoc auspicato primi conatus successu effrenatius insolescentes hi maligni spiritus, potissimum recepto à Deo rursus in gratiam homine, mulcta imposita, ac promissione facta de CHRISTO, mulieris semine caput serpentis contrituro, λύτρῳ & mediatore apud Deum, pro genere humano, adversus eorum violentiam: deinceps porro furere, variisque modis ferocius insidiari occipiunt, machinari omni arte doloque ea, quæ ad promissionis hujus depravationem, abolitionemque in Dei contumeliam, & hominum

perni-

Cain Abelem occidit. Genes. 4. Joan. 8. pernicem facerent. Sic Cainum, tertium, hominem, invidiæ facibus mox inflammant in Abelis justi, numero quarti, crudelem cædem homicidæ ab initio: sic deinde Caini sobolem, & universum generis humani figmentum paulatim ea malitiæ scelerumque tum magnitudine tum multitudine depravarunt, ut Deum fecisse hominem pœnituerit: eumque prorsus, exceptis octo in arca conservatis, aquarum inundatione absorpserit. *Genes. 6. Genes. 7.*

Quid in alterius mundi initio machinatus sit diabolus, & quando Magia infamis cœperit.

CAP. IV.

Diluvio mundus interiit. Hic deleto propemodum hominum genere, ob prosperas suas machinationes, exoptatosque successus triumphum se acturos hi spiritus sperabant. Quapropter siccata aquarum diluvie, statim in alterius hujus mundi renascentis quasi infantia, in Nohæ patris inebriati irrisionem, pudendis ejus denudatis, Chamum filium minorem, ut inde patris execrationem audierit, extimulant. *Execratio Chami. Gen. 9.*

Magia infamis inventor. Clem. lib. 4. Recognit. § 2. Cujus filium Misraim, ab his spiritibus haud dubie institutum, magiæ infamis blasphemam impietatem primum comperisse, atque hinc Ægyptiorum, Babyloniorum & Persarum duci originem, postea docebitur. Ad Nohæ item sobolem, Jovis Hammonis oraculum, tanquam à Chamo (quod nomen Hebræi aspiratione paulo duriore pronunciant) refertur alicubi: quemadmodum Dodonæum ad Dodanim, Nohæ nepotem, qui Epirum, Dodonam prius vocatam, occupavit, excoluit, suoque insignivit nomine: ut sanctas patrum Ecclesiæ sedes in prostibula dæmonum, impendio flagitiosa, degenerasse sit verisimile. *Jovis Hammonis oraculum. Dodonæum. Epirus Dodona.*

§ 3. Horrendas vero idololatrias confestim à diluvio, Noha adhuc superstite, indefesso dæmonum studio in Ecclesiam Dei irrupisse, quas in sua posteritate non sine ingenti animi dolore miserum senem contueri & tolerare oportuit, cum prohibere non posset, testatur sacra Historia.

Sodoma & Gomorra. exitium. Gen. 19. Esaia 13. 2. Petr. 2. Epist. Jud. 6 § 4. Inde tam inauditis turpissimæ libidinis furiis, populosissimas Sodomorum & Gomorræ civitates exagitat ille spirituum cœtus, ut ne decem quidem in tanto numero inventi sint justi: & missis à Domino de cœlis sulphure & igne, subversæ sint urbes illæ, &

læ, & in cinerem redactæ, cum tota planitie, omnibus habitatoribus, simulque germine terræ.

§. 5. Hinc è vestigio Loth egressum, ebrietate & incestu cum filiabus nefario graviter vulnerat. Nonne & Esau de innocentis fratris Jacobi nece inferenda, strenuè sollicitat? Post & in justum Josephum æmulatione fratres excitavit, propemodum fratricidas factos: Illum etiam, objecta adulterii occasione captiosa, tandem perdere voluit. Nonne etiam, quo Israelem numeraret, Davidem excitavit satanas? ut pestilentia inde cecididerint virorum septuaginta millia.

Loth ebriet. incestus. *Gen. 27.* *Gen. 37.* *Gen. 39.* *2. Reg. 24.* *1. Paral. 21*

Quomodo pro Diis haberi voluerint dæmones, & præsidere regionibus: eorumque in hoc officio nomenclatura.

CAP. V.

EJUSMODI denuò felicibus auspiciis audaciores redditi dæmones, in hujus mundi principatum exules protervius grassati sunt, cultusque simul multifarios & oracula inde diversa divinis contraria effinxerunt, ac ad ea invitarunt pellexeruntque animas vacillantes: ita ut universum propè orbem pedetentim quasi obsidione quadam subjugarint, obstreperumque divinæ legi, & contumacem, atque idololatriarum & contemptus eorum, quibus morem gerere decuit, ac cujuscunque vitiositatis plenum reddiderint.

Dæmones ut dii habiti. *Tertullia. in Apolog. advers. gentes, cap. 23.*

§. 2. Eo demum audaciæ & petulantis fastus excrevit horum insolentia & ars, ut pro diis haberi apud peritos imperitosque voluerint, & præsidere regionibus, populis, insulis, montibus, fontibus, locis, urbibus, vicis, familiis, tanquam dii proprii, tutelares & patrii: quorum nomenclaturas partim Historia sacra, partim Origenes, Tertullianus, Apulejus, Diodorus Siculus, partim alii recensent historiographi & scriptores haud ignobiles. Eorum vero nominum explicatione, ut plurimum studia dæmonum prodi non dubium est.

De diis gentium Lilius Gregor. Gyrald. *De cognominib. deorum. Iulianus Aurel Less. & Germanicis libris seu Ioannes Herold.*

§. 3. Sic BEL, vetustum, nihil, confusum sonans, Babyloniorum habebatur deus: Esajæ 46. Daniel. 14. BEELZEBUB, dominus muscæ: qui omnibus retia tendens, muscam saltem, id est, infirmum capit. Spurcissimum Accaronitarum idolum, qui sunt quidem in regione Judææ, sed impii. 4. Reg. 1. Ab hoc principem dæmoniorum Beelzebub nuncuparunt Hebræi: Mat. 10. 12. Mar. 3. Luc. 11. Plutonem Græci, ut Trismegistus, *δαιμονιάρχην* dixe-

Dæmones. propria habitis & diversa nomina. Bel. Beelzebub. *Lactant. li. 2. cap. 15. de Orig. err.*

De Triapo, Hermaphrodito. Dionysio, gentium dio, Diodor. Sic. li. 5. ca. 1.

dixerunt: plerique Latini Sumanum, quasi summum deorum manium: à gentibus Priapus appellabatur. Serapin & Proserpinam, malignorum dæmonum primarios vocat Porphyrius. BAAL, idolum aut dominans vel subjiciens, aut possidens, nomen idoli à Sidoniis ad Judæos profecti, Samariæ & Moabitarum numinis: Martem Græci putant. Num. 22. Rom. 11. Id Gedeon destruxit, Jud. 6. BEELPHEGOR, dominus hians, aperiens, nudus, aut dominus hiatus sive nuditatis, Moabitarum deus: Oseæ. 9. 11. Num. 25. Deuteron. 4. Sic & Phegor: Num. 25. Deuter. 3. 4. Josue 22. Sunt qui Archeum Priapum fuisse sentiant, qui in carnis ocio celebratur. ADRAMELECH, pallium regis, sive magnitudo vel potentia regis vel consilii, idolum Sepharvaim: quæ fuit Assyriorum urbs: 4. Reg. 17. ANAMELECH, afflictio sive responsio regis, deus Sepharuaim. Succot Benoth, tabernacula filiarum, Babyloniorum numen. NERGAL, explorans, aut lucerna tumuli, idolum Cuthæorum, qui ex Perside erant ac Media oriundi: Iosephus XI. 2. ASIMA, delictum, idolum virorum Emath. NIBHAS, prophetans, aut potius loquens visionem, aut fructus visionis, deus Heveorum. TARTAC, concatenatus, Heveorum numen: 4. Reg. 17. NISROCH, tentatio delicata, idolum adoratum à Sennacherib rege Assyriorum: 4. Reg. 19. CHAMOS, quasi palpans, aut quasi recedens, vel auferens, Moabitarum numen: Numer. 21. 3. Reg. 11. 4. Reg. 23. Ierem. 48, Ammonitarum, Iud. 11. MELCHOM, rex vel consiliator eorum, idolum, quod colebant filii Ammon: 4. Reg. 23. 1. Paral. 20. Ierem. 49. DAGON, frumentum, aut dolor, vel denique piscis eorum, Philistinorum idolum: Iudic. 16. 1. Machabæor. 10. ASTARTE, quod à caula sive grege dici videtur, nomen deæ Sidoniorum, à Solomone cultæ: 3. Reg. 11. 4. Reg. 23. Venerem Sidoniam fuisse plerique arbitrantur.

4. Reg. 17.

§ 4. Sumpsisse præterea quandoque nomina hos spiritus à pessimis hominibus, aut pessimorum hominum habitationibus, in literis Sacris comperimus. Sicut ASTAROTH, Palæstinorum fuit deus, Josepho teste: quem sustulerunt Judæi Solomonis jussu, 1. Reg. 7. Item deus à Solomone adoratus, 4. Reg. 23. Et quanquam significet greges, aut etiam divitias, faciens explorationem sive tineam legis: fuit tamen olim nomen civitatis Og regis Basan, in qua habitarunt Gigantes: item urbis Amorrhæorum.

Astaroth. Lib. 6. cap. 14. antiquit. Iudaic.

§. 5. Le-

§ 5. Leguntur & aliæ in Bibliis, horum numinum nomenclaturæ: ut BAALIM, plurali numero: 1. Reg. 7. 2. Paralip 28. Jeremiæ 2. BAALBERITH, dominus fœderis: Jud. 9. REMPHA: Actor. 7. REMMON, id est altitudo: 4. Reg. 5. ADONIS, in Hebræo Thamuz, hoc est consumptus, seu incendium, Syrum est: Ezech. 8.

§ 6. Narrat Philo, fuisse Amorrhæis septem simulachra aurea, quas vocabant Nymphas sanctas: quæ invocatæ ostendetunt Amorrhæis per singulas horas opera eorum, & nomina eorum: nomina mulierum, quæ fuerunt uxores septem virorum peccatorum, qui eas consecraverunt post diluvium, videlicet Chanaan, Phut, Selath, Nembroth, Abirion, Elat, Desuat.

§ 7. Deus Waldat: Abd. episcop. Babyl. lib. 8. Hist. Apostol.

§ 8. Adorabantur & vituli aurei: 3. Reg. 12. Militia cœli: 4. Reg. 17. Regina cœli: Hieremiæ 44. quam cœli machinam intelliges.

§ 9. Sic olim Pomerani grandem nucem divino honore sunt prosequuti: & à certo equo generoso nigri coloris Stetinenses belli omen capiebant. *Chron. Sax in vita Otto nis lib. 3. cap. 21. & libro 2. cap. 21. 22.*

De provinciarum Diis, Græcorum idololatria, Romanorum deorum distinctione & sacrificiorum numero. Item quod in Dei populum pervaserit idololatria.

CAP. VI.

COLUERUNT & reliquæ provinciæ suos deos: Ægyptii, Osirim & Isidem: quorum filius Anubis, quòd canibus gauderet, in specie canis etiam ab iisdem cultus est. Unde Virgilius inquit: *Provinciarum dii.*

Omnigenumque deûm monstra & latrator Anubis.

§ 2. Nam quædam, ait Strabo, animalia sunt, quæ Ægyptij universi colunt: quemadmodum ex animalibus terrestribus tria, bovem, canem, felem: ex volatilibus accipitrem atque ibim: ex aquatilibus duo, lepidotum piscem, & oxyrinchum. Sunt alia, quæ quisque seorsim colit: ut Saitæ & Thebani ovem, Latum piscem Nili Latopolitani, lupum Lycopolitani, Cynocephalum Hermopolitani, cepum Babylonij qui sunt juxta Memphim, aquilam Thebani, leonem Leontopolitani, capram & hircum Mendesij, murem araneum Athribitæ. Item alij aliud. Persæ ignem Orimasda ab ipsis nun- *Strabo l. 16 & lib. 17.*

sis nuncupatum: Æthiopes Meroen incolentes, Isidem & Bacchum: Arabes, cum Baccho Venerem & Diesarem: Bœoti Amphiaraum, Aphri Mopsum, *Scythæ* Minervam, Naucratitæ Serapim, Syri Astartem, Norici Tibilenum, Mauri Iubam, Macedones Gabirum, Pœni Vranum, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Lampsaceni in Hellesponto Priapum, in Diomedea insula, Diomedem. Sic Delphi colunt Apollinem: &, quemadmodum canit Ovidius in Fastis,

Auguſt. de civitate Dei, XVIII. 18. Vide lib. 4. cap. 22.

Pallada Cecropidæ, Minoia Creta Dianam.
Vulcanum tellus Hypsipylæa colit:
Iunonem Sparte, Pelopeiadesque Mycenæ,
Pinnigerum Fauni, Mænalis ora caput.

§ 3. Mythræ simulachrum tale quoque fuit apud Persas, ut leonis effigiem præ se ferret, tiaramque gestaret. Quæ quidem effigies utrisque manibus cornua bubula comprimebat: Ad cujus sacra in antrum sacerdotes, ut olim Hiberni quoque in Patricij antrum, conveniebant, & Apollinem clara voce Mythram vocabant, ac bovem cornibus ex antro educebant & Mythræ immolabant.

§ 4. Ut muscæ insuper facesserent, litatum est Cyrenaico Achori: quemadmodum Herculi Canopio, ut culices minus infestarent. Sic & numen invocabatur Apollinis Parnopæi, ut à muribus non arroderentur casei vel aliud simile: Bœotiorum enim lingua Parnopion mus est.

Græcorum idololatria.

§ 5. Græci, quorum post Ægyptios vanitas, præcipua & superstitio celebratur, ad hæc cælo Iovem, mari Neptunum, intimis terræ cavernis & recessibus Plutonem præfecerunt, ac horum singulis alios infinito numero adjunxerunt: Saturnum & Cybelem Iovi: item Mercurium, Apollinem, Martem, Iunonem, Minervam, Venerem, Dianam Ephesiorum deam, Actorum 19. Neptuno Nereum, quem Δαιμόνα & πόντον nominarunt, Latini Portumnum, & cohortes Nympharum. Imo singulis in natura corporibus adesse peculiare numen, ut crederetur, persuasit diabolus: eamque opinionem, numinum illorum sese specie ostentans, auxit & confirmavit.

Romanorum dii.

§ 6. Nec ferè pauciores deos Romani habuerunt. Inter quos numerantur ab antiquioribus pro evocandis fulminibus, Statores, Tonantes, Feretrij, Iupiter Elicius: Deinde dij majorum gentium, Iuno, Vesta Trojanorum dea: quam profugus Æneas in Italiam transtulit. item Minerva, Ceres, Diana, Venus, Iupiter, Mars, Mercurius,

Ioves. Dii majorum gentium. Vesta.

nus, Neptunus, Vulcanus, Apollo, qui ab Ennio enarrantur, & Consentes dicuntur, cum Iove de rebus omnibus consultantes: Quibus octo adjungebantur, ut coadiutores, Selecti dii nuncupati, Ianus, Saturnus, Genius, Pluto, Bacchus, Sol, Luna, Tellus. Penates, Iuno & Minerua: Dii communes, Mars Latio venerandus erat, quia praesidet armis: item Bellona, Victoria: Dii geniales, Terra, aqua, aër, ignis, sol & luna, quibus natali die quisque sacrum faciebat; quod rerum gignendarum & producendarum vim obtinere existimarentur. Genij duo, Lares, quos privatarum rerum, triviorum viarumque & urbis curam agere opinio erat. Unde appellabantur inferiores ac minorum gentium dij, & Praestites Ovidio Fastorum v. dicti;

Quod praestant oculis omnia tuta suis;

id est, quod res omnes conseruent & tueantur in aedibus: pacato enim & quieto numine domum possidere putabantur.

Consentes. Dii selecti. Penates. Dii communes. Dii geniales. Genij. Lares. Praestites.

§ 7. Adiunxerant & deos indigetes: qui ex hominibus ob eximias belli & pacis artes & bene merita, inter deos erant relati. His accedebant dii patrii & tutelares, & reliqua familia Faunorum, Sylvanorum, Satyrorum, Lemurum. Rabbi Abraham, autor libri Zeror Hammor, scribit in illum locum Genes. 2. Quod creavit ut faceret, significari daemones illos familiares, ut sunt Fauni, Satyri, incubi, penates & similes, qui quidem sint creaturae, sed imperfectae; quod Deus vespera sabbathi praeventus, illos non perfecit. Et hinc est, quod fugiunt sabbathi sanctitatem, quaerentes montes & tenebrarum latibula, in quibus delitescunt usque ad finem sabbathi, & tunc revertentes infestant homines, quibus & damnum dare conantur. Quae merae sunt nugae.

Indigetes. Dii patrij & tutelares.

§ 8. Potentissimum suum numen Thor appellarunt Gothi, alterum Odhen, tertium Frigga. Varro, qui Ethnicorum numina singulari conquisivit diligentia, supra triginta millia commentitiorum deorum reperisse se, literarum monumentis tradidit. Hinc etiam rituum & sacrificiorum excrevit numerus, quorum sexcenta [illegible] genera Aegyptiis in usu fuerunt: Graecis & Romanis non multo pauciora. Et quanquam hi ab illis deorum numero & sacrificiis olim superati putantur, factam tamen temporis successu multam vicissitudinem, Romanosque superstitionis victoria potitos esse, dolens vereor.

Olaus Magnus Hist. Sept. III. 3. Idem Oenomaus & Hesiodus. Deorum numerus. Sacrificiorum numerus apud Aegyptios.

§ 9. Infinitum esset hic enumerare reliquarum gentium barba-

rarum numina: cujusmodi sunt Viti, Rugievithi, Porevithi, Porenutij & Stanitiæ (aliis Stuatitæ) apud Rugianos, de quibus amplè Saxo Grammaticus Danicæ histor. l. XIV. & Crantzius de Vandal. rebus, v. 12. 13. Zuantevith apud eosdem meminit Heimoldus 11. 12. & 13. de rebus Sclavorum. Apud quos & Prove idolum in sylvis & lucis degens: apud Polabos Suma muliebre numen: apud Obotritos Rodigast deus cultus; item Podaga, Siuva: Flins apud Vandalos Lusatiam incolentes; Triglas triceps apud Stetinenses: similiter Heronitus, qui lingua Latina Mars dicitur, Wolgasti deus fuit. At horum memoriam perdat unicus ille omnipotens Deus. quemadmodum & quæ Turci sunt numina sortiti, quibus honorem divinum, uti & Romanensibus moris est, deferunt. Est enim apud hos Hattscipettesch cognominatum, hoc est, peregrinationis adjutor, quem implorant peregrini.

Ide c. 70. 4.

In Chron. Saxon.

In vita Ottonis lib. 2. cap. 21. 22. & l. 3. cap. 5. Ioian. Cuspenianus de Turcorum religione.

§ 10. Ascikpassa amoris patronus habetur, imploraturque in matrimonio prolis impetrandæ causa, vel in partus discrimine, vel maritatis litigantibus. Vairpassa dissidentibus patrocinium unionis conferre creditur, nunc se juvenem, nunc senem hominibus ostendens. Schleychpassa conturbatis & afflictis solatium præbere dicitur. Chiriditelles viatoribus in necessitate constitutis auxilio esse solet: Quem in viatoris forma equo insidentem apparere invocantibus ferunt.

§ 11. Coluntur & quidam dii, qui pecorum & cæterorum animalium curam gerunt, & qui pro pluvia elicienda aut serenitate inducenda invocantur. Quorum alter Goivelmirschin, alter Batscumbassa nuncupatur. His butyro litant, & calido pane, quem passama vocant.

§ 12. Prolixior verò in recitando gentilitiorum deorum catalogo fui, ut in suis exorcismis & preculis sub barbararum & ignotarum vocum pallio sæpe dæmonia tegi meminerint, qui illas usurpant liberius.

§ 13. Deos gentium dæmonia esse, affirmat regius ille vates David: quæ dicuntur etiam in Sacris literis dii gentium, terrarum, & dii populorum terræ, 2. Paralip. 32. dii populorum, 1. Paral. 16. dii terræ, Jud. 3. idola nationum, Sapient. 15. dii montium, 3. Reg. 20. dii filiorum Seir, 2. Paralip 25. dii Damasci, 2. Paral. 28. Dii autem alieni frequenter nuncupantur, quales ex æde Domini abstulit Manasses, 2. Paral. 33. item Iosias, 4. Reg. 23.

Dii gentium dæmonia. Psal. 95.

§. 14. Nec

§ 14. Nec solum abominanda hæc idololatriæ portenta invaserunt, pervagataque sunt omnes gentes: verùm etiam in populum Dei molimine diaboli pervaserunt, virusque seminarium sparserunt. Nam deos Laban patris sui, & soceri Jacobi, furabatur Rachel fugiens. At Jacobus tandem domui suæ, & omnibus qui secum erant, præcipit inquiens: Abjicite deos alienos, qui sunt inter vos, mundamini, & immutate vestimenta vestra. Itaque eos illi cum inauribus, quæ in illorum auribus erant, dederunt Jacobo, quos subter quercum, quæ erat juxta Sichem, ille defodit. Vituli item simulachrum adorat, eique sacrificat populus Israel in deserto, dicens: Isti sunt dii tui, ô Israel, qui fecerunt te ascendere de terra Ægypti. Ac tria millia virorum è populo ob hanc impietatem interficiuntur à Levitis uno die. Et Judic. 10. filii Israel rursus fecerunt malum in oculis Domini, coluerumtque Baalim & Astaroth, & deos Aram & Syriæ, deos Sydon, & deos Moabitarum, & deos filiorum Ammon, deos denique Palæstinorum: deseruerumtque Dominum, & non servierunt ei. Item, particeps idolorum Effraim, Oseæ 4. & Ezechielis 8. 18. & multis aliis locis.

Idololatria in popu. Dei. *Genes. 31.* *Gen. 35.* *Exod. 32.* *Vituli adorantur.*

De humani sanguinis victima, à diabolo inventa, celebrataq; in populo Dei, apud Græcos, Romanos, & alios. Item de divinatione ex mactatorum hominum visceribus.

CAP. VII.

SUB hoc quoque fraudulento blasphemiarum, sacrificiorum & vaticiniorum prætextu (quod magis deplorandum) teterrima flagitia & horribiles cædes fabricatus est mille artifex ille, in cœtu Israelis sancto: ut is abjectis contumacissimè legibus cœlestibus & oraculis, sanguine humano litaverit, filiosque & filias per ignem duxerit, in gratiam & cultum Moloch idoli Ammonitarum, in valle Gehennon, crudelitate plus quàm ferina.

Humani sanguinis victima. *2 Paral. 33.* *Hierem. 32.* *Psal. 106.*

§ 2. Quum etiam Græcis & Romanis, in nefanda ac multiplici idololatria, multa sint communia: & ut alia plura, ita quoque ritus certorum sacrorum Romani à Græcis sint mutuati: eò demum insaniæ & inhumanitatis utrosque redegit diabolus, ut ad sua ipsius jussa humano quoque sacrificarent sanguine. Hoc enim authore, vaticinia Tiresiæ & Calchantis jubebant mactare humanas victimas: sanciebantque præsentem ἀνθρωποθυσίαν, atque prodigiosam illam de plu-

Sapient. 14 *Tiresiæ & Calchantis vaticinia*

plurium deorum numero opinionem. Tiresias pollicetur Thebanis victoriam: sed ea lege, ut Creontis filius mactatus sit victima pro patria. Calchas vaticinatur de Troiæ excidio, & successus spondet: at simul Agamemnonis filiam Iphigeniam immolari jubet. Ionibus remedium desiderantibus ab oraculo Delphico, adversus sævissimam luem in tota vicinia horribiliter grassantem: respondet Delphicum numen, Non remittendam pestem, nisi offeratur Dianæ Triclariæ Menalippus cum Comethone, quam in Dianæ templo ipse stupraverat: & nisi annuatim eodem tempore pro Menalippo elegantissimus juvenis, pro Comethone puella venustissima ad Dianæ aram mactetur. Idem Messeniis in longo illo & diuturno bello, quod cum Lacedæmoniis gesserunt, consulentibus de exitu, prædicit victoriam: verum ea conditione, si virginem incorruptam de Æpytidarum familia Deo sacrificarent. Ibi quum Aristodemus, unus ex præcipuis familiæ Æpytidarum, gratificaturus patriæ, filiam, quam habebat unicam, destinasset immolationi: alius quispiam amore puellæ adactus, quò miseram servaret, ex se gravidam esse, & idcirco Deo litari non posse, fingit. Quo audito, pater effreni exardescens iracundia, evestigio interemptam filiam dissecat: paulo post noctu secundum quietem fœda specie sauciatæ & concisæ filiæ à Satana repræsentata, graviter animo dejectus, ad tumulum ejus semetipsum jugulat. Androgei etiam cædes expiari scilicet non poterat, nisi Athenienses quotannis septem adolescentes & totidem puellas in Cretam Minotauro devorandas mitterent.

Creontis filius victima.
Iphigenia hostia.
Menalippus, Cometho.
Aristodemus filiam & seipsum jugulat.

§. 3. Nationem esse omnium Gallorum admodum deditam religionibus, scribit Cæsar. Atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculisque versantur, homines aut pro victimis immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur: quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, publicaque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulachra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent: quibus succensis, circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio, aut aliqua noxia sint comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrantur. Sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descen-

Lib. 6. de bello Gall.

descendunt. Non igitur immerito tantæ immanitatis administros & vates tam Barbaros, quos Cæsar Druidas vocatos dicit, Bardos Lucanus appellat: *Druidæ Bardi.*

Vos quoque, qui fortes animas belloque peremptas,
Laudibus in longum vates dimittitis ævum;
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

§ 4. Tertullianus in Apologetico refert, in Aphrica infantes palàm Saturno fuisse oblatos usque ad proconsulatum Tiberii, qui sacerdotes ejus religionis in patibulis suspendebat. Summè id placuit illi, qui ab initio homicida fuit. Eodem authore, à Gallis seniores Mercurio offerebantur: ejusmodi oblatio ludus erat lætus Tauricis. In civitate Enchadarum, quidam Jupiter in ludis sanguine humano perfundebatur. Cum Bellona, belli dea, paciscuntur sanguine ex lumbis effuso. In officio divino nobiles pueri cæduntur omnes, astantibus parentibus, qui, ut perdurent, hortantur. Temixtitæ in America, idola sanguine hominum oblatorum conspersa fuisse, author est Ferdinandus Corthesius.

§ 5. Gothi quoque suum majorem deum Odhen, id est fortiorem, armis præsidentem, semper crudelissimo placavere cultu, morte scilicet captivorum. arbitrati bellorum præsidem convenientius humano conciliari cruore, à quo omnem belligerandi industriam tam absolute didicissent, ut devictis Europæ & Asiæ potentissimis imperiis, summum fortitudinis nomen reportarint. Item Froe, Upsalensis deorum satrapa, deus sanguinis postea habitus, humanorum corporum hostias mactavit. Teutates & Hesus idola quondam fuere Gallorum, quibus etiam non nisi sanguine humano sacrificabant, teste Lucani versu: *Olaus Mag. de gentibus Sept. lib. 3. cap. 3.4.*

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates.

§ 6. Inter multiformia Sclavorum numina prælucet Swantewith, deus terræ Rugianorum, utpote efficacior in responsis, cujus intuitu cæteros quasi semideos æstimabant. Unde etiam in peculium honoris quotannis hominem Christianum, quem sors dederat, eidem litare consueverunt. *Helmold. capite 53. de rebus Sclavor.*

§ 7. Talia certè, non ab illa æterna mente, justa, casta, misericorde, rerum tam conservatrice quam conditrice: sed proculdubio ab authoribus dæmonibus oriebantur, qui veri Dei odio, inde usque à rerum primordiis, in conscientias & corpora hominum qua-

vis occasione immanissime sævierunt, & multiplici eorum cæde plurimum delectati sunt, adeo etiam, ut voluptatem hanc, quam ex successu talium latrociniorum capiunt, risu nonnunquam inter dira sacra prodiderint. Quis enim alius ejus risus auctor fuisset, qui ex jugulo virginis ac puellæ illius ortus traditur, quam Mithridates aruspicum jussu Furiis immolabat? Accidit hoc L. Sylla, Q. Pompejo Coss. attestante Julio Obsequente. Hinc philosophi tradunt, dæmones nidoribus sacrificiorum affici: incantationibus item, quæ plerunque sanguine fuso, suffumigationibus adhibitis celebrabantur, præfuisse. At ô miseræ deceptionis errorem, tale numen colere, quod colentium supplicio magis placatur, quam pietate & officio.

Cassiodor. in Epist.

Divinatio ex visceribus mactatorum hominum.

§ 8. Atqui ἀνθρωπομαντεία, id est, divinatione ex mactatorum hominum visceribus, primum soluinque diaboli instigatione usum Heliogabalum imperatorem, turpissimum & flagitiosissimum monstrum, accepimus. Qui paulo post hujus immanitatis plusquam belluinæ pœnas meritò dedit, quando crudeliter interfectus, & in latrinam abjectus, inter excrementa computruit.

De diaboli vatibus, enthusiastis, Pythiis mulieribus, & plerisque Sibyllis.

CAP. VIII.

Enthusiasta.

VT porro suam in hoc mundi theatro tragœdiam idoneis dein cohonestaret organis, & suis undiquaque communiret membris, enthusiastas & vatidicos ministros quoque finxit dæmon, æmulatione, veri Dei, qui per prophetas sanctos cum patribus locutus est, ne cedere Deo videretur scilicet, & in graviorem hominum ruinam.

Pythia vates.

Levit. 19. 20

1. Reg. 28.

§ 2. Adhibuit insuper ejusdem artis fœminas, vates Pythias, quæ pene apud singulas fuere gentes, atque adeo Dei populum etiam conspurcarunt: ut Moses lege lata strictissime caverit, ne consulerentur, easque lapidibus obrui jusserit. Ejusmodi consultationis diras luit pœnas Saul rex.

Sibylla.

Ambros. in Commenta. in epistolam prior. ad Corinth.

Vide post in

§ 3. Huc pertinent pleræque famosæ Sibyllæ, à dæmone velut conductæ, ad ipsius regni, quod in genere humano instaurarat, conservationem & confirmationem. Ex quarum libris ad varias insanias compellebantur Romani: ut apud alios plerosque, tum apud

apud Zozimum videre est: à quo multa citantur carmina, Gentilium superstitione plena, licet Sibyllæ vel Erythreæ, Babyloniæ vel Cumanæ opus heroico scriptum carmine, Christi præconia declararit. Ex prophetarum tamen vaticiniis, potissimum Esajæ & Davidis, non obscure ea quoque colligere potuit diabolus. Mansit tamen ejusmodi vatum præcipua authoritas & observantia usque ad Christum, æterni Dei filium. Quo nato, prodeunteque ut legationis suæ ministerio ex Patris cœlestis voluntate persungeretur, cessarunt passim in orbe terrarum oracula, & quæcunque impiarum divinationum genera; testibus Athanasio, Justino, Augustino, Eusebio, Lactantio, Plutarcho, Plinio: conticueruntque dæmones ubique, & tanquam ranæ Seriphiæ obmutuerunt: ac desertis quibuscunque enormis suæ nequitiæ latebris, cesserunt, non quidem ultrò, verum compulsi, partim quidem horrendo metu omnipotentiæ vindicis CHRISTI: partim verò condemnationis sui, quam præ foribus jam esse cernebant. Quandòquidem eo CHRISTUM missum probè norant, ut satanæ opera pessundaret demolireturque, & genus humanum in integrum restitutum vindicaret adversus diaboli technas rabiemque, ex his Zachariæ vaticiniis divina voce longe antea traditis: Eritque die illo, dicit Dominus exercituum, excindam nomina idolorum è terra, ne ultra eorum fiat mentio: & pseudoprophetam & immundum spiritum de terra auferam.

fine apolog. adversus Scalichium.

Christo nato cessarunt oracula, conticuerunt dæmones.

Justinus in Dial. adversus Judæos.

Athana. de Humanitate verbi, ejus quæ corporali adventu.

Aug. de civitate Dei.

Euseb. lib. 7 cap. 6. & l. 5. cap. 1. 8.

Rupertus in Joannem lib. 10. cap. 12.

Plutarch. de abol. orac.

Plin. lib. 30. cap. 1.

Zach. 13.

§ 4. Si postea tamen adhuc fuisse audita responsa quis objiciat, ea certè tam fuerunt rara, læsa, manca, & omnino inutilia, ut in nullo haberi loco debeant. Pulchre igitur & vere Athanasius inquit: Olim dæmonia inani specie ludibriisque rerum intricabant homines, insessis alibi fontibus, alibi fluviis, lapidibus aut lignis, atque ita præstigiis fatuos in furorem agebant: nunc vero quum apparuit Dei verbum, spectra hujusmodi & ludibria imaginum cessaverunt.

De human. verbi.

De uno eodemque diaboli cultu in dissitissimis regionibus, & quam varie in Christiana Europa illudat.

CAP. IX.

TANDEM & hoc non sine singulari studio & ratione machinatus est diabolus (quanquam peculiares quasdam cæremonias coluisse

fuisse plerosque non diffiteat) ut non solum in longissimè dissitis totius orbis partibus, uti olim apud Gallorum Druidas, & remotissimos Indorum Gymnosophistas, unus idemque ejus cultus observaretur: sed & (quod multo magis mirandum, vel potius dolendum) in Christiana nostra Europa apud diversissimas regiones, in cujuscunque materiæ vel nominis idolis, non dissimili ritu honor sibi haberetur.

In cujuscunque materia vel nominis idolis colitur diabolus.

§ 2. Hanc cæcitatem apud commoda suis præstigiis organa auxit, voce, cantu, capitis nutu, aversione, inflexione ad latera, manuum gesticulationibus, aut aliis motibus: eoque modo indicia propitiæ vel aversantis atque abhorrentis voluntatis edidit ex statuis: profanavitque loca, quæ certe erant domicilia & sedes doctrinæ cœlestis, sanctissimæ scholæ patrum, & ναοὶ ἅγιοι, καὶ οἰκητήρια τοῦ θεοῦ: in quæ velut conversa suæ impietatis & superstitionis latibula, suas blasphemias in Deum contumeliosas, & hominum generi exitiales eructare atque evomere conatus est. Imò in hac mundi senecta nutantibus technis illis manifestis, se in vero Dei templo collocat, & hominum mentibus dominatur, in lucis angelum transformatus. Hac ratione, se, graviori divinæ majestatis contemptu, atque hominum exitio, magis ulciscitur.

Sap 14.15.

In vero Dei templo se collocat diabolus.

1. Corint. 3. & 2. Corint. 11.

§ 3. Huc pertinent ludibria, quibus nostros homines etiam adegit, ut, nisi sacro baptismo, regenerationis lavacro, ad Christi solummodo membra pertinente, & exorcismis, tantum, ubi è sua sede deturbandus est dæmon, ab illis, qui ejus pellendi singulare donum habent, applicandis, etiam campanæ & tintinnabula expientur, sanctificenturque, sponsoribus & testibus, in sacrilegam uberioris auri expilationem, undique convocatis, res illas inanimatas mortuasque è turribus à diabolo ablatum iri, simplicibus persuasum sit. Quinimo foveæ & stagna ostenduntur, quæ etiam vidi, si dignus sum, quo ejusmodi non baptizatas consecratasque campanas à dæmone ex turribus proximis inuectas esse, asseveranter dicunt: audirique earum sonum nocturna hora duodecima in Nativitatis Christi solennibus, vel etiam singulis quatuor anni temporibus, quæ vocant: & eum commori, qui audierit. Sic fit, ut à sono caveant imprudentes, nec inveniantur, qui audierit. Quod si aliquem audire contingeret, is proculdubio à dæmone ob impietatem illuderetur. Interim tamen hisce religionis nostræ præstigiis illi detinentur. Nec ita pridem eo loci prope Abbatiam Knechtestein

Campanarum baptismus & exorcism.

ftein ductus fum, ubi firmiter adhuc credi hoc facrilegium coram audivi: monftratur fovea, turrifque oftenditur. Propterea perquam prudenter & piè Cæfar Maximilianus inter gravamina fedis Romanæ à Germanis non toleranda, campanarum confecrationem recenfuit in hæc verba: Suffraganei excogitaverunt, ut folum ipfi, & nullus alius facerdos, Laicis campanas baptizarent.

§ 4. Credunt deinde fimpliciores, ita affirmantibus fuffraganeis, tales campanas baptizatas, dæmones & tempeftates pellere. Quapropter innumeri plerunque adhibentur compatres; præcipue vero, qui fortuna pollent: exorantur, qui baptizationis tempore funem, quo campana ligata eft, tangunt, ac fuffraganeo præcinente (quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri folet) omnes pariter refpondent, ac campanæ nomen ingeminant, vefteque nova (quemadmodum & Chriftianis fieri folet) campana induitur. Inde ad fumptuofa properatur convivia, quibus præcipue compatres, ut eo largius munera offerant, adhibentur: necnon fuffraganei, & eorum capellani cum multis aliis miniftris regaliter pafcuntur. Nec hoc fatis eft, fed & fuffraganeo mercedem perfolvere neceffe eft, quam illi munufculum vocare folent. Inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali abfumantur & expendantur baptizatione. Quæ res non folum fuperftitiofa, fed etiam Chriftianæ religioni contraria, ac fimpliciorum feductio & mera exactio eft. Verum etiam epifcopi, ut fuffraganeo vel viliffima obærare poffint mercede, talia & adhuc abfurdiora tolerant. Res igitur tam nefanda & illicita merito aboleri debet.

§ 5. Scribit itaque in hæc verba, fcite ad modum Lactantius: *De Orig. err. li. 1.* Ita hominum credulitatem mentita divinitate deludunt dæmones, quod illis verum aperire non expedit. Hi funt, qui imagines & fimulachra fingere docuerunt: qui, ut & hominum mentes à cultu veri Dei averterent, & fictos mortuorum regum vultus, & ornatos exquifita pulchritudine ftatui confecrarique fecerunt, & illorum fibi nomina quafi perfonas aliquas induerunt. Sed eos magi & ii, *Magi. Malefici.* quos vere maleficos vulgus appellat, quum artes fuas execrabiles exercent, veris fuis nominibus cient, illis cœleftibus, quæ in Sacris litterisleguntur. Hi porro incefti ac vagi fpiritus, ut turbent omnia, & errores humanis pectoribus infundant, ferunt ac mifcent falfa cum veris. Ipfi enim cœleftes, multos finxerunt effe, fed veritatem mentitis nominibus involutam ex oculis abftulerunt. Et paulo poft:

fuisse plerosque non diffiteat) ut non solum in longissimè dissitis totius orbis partibus, uti olim apud Gallorum Druidas, & remotissimos Indorum Gymnosophistas, unus idemque ejus cultus observaretur: sed & (quod multo magis mirandum, vel potius dolendum) in Christiana nostra Europa apud diversissimas regiones, in cujuscunque materiæ vel nominis idolis, non dissimili ritu honor sibi haberetur.

In cujuscunque materia vel nominis idolis colitur diabolus.

§ 2. Hanc cæcitatem apud commoda suis præstigiis organa auxit, voce, cantu, capitis nutu, aversione, inflexione ad latera, manuum gesticulationibus, aut aliis motibus: eoque modo indicia propitiæ vel aversantis atque abhorrentis voluntatis edidit ex statuis: profanavitque loca, quæ certe erant domicilia & sedes doctrinæ cœlestis, sanctissimæ scholæ patrum, & ναοὶ ἅγιοι, καὶ [illegible] τοῦ θεοῦ: in quæ velut conversa suæ impietatis & superstitionis latibula, suas blasphemias in Deum contumeliosas, & hominum generi exitiales eructare atque evomere conatus est. Imò in hac mundi senecta nutantibus technis illis manifestis, se in vero Dei templo collocat, & hominum mentibus dominatur, in lucis angelum transformatus. Hac ratione, se, graviori divinæ majestatis contemptu, atque hominum exitio, magis ulciscitur.

Sap 14.15.

In vero Dei templo se collocat diabolus.

1. Corint. 3. & 2. Corint. 11.

§ 3. Huc pertinent ludibria, quibus nostros homines etiam adegit, ut, nisi sacro baptismo, regenerationis lavacro, ad Christi solummodo membra pertinente, & exorcismis, tantum, ubi è sua sede deturbandus est dæmon, ab illis, qui ejus pellendi singulare donum habent, applicandis, etiam campanæ & tintinnabula expientur, sanctificenturque, sponsoribus & testibus, in sacrilegam uberioris auri expilationem, undique convocatis, res illas inanimatas mortuasque è turribus à diabolo ablatum iri, simplicibus persuasum sit. Quinimo foveæ & stagna ostenduntur, quæ etiam vidi, si dignus sum, quo ejusmodi non baptizatas consecratasque campanas à dæmone ex turribus proximis inuectas esse, asseveranter dicunt: audirique earum sonum nocturna hora duodecima in Nativitatis Christi solennibus, vel etiam singulis quatuor anni temporibus, quæ vocant: & eum commori, qui audierit. Sic fit, ut à sono caveant imprudentes, nec inveniantur, qui audierit. Quod si aliquem audire contingeret, is proculdubio à dæmone ob impietatem illuderetur. Interim tamen hisce religionis nostræ præstigiis illi detinentur. Nec ita pridem eo loci prope Abbatiam Knechtestein

Campanarum baptismus & exorcismus.

ftein ductus sum, ubi firmiter adhuc credi hoc sacrilegium coram audivi: monstratur fovea, turrisque ostenditur. Propterea perquam prudenter & piè Cæsar Maximilianus inter gravamina sedis Romanæ à Germanis non toleranda, campanarum consecrationem recensuit in hæc verba: Suffraganei excogitaverunt, ut solum ipsi, & nullus alius sacerdos, Laicis campanas baptizarent.

§ 4. Credunt deinde simpliciores, ita affirmantibus suffraganeis, tales campanas baptizatas, dæmones & tempestates pellere. Quapropter innumeri plerunque adhibentur compatres; præcipue vero, qui fortuna pollent: exorantur, qui baptizationis tempore funem, quo campana ligata est, tangunt, ac suffraganeo præcinente (quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant, vesteque nova (quemadmodum & Christianis fieri solet) campana induitur. Inde ad sumptuosa properatur convivia, quibus præcipue compatres, ut eo largius munera offerant, adhibentur: necnon suffraganei, & eorum capellani cum multis aliis ministris regaliter pascuntur. Nec hoc satis est, sed & suffraganeo mercedem persolvere necesse est, quam illi munusculum vocare solent. Inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione. Quæ res non solum superstitiosa, sed etiam Christianæ religioni contraria, ac simpliciorum seductio & mera exactio est. Verum etiam episcopi, ut suffraganeo vel vilissima obærare possint mercede, talia & adhuc absurdiora tolerant. Res igitur tam nefanda & illicita merito aboleri debet.

§ 5. Scribit itaque in hæc verba, scite ad modum Lactantius: *De Orig. err. li. 1.*
Ita hominum credulitatem mentita divinitate deludunt dæmones, quod illis verum aperire non expedit. Hi sunt, qui imagines & simulachra fingere docuerunt: qui, ut & hominum mentes à cultu veri Dei averterent, & fictos mortuorum regum vultus, & ornatos exquisita pulchritudine statui consecrarique fecerunt, & illorum sibi nomina quasi personas aliquas induerunt. Sed eos magi & ii, *Magi. Malefici.*
quos vere maleficos vulgus appellat, quum artes suas execrabiles exercent, veris suis nominibus cient, illis cœlestibus, quæ in Sacris litteris leguntur. Hi porro incesti ac vagi spiritus, ut turbent omnia, & errores humanis pectoribus infundant, ferunt ac miscent falsa cum veris. Ipsi enim cœlestes multos finxerunt esse, sed veritatem mentitis nominibus involutam ex oculis abstulerunt. Et paulo post:

men nunquam. Dispositiones etiam Dei & nunc prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes, divinitatem æmulantur, dum furantur divinationem.

§ 3. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi. Sic præscivit diabolus ex Esajæ & Danielis oraculis (quorum uterque adolescentem Alexandrum expresse delineat) eum ipsum Alexandrum superato Dario, potiturum Asia universa, translaturum Imperium à Babyloniis ad Græcos. Propterea Delphicam vatem consulenti, & ab invita responsum extorquenti, tandem ipsa in hæc verba prorumpens, respondit: Invictus eris Alexander. Postea ad Persas exercitum traducenti, prodigia offudit multa. In aditu Asiæ, simulachrum Orphei sudore maduit. Hinc Alexandro ad extremum cum Dario confligente, aquila è sublimi supra ejus verticem sese librare, & in adversos hostes trajicere visa est. Ludibria haud dubie dæmonii hæc erant, adornata ad prodigiorum & auguriorum, quibus tunc fidebatur, observationes confirmandas. Darium è diverso, ancipitibus somniis in falsam victoriæ spem erexit.

Daniel. 8.

§ 4. Prænovit ex Esajæ prophetiis, fore ut Tyrus destruatur à Macedonibus. Ita enim ille ait: Vlulate naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant. De terra Cethim revelatum est eis. Terram vero Cethim Macedoniam esse, asserunt plerique & ab Homero κητείους Macedones vocatos. Quidam tamen per terram Cethim, Cyprios intelligunt. Inde quum fuso fugatoque Dario, copias ad Tyrum admovisset Alexander, præmonuit quendam, qui civibus prænunciaret, Apollinem civitatem deserturum esse: ut quum eventus responderet, idolorum existimationem stabiliret.

Esaja 23. Vide Josephum. Jud. 1. 6.

§ 5. Ex iisdem Esaiæ & Danielis vaticiniis præscivit, fore ut Assyriorum monarchia pessum iret, & in potestatem redigeretur Medorum ac Persarum: & quidem à Cyro, cujus nominatim Esaias meminit. Unde conjectatus est, Crœsum etiam de regno Lydiæ periclitaturum esse. Quare & aliquanto ante πέμπτον ἀπόγονον Gygis, quod in Cyri tempora incidere eum prospiciebat, amissurum regnum Lydiæ prædixit, consultus ex oraculi Delphici sede: & postea cum regnum adeptus esset Crœsus, ut opum suarum fiducia insolescentem, superbientem, & regnum Persicum affectantem everteret,

Esaja 44.

teret, [illegible] victoriam in speciem ipsi annuente, ad bellum Cyro inferendum perduxit: quo modo victus, captus & regno exutus, vitam in Persia finivit.

§ 6. Prædictionis vero dæmoniacæ finem luculente ostendit Imperatoris Valentis facinus. De quo literarum monumentis traditur, quod nova correptus insania, dæmonem interrogarit, quis post ipsum Imperio esset potiturus. Dæmon oblique respondet, & literas Græcas ostentat, ΘΕΟΔ. significans hoc fore initium nominis ejus, qui sibi successurus erat. Ita interimi omnes jubet Valens, quotquot in suæ nomenclaturæ principiis easdem sortirentur literas, Theodori nimirum, Theodoti, parentes Theodosii, ejus scilicet qui Imperium adeptus est postea, Theoduli: interque eos numeratur Theodosiolus, vir nobilis Hispanus. Cæteri metu novi periculi nomina sibi indunt alia. Socrates IV. 19. Sozomenus VI. 35. *Paulus Diaconus* XII. Joa. Zonaras tomo 3. Infinita ejuscemodi in historiis observantur exempla.

§ 7. Sed ad posteriora, nec obscura, connectamur: ubi prius singulare recensque satanici vaticinii exemplum subdidero, scriptum à Magistro nostro Joanne Henrici Colen Buscoducensi ad Magistrum nostrum Hunæum Lovaniensem, 3. Martii, ann. 1574. Guesorum Belgicorum nefandi & tyrannici consilii finem nostræ quidem civitatis juvenis novem annorum, Spiritu sancto afflatus, ut fertur, prædicit. Metuimus tamen fraudem esse maligni spiritus, quod tamen nemo doctorum virorum deprehendere potuit. Clamat puer iste, & postulat ferventes & assiduas preces: qui & ipse tribus horis diei, extensis orat brachiis. Prædixit mira hujus temporis, quæ omnia evenere, & ne in minimo quidem allucinatus est. Ait quoque, se audivisse ab angelo Gabriele finem harum tragœdiarum, ante dimidium æstatis futurum: Regem quoque nostrum, in has inferiores patrias venturum, & compositurum omnia felicissimis mediis. Prædixit quoque punctum temporis, quo Middelburgum fuit captum, & hujusmodi alia infinita, quæ dictis ejus consonant. Fui & ego indignus vocatus ad examinandum juvenem, & in stuporem & admirationem summam raptus, quando puer tam simplex & literarum imperitus tam expedite ad omnia interrogata, etiam abditissima, respondere potuerit. Et quia angelus satanæ transfigurat se, *&c.* petivi ab eo varia & multa: verum non solum non veretur & timet crucem Domini aut nomen Jesu angelus: sed &

preces juvenem docuit, quae nihil aliud sonant, quam, Jesu Nazarene pro nobis crucifixe, miserere nobis: subveni miseris peccatoribus, ut revertamur ad fidem. Hactenus ille.

Puer daemoniacus. § 8. Puerum hunc à daemone actum fuisse, qui in eo loqueretur, & sua ederet vaticinia, contrarius docuit eventus. Nullus etenim intestinarum dissensionum Belgicarum exitus vel ea sequenti aestate, vel tertio post anno, quo haec scriberem, quum nihil etiam rumoris adhuc de regis adventu spargeretur: quinimo ne quidem adhuc anno 1581. quo haec recuderentur. Spiritus autem Dei ne in re minima quidem aberrare aut allucinari potest. Hîc facile innotescit ille Gabriel, qui & punctum temporis, quo Zelandiae Middelburgum in deditionem veniret, annunciare per juvenis os potuit ob celeritatem incomprehensibilem, quia spiritus est. Idem quoque ad illiusmodi modum orandi puerum incitavit, ut suis vaticiniis falsis & imposturis cautius fidem conciliaret. Hac ratione veritatem mendacio commiscére perpetuo solet. Addatur hoc, ne angelum quidem Dei futura scire, ut de se testatur. 4. Esdrae 4. Quid praeterierit, scio: quid autem futurum sit, ignoro.

Christum, & ad quid missus esset, prius norunt daemones, quam Apostoli: & quare illum tentarit diabolus.

CAP. XI.

Perhibet sacrae scripturae authoritas, diabolum prius Christum penitius novisse, quam ipsi quibuscum ille loqueretur, & familiariter degeret, Apostoli: ut etiam ante Christi mortem resurrectionemque sciverit, testatusque fuerit invitus, ad quid venisset Christus: nimirum, quo cognitum faceret Satanam, ejusque fraudes: illius actiones demoliretur, atque regnum everteret. Qua propter metu judicii divini aeternarumque poenarum contremiscens, & tantùm non deficiens, in obsesso ante Christum procidente, magna exclamavit voce: Ah, quid rei nobis

Marc. 1. tecum est, Jesu Nazarene? venisti ad perdendum nos. Novi te

Luc. 4. qui sis, nempe sanctus ille Dei. Et increpavit illum Jesus, dicens: Obmutesce, & exi ab homine: & cum projecisset illum daemon in medium, exiit ab illo, nihilque illi nocuit. Et post: Exibant & daemonia à multis, clamantia & dicentia: Tu es Christus ille filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quod scie-

sciebant ipsum esse CHRISTUM. Hic Athanasius: Dæmonis, inquit, sermonem compescebat CHRISTUS, ne simul cum veritate, etiam suam iniquitatem promulgaret: ut nos etiam assuefaciat, ne talia curemus, etiamsi vera loqui videatur. Illud alias etiam pios postea latuisse, Sacrarum literarum testimonio docetur: ut alii cum Heliam, alii Joannem baptistam, alii Hieremiam, alii unum de prophetarum numero esse dicerent. Petro autem pronunciant, Tu es CHRISTUS ille filius Dei viventis: respondit CHRISTUS, Beatus es Simon bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Id quod Petro à patre cœlesti hic revelatum asserit CHRISTUS, hoc ipsum & Satan novit, & palam testatus est, non rogatus. Hincq; ipsius ingenii acumen liquet, cujus ope res etiam abstrusissimas, nostrisque sensibus apprime alienas, novisse potest. *Matth. 16. Marc. 8. Luca 9. Joan. 6.*

§ 2. *Huc facit illud* puellæ Pythiæ, de Paulo & Barnaba clamitantis testimonium: Isti homines servi Dei excelsissimi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Atque id genus testimonia ab Astaroth & Berith idolis, & à dæmonio obsessis, de Bartholomæo apostolo, Thoma & aliis data legimus. Veritatem vero hic confitentur dæmones, non ut populum ad audiendam amplectendamque eorum doctrinam permoverent: sed exhorrescentes & reformidantes ministerii Euangelici virtutem, & sui condemnationem ac expulsionem ex obsessis: quæ hospitia si obtinuissent, statim Apostolorum ministeria seditione potuissent conturbare, aut inchoata post opprimere, novis rumoribus disseminatis per Pythiam vatem, obsessos & idola, quæ apud stultum vulgus magno habebantur loco. Addatur & illud mali spiritus responsum: Jesum novi, & Paulum scio, vos autem qui estis? Item: Quid rei nobis tecum est, JESU fili Dei altissimi? Venisti huc ad cruciandum nos ante tempus. Obsecro ne nos torqueas. *Act. 10. Act. 19. Matth. 8.*

§ 3. Enimvero semen mulieris contriturum caput serpentis, prophetarum de CHRISTO nascituro etiam in Bethlehem Judææ vaticinia: præfinitum hinc tempus, JESUM in divæ virginis utero, superveniente Spiritusancto, & virtute Altissimi obumbrante conceptum, ex angeli Gabrielis annunciatione, admirandam ejus nativitatem, longinquum magorum ex Oriente iter, ut eum adorarent, sciverat dæmon. Quapropter inter spem & metum, Herodis animum diris contra JESUM inflammavit facibus, ut inter infan- *Marci 6. Luc. 8. Genes. 3. Michea 5. Matth. 12. Luc. 1. 2. Esaja 7.*

tium Bethleemiticorum bimulorum ætateque juniorum deplorandam cladem, JESUS simul internecione absumeretur. Atqui salutifero magis Dei consilio suos collabescere conatus, infringique, reipsa experitur diabolus.

§ 4. Ne quid tamen incredibili ejus audaciæ & fastui incomparabili decederet, atque ut adoratione, peculiari Dei prærogativa honoraretur, vel Christum certius tunc cognosceret, ipsum in solitudine tentat: illique in præaltum montem adducto, omnia mundi regna, ac eorum gloriam ostensam se daturum, si se prostratus adorauerit, ausu plusquam sacrilego pollicetur: quum divinam majestatem in hominum regnis atque imperiis solam dominari, eaque cuilibet tradere constet. Porro Christum jam certo cognitum, voluit etiam perditum: quare, ut eum proderet, in cor Judæ Simonis Iscariotæ immisit, in quem post offulam à Christo porrectam ingressus est. Tantum enim hujus solertissimi artificis contra Deum & genus humanum est odium, ut quicquid machinetur, sit in Dei contemptum, & hominum detrimentum perniciemque, fraude & extremo dolo caute tectum.

A Christo vult adorari diabolus.
Matt. 4.
Marc. 1.
Luc. 4.
Daniel. 4.

Multa studia Diaboli, & opera breviter comprehensa.

CAP. XII.

CÆTERUM ut instituti mei ratio certius citiusque innotescat, paucis, veluti fasciculo uno, quædam ex dæmonis actionibus & potentia colligam. Quum angelica ejus essentia non interierit, sed male propriæ voluntatis affectu degenerarit, accreveritque tam diutino tempore eximia rerum observatio & usus insignis: magnæ illum esse constat virtutis, calliditatis incredibilis, sapientiæ plus quam humanæ, perspicacitatis acutissimæ, vigilantiæ summæ, artificii technas struendi perniciosissimas fuco speciosissimo incomparabilis, maliciæ infinitæ, odii erga genus humanum ἀσπόνδου ϗ αἰωνίου: atque hoc nomine eum sepenumero (permittente, vel saltem connivente Deo) admirandas facere res, & se in bestias, statuas, specus, latebras, cavernas ingerere, in quercus Dodonæ Molossidis in Epiro, unde Dodonæum oraculum frequentatum est, insinuare: apud Ægyptum ex Hercule, Apolline, Minerva, Diana, Marte, Jove, Api bove, Latona in urbe Buti, furiosis sacerdotibus Apollinis in Colophone, Thebis in Bœotia, & in Lœbadia ex Trophonio, ex

Diaboli studia & potentia.

Strabo Geog. lib. 16.

vacca

vacca Memphi, ex bove Mneo Heliopoli, ex crocodilis in Arsinoe, ex Amphiarao vate in Attica, responsa dare, humana voce, nutu, aliove gestu, affictis subinde gestibus furentium, nonnunquam ebriorum, alias trementium, aut ridicule gesticulantium: quandoque somniis, amphiboliis interdum, plerunque & ænigmatibus: quia ignorat Diabolus quousque toleraturus sit Deus, aut permissurus, quæ intendit & struit.

§ 2. Et sane Deum quibusdam sagacioribus hominibus has ejus technas jam olim sæpe detexisse, testis est Valerius Maximus, hisce verbis: Nec me præterit de motu & voce deorum immortalium humanis oculis auribusque percepta, quam ancipiti opinione æstimatio versetur: sicut de transitu Junonis in urbem. Captis enim Veiis à Furio Camillo, unus militum simulachrum Junonis Monetæ fertur interrogasse, an Romam migrare vellet? Deamque respondisse, velle se. Quamvis unus vocem audiverat, omnes tamen sibi persuadebant, eandem se percepisse. Tradunt alii simulacrum annuisse tantum: alii unum hoc inter milites & vulgum sparsisse. Quo factum est, ut non simulacrum, sed ipsam cœlo Junonem petitam portare se credentes, Læti in ea parte Aventini montis, in qua nunc templum ejus cernimus, ut inquit Valerius, collocarent. Hic videmus & qua arte, & quam ob causam ludat in idolis illa Dei simia.

Lib. 1. cap. 8.

Livius.

§ 3. Cæterum alia religionis opinione legitur in divæ Irmgardis comitissæ vita, quomodo tertio Romæ peregrinata, D. Pauli templum fuerit ingressa, inveneritque crucifixi imaginem prorsus conformem ei, quæ in templo metropolitano D. Petro sacro Coloniæ ante sacrarium visitur. Hic prostrata orationique intenta audit vocem ex ore imaginis cruci affixæ, hunc in modum: Chara & electa filia Irmgardis, te oro ut mox ubi Coloniam redieris, in D. Petri templo crucifixum in altari ante sacrarium, mihi admodum simile, salutes. Hæc posito peregrinæ pileo, gratiisque actis, se facturam recepit, si modo digna haberetur: simulque hoc simulacrum vidit à cruce detraxisse brachium dextrum, quo electæ suæ sponsæ Irmgardi benedixit. Inde rursus gratiis Deo dictis propter longum illud iter nec frustra nec temere factum, Coloniam reversa est, & præfato loco provoluta ante crucem, sic infit: Mihi singulare, idque haud leve mandatum Romæ à cruce & imagine in æde D. Paulo sacra, tibi mire conformi datum est, quæ scilicet sa-

tium, ligna, idque genus portenta in vivorum extremas fauces, nec penitius, quo ore rejiciantur, ingerere: in mortuorum ventriculum & partes alias præstigiis aptas, & post mortem sectas ligna, cultros, & quæcunque vis alia, fallaciter arte dolosa inter secandum inserere: nec solum talia ostentare, sed etiam partes vitales prius ex astantium oculis in ejusmodi anatome auferre ac summovere, quam animadvertatur. Neque vero per alium, neque alia ratione in extorum nefanda observatione apud veteres olim ea procurata fuere miracula, ut Cæsari Dictatori exta sine corde sint inventa: Posthumio vero consuli, Catoni, Decemviris, Herennio, Lucilio Lupo immolantibus in plurimis victimis modo jecur, modo caput jecinoris defuerit.

Julius Obsequens de Prodigiis.

§ 10. Similiter ex parte postica & uteri collo novit implicatos crines, arenæ copiam, clavos ferreos, ligna, vitra confracta, stupam, lapides, ossa, & similia præstigiis movere, offuscata interim oculorum acie: insecta auribus furtive immittere, quæ postea vel prodeant, vel evolent. Hæc à me visa sunt alata, ex auribus cujusdam virginis Henricæ nomine, misere à dæmonio exagitatæ, desumpta. Proclive illi quoque est, ulcere corpus defœdare, pudenda meliceride vel ulcere sanioso inficere, evirationis persuasionem falso inducere, corpora tota obsidere, eaque sursum ac deorsum distrahere, quando & quamdiu à Deo permittitur. Hujusmodi violentam virginis prædictæ sublationem in arce Caldenbroce apud Geldros, Deo juvante, alias intrepide reluctando impedire valui: à morsus tamen interim inflictu, quo manus meas mire impetebat, in horribili illa subvectione, anxie cavendum erat. Cur enim non tam meos promovere conatus in juvando, quam dæmoni permittere sua studia in lædendo, potuit Deus?

§ 11. Assuevit præterea varie corpora transferre, eorumque humores commovere, originem nervorum in cerebro turbare, quo atrocissimis rarissimisque convulsionis speciebus, jactu tractuque incredibili, & quasi crepantibus sonitu horrifico juncturarum compagibus, in admirationem, diffidentiam, sinistram de aliis opinionem, ad mendacia, vetita auxilia & cædes, homines compellat. Ad hunc modum nervos & musculos præter voluntatem inordinate crudeliterque convellere potest: plerunque τέτανον ciere, ut cervix una cum corpore immobilis maneat, & in neutram inflectatur partem, sed juxta in utramque partem intendatur: subinde ἐμπρόσθοτονον

ἔντασιν vel tensionem ad anteriora excitare valet, ut caput, cervix, reliquumque corpus, jugularibus venis mirum in modum circum collum distentis, contrahatur: quandoque ἐπίτασιν vel tensionem ad posteriora citare tam vehementem solet, ut caput in dorsum & scapulas graviter convellatur, cruribus interim contractis: item diversas horribilium convulsionum facies, multifariam & inæqualiter in membris producere: nonnullis totum corpus, ceu articulis tormento luxatis divulsisque enervare, aut palpitantium, trepidantiumve musculorum speciem inferre: quibusdam os & oculos truculenter intorquere, septum transversum in homine ita constringere, ut spiratio vix difficulter duci queat, arteriis interim pulsantibus leviculum inferens impedimentum, sed ventriculum singultibus frequentibus convellens. Interim hic præstantissimos sæpe medicos ludificat, qui ejuscemodi morborum dira contuiti symptomata, imo larvas, ad naturales ea referentes causas, frustra curationem medicamentis tentant.

§ 12. At aquam etiam conjurationibus sacratam se formidare impense, gestibus & voce in corporibus quæ obsidione coercet regitque, simulat: quemadmodum se naribus extrahi, virtute radicis inclusæ annulo ex Solomonis, ut fertur, doctrina naribus admoto. *Joseph. lib. 8. antiq. Judai. cap. 2.* Deinde multa observare assolet, artificioseque imitari, seu vere seu falso: plurima eorum quæ acta aut prodita sunt, incredibili solertia ratiocinari & colligere: varia ex notis naturalibus argutissime elicere, penitissimeque eruere: diversa in imperiorum & hominum privatorum negociis moliri, mira astutia contexere telam longam, variam nobisque inextricabilem, qua inopinato insperatoque implicantur & irretiuntur certe plurimi: tandem homines, bestias, aerem conturbare, prodigia meteoris similia in cœlo effingere, figuras confligentium exercituum exprimere, clangores tubarum, armorum strepitus, ferientium se mutuo & ex ictibus collabentium sonitus, voces eiulantium aut exultantium imitari, scelerate abuti natura rerum ad generis humani perniciem, callide exitiosas præstigias physicis effectibus conformare, & multa in ordine causatum, suo tenore progressuque agentium confundere, mala quanta potest calliditate attrahere & urgere, in cervices nostras cogere & contorquere, bona abigere atque excludere: quinimo ea interdum suadere, sed propter mala: suadere quoque mala sub specie bonorum: dissuadere mala ut ducat ad peiora, tandem etiam cœlum terræ miscere & involvere.

Adversus gentes ca. 22.

§. 13. Proinde in Apologetico scite testatum reliquit Tertullianus, inquiens: Dæmonum operatio, est hominis eversio. Sic Spiritalis malicia à primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos: animæ vero repentinos & extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad utramque substantiam hominis lædendam subtilitas & tenuitas sua multum spiritualibus viribus, licet & invisibiles & insensibiles in effectu potius quam in actu appareant: si poma, si fruges nescio quod auræ latens vitium in flore præcipitat, in germine exanimat, in pubertate convulnerat: si cæca ratione contaminatus aer, pestilentes haustus suos effundit. eadem igitur obscuritate contagionis, aspiratio dæmonum & angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus & amentiis, fœdis ac sævis libidinibus, cum erroribus variis: quorum iste potissimus, quod eos ipsos captis & circumscriptis hominum mentibus comedat; ut & sibi pabula propria nidoris & sanguinis procuret, simulachris imaginibus oblata: & quæ illi accuratior pascua est, qua hominem è cogitatu veræ divinitatis avertat falsis præstigiis: quas & ipsas quomodo operetur, expediam. Omnis spiritus ales est. Reliqua Tertulliani verba supra recitantur Cap. 10.

Mentiendo defunctorum spiritus, quibus præstigiis religiosas ludificare solet diabolus, ostenditur præscripta eorundem spirituum inquirendorum formula.

CAP. XIII.

UT evidentius omnium oculis pareat, dæmonem quandoque etiam ordinis Ecclesiastici viris illudere, atque mortuorum sæpe animas imitari, ex Tractatu Jacobi de Clusa ordinis Carth. Theologiæ professoris, de Apparitionibus quorundam spirituum, & quomodo inquiri & agnosci debeant, si vere aut ficte appareant, ipsius verba fideliter hic adjungam, maxime quod mysterii loco præscriptum hoc conservari apud ejusmodi professionis homines non ignorem.

§. 2. Primo videtur expediens fieri jejunium trium dierum cum aliquibus missarum celebrationibus, & devotis orationibus, scilicet septem Psalmis pænitentialibus sæpe repetitis. Quibus peractis, accersendi ac vocandi sunt quatuor aut quinque sacerdotes devoti. Cre-

ti. Crediderim hoc aptius fieri per devotos religiosos à secularibus actionibus exoccupatos, & mente in Deum elevatos, propter horror & terrorem propellendum: qui ad locum accedant, in quo spiritus se ostendere consuevit, cum humilitate cordis, & recta intentione, cessante omni superstitiosa inquisitione: non tamen sine certis ceremoniis, cum in collatione omnium sacramentorum & in missis ecclesia utatur ceremoniis. Assumatur igitur candela in die Purificationis benedicta, accensa; aqua benedicta & signum crucis, & si placet, thuribulum cum thure: in accedendo orent septem Psalmos ac Evangelium sancti Joannis. Ingressi autem, locum aspergant & thurificent. Non tamen dico de necessitate omnia fieri sive requiri, sed æstimo ita expedire: quia non habeo de his fundamentum necessitatis ex Scripturis, sed aliqua exempla sanctorum super his legi. Stola etiam sancta non videtur esse inutilis. Ingressi igitur locum, flectentes genua, ut videtur, hanc humiliter per unum eorum dicant orationem sequentem: Domine JESU Christe, omnium secretorum cognitor, qui semper tuis fidelibus & parvulis revelare salubria & utilia consuevisti, quique in hoc loco spiritum quendam se ostendere permisisti: humiliter obsecramus benignissimam tuam misericordiam per passionem tuam, & preciosissimi sanguinis tui pro peccatis nostris effusionem, ut digneris præcipere huic spiritui, ut sine terrore & læsione nostra & omnium hominum, se relevet, significans famulis tuis, nobis vel aliis peccatoribus, quis sit, & cur venerit, & quid desiderium suum existat, ut eum exinde honorari valeas: & ipse, si possibile est consolari, & fideles tui iam sublevari, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.

§ 3. Post hæc ad interrogatoria veniendum est, ut puto, sic dicendum: Obsecramus per JESUM Christum, tu spiritus ut dicas, quis sis: & si est aliquis inter nos cui velis respondere, & ut nomines eum, aut per signum eum significes. Est ne ille N. aut iste N. & sic de singulis, quotquot sunt præsentes, nominando specialiter: quia expertum est, quod non respondet cuilibet. Si autem aliquam vocem aut pulsum fecerit ad alicujus nominationem, illi committantur alia interrogatoria, scilicet, cujus hominis anima fuerit, & propter quid venerit, & quid desideret? Si suffragia pro se fieri desiderat: an in missis, an in eleemosynis: aut quot missas, tres, sex x. xx. xxx. &c. & per quos sacerdotes, religiosos vel seculares? & si jejunia, quæ, quanta, & quot, & per quas personas? Si eleemo-

synas, quas & quot & quibus personis? aut in hospitalibus aut leprosoriis, aut aliis mendicantibus & pauperibus? & quod erit signum suæ perfectæ liberationis, & propter quas causas sit deputatus pœnis purgatorii? quia beatus Gregorius ponit in Dialogo multa exempla, in quibus animæ dedefunctorum per se expresserunt viva voce causas purgationis. Nulla tamen superflua, curiosa, inutilia, aut superstitiosa sunt ab eo investiganda, nisi ea per se proprio motu voluerit revelare. Et in diebus festivis & tempore sobrio, puto ante prandiū, convenientius hanc fieri inquisitionem: aut forte si tempore noctis, magis Deo placuerit, ut fieri solet. Sed si forte nullum signum appareret illa hora, ex tunc differendum est ad aliud tempus, donec iterum se spiritus manifestet, relicta ibi aqua benedicta & cruce: quia Dei occulto judicio certis horis & personis, non omnibus se revelant. Nec timendum est, quod spiritus ille personam talem in corpore lædat, si est bonus spiritus: hoc non est expertum, ut credo, aliquando. nam jam expectat statum merendi aut demerendi: nec peccare amplius potest, sed est in medio statu inter bonos & malos, certus de sua prædestinatione: sed adhuc in satisfactionis statu, scilicet in pœnis ad tempus, &c. Quod si talis spiritus aliquem offenderet in corpore, jam suspectus esset, quod non esset unus de bonis, sed de reprobis, salvo judicio divino.

§ 4. Notandum secundum eundem doctorem: Non omnibus hominibus fortè expedit indifferenter prædictis revelationibus & apparitionibus interesse, nisi valde fortiter complexionatis, qui non de facili terrentur: quia per experientiam puto scire, quod aliqui visis istis aut locis pœnalibus, inciderunt in incurabilem infirmitatem. Oportet ergo dispositos esse tam in corporis complexione, quam in animæ purgatione, qui de his investigare volunt. Quia enim non est proportio inter animam viventem in corpore, & animam exutam à corpore; ideo semper terrore apparent hominibus viventibus: nec mirum, quia etiam sancti angeli non nisi cum terrore magno etiam viris sanctis apparuerunt, sicut patet in plerisque locis sacrarum Scripturarum.

Tam facilius falluntur homines tenebrarum umbris territi, & quod non satis dijudicent

§ 5. Secundo notandum de tempore apparitionis animarum, quo ad earum revelationem; credo, quod hoc pendeat ex divina voluntate, licet frequentius legamus noctis tempore tales factas, propter quietationem sensuum exteriorum, & curarum secularium cessationem, quando homo est magis capax ipsarum, ac magis dispositus,

dispositus. Reperiuntur etiam tempore diei se animæ revelasse ac ostendisse: Quantum autem est ad se, ipsæ semper paratæ essent se ostendere propter celeriorem liberationem. *qua audiunt & non videntur vel qua videre videntur.*

§ 6. Tertio notandum, quod diversis apparent modis: non quidem semper apparent in corpore, aut in effigie corporali, sicut dæmones leguntur in assumptis corporibus apparuisse, ut in vita S. Martini legitur: sed invisibiliter, ut solum sonus, vox aut strepitus percipiatur à viventibus, scilicet percussio, sibilatio aut sternutatio, gemitus aut luctus aut planctus; aut plausio manuum, ut attentos reddant homines ad inquirendum & respondendum: unde creditur, quod in locis separatis ab hominibus se non ostendant, saltem ista causa liberationis scilicet, qua cessante causa, cessat & effectus; licet in locis seorsum possunt puniri. *Quia ibi nullus fallendi locus.*

Quomodo & qua substantia commoditate tam varia machinetur Diabolus, ex Psello: interjecta historia de bestiola ex militis dormientis ore egressa, & rursus ingressa.

CAP. XIV.

ATQUI fusiorem, ea quæ diximus, aliaque similia agendi modum & rationem, Michaëli Psello explicavit quidam Marcus, dæmonii cultor eximius, in Chersoneso Græciæ contermina vitam solitariam degens. Dæmones, ait, licet sexu & propria lingua careant, corpus tamen illud aereum sibi concessum, pro arbitrio velut nubes vento flante, in varias formas mutant, contrahuntque atque extendunt; quemadmodum lumbricis videtur accidere ob substantiam molliorem, ductuque facillimam: neque solum magnitudine diversitas in eis accidit, verum etiam figuras coloresque variant multiformes. Corpus enim dæmonis ad utrunque est natura paratum, qua enim ratione est natura facile cedens, sic in varias figurarum species transformatur: qua vero aereum est, diversos aeris instar colores subit. Sed aer quidem extrinsecus coloratur; corpus vero dæmonis, juxta animi sui affectus, species colorum mutat, velut & hominis: sed longe melius, ut quod animæ sit obedientius. Omnia tamen celeriter dilabuntur, ob corporis mobilitatem, tenuitatemque. Sic tanquam vir apparet & mox occurrit ut fœmina: leonis more fremit, saltat ut pardalis, latrat ut canis, atque ad utris vasisque formam se aliquando transfert. *Psellus de dæmonibus. Marcus dæmonis cultor.*

Lib. chronicorum 12.

§ 2. Lubet non ineleganter hoc loco historiam apte interponere. Refert Helinandus monachus, se audivisse ab Ebaudo patruo suo, qui à cubiculis erat Henrico, Remensi archiepiscopo, Ludovici Gallorum regis fratri: quod Henrico archiepiscopo æstate quadam in itinere somnum meridianum capiente, miles quidam inter cæteros aperto & hiante ore post prandium dormiret, è cujus ore visa est ab aliis vigilantibus quædam alba bestiola mustelæ similis exiisse, atque ad vicinum ibi rivulum procurrisse. Cumque sursum deorsum in ripa rivuli anxia cucurrisset, nec transeundi viam inveniret, quidam ex astantibus accedens, evaginatum gladium, rivulo angusto, veluti pontem faciens, imponit. Bestiola ilico rivulum super gladium transgrediens, longius procurrit, & sese subduxit. Paulo post redire visa, cum iterum notum pontem quæreret, atque eo jam sublato discurrens, transire non valeret, idem ille, qui antea, rursum rivuli ripas, imposito gladio conjungit atque abscedit. Tum transit bestiola, & ad dormientis adhuc patulum os rediens, videntibus omnibus ingreditur: ac ilico, qui dormierat expergiscitur, rogatusque, num quid in somno passus esset? respondit, se fessum esse, & fatigatum, tanquam ex difficili & longo itinere: in quo bis, super pontem ferreum, flumen transivisset. Unde socii collegerunt, eum, quæ ipsi viderant, vere somniasse.

Mustela similis bestiola videtur ex militis dormientis ore egredi, rursusque ingredi

§ 3. Mihi vero diaboli ludibrium esse videtur, qui, ut vigilantes socios falleret, aut animam hominis corpoream esse, ideoque interituram cum corpore, ipsis ostenderet persuaderetque, idolum hoc, exiens dormientis corpus, & ingrediens, oculis objecit. Reperimus, inquit etiam Plinius, inter exempla Hermotimi Clazomenii, animam relicto corpore errare solitam, vagamque è longinquo multa annunciare, quæ nisi à præsenti nosci non possent: corpore interim semianimi, donec cremato eo inimici, qui Cantaridæ vocabantur, remeanti animæ velut vaginam ademerint. Aristei etiam visam evolantem ex ore in Proconneso corvi effigie, magna quæ sequitur fabulositate, &c.

Lib. 7. cap. 52.

§ 4. Simile quiddam de Guntiano rege legitur: neque id mirum est. Nam præter supradicta idem etiam Marcus, loco paulo ante citato, deinde refert. Spiritui, qui nobis inest, phantastico propinquant dæmones; utpote qui & ipsi spiritus sint: verba perturbationum & voluptatum nobis insinuant, non emittentes quidem vocem pulsatione quadam & sonitu, sed sermones suos absque

quæ sonitu, insusurrantes. At quonam pacto inquam, respondet Psellus, sine voce sermones nobis ingerere possunt? Quid mirum, ait Marcus, si modo illud animadvertas, quemadmodum videlicet, qui loquitur, si procul loquatur, vehementiore clamore eget: factus vero propinquior, in audientis aurem susurrando subloquitur: qui, si posset cum ipso animæ spiritu copulari, nullo sono prorsus egeret: sed sermo ejus voluntate conceptus, nullo penitus sono audienti illaberetur.

§ 5. Et paulo post: Sicut aër præsente lumine colores & formas accipiens, traducit in illa, quæ naturaliter accipere possunt, sicut apparet in speculis, rebusque quasi specularibus: sic & dæmoniaca corpora, suscipientia ab ea, quæ intus est essentia phantastica, figuras atque colores, & quascunque ipsi voluerint formas, in ipsum animalem nostrumque spiritum transmittunt, multa nobis negotia præbent, voluntates & consilia suggerentes, formas subindicantes, suscitantes memorias voluptatum, simulachra passionum frequenter concitantes vigilantibus atque dormientibus: Nonnunquam vero fœmina nobis & inguina titillantibus incitantes, insanos & iniquos amores subjiciunt & subacuunt: præcipue autem, si humores calidos humidosque ad id conducentes nacti fuerint. Sed hi Plutonis galeam subinducentes, perturbant animas arte quadam, & sophistica fraude. Hactenus Marcus, quem magnum Irenæus & Epiphanius, magicæque imposturæ expertissimum vocant.

§ 6. Ille & de quodam genere ejus fascini, quo in distributione doni suæ gratiæ usus est, ita refert, quod solitus sit spectatorum & auditorum suorum oculos perstringere calice vino repleto, quod rubrum & purpureum subito apparere fecit, ut putaretur supernarum potestatum sanguis in calicem destillasse, &c. Plures ejus illusiones apud Irenæum lib. 1. cap. 9. & reliquis.

§ 7. Trithemius ad hæc nullam figuram magis, quam hominis, dæmones sibi coaptare docet. Cæterum, quando ad hanc non invenerint convenientem aëris materiam, apparentem formam sibi eos inducere ait, prout contrarius vel humor vel vapor effingat, & sic in forma conspiciantur plerumque leonis, lupi, suis, asini, hippocentauri, hominis cornuti, etiam caprinis pedibus, quales variis in locis quandoque apparuere: sicut de Morpheo filio Somni fabulantur poetæ. Cui enim melius illud Ovidii conveniat?

Excitat artificem simulatoremque figuræ Morphea.

Doce-

Docebitur hoc capitibus sequentibus per exempla, cum vetera, tum recentia.

Exempla variæ formæ laruarum & actionum dæmoniacarum memorabilia.

CAP. XV.

MEMORABILIA variæ formæ laruarum & actionum dæmoniacarum exempla describit C. Plinius junior, in hæc verba, & primum de Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes hæserat. Inclinato die spaciabatur in porticum: offertur ei mulieris figura, humana grandior pulchriorque: perterrito, Africam se futurorum prænunciam dixit. iturum enim Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum, ibique moraturum. Facta sunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem, egredientique navem, eadem figura in littore occurisse narratur. Ipse certe implicitus morbo, futura præteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, projecit.

Lib. 2 epist. ad Suram.

Dæmon mulieris forma Curtio Rufo apparet.

§ 2. Jam illud nonne & magis terribile, & non minus mirum est, quod exponam ut accepi? Erat Athenis spaciosa & capax domus, sed infamis & pestilens. In ea per silentium noctis sonus ferri, &, si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde proxime reddebatur: mox apparebat senex idolon, macie & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. Inde inhabitantibus tristes diræque noctes per metum vigilabantur: vigiliam morbus, & crescente formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque, quanquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inhærebat, longiorisque causa timoris timor erat. Deserta inde & damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta. Præscribebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere ignarus tanti mali vellet.

Sabellic. Exempl. x. 3.

Dæmonis idolo infamis domus Athenis.

§ 3. Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum, auditoque precio, quia suspecta vilitas, percunctatus, omnia docetur: ac nihilominus, imo tanto magis, conducit. Ubi cœpit advesperascere, jubet sterni sibi in prima domus parte; poscit pugillares, stilum, lumen, suos omnes in interiora dimittit: ipse ad scribendum, animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulachra

Athenodori philosophi obfirmatus contra dæmonis terriculamenta animus.

chra

ctra & inanes sibi metus fingeret. Initio, quale ubique, silentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moveri. Ille non tollere oculos, non remittere stilum: sed obfirmare animum, auribusque prætendere. tum crebrescere fragor, adventare etiam, ac jam ut in limine, jam ut intra limen audiri: respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem: stabat, innuebatque digito, similis vocanti. hic contra, ut paululum expectaret, manu significat: rursusque ceris & stilo incumbit. Illa scribentis capiti catenis insonabat: respicit rursus idem, quod prius, innuentem; nec moratus, tollit lumen, & sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis: postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem: desertus, herbas & folia concerpta signum loco ponit. Postero die adit magistratus: monet, ut illum locum effodi jubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus ævo terraque putrefactum, nuda & & exesa reliquerat vinculis. Collecta publice sepeliuntur, domus postea reconditis manibus caruit.

§ 4. Item, apud Actium M. Antonii fractis copiis, Cassius Parmensis, qui partes ejus secutus fuerat, Athenas confugit. Ubi concubia nocte, cum solicitudinibus & curis mente sopita, in lectulo jaceret, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squallidum barba, & capillitio demisso: interrogatumque quisnam esset, respondisse, κακοδαίμονα. Perterritus deinde tam tetro visu, & nomine horrendo, servo inclamavit: sciscitatusque est, si quem talis habitus aut intrantem cubiculum aut exeuntem vidissent? quibus affirmantibus, neminem illuc accessisse. Iterum quieti & somno se dedit; atque eadem animo ejus obversata est species. Itaque fugato somno, lumen intro ferri jussit, puerosque à se discedere vetuit. Inter hanc noctem & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, parvulum admodum tempus accessit. Facile hujus mortem poterat diabolus prænovisse, ex Cæsaris in hanc rem apparatu & verbis. Describit quoque Valerius, Julii simulachrum, quo post mortem C. Cassio suo interfectori apparuerit.

Max. 1. c. 5.

κακοδαίμων apparet Cassio Parmensi.

Li. 1. ca. 6.

§ 5. Dionysius Syracusanus brevi antea quam interimeretur, consedit in sua domo; cogitationibus molestis gravatus: tum illi apparuit imago illa deformis, habitus satanici, scopis domum verrens & expurgans. Unde ille usque adeo extimuit, ut noctu solus in ædibus manere noluerit: sed quosdam amicos rogarit, qui cum ipso pernoctarent.

Dionysium Syracusanum externuit spectrum.

Plutarch. in vita Cæsaris paulo aliter.

§ 6. M. Brutus, quum ex Asia contra Octavianum & Antonium aliquid grave moliretur, contigit ut in suo cubiculo apud lumen consideret, ardua meditatus & animo volutans: interim animadvertit aliquem ad se cubiculum ingredi. Apertis oculis circumspiciebat, num quis ex familia vel ministris aliquid vellet: inopinato videt imaginem formidabilem & admirandam corporis tyrannici & agrestis. Hic Brutus multo animosior liberiorque Dionysio, sciscitabatur, Num spiritus esset, vel aliquis deorum, & quid vellet? Cui occulto murmure respondet spiritus: Diabolus sum, & spiritus malus; in Philippis denuo me videbis. Inquit Brutus ingenue, ut vir Romanus & magnanimus: Imo sine metu te iterum videbo. Quum autem ex famulis studiose inquireret, num ingredi aut egredi aliquem observassent? respondebant, Non. Hinc perterritus Brutus, infelicem instituti sui prælii successum verebatur: quemadmodum evenit.

Contra diabolum magnanimitas M. Bruti.

Ang. Politia n. Misc. c. 58.

Monstrosa specie apparet diabolus.

§ 7. Quum bellum inter se Romani Albanique gererent, & utraque in procinctu jam staret acies, extitit repente quidam monstrosa specie, pelle amictus furva, vociferans. Jubere Ditem patrem, deamque Proserpinam, fieri sacrum sibi, priusquam committeretur prælium. Quo viso perterrefacti Romani, protinus aram sub terra ædificarunt, & statim, sacrificio facto, pedum viginti aggere contexerunt, ut ea ab omnibus præterquam Romanis ignoraretur.

Julius Obsequens.

§ 8. M. Claudio Marcello & Lucio Valerio Flacco Coss. Romæ multis locis species togatum visæ fuerunt, & appropinquantium oculos eludebant. Unde respondebant aruspices, magistratuum & sacerdotum interitum fore. Cajo Lælio, Lucio Domitio Coss. Fesulis ingens multitudo inter sepulchra lugubri veste, pallida facie interdiu gregatim ambulare visa fuit, cum nil nisi spectra essent. Cajo Pansa & Hircio Coss. Cæsari unam hostiam immolanti, duplicia exta apparuerunt. Tagen extispicinæ & aruspicinæ auctorem Cicero tradit ex Hetruscorum libris, cum terra araretur, & sulcus altius actus esset, repente ex sulco apparuisse pueri specie, sed senili prudentia; & eum, qui arabat, allocutum fuisse; & cum ejus aspectu obstupefactus bubulcus exclamasset, populum in eum Hetruriæ locum concurrisse: puerum multa locutum, sed nil nisi de nefandæ aruspicinæ doctrina: quod omnis populus excepit, & literis mandavit. Si verum hoc sit, quis dubitet, ipsum Tagen dæmonem fuisse in forma pueri declamantem? aut, ut cum Lucano loquar,

Tages.

Lib. de Divinationibus.

loquar, —— *Conditor artis Finxerit ista Tages.*

§ 9. Quum magna esset Romæ existimatio duorum senatorum Symmachi & Boetii, qui gener Symmachi fuit, eos Ticinum evocavit Theodoricus Gotthorum rex, & diu captivos tenuit, quia aliquibus ejus decretis fuerant adversati, & forte quia impedierant, ne Arrianis ecclesiæ traderentur; & bona eorum publicavit, & tandem eos interfici jussit. Hanc injustam crudelitatem hæc secuta est pœna. Non multo post eorum necem, cum cœnanti propositum fuisset in mensa grande caput piscis, visus est sibi cernere caput Symmachi, horribili rictu & flammeis oculis minitantibus ipsi. Repente itaque consternatus & tremens jussit se in lectum collocari, & accito medico Elpidio, narravit amicis terribilem illam Symmachi speciem conspectam, & in deploratione sceleris sui paulo post extinctus est.

§ 10. In gravissimo prælio Atheniensium & Persarum ajunt ante aciem terribiles sonitus esse auditos, & visa spectra, quæ Athenienses postea dixerunt fuisse speciem Panos, qui terrorem tantum Persis incusserit, ut fugerent. Inde Panici terrores postea dicti sunt, subitæ consternationes. *Panici terrores.*

§ 11. Saxones armatos, tradit Saxo, à Sclavis, horrenda forma, tanquam bono & optato omine, superne in vertice montis viso dæmone, fuisse interemptos: quia eo monstro veluti divinitus dati ducis adventu firmati, sumptis victoriæ auspiciis, ex improviso Saxones eosdem prorsus occiderunt. *Lib. 4. Hist.*

§ 12. Alexander ab Alexandro scribit, quendam suum familiarem, non ambiguæ fidei hominem, amici funus curasse; &, cum inde Romam reverteretur, nocte adveniente in hospitium viæ proximum divertisse, & ibi se animo & corpore fatigatum quieti dedisse. Cumque solus degeret, & adhuc vigilaret, ait repente amici nuper defuncti imaginem summo pallore & macie, ac eo ferme habitu oris, quali illum, cum ægrotaret, dimiserat, ad se accessisse: quem quum fuisset intuitus, & præ timore nec animo nec mente satis constaret, quisnam esset interrogavit. Ille autem cum nihil respondisset, exutis, ut videbatur, vestibus, in eodem, cui ipse incumbebat, lectulo se collocavit, ac prope accessit, quasi eum amplexurus. Alter vero, cum fere jam metu exanimis videretur, ad lectuli spondam secessit, illumque propius accedentem abegit: qui se repulsam pati videns, alterum torvo & minus familiari vul- *Genial. dier. l. 9.* *Spectrum mirum.*

 tu

tu aspectat: resumptisque mox vestibus è lectulo surrexit; & cinctus calceatusque inde abiens, nunquam postea apparuit. Quo timore familiaris ille perculsus, gravi corripitur morbo, ut propemodum interierit. Addebat his, dum in lectulo cum illo luctaretur, se nudum illius pedem usque adeo gelidum contrectasse, ut nulla glacies huic frigori potuerit comparari.

§ 13. Ad hæc, Gordianus amicus meus, spectatæ fidei homo, mihi retulit, quum Aretium cum familiari suo proficisceretur, & ab itinere, ut fit, longe aberrassent per difficilia & devia loca, ubi nihil viderent culti, sed saltem nemora, saltus nivei & inaccessi objicerentur oculis, & ipsa terreret solitudo, vergenteque ad occasum sole, labore fessi consedissent; tandem hominis vocem procul audiri visum est, quam sequuti, in proximo fastigio trium hominum conspiciunt imagines immanes & formidabiles ultra humanum modum, nigris & demissis tunicis, in veste lugubri funestaque, barba capilloque summisso, horribili facie. Qui quum voce gestuque ad se ipsos advocarent, ac jam prope illexissent, ingente interim corporis mole, longe humana majores apparuerunt: atque alius specie non absimili nudus, mirificos edidit saltus, gestusque indecoros. Quo spectaculo consternati fugam hi cepere; viamque arduam & præcipitem emensi, vix rustici demum vile hospitium, ubi diverterent, invenere.

Tres visi dæmones.

§ 14. Idem Alexander ejusdem argumenti historias describit lib. 4. in hæc verba: Nuper amicus meus summus, ingenio & fide singulari, rem dictu admirabilem sibi evenisse narravit, ejus veritatem multorum comprobans testimonio. Se videlicet, cum apud sibi familiarem & conjunctissimum Neapoli diverteret, & nocte intempesta hominis in via clamantis, opemque implorantis vocem audisset, accenso lumine accurrisse, & quid rei esset, inquisivisse. Ibique dæmonem & dirum quoddam numen tetra & horribili specie conspexisse, quod juvenem vociferantem & reluctantem in via infestis manibus invadere nitebatur. Ad hunc prope accedentem miser ille accurrit, vestemque & manum, quam potuit tenacissime, apprehendit; multumque & diu frustra reluctatus, invocato numinis divini auxilio, vix tandem à dæmone se vindicat. Quum vero juvenem animo turbatum in domum recepisset, ut ab ipso dimitteretur, aut pallium relinqueretur, nunquam potuit effici: tantus enim illum invaserat horror, ut mente evicta sui non esset compos,

Genial. dier. c. 19.

De juvene parentibus immorigero, & ab illis execrato, insigne exemplum.

pos,

compos, quum illi perpetuo ob oculos versari videretur illa species. Ubi tandem ad se rediisset, rem omnem, quo pacto habuerat, exposuit. Fuerat autem sceleratæ vitæ, contemptor Dei, & parentibus immorigerus: quos tunc objurgarat, contumeliasque & intoleranda probra in eos congesserat, ut ab illis consecratus diris execrationibus abierit.

§ 15. At ne cui hæc vana fictaque appareant, Thomas monachus homo minime malus, cujus fidem probitatemque in rebus non paucis expertus sum, serio mihi retulit, quum in monasterio & sacris ædibus, sitis in Lucanis montibus, cum pluribus altercatus fuisset, & post multa convicia rixasque animo perturbato solus secessisset per nemora, se speciem hominis vultu tetro, aspectu deformi sævoque, nigra barba, promissis tunicis, obviam habuisse. Qui rogatus, quid solus per devia oberraret loca? respondit, se equum, quo vehi solet, amisisse, & sua opinione in proximos excurrisse campos. Cumque per sinus invios equum una quæsitum pergerent, ad rivulum, in cujus alveo gurgites latebant formidabiles, devenerunt. Quare monachum, calceos exuentem in faciliorem transitum, magnopere urgebat alter, ut in ipsius conscenderet humeros, transferendus ab eo, qui major erat corpore. Ille acquiescens, collumque amplexus alterius vada inquirentis, pedes ipsius non humana, sed tetra & deformi specie contuetur. Qua re animadversa, terrore perculsus, divinam implorat opem: atque evestigio dæmonem & simulachrum illud dirum, audita invocatione divina, murmure querulo & turbine usque adeo valido profugisse asseverat, ut imminentem quercum ingenti colliserit impetu, & infractis ramis radicitus everterit. Se autem consternatum & velut exanimem diu jacuisse: &, nisi prævidisset, diabolum in vortices & voragines fluvioli præaltas ipsum præcipitaturum fuisse, atque interempturum, persuasum habet. *Monacho dæmon apparet.*

§ 16. Sed præ omnibus quæ audiverim aut viderim, res est admiratione digna, quam recenti memoria evenisse Romæ comperimus. Quum apud Gabios quidam infimæ sortis & obscuris natalibus adolescens, furiosus, corruptorum morum & facinorosæ vitæ, parentem objurgasset, conviciisque proscidisset, iis agitatus furiis dæmonem invocat, cui se devoverat; Romamque meditatur, ut gravius aliquod flagitium in patrem moliretur. In itinere dæmonem facie hominis truculenta, sordida barba & capillo, vesteque obsoleta & squalida obviam habuit: qui comitatus, tristitiæ & anxieta-

tis caussam ex juvene percunctatur. Hic, sibi quid altercationis fuisse cum patre, & scelus aliquod jam animo constituisse, respondit. Cui dæmon, sibi eandem obvenisse sortem ait, pergendumque ut suas simul ulciscantur injurias. Cumque nocte appetente ad urbem pervenissent, in proximo diverterunt hospitio, unaque incubuerant. Juvenis vero somno oppressi jugulo manus injicit pestilens ille comes: quod jam infregisset, nisi alter expergefactus Deo supplicasset. Unde furiam illam teterrimam tanta vi stridula & impetu cubiculum dicitur exeundo collisisse, ut tigna & tectum diruerit, tegulasque penitus perfregerit. Hoc spectaculo perterritum, & fere mortuum adolescentem vitiositatis & anteactæ vitæ poenituit: Qui alio afflatus spiritu perosus scelera, boni exempli vitam procul à populari tumultu egit. Hæc Alexander.

A dæmonio exagitatus juvenis parentibus immorigerus, resipiscit.

§ 17. Mercurius Alexandriæ Abbas nocte præventus, ethnicum forte sepulchrum subiit cippo submoto, ut in eo somnum caperet. Ubi vocem audire imaginatus est ex iis ossibus redditam, quibus dormiens incumbebat: Venirem, si possem: sed premor pondere super me cubantis. Tum ille: Exi, inquit, & abi, si potes: ego hic, te vel nolente, pernoctabo.

Alia Larva Dæmoniaca.

CAP. XVI.

FACTAM olim Hectoris & Achillis fuisse mentionem in aula Imper. Maximiliani primi narratur. Qui ubi à quodam isti consiliario vehementius laudarentur tanquam viri robore & fortitudine præstantes, se optare eorum effigies & magnitudinem contueri, ait Imperator. Erat iisdem forte diebus in aula magus infamis, se id tuto præstare posse jactans. Quo cognito, ab Imperatore accitur, suæque artis specimen edere jubetur. Se id quidem facturum citra læsionem respondit, si modo tantisper, dum hi viri apparerent, sileretur. Fide taciturnitatis & præmii accepta, in circulo ingenti cum solio regio collocat Imperatorem magus, inde quædam ex libello submurmurat; protinusque ostium eo modo pulsat Hector, ut universa contremisceret domus: eoque aperto, ingreditur sua panoplia instructus, longe splendentem in manu hastam gestans ferream, oculisque flammeis terribilis. Statura superabat quoscunque grandes nostri seculi viros. Postea simili corporis majestate apparuit Achilles,

vultu torvo Hectorem intuitus, crebroque hastam ferream, quasi Hectorem invasurus, vibrans. Et quum delato Cęsari honore, ter hunc eundo & redeundo præteriissent, mox evanuere. Hos insequutus est larvatus vates David, corona & magnificentia regia insignitus, citharamque portans, atque erat hujus, quam priorum duorum, plausibilior vultus. Hic quoque suo incessu ter Maximilianum in regia cathedra sedentem citra ullius honoris delationem præteriit, indeque disparuit. Rogatus ab Imperatore magus, cur honorem denegasset David? respondit, cuncta regna à Davidis regno vinci, & Christum æterni Dei filium ex Davidis stemmate ortum esse.

§ 2. Tibicen quidam Hammelæ Brunswicorum ad eliciendos glires conductus, sequenti rependit facinore ingratitudinem, cum illi ex pacto non satisfieret. Anno siquidem MCC LXXXIV. die XXVI Junii, hunc tibicinem, Omnicolorem nuncupatum ob vestis varietatem, centum & triginta pueri per plateam inde nomen, ut audies, sortitam, non procul extra civitatem usque ad Calvariæ locum sub Koppen nuncupatum, ad viam communem Boream versus situm, sequuti periere, nec unquam postea apparuere. Hæc ita in annalibus conscripta, Hammelæ in archivis religiose custodiuntur. Leguntur & in libris templi sacris, atque in ejusdem vitris picta conspiciuntur: cujus rei oculatus equidem testis sum. Vetustior præterea Magistratus in historiæ hujus confirmationem suis codicillis publicis inscribere solet conjunctim, Anno Christi, &c. & exitus puerorum anno, &c. Observatur vero in hunc usque diem ad perpetuam rei gestæ memoriam, quod tympani sonitus nunquam in eadem admittatur platea, per quam egressi pueri, si forte isthinc aliqua educatur sponsa, donec ex illa exierit: nec etiam choreæ in eadem ducuntur. Hinc & nomen consequuta est platea, Bungelosestrass. Mane post septimam horam contigisse hoc fertur, & fuisse in puerorum numero consulis filiam jam plenis nubilem annis, quæ simul evanuit. Puer vero quidam nonnihil sequutus, nec dum vestitus, volens suas adferre vestes, rediit domum: interea autem evanuere omnes in exigua fovea colliculi, quæ mihi ostensa est. En diabolum tibicinem sanguinarium.

Omnicolor dæmon tibicen Hammela.

§ 3. Sunt item, qui referunt, episcopum quendam die in solitudine vidisse Benedictum VIII. pontificem 151. post mortem equo nigro insidentem: eumque interrogasse, quid causæ esset, cur mortuus equo nigro veheretur? tum Benedictum hominem rogasse, ut pe-

Platina de vitis Pontif. Benedictus octavus pontifex equo nigro post mortem vectus.

ut pecunias, quas occultaverat (locum indicat) pauperibus suo nomine erogaret: quæ antea datæ fuerant eleemosynarum nomine, nihil ei profuisse, quia ex rapinis partas constabat. Facit mandata episcopus: & statim episcopatu se abdicat, monasticam amplexus vitam.

Nauder. 1. generat. 35. Benedictus nonus.

§ 4. Legitur etiam, pontificem Benedictum IX. anno 1056. à diabolo in sylva jugulatum fuisse, visumque postea ab eremita horribilem hirsutumque velut ursum capite asinino. Rogatus metamorphoseos hujus causam, respondit: se talem apparere, qualis vixisset.

Sev. Sulpitius in vita Martini lib. 1. item in vita Clementis.

§ 5. In vitis patrum quoque, ut D. Martini, Antonii, Eulogii, atque aliorum, exempla extant non pauca. Inter alia legitur; monachum quendam ἀναχωρίτην, habuisse patrem non procul degentem qui filium invisurus, securim comportabat, qua in reditu ligna domum conferenda cæderet: quare dæmon in angeli specie huic apparuit monacho, diabolum in patris forma cum securi adventare, ut eum jugulet, nuncians, affirmansque se ea causa prævenire admonitum eremitam, ut is Satanæ conatus præverteret, prius illum occidens, quam ab eo interficeretur. Itaque ratus patrem accedentem salutantemque esse diabolum, confestim illum interemit, & vicissim monachum dæmon evestigio strangulat. Fabula esse videtur: si tamen vera sit historia, diabolum spiritum non alio convinci oportuisse gladio, quam spirituali, ignoravit monachus.

§ 6. Eadem fide scribitur D. Bernardo occurrisse dæmonem, qui jactabat se versiculos septem in Psalmis Davidicis scire, quos qui recitasset quotidie, non posset non in cœlum pervenire. Instabat Bernardus, ut indicaret, quinam essent. Quumque ille recusaret, Nihil agis, inquit Bernardus, quandoquidem singulis diebus totum evolvam Psalterium, in quo tui quoque septem versus insint, necesse est. At dæmon veritus, ne tanti boni dedisset occasionem, maluit suos versiculos indicare. Atque hoc tantum bonum, cui simile in Evangelio non legitur, cacodæmoni acceptum ferunt plerique.

Erasm. l. 22. epist. penult.

§ 7. Addam non injucundum larvatarum animarum spectaculum. Quidam parochus sub diem Parasceves clam immisit in cœmiterium vivos cancros, affixis ad latus cereolis ardentibus. Qui cum reperent inter sepulchra, visum est noctu terribile spectaculum, nec quisquam ausus est accedere propius. Hinc rumor atrox. Consternatis omnibus, parochus è suggestu docet populum, has

has esse defunctorum animas, quæ Missis & eleemosynis flagitarent à cruciatu liberari. Fucus ita proditus est, reperti sunt tandem unus & alter cancer inter rudera facem extinctam gestantes, quos parochus non recollegerat. Id genus similia, & alia tum vetera tum recentia terriculamentorum ludibriorumque diabolicorum testimonia, possem recensere multa: at quum ea infinita multifariaque sint, & cuivis obvia, cognitaque, iis longiori enarratione immorari, supervacaneum existimo: potissimum, quoniam multiplicem ejus argumenti historiam, commodiori occasione sequentes suppeditabunt libri.

§ 8. Non tamen erat prætereundum, huc obiter apparitionum & figmentorum satanicorum ingentia posse convehi plaustra ex libro Conformitatum, ob conformitatem B. Francisci cum vita Domini nostri JESU Christi, sic inscripto à fratre Bartholomæo Pisano, approbatoque à fratre Heinrico ordinis fratrum Minorum generali ministro, anno 1389. 2. Augusti, ac impresso Mediolani apud templum sancti Satyri anno 1510. finitoque die 10. April. Hic Alcoranus Franciscanorum alicubi nuncupatur. In eo legitur, dæmonem per mulierem Ravennatem nomine Zantesem, confessum fuisse cuidam Iacobo presbytero Bononiensi, Franciscum occupare Luciferi cathedram: eundem quoque Jesu Christi esse vexilliferum, atque ea ratione Regi proximum, nec ullum ecclesiasticum ordinem esse Christo viciniorem cœtu Franciscanorum, & Franciscum gloriose latus Regis regum claudere: sedere item supra omnes cœli sanctos, excepta Dei matre, S. Joanne baptista, & Joanne Evangelista, & Apostolis.

Conformitatum liber.

Franciscus Luciferi successor, & Christi vexillifer.

§ 9. Mirum est cognovisse Satanam, Franciscum in ejus successisse locum, & illum in cœlis servari ordinem, quum à lapsu revocare eò gradum nequiverit. At id ipsum visione observasse Rudolphum episcopum Erfurtensem, factum eo nomine monachum gregis Franciscani: duos item cives Venetos hoc vidisse scilicet, velut & fratrem Pacificum ecstasi in cœlos raptum, alibi in eodem veritatis opere narratur.

2. Pet. 2. Visionis author manifestus. Rudolphus episc. Erfurtensis.

§ 10. Legenda item antiqua asseverat, monachum expulisse dæmonem, qui de Francisci sanctitate rogatus, respondit: nato Francisco, mox metu tanto fuisse perculsum universum illud dæmonum collegium, tamque graves turbas motas, ut extremum adesse diem fuerint veriti. Quum vero hic se falsos viderent, inter sese dicebant,

puerum certè natum esse, qui averno graviter turbato, horrenda ipsos clade afficeret. Quare Beelzebub princeps evestigio in omnem terram suos ablegat investigatum, ubinam locorum hic puer mundo apparuisset. Tandem intellexere, Franciscum esse hunc, quem nimis coarctaturum Tartara, habuerunt persuasissimum. Quocirca, ut è medio tolleretur, infanti insidiabantur: sed frustra. Angelus enim Domini in peregrini forma venit ad Francisci matrem, domusque famulam, præmonitum, ut ob diaboli insidias singularis haberetur pueri ratio. Quare dæmones indignanter dixere: Esto, si Franciscus tolli nequit, ejus tamen ordinem persequemur, vexabimus & affligemus.

§ 11. Alibi adhæc in dicto volumine scribitur, Satanam ex obsessa fœmina fassum esse, cum Christus Deum patrem festinare videret ob populi peccata ad extremam mundi punitionem finemque, eum rogasse patrem, ut Franciscum sibi adjungeret, in portanda cruce manus auxiliatrices subministraturum. Inde in Francisco apparuere quinque vulnerum stigmata, à Christo illi, ut suo coadjutori & in omnibus ipsi simili impressa. Sed, ne ultra clepsydram in hac narratione morer, manum de tabula.

Monachos mentiti Dæmones à Georgio Sabino carmine depicti, Eleg. III. Similes item à Melanchthone ejusdem socero detecti.

CAP. XVII.

Urbs antiqua jacet celebri contermina Rheno,
Vangionum longe non ea distat humo:
Nescio qui Nemetes hanc incoluisse feruntur,
Sunt ubi Francorum busta quaterna Ducum.
Cæsareis sedes fuit illa cohortibus olim,
Nomen ob id Graium Spira vocata tenet.
Hic humili modicis à stirpe cohortibus olim
Exiguæ quidam navita puppis erat:
Qui calamo pisces linoque madente solebat
Fallere, jam radios sole tegente suos.
Is dum forte leves hamos ac retia tractat,
Non procul à ripa lubrice Rhene tua:
Ecce per obscuræ tenebrosa crepuscula noctis

Obtulit

Obtulit ignoti se nova forma viri.
Atro tectus erat monachum simulante cucullo,
Utque solent raso vertice tonsus erat:
Nauta propinquanti, consueto more salutans,
Ecquid agis seræ tempore noctis? ait.
Ille sub hæc: Adsum longinquis missus ab oris
Nuncius, ipse tua me rogo lintre vehas;
Ut cito transmisso contingam flumine ripam.
Dixerat. assumptum navita lintre tulit.
Jamque fere medios cursus nox atra tenebat,
Flexaque lenta pigri plaustra Bootis erant:
Cum procul in viridi venientes margine ripæ,
Quinque cuculligeros rursus adesse videt,
Exoptatque illis piscator, ut ante, salutem,
Quoque velint media pergere nocte rogat.
E *quibus unus* ait: Nos magna pericula cogunt,
Obscura tutas carpere nocte vias.
Omnibus invisi sumus, intentatque nefandam
Sacrificis nobis turba profana necem.
At te si quis amor tangit, si cura piorum,
Transvehe navigio corpora nostra tuo:
Ut tumidas lati superemus fluminis undas,
Neve moraturis impediamur aquis:
Sic optata tuis fortuna laboribus adsit,
In tua sic multus retia piscis eat.
Annuit, & remo propellens navita Cymbam,
Mox jubet adducta scandere puppe ratem.
Sed *mihi quis*, dixit, solvet mercede laborem?
Alter ad hæc: Nullas scis quod habemus opes:
Raraque percipimus discordi munera vulgo:
Non tamen ingratos nos habiturus eris:
Si nos in solido rursus fortuna locabit,
Præmia pro tali digna labore feres.
Solverat extremo piscator margine navem,
Jamque fere medias illa secabat aquas:
Sidereas removent subeuntia nubila stellas,
Præcipiti fertur puppis & icta noto:
Incipiunt *nigris* horrescere fluctibus undæ,

Sævaque tempestas imbribus orta furit.
Ipse repentino fassus pallore timorem
Nauta, Quid hæc, inquit, vult nova causa mali?
Nulla tamen pluviæ venturæ signa notabam,
Sol ubi flagrantes æquore mersit equos:
Nulla lacus usquam circumvolitabat hirundo,
Ulla nec est oculis ardea visa meis:
Tum nec Luna nigro surgebat pallida vultu,
Clarus & occiduo lumine Phœbus erat.
Talia jactanti, disturbant verba procellæ,
Impediuntque graves ora loquentis aquæ:
Pene procellosi subversaque turbinis ictu
Navis, & insanis fluctibus hausta fuit:
Ardua sublatas tendens ad sidera palmas,
A superis orans navita poscit opem.
Quid facis? è monachis ait unus, &, improbe, dixit,
Desine voce tua sollicitare Deum.
Mox gravi tollens immanem pondere contum,
Nauta parum felix quo prius usus erat:
Illius hoc humeros pulsataque terga fatigat,
Cæsus ad extremam dum fuit usque necem.
Proditus est tandem perversi dæmonis astus,
Detectusque fuit fraude patente dolus.
Vana recesserunt in inanes corpora ventos,
Mansit & ingratus nave relictus odor.
Mox quoque purgato fugerunt nubila cœlo,
Et rediit pulsis aura serena notis.
Territus hoc monstro gelidum sine sanguine corpus
Tollit, & ad ripam navita puppe redit.
Isthic in viridi procumbit languidus herba,
Donec ab Eoïs sol fuit ortus aquis.
Mane sub Oceanum pulsis Hyperione stellis
Ducitur à puero prætereunte domum:
Omnia commemorans præsentibus æger amicis,
Clausit adhuc illo fata suprema die.
Postera quum croceis fulgens aurora quadrigis
Protulerat roseas ore nitente genas.
Accidit & similis diverso tempore casus;

Acta sed eventu res meliore fuit.
Summa procul radiis feriente cacumina Phœbo,
Carpebat solus mane viator iter.
Qui Nemetum postquam digressus finibus esset,
Primus ubi positus distat ab urbe lapis:
Adventare nigro tectum velamine currum
Conspicit, hic monachis currus onustus erat:
Ordine quem juncti septem traxere jugales,
Quarta sed ablato defuit axe rota:
Qui manu flexas auriga tenebat habenas,
Terribili naso conspiciendus erat.
Attonitus curru stat prætereunte viator,
Nec monachos illos, spectra sed esse videt.
Evolat extemplo sublatus ad æthera currus,
Mistaque cum fumo flamma sequuta fuit.
Tristis & infaustum belli mortalibus omen
Horrida per nubes arma dedere sonum.
Ille statim rediens, quæ viderat indicat urbi:
Est ea res certa cognita vera fide.
Hæc igitur vobis, alius quos sustinet orbis,
Carminibus duxi significanda meis.
Expositurus eram, si res interprete egeret,
Spectra quid infesti dæmonis ista velint.
Effera Germanos agitat discordia reges,
Proque cucculligeris impia bella parant.
Hæc ea tempestas, hic impar ordo rotarum,
Hæc & cum fumo lucida flamma fuit.
Sed Deus est nobis orandus ut arma quiescant,
Ille precaturis mitia fata dabit.

§ 3. Narravit item alias doctissimus Melanchthon, se habuisse amitam: quæ ubi mortuo marito assideret foco tristior, en domum ingrediuntur duo: quorum hic in mariti specie, se maritum esse mulieris defunctum dicebat: alter longus Franciscani monachi formam induerat. Hic maritus ad focum accedens, mœstam salutat uxorem, eamque sine metu esse jubet, asseritque se venisse, ut quædam ei mandaret. Hinc longum monachum tantisper in hypocaustum secedere vult. Inde sermonem exorsus, sacrificulos tandem conduci, qui missas recitent, maximopere orat, obsecrat & obte-

obte-

tis causam ex juvene percunctatur. Hic, sibi quid altercationis fuisse cum patre, & scelus aliquod jam animo constituisse, respondit. Cui dæmon, sibi eandem obvenisse sortem ait, pergendumque ut suas simul ulciscantur injurias. Cumque nocte appetente ad urbem pervenissent, in proximo diverterunt hospitio, unaque incubuerant. Juvenis vero somno oppressi jugulo manus injicit pestilens ille comes: quod jam infregisset, nisi alter expergefactus Deo supplicasset. Unde furiam illam teterrimam tanta vi stridula & impetu cubiculum dicitur exeundo collisisse, ut tigna & tectum diruerit, tegulasque penitus persegerit. Hoc spectaculo perterritum, & fere mortuum adolescentem vitiositatis & anteactæ vitæ poenituit: Qui alio afflatus spiritu perosus scelera, boni exempli vitam procul à populari tumultu egit. Hæc Alexander.

A dæmonio exagitatus juvenis parentibus immorigerus, resipiscit.

§ 17. Mercurius Alexandriæ Abbas nocte præventus, ethnicum forte sepulchrum subiit cippo submoto, ut in eo somnum caperet. Ubi vocem audire imaginatus est ex iis ossibus redditam, quibus dormiens incumbebat: Venirem, si possem: sed premor pondere super me cubantis. Tum ille: Exi, inquit, & abi, si potes: ego hic, te vel nolente, pernoctabo.

Alia Larva Dæmoniaca.

CAP. XVI.

FACTAM olim Hectoris & Achillis fuisse mentionem in aula Imper. Maximiliani primi narratur. Qui ubi à quodam isti consiliario vehementius laudarentur tanquam viri robore & fortitudine præstantes, se optare eorum effigies & magnitudinem contueri, ait Imperator. Erat iisdem forte diebus in aula magus insignis, se id tuto præstare posse jactans. Quo cognito, ab Imperatore accitur, suæque artis specimen edere jubetur. Se id quidem facturum citra læsionem respondit, si modo tantisper, dum hi viri apparerent, sileretur. Fide taciturnitatis & præmii accepta, in circulo ingenti cum solio regio collocat Imperatorem magus, inde quædam ex libello submurmurat; protinusque ostium eo modo pulsat Hector, ut universa contremisceret domus: eoque aperto, ingreditur sua panoplia instructus, longe splendentem in manu hastam gestans ferream, oculisque flammeis terribilis. Statura superabat quoscunque grandes nostri seculi viros. Postea simili corporis majestate apparuit Achilles,

vultu torvo Hectorem intuitus, crebroque hastam ferream, quasi Hectorem invasurus, vibrans. Et quum delato Cęsari honore, ter hunc eundo & redeundo præteriissent, mox evanuere. Hos insequutus est larvatus vates David, corona & magnificentia regia insignitus, citharamque portans, atque erat hujus, quam priorum duorum, plausibilior vultus. Hic quoque suo incessu ter Maximilianum in regia cathedra sedentem citra ullius honoris delationem præteriit, indeque disparuit. Rogatus ab Imperatore magus, cur honorem denegasset David? respondit, cuncta regna à Davidis regno vinci, & Christum æterni Dei filium ex Davidis stemmate ortum esse.

§ 2. Tibicen quidam Hammelæ Brunsvicorum ad eliciendos glires conductus, sequenti rependit facinore ingratitudinem, cum illi ex pacto non satisfieret. Anno siquidem MCC LXXXIV. die XXVI Junii, hunc tibicinem, Omnicolorem nuncupatum ob vestis varietatem, centum & triginta pueri per plateam inde nomen, ut audies, sortitam, non procul extra civitatem usque ad Calvariæ locum sub Koppen nuncupatum, ad viam communem Boream versus situm, sequuti periere, nec unquam postea apparuere. Hæc ita in annalibus conscripta, Hammelæ in archivis religiose custodiuntur. Leguntur & in libris templi sacris, atque in ejusdem vitris picta conspiciuntur: cujus rei oculatus equidem testis sum. Vetustior præterea Magistratus in historiæ hujus confirmationem suis codicillis publicis inscribere solet conjunctim, Anno Christi, &c. & exitus puerorum anno, &c. Observatur vero in hunc usque diem ad perpetuam rei gestæ memoriam, quod tympani sonitus nunquam in eadem admittatur platea, per quam egressi pueri, si forte isthinc aliqua educitur sponsa, donec ex illa exierit: nec etiam choreæ in eadem ducuntur. Hinc & nomen consequuta est platea, Bungelosestraß. Mane post septimam horam contigisse hoc fertur, & fuisse in puerorum numero consulis filiam jam plenis nubilem annis, quæ simul evanuit. Puer vero quidam nonnihil sequutus, nec dum vestitus, volens suas adferre vestes, rediit domum: interea autem evanuere omnes in exigua fovea colliculi, quæ mihi ostensa est. En diabolum tibicinem sanguinarium.

Omnicolor dæmon tibicen Hammelæ.

§ 3. Sunt item, qui referunt, episcopum quendam die in solitudine vidisse Benedictum VIII. pontificem I 5 I. post mortem equo nigro insidentem: eumque interrogasse, quid causæ esset, cur mortuus equo nigro veheretur? tum Benedictum hominem rogasse, ut pe-

Platina de vitis Pontif.

Benedictus octavus pontifex equo nigro post mortem vectus.

& Fesulis C. Perpenna, M. Perpenna Coss. ex ancilla. Nos enim in medicis nostris observationibus raris neque novum hoc esse docuimus, ut puer nascatur sine foramine naturæ, quod excrementum aut humorem aut aliud transmittat, neque ratione naturali, neque remedio carere. Ut nec illud, quod fœmina mutetur in marem, quod infra lib. IV. cap. 24. pluribus explicabo: licet dæmoniacum esse forte putent plerique. Huc quoque facit lib. IV. 16.

Lib. de Incant.

Miracula manuum dexteritate à circulatorib. edi videntur.

§ 6. Quamplurima insuper imperitioribus visa miracula, manuum expedita agilitate & industria quotidie ab histrionibus & joculatoribus fieri videmus, miramurque. Narrat Pomponatius, se Mantuæ & Patavii quendam ejus generis hominem Reatium nuncupatum vidisse, qui incredibilia operabatur, eaque dæmonum arte perfici, vulgo credebantur. Quare ab hæreticæ pravitatis inquisitoribus subditus quæstionibus, bona fide occulto ostendit fraudulentas esse suas actiones, merasque manuum agilitates, & à multis, secreta intelligentia colludentibus, peragi. Proinde dimissus, interimitur tandem à quodam, quem deceperat.

Turca circulator.

§ 7. Turca quidam passim per Italiæ urbes oberrans, inter cætera miranda, quæ videnda populo exhibebat, manuum dexteritate peracta opera, pistillum ferreum prægrandem pugni illisione, item sola manuum contorsione infringere videbatur.

§ 8. Quidam circulatoriæ artis non imperitus, mihi alias fassus est, in ejusmodi miraculorum exhibitione fucum ab his joculatoribus foveri, quod prius idonea ad ejusmodi spectaculum appararint organa: quæ manuum celeritate, dum spectatorum oculos sermone vario in se defixos sevocant deluduntque, multipliciter variant.

Insignis impostura circulatorum.

§ 9. Insignem hujus factionis hominum imposturam jocularem recenset Julius Scaliger, usi & Matthiolus. In vinum radicis cujusdam pulverem, cujus gustatu fauces convelluntur, immiscent: &, cui fucum facere volunt, jubent, ut in hoc vino intinctum digitum, quasi prægustandi causa, sugat: Tum ilico digitum in vino madidum in os inditum, sibi mordicus non sine dolore & clamore premit invitus. Interea perinde atque blanditiis mœrentem consolatur circulator, temporum carpique arterias alio quopiam oblinit medicamento: deinde nummum in terram projectum ut tollat, hortatur. Ibi ille pronus, primum sese nequit attollere: mox, unguinis vi amens factus, concidit: statimque ejus more qui metuit ne mergatur in aqua, natat, ac vociferatur simul se fluctibus obrui. Ergo à cir-

à circulatore erigitur: deinde quasi se vindicaturus, primum maleficium obliquo & torvo vultu exprobrare, mox hominem aggredi videtur: postremo fugientem circulatorem persequi, donec absterso tandem illiti medicamenti veneno, ad sese redeat. Menti autem restitutus, quasi qui evaserit è mari naufragus, capillum vestimentaque veluti vela torquere exprimereque, brachia tergere, & nares emungere conspicitur. Hæc non sunt fabulæ. Non enim multorum desunt testimonia, qui viderunt, quique imposturam suspicantes, suis & amicorum famulis (quod Pragæ contigit) hæc fieri jusserunt.

§ 10. Funambulorum præterea, sive schœnobaton, gressus æquilibres vel æquati ad libram, aut ponderibus utrinque librati, naturæ miracula augere solent. Fuit talis superioribus annis per omnem Italiam satis notus, Venetianello cognominatus, eo quod & Venetus natus, & parvæ staturæ esset. Is non solum in eo negocio tantæ dexteritatis & peritiæ fuit, ut modo sacco insutus, liberis tamen manibus, quibus æquilibrium dirigebat, modo unicuique pedi pelve rotundissima supposita, modo pilis magnitudinis ovi durissimis ac rotundissimis plantæ pedum subligatis, funi à palatii Bononiensis turri per medium forum ad cacumen domus alligato liberrime ingrederetur: sed ejus etiam roboris ac firmitatis, ut posset ossa crassissima crurave boum in genu illisa confringere: tres clavos ferreos, crassos, ut digitus auricularis, manibus sudario involutis contorquere simul velut igne maceratos: trabem longum viginti pedes & amplius, crassum vero pedem unum, humeris impositum aliquandiu erectum sine manuum ope gestare, ex unaque scapula in alteram trajicere. Vidit & retulit hæc mihi filius meus Theodorus jureconsultus, omnium prædictorum oculatus cum aliis compluribus testis.

Funambuli.

Venetianello.

In animalibus quædam artificialia quandoque videri dæmoniaca.

CAP. XIX.

QUID? in ipsis animalibus brutis quæ non miracula tum arte tum exercitatione sagacitas humana excitat ac edit revera? In suburbio Memphis apud Ægyptios Beb Elloch nominato, cum ejusmodi multa quotidie vulgo repræsententur, tum plerumque histrionum quispiam, ubi nonnihil præsultaverit, ad asinum conversus

Miracula in brutis.

Joan Leo in Afric. descript. lib. 8.

versus alta voce Sultanum magni operis ædificium meditari ait, proinde opus ei fore omnibus Alcairi (sic enim nunc Memphis vocatur) asinis ad calcem, lapides, & alia id genus deferenda. Tum asinus repente in solum prolapsus, pedes in aërem attollit, ventrem turgefacit, atque oculos non secus claudit, quam si exanimis esset. Interim astantibus histrio asini casum conqueritur, obnixe rogans ut ad alium emendum sibi subsidium impertiant. Coacta viritim qua potest pecunia: Ne existimetis, inquit, asinum mortuum. Helluo enim paupertatis domini sui conscius, hoc de industria confingit, ut munusculis illi collatis, pabulum sibi emere queat. Deinde ad asinum conversus, ut e vestigio resurgat, monet. At ille dum se non dimovet loco, frequenti fustuario cæditur. Quo nec excitato, fabulam repetit histrio, & iterum ad plebem inquit: Scitote Sultanum edictum tulisse, ut cras populus omnis spectandi triumphi causa civitatem exeat, ac omnes fœminæ venustæ & nobiles pulcherrimis asinis inequitent, iisque vicissim avenam & præstantem aquam Nili præbeant. Vix hæc verba absolvit histrio, quin asinus in pedes erectus, prosiliat fremens, ac ut lætabundus exiliens. Tum fabulam prosequens histrio: Vidi, inquit, nostri Præfectus à me commodato petiit elegantem hunc meum asinum pro deformi & vetula sua uxore. Ad hæc verba asinus veluti dolens, auriculas complicat, & altero pede claudicans luxatum se fingit. Tum histrio: Tibi itaque arrident juvenculæ? Asinus caput inclinans, annuere videtur. Age igitur, hic plurimæ sunt juvenculæ, indica, quæ tibi præ cæteris placeant. Asinus spectatorum coronam conspiciens, fœminam honestiorem seligit, ad eam procedit; & capite contingit. Spectatores multo risu & clamore: Heus, inquiunt, asini mulier.

Asini mira docilitas.

Joan. Leo African. Histor. lib. 9 Cameli saltatio.

§ 2. Sunt & qui camelos ad certos modos saltare docent. Camelum juvenculum per semihoram in loco instar hypocausti præparato, cujus pavimentum igne calefactum sit, constituunt. Tum pulsante quodam foris tympano, camelus non ad sonum, sed ob ignem subjectum, quo pedibus offenditur, modo crus unum, modo alterum, veluti saltatores, erigit: Cui exercitio per annum vel menses decem assuetus, in publicum deductus, audito tympano, temporis quo calorem sub pedibus sentiit reminiscens, confestim saltat: ac supra idem pavimentum consistere se existimans, pedibus alternatim reductis saltare videtur: atque ex usu naturam formans, id perpetuo observat.

§ 3. Ma-

§ 3. Mahometus, ex disciplina præceptoris sui Sergii monachi, columbam assuefecerat, ut in aure sua pasceretur, quam Spiritum sanctum impostor simulabat, & eam sibi secreta Dei consilia nunciare jactabat, quoties ob pabulum ad aures advolaret. Hoc impia plebs non animadvertebat, delusa scilicet à dæmone, cujus intererat his fundamentis exædificari sectam infandam. Columbam autem illam, quæ S. Athanasii per urbem euntis aures prætervolabat, statim hæretici & Ariani schismatici sic accipiebant, ac si magus esset sanctissimus Athanasius, instinctu profecto ejusdem artificis, quo suspectam ejus doctrinam redderet. *Columba Mahometi.*

§ 4. Cæterum, ut gentem suam ventri somnoque deditam homo subdolus Mahometus porro magis falleret, taurum quendam nutrivit, qui pabulum ex solius Mahometi manibus capere consuevit. Huic intra cornua librum impiissimum à se conscriptum, Alcorani titulo, colligavit, & astante simplici plebe altiori voce in abdito quodam loco latentem evocavit. Cumque multa de legibus declamasset, erumpens subito taurus, multis ab eo prostratis volumen per mediam plebem in manus Mahometi deponit, veluti cœlitus missum munus. Quod nebulo reverenter accipiens, quædam ex iis populo mox explanavit. Hoc commento se regem, Sergium prophetam fecit. Columba enim literis aureis schedam sic inscriptam attulit in collo suo: Quicunque tauro jugum imponet, rex esto. Sergio jugum adferente, Mahometus id tauro facile imposuit: & ut rex à plebe divino munere datus salutatur. Ita Alcoranus sacrum volumen esse creditur. Adeo hæc omnia divina putabantur. *Taurus Mahometicus.*

De diaboli machinationibus & earum fine pauca Patrum sententia, & quarundam index: ac quare dæmones hominibus adversarios constituerit Deus.

CAP. XX.

Ut porro latius dæmonum innotescant studia, citiusque finiam, adhuc paucas huc spectantes, nec ad nostram institutionem inidoneas Patrum sententias obiter annectere placuit.

§ 2. Amare, docet D. Clemens, immundos spiritus inhærere corporibus hominum, ut ipsorum ministerio cupiditates suas expleant: & ad ea, quæ ipsi desiderant, inclinantes animæ motus, *Li. 2. Recog. Cur hominum corporibus se immergere cupiant dæmones.*

suis eos parêre libidinibus cogant, ut efficiantur ex integro vasa dæmonum.

§ 3. Et lib. 4. Dæmones habere desiderium immergendi se corporibus hominum, hæc causa est: Spiritus sunt, habentes propositum conversum ad malitiam. Per cibos ergo & potus immoderatos ac libidinem, perurgent homines ad peccatum; eos tamen, qui peccandi propositum gerunt. Qui dum videntur naturæ necessaria velle complere, non tenentes modum per luxum, ingrediendi in semetipsos dæmonibus faciunt locum. Donec autem naturæ mensura servatur, & modus legitimus custoditur, Dei clementia ingrediendi in homines facultatem eis non tribuit. Ubi vero aut mens ad impietatem declinaverit, aut corpus immoderatis cibis & potibus adimplebitur, tanquam voluntate & proposito eorum, qui se ita negligunt, invitati, quasi adversum eos qui à Deo positam legem solverint, accipiunt potestatem.

Quomodo in corpora ingrediendi locus detur dæmonibus. August. super homil. 3.

§ 4. Et post: Dæmones quantum viderint fidem in homine crescere, tantum ab eo refugiunt. Si tamen in aliqua infidelitatis parte resederint, cum tempus invenient, cogitationes subjiciunt cordibus hominum: & illi nescientes, unde hæc veniant, suggestionibus dæmonum, quasi animæ suæ sensibus, credunt. Suggerunt ergo aliis, occasione corporeæ necessitatis, delicias sequi: aliorum iracundiam excusant per abundantiam fellis; aliorum insaniam nigri fellis vehementia colorant; sed & stultitiam quorundam ob phlegmatis multitudinem extenuant. Quod etsi ita esset, tamen hæc singula molesta esse corpori non possent, nisi ex ciborum potuumque redundantia. Qui cum justo amplius sumuntur, abundantia eorum, quam decoquere naturalis non sufficit calor, crudescit in venenum quoddam. Idque in visceribus venisque omnibus sentinæ in modum redundans, motus corporis insanos reddit, & turpes.

§ 5. Cyprianus in serm. 2. de Zelo & livore: Circuit ille nos singulos, & tanquam hostis clausos obsidens muros explorat & tentat, an sit aliqua pars membrorum minus stabilis & minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, ut sonus dulciori auditu solvat & molliat Christiani vigorem. Linguam ad convicium provocat, manus injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat. Ut fraudatorem faciat

lucra

lucra opponit injusta? Ut animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia; honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat: ostendit falsa, ut vera subripiat. Et quum latenter non potest fallere, exerte & aperte minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos inquietus semper, & semper infestus, in pace subdolus, in persecutione violentus.

§ 6. Idem lib. I. epist. 8. Vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax semper & memdax, mentitur, ut fallat; blanditur, ut noceat: bona promittit, ut malum tribuat: vitam pollicetur, ut perimat. Lucent nunc quoque verba ejus, & venena manifesta sunt. Pacem pollicetur, ne perveniri possit ad pacem. Salutem promittit, ne, cui promittit, veniat ad salutem. Ecclesiam spondet, quum id agat, ut, qui illi credit, in totum ab Ecclesia pereat. In tract. de Idolorum vanitate, ubi de Romanorum diis & de dæmone Socratis quoque agitur, hæc leguntur: Spiritus insinceri & vagi, qui postea quam terrenis vitiis immersi sunt, & à vigore cœlesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & depravati errorem pravitatis infundere.

§ 7. Docet Augustinus, De doct. Christ. II. 24. illos spiritus, qui decipere volunt, talia procurare cuique, qualibus irretitum eum per suspiciones & consensiones ejus videant. Recte itaque Lactantius: Illicita, inquit, desideria immittit dæmon, ut aliena contaminent, quibus habere propria sine delicto licet. Objicit quippe oculis irritabiles formas, suggeritque fomenta, & vitiis pabulum subministrat: tum intimis visceribus stimulos omnes conturbat ac commovet, & naturalem illum incitat atque inflammat ardorem, donec irretitum hominem implicatumque decipiat.

§ 8. Eadem sensit & prodidit Athenagoras philosophus Christanus: ὅταν ὁ δαίμων ἀνδρὶ πορσαίνῃ κακὰ, τ̓ νοῦν ἔβλαψε πρῶτον; Si quando dæmon cuipiam comparet mala, mentem labefactat prius. Tatianus scriptum reliquit ad Gentes in Apologetico: δαίμονες οἱ πολλὴν κακίαν ἐξοκείλαντες, τὰς μεμυημένων παρ᾽ ὑμῖν ψυχὰς διὰ ἀγνοιῶν καὶ φαντασιῶν ἐξηπατήσαν. Dæmones, ait, in multum scelus prolapsi, animas apud nos initiatorum per inscitias & apparentias deceperunt.

§ 9. Proinde voluit Deus (authore Lactantio de Vero cultu VI. 4.) qui homines ad hanc militiam genuit, expeditos in acie stare: & intentis acriter animis, ad invisibilis hostis insidias vel apertos impetus vigilare: qui nos, sicut periti & exercitati duces solent, va-

tiis captat artibus, pro cujusque natura & moribus sæviens. Aliis enim cupiditatem insatiabilem immittit, ut opibus suis tanquam compedibus illigatos à via veritatis excutiat. Alios inflammat iræ stimulis, ut ad nocendum potius intentos à Dei contemplatione detorqueat. Alios immoderatis libidinibus immergit, ut voluptati & corpori servientes, ad virtutem respicere non possint. Aliis veró inspirat invidiam, ut suis ipsi tormentis occupati, nihil aliud cogitent, nisi eorum, quos oderint, felicitatem. Alios inflammat ambitionibus. Ii sunt, qui ad gerendos magistratus omnem vitæ suæ operam curamque convertunt, ut fastos signent, & annis nomen imponant. Quorundam cupiditas tendit altius, non ut provincias temporali gladio regant, sed ut infinita & perpetua potestate dominos se dici velint universi generis humani. Quos autem pios videt, inanibus implicat religionibus, ut impios faciat. Iis vero, qui sapientiam quærunt, Philosophiam in oculos impingit, ut specie lucis excæcet, ne quis comprehendat aut teneat veritatem. Sic hominibus obstruxit aditus omnes, & obsepsit omnes vias publicis latas erroribus: quos ut discutere possemus, ipsumque authorem malorum vincere, illuminavit nos Deus, & armavit vera cœlestique virtute.

§ 10. Et in procœmio de Opificio Dei: Ille colluctator & adversarius noster, scis quam sit astutus, & idem sæpe violentus. Is hæc omnia, quę illicere possunt, pro laqueis habet: & quidem tam subtilibus, ut oculos mentis effugiant, ne possint hominis provisione vitari. Ejus cibus est ebrietas, inquit Hieronymus, luxuria, fornicatio, & universa vitia. Hæc blanda sunt, & lasciva, & sensus voluptate demulcent, statimque, ut apparuerint, ad usum sui provocant. Et apud Synesium: Mortalium calamitates epulæ sunt malorum dæmonum.

In epist. ad Damasum. *Cibus diaboli.* *Lib. 1. de providentia.*

§ 11. Eleganter iterum Lactantius: Hi spiritus, inquit, contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, terroribus complent. Adhærent enim singulis hominibus, & omnes ostiatim domos occupant, ac sibi Geniorum nomen assumunt. Sic enim Latino sermone dæmonas interpretantur. Hos in suis penetralibus consecrant, hos quasi terrestres deos venerantur, & quasi depulsores malorum, quæ ipsi faciunt & irrogant. Qui, quoniam spiritus sunt tenues & incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, & occulte in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos citant, somniis animos terrent, mentes furoribus qua-

Lib. 2. cap. 15. de Orig. err. *Genii.* *Dæmones.*

quatiant, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere. Idem II. 17. & III. 29.

§ 12. Diaboli opera sic explicat Alcimus in lib. de Peccato originali:

Sed quod vivaces portendit in abdita sensus,
Quodque futura videt, rerumque arcana resignat,
Angelici fervens superest natura vigoris.
Horrendum dictu, signisque notabile monstrum.
Nam quicquid toto dirum committitur orbe,
Iste docet, scelerumque manus ac tela gubernat.

§ 13. Cæterum, ne prolixiori sententiarum catalogo, in explicandis dæmonum conatibus mire variis monstrosisque, delicatulo lectori nauseam concitem, nec defuisse videar, quibus confirmatior ventriculus multiplicia ejusmodi condimenta appetit & amplectitur, loca solummodo præcipua, ubi cumprimis eorum essentia, affectus, potentia, studiorum perversitas, fraudulentiæ artes & inexplicabiles furiæ apud scriptores antiquos deteguntur, commonstrabo, ut eorum quæsita lectione satiari queant, quibus fuerit lubitum. Erunt autem alia, quam hujus libri cap. 2. recensentur.

§ 14. Epiphanius lib. 2. tomo 2. & libro 3. tomo 1. Faustinus libro 1. de Fide contra Arrianos. Dionysius de Divin. nomin. cap. 4. Athanasius de Beatudine filii hominis. Ambros. Epist. x. 80. & 84. Augustinus de Civit. Dei lib. v. 9. VIII. 22. IX. 18. 20. x. 21. Quæstionum veteris & novi Testamenti quæst. II. 27. 98. In Joan. tract. 49. In Apocal. homil. 10. Item Genes. XI. 16. De consens. Euangelist. III. 5. De spir. & an. cap. 17. 26. 28. symbolo ad Catechum. II. 1. Chromatius in cap. 5. Matth. Theophilactus in Matth. cap. 12. in Marci cap. 1. in Joan. cap. 10. in Luc. cap. 10. 13. 14. in epist. ad Coloss. cap. 2. Idem ad Philip. cap. 2. ad Thessal. cap. 3. item super Abacuc cap. 1. 2. in Nahum. cap. 2. Basilius epist. 141. & in serm. de exhortatione ad baptismum. Greg. Nyssenus orat. II. de pauperibus amandis. Leo serm. 6. in nativit. Dom. Theodoretus in dial. tertio Impatibili, & in II. cap. ad Corinth. epist. 2. Eucherius lib. 4. in libros Regum. Hesychius libro 5. in 16. 18. capita Levitici. Chrysostomus homil. 53. in 28. cap. Genes. Item de Lazaro: in secundum cap. ad Ephes. Cyrillus in Levit. lib. 3. & lib. 4. contra Julianum. Olympiodorus in Ecclesiasten capite. 4. 7. 9. Cassio-

7.9. Cassiodorus in cap. 3. Cantic. Philastrius in Catal. haereticorum. Maximus in homil. hyemali. Marcus heremita. Salonius in Ecclesiasten. Synesius lib. 1. de Providentia. Gregorius in 1. cap. Job. lib. 2. cap. 4. in 5. cap. Job. lib. 6. cap 16: in 10. cap. Job, lib. 9. cap. 25: in 19. cap. Job. lib. 14. cap. 18. in 30. cap. Job. lib. 20. cap. 22. in 37. cap. Job. lib. 27. cap. 17. in 39. cap. Job. lib. 30. cap. 13. item lib. 31. cap. 17: & in 40. cap. Job. lib. 32. cap. 11. & lib. 33. cap. 8. Idem lib. 2. in 3. cap. 1. Reg. & lib. 4. in cap. 10. primi Reg. Item lib. 5. in 11. cap. 1. Reg. lib. 5. in 13. cap. 1. Reg. & lib. 5. in 14. cap. 1. Reg. item in Cantica Cant. in Ezechiel. lib. 1. homil. 2. 3. 12. item in Euangelia hom. 11. 14. 23. 27. 39: in Psalmos poenitential. & libro. 2. indict. 10. epist. 22. lib. 4. indict. 13. epist. 38. & lib. 2. Moral. in Job, cap. 26. 40. 41. Rabanus in admonit. ad populum, quam Reghinario chorepiscopo misit, & lib. 3. in Ecclesiasticum, cap. 1. & lib. 5. cap. 1. & lib. 6. in eundem, cap. 3. 9. lib. 8. in eundem, cap. 7. & lib. 9. cap. 1: lib. 4. de serm. propriet. cap. 10. Haymo super 7. cap. Oseae: item super cap. 3. Cantici Cantic. idem super 17. Psal. Idiota cap. 2. contemplation. de morte. Angelomus in 4. cap. lib. 1. Reg. Remigius in Psal. 30. de duobus diaboli laqueis, quibus insidiae fiunt fidelibus, nimirum terrore & errore: & in Psal. 71. Smaragd. in Euang. Luc. cap. 8. in Joan. cap. 14: in epist. Pauli ad Ephes. cap. 4. Radulphus lib. 6. in Levit. & lib. 20. cap. 2. in eundem. Berno lib. de contemn. divinat. daem. Anshelmus in Euangel. enarrat. & in 11. cap. 2. ad Corinth. Rupertus lib. 1. in Joan. cap. 1: lib. 6. in eundem, cap. 6 item lib. 9. & lib. 11. cap. 14. & lib. 12. cap. 16. in eundem: lib. 2. in Matth. cap. 2. lib. 7. cap. 8. & lib. 13. cap. 26. in eundem item lib. 5. in Apocalyps. cap. 9: lib. 7. cap. 12. & lib. 11. cap. 20. in eandem. item lib. 2. in Zachar. cap. 5. & lib. 1. in Abacuc, cap. 1. Hildegardis lib. 2. visione 1. 6. Bernardus serm. 17. & 32. super Cantic. serm. de diversis affect. animae. Petrus Blesensis epist. 49. Lombardus lib. 2. dist. 3. 8. Petrus Cluniacensis lib. 1. de Miraculis, cap. 14. 17. & lib. 3. epistol. 24. Barth. Anglicus. lib. 2. de proprietatib. rer. cap. 20.

Machinationum diaboli finis.

§ 15. Miraculorum vero, machinationum, & apparitionum diaboli quis finis unquam, & velut ex professo alius, quam erroris

furorisve

furorisve manifeste impii, blasphemi, & in Deum contumeliosi, aut sceleris alicujus confirmatio præceptiove, aut approbatio vel portectio?

§ 16. Hunc autem, Lactantio teste, constituit homini Deus adversarium, nequissimum & fallacissimum supiritum, cum quo in hac terrestri vita sine ulla securitatis requie dimicaret. Nam ut victoria constare sine certamine non potest: sic nec virtus quidem ipsa sine hoste. Ita quoniam virtutem dedit homini, statuit ei econtrario inimicum, ne virtus torpens naturam suam perderet. Noluit enim Deus hominem ad immortalem illam beatitudinem delicato itinere pervenire. *De opif. Dei, c. 19. 20. Quare dæmonem hominibus adversarium constituerit Deus.*

§ 17. Sic & Theophilactus: Quia certamen est vita nostra, noluit Deus extra hanc vitam dæmones esse, ut certantes nobiscum nos probatiores monstrarent. Nam si non essent adversarii, neque coronæ essent, uti *subjicit* in Luc. cap. 8. Similiter & Berno de divination. *dæmon.* contem. Neque diabolum removit à principatu mundi hujus: quia adhuc opus est opera ejus ad exercitia certaminum & victoriarum beatorum. Si enim dæmonibus auferatur libertas arbitrii, nullus ultra oppugnabit athletas Christi. Nullo enim oppugnante, nec certamen aliquod erit: & sublato certamine, nullum erit præmium, nulla victoria. *In Marc. capite 5.*

Nomina diaboli, ipsius studium prodentia, quibus nuncupatur in Sacris literis.

CAP. XXI.

Sua vero nomina apte ipsius studium & fabricam prodentia, sortitur diabolus tum alibi, tum maximè in sacrosancta Scriptura: quæ hic recensere lubet, ut, præter nomenclaturas supra recitatas copiosius, quibus Deum mentiebatur Satan, ejusque sibi honorem assumebat, denominationibus nunc his, qualis est affectu & opere, cognoscatur plenius. Ipsa siquidem nominum diversitas, diversa illius vitia commonstrat, cui nomina mille, mille nocendi artes. ne quis præter ordinem, novum hic dæmoniacorum nominum catalogum contexi arbitretur. *Behemoth. Job. 40.*

§ 2. Elephas ubi in Jobo describitur, Behemoth vocatur, id est bruta, ut Græcis frequenter θηρία. Et quidem plurali numero, designatur ejus vastitas. Sub allegoria vero elephantis, Satanæ potentia do- *Dæmonum nomina, ipsorum studia prodentia.*

  tia do-

tia docetur. Behemoth (respondens Dominus è turbine, ipsi Jobo inquit) fœnum comedat ritu bovis: hoc est, paleas igne comburendas. Ecce virtus ejus existit in lumbis ejus, & robur illius in umbilico ventris sui. Illecebris enim venereæ voluptatis, quæ circa lumbos & umbilicum præcipue sentitur, frequenter impugnat. Ossa ejus velut fistulæ æris, & cartilago ejus quasi laminæ ferri. Ad duritiem diaboli ista referuntur, quoniam à malicia, quam semel amplexus est, nequit dimoveri, ære & ferro obduratior. Quem arbusta tegunt umbra sua. Hoc illud est, quod in Psal. legitur de impio: Sedet in insidiis in occultis, ut interficiat pauperem, dum attrahit eum.

Psal. 9.

Leviathan. § 3. De Leviathan idem fere aliis verbis prædicatur, quod de Behemoth: & vis naturæ dæmoniacæ exprimitur, supra modum potens atque versuta: quæ utique cuncta humana subverteret, nisi divini arbitrii habenis coerceretur. Vide integrum Jobi caput 40. & 41. Sonat autem Leviathan, sibi traditus, vel appositio: qui verbo Dei & rebus quibuscunque addit: Esajæ 27. Job. 3.

Asmodæus. § 4. Asmodæus, spiritus vel deus cæcitatis, destructor, dissipator, aut delicti abundantia, vel peccatum abundans, sive ignem mensurans: Tob. 3.

Mammona. § 5. Mammona, voce Syriaca, cupiditas pecuniæ aut divitiæ: Matth. 6. His ille imprudentium mentes implicat, ne Deo servire queant, cum mammonæ cœperint famulari.

Diabolus. § 6 Diabolus Græcis, calumniator. Matth. 4. Joan. 8. Apocal. 12. & alibi sæpius.

Dæmon. § 7. Dæmon & Dæmonium, sciens, callidus, & multarum rerum peritus. Matth. 4. 7. 8. 9. 12. 15. 17. Marc. 16. Jac. 2. ἀπὸ τοῦ δαίω, scio. Plato quoque in Cratylo arbitratur ex Hesiodi sententia, dæmones quasi δαήμονας dici, hoc est, prudentes & scientes. Sic autem eos dici ob terrorem, vult Eusebius. Philo de mundo: ἀγγέλους vocat Moses apposito nomine, quos ἥρωας καὶ δαίμονας Græci appellant.

Cacodæmon. § 8. Cacodæmon, perverse sciens. Quoscunque vetustas deorum cultu venerata est, omnes κακοδαίμονας fuisse, author est Porphyrius. Dicitur & malus dæmon: & dæmon βλαβερώτατος, id est, nocentissimus, in Symposio septem sapientum.

Satan. § 9. Satan, Hebræis à שטן adversarius, qui obsistit atque obturbat: Job. 1. 2. Zachar. 3. item Satanas, Matth. 4. 12. 16. Marc. 1.

Marc 1. 3. 4. 8. Luc. 10. 11. 13. 22. Joan. 13. Apocal. 12. Basil. in concione, Quod Deus non est autor malorum. Licet Moses Barcepha Syrus à סט Sat, quod Syris & Chaldæis significat recedere, deducat in lib. de Paradiso parte 1. cap. 28.

§ 10. Abaddon Hebraice, perditor, aut perdens: Græce ἀπολλύων, Apoc. 9. *Abaddon. ἀπολλύων.*

§ 11. Deus hujus seculi, sensus incredulorum excæcans: 2. Corinth. 4. Uti in Psalmo: Dii gentium dæmonia. sic & Ephes. 6. κοσμοκράτορας Paulus vocat impios hos spiritus. Deus dicitur: ut, Quorum deus venter est: quemadmodum Augustinus annotat adv. Faustin. XXI. 2. non enim simpliciter deus est, sed illis deus existit, qui *Christo illum* anteponunt, ut ait Cyrillus. Et hæc, ne duos cum Manichæis deos faciamus.

§ 12. Principatus, potestates, mundi domini, rectores tenebrarum hujus seculi, *spirituales* astutiæ in cœlestibus, à Paulo inscribuntur *hi spiritus*: *Eph.* 6.

§ 13. Legio, quia multi sunt: Mar. 5. Luc. 8.

§ 14. Princeps, cui potestas est aëris, qui est spiritus nunc agens in filiis contumacibus: Ephes. 2.

§ 15. Princeps hujus mundi: Joan. 8. 12. 14. 16. Habens mortis imperium: Heb. 2. Qui seducit totum terrarum orbem: Apoc. 12.

§ 16. Rex super universos filios superbiæ: Job. 41.

§ 17. Celsitudo quæ tollitur adversus cognitionem Dei: 2. Corinth. 10.

§ 18. Adversarius noster diabolus, qui ut leo rugiens obambulat, quem devoret inquirens. 1. Pet. 5.

§ 19. *Homicida* ab initio, qui in veritate non permansit: mendax, & pater mendacii: Joan. 8. Author peccati: 1. Joan. 3.

§ 20. Spiritus, Act. 16. Spiritus Dei, propter ministerium dicitur tanquam Dei carnifex: spiritus Dei malus, 1. Reg. 16. Spiritus nequam, malus, 1. Reg. 16. Act. 19. Pessimus, Jud. 9. Spiritus mundi, 1. Corinth. 2. Spiritus ad vindictam creati, qui in furore suo confirmaverunt tormenta sua, & in tempore consummationis effundent virtutem: & furorem ejus, qui fecit illos, confundent, *Ecclesi.* 39. Spiritus, qui non confitetur Christum in carne venisse, *spiritus* Antichristi: 1. Joan. 4. Spiritus Ægypti, & vertiginis, qui *fecit* errare Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius &

vomens: Esajæ 19. Spiritus fornicationis, Oseæ 4. Spiritus Pythius, vel divinationis: Levit. 20. Act. 15. Spiritus mendax. 3. Reg. 22. Spiritus immundus: Zach. 13. Matt. 10. 12. Marc: 3. 9. Luc. 6. 9. 11. Act. 5. Apocalyp. 16. Spiritus impostor: 1. Timoth. 4. Spiritus dæmoniorum: Apoc. 16. Spiritus mutus & surdus: Matth. 9: 12. Marc. 7. Spiritus iræ vel furoris, Job. 4. Psalmo 17. Spiritus soporis: Esajæ 29. Spiritus timoris: 2. Timoth. 1.

§ 21. Angelus nuncius & minister, Job. 4. 1. Corinth. 6. Roman. 8. 2. Pet. 2. Epistol. Jud. Angelus Domini: Psal. 34. Ita vult Hieronymus, 1. Paral. 21. Angelus vel nuncius satanæ: 2. Corinth. 12. Angelus crudelis: Proverb. 17. Angelus abyssi: Apoc. 9. Habens iram magnam: Apoc. 12.

§ 22. Accusator sanctorum fratrum, Apocalyp. 12. Loliorum seminator, Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. Tentator, ὁ πειράζων, Matth. 4. 13. 25. Luc 4. 8. Joan. 6. 8. 13. 1. Thess. 3. Ultor, Psal. 8. Fortis, armatus, atrium tenens. Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11. Hostis, Psal. 8. Malus, Ephes. 6. 1. Joh. 2. Malus ille, Matth. 13. Quoniam omnium scelerum princeps est & inventor, per excellentiam vocatur ὁ πονηρός. Inimicus, Luc. 10. Invidus, Sapient. 2. Meretrix Babylonica, bestia habens septem capita, &c. Apoc. 13. 14. 16. 17. 18. Abominatio desolationis, Matth. 24. Dan. 9.

§ 23. Venator: illius astus, laqueus: timor nocturnus, sagitta volans in die, pestis in tenebris grassans, exterminium meridianum, Psal. 90.

§ 24. Volucres cœli, Matth. 13. quia semen verbi Dei, quod in duro solo & nullo compunctionis vomere proscisso cecidit, rapiunt protinus, & absumunt. Aquila, Oseæ cap. 8. Si exaltatus fueris ut aquila: Haymo. Aspis & basiliscus illis dicitur, quos primo congressu superat. Aspis quippe morsu, basiliscus aspectu statim perimit, Psal. 90. Leo, quia aperto marte nos invadit, ut dilaniet. Draco, quia occulte nobis insidietur, viroso afflatu perdens, Esajæ 13. 34. Psal. 90. Apoc. 16. 20. Viro autem justo promittitur: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Draco magnus, Apoc. 12. propter insidiarum multitudinem. Draco rufus, Job. 41. propter homicidium. Serpens, scorpio: Genes. 3. Luc. 10. Mera enim venena

sunt.

sunt, quicquid diabolus suadet. Unde tamen suos liberat Salvator, dicens: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes Luc. 10.
& scorpiones. Serpens antiquus, Apoc. 12. propter occultas insidias & seductionis diuturnitatem. Serpens tortuosus, Esajæ 27.

§. 25. Ohlim, onocrotalus, ericius, ibis, corvus, struthio, onocentaurus, satyrus, lamia, milvus, ululæ vel ziim Hebraice, Esajæ 13. 34. Perdix, malleus, thaninim: Hieronymus in epistola ad Damasum.

§ 26. Locustæ similes equis in prælium paratis, quia feroces dæmones: & super capita earum tanquam coronæ similes auro, quia superbi: facies earum velut facies hominum; & capilli sicut capilli mulierum, quia utrique sexui insidiantur: & dentes quasi leonum, quia quos vicerint, perimunt: loricas sicut loricas ferreas habent, quia in malitia obduruerunt: aliis perstrepunt, quia velociter omnia permeant: caudas scorpionum aculeatas gerunt, quia unus eorum finis est nocendi hominibus. Et habent super se regem, angelum Abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Apocal. 9.

§ 27. Eodem modo & apud Ecclesiasticos scriptores varia diabolo imponuntur nomina. Bestiam intelligibilem appellat diabolum Isychius, quæ capit homines cautelam & custodiam suam negligentes: probatque testimonio Petri, Adversarius vester, &c. lib. 2. in 7. cap. Levit. Et libro 7. in cap. 26. Levit. Dæmones sunt bestiæ ex simili malicia, primum sicut latentes, deinde ut venenum importabile & mortiferum habentes. Bestia terræ, Gregor. VI. 16. in cap. 5. Job. Serpens Assyrius ille draco, omnem humanam libertatem servituti suæ subjecit: Andr. Hierosolymitanus. Coluber antiquus, Rabanus lib. 5. in Ecclesiastic. cap. 1. Pardus, Rabanus lib. 6. in Ecclesiastic. cap. 9. Ursus, ob crudelitatem, Giselbertus in lib. Altercat. cap. 19. Lupus spiritualis inimicus, Theophil. in Joan. cap. 10. Serpentem Luciferi, veneni productorem, ferocem belluam, leonem humanis carnibus viventem, ac basiliscum appellari in scriptura, scribit Euseb de Demonst. Euang. III. 5. Corvus, Beda III. 8. Apostata angelus, Rabanus de Serm. propriet. I. 5. In Ecclesiastic. VI. 3. Fur, adulter, Beda lib. 2. in Job. cap. 7. Lapis caliginis, idem lib. 2. cap. 1. Hypocrita & simulatus, idem III. 3. Umbra mortis, I. 12. Mors, Concilium Toletanum 12. cap. 11. Desertrices potentiæ, Greg. Nazianze-

zianzenus. Sophista, maleficus, idem orat. 1. de Reconcil. monach. Senex, stultus rex, Salonius in Ecclesiasten. Peccatum, Theodoretus in cap. 7. ad Rom. Jumentum iis, quos luxuria inflammat: avis iis, quos superbia evehit: Greg. Moral. XIV.

Diaboli membra & expressa imagines.

§ 28. Plerisque tamen hisce nominibus Satanæ quoque membra nuncupari possent: velut Joannis sexto, Judas diabolus à Christo nominatur. Sunt & ejus figuræ imaginesque expressæ, Pharao, Antiochus rex Babylonis, Assur & omnes impii.

Nomina dæmonum ex actionis varietate apud Ethnicos: distincta quoque ex officiis apud Latinos: Dæmones familiares, Virunculi terrei & montani, Sibyllæ albæ, atque quorundam gentilitiorum & poëticorum dæmonum nomenclatura.

CAP. XXII.

De spiritib. quoque aliis Suidas in dictione ἔμπουσα.

Hecatæa.

DIVERSE ad hæc pro actionis varietate frequenter Ethnici dæmonio commutarunt nomina: ut quod variis formis aut spectris sub meridiem, quando inferis parentatur, calamitosis jubente Hecate obversatur, ἔμπουσαν nominant: quemadmodum Aristophanis interpres docet. Nominis ratio est: quia uno incedat pede, ut Eustachio placet: vel (ut aliis) quia alterum pedem habeat æneum. Id genus terriculamenta dicuntur quoque à Græcis Hecatæa, quod ab Hecate immittantur.

δείμαλοι.

κόβαλοι.

§ 2. Δείμαλον etiam vocant, quod terrorem incutiat repræsentatione vel imitatione. Erant & dæmones quidam Dionysiaci, asperi & immites. Sunt quos κοβάλους nuncuparunt, quasi dicas ludificatores. Qui vero dæmon intervertere & elidere res bonas ac salutares, calamitates autem & incommoda tum inferre, tum, si impenderent, maturare, atque in capita nostra cogere, & velut per præcepsagere, omninoque ad scelera & flagitia propellere, indeque in discrimina vitæ adducere, vel in subitum præcipitare exitium putabatur, ἀλιτήριον, προστρόπαιον, παλαμναῖον, & δαίμονα κυροῦντα τὰς ἀρὰς appellarunt antiqui. Qui ad vitæ tædium & dispendium urgent dæmones, πάρεδροι, assessores illis vocantur. Diabolicam virtutem, cujusmodi fuerat in Simone mago, paredrum dici, annotavit Eusebius: & sic deinceps.

πάρεδροι.

Ternistratores.

§ 3. Ternistratores dicuntur etiam dæmones, quod triplici calle ad

ie ad animarum properent interitum: verbo nempe, cogitatione, & opere.

§ 4. Ex officiis quoque dæmones distinxêre Latini. Ubi, qui regionum administrationi præsidere censentur, ante recitati Penates dicantur: qui pacatius ædes possident, Lares: aut, si quando exterreant, domosque incursionibus infestent, Larvæ. Qui autem nobis singulis designati sunt, Genii mali. Item Manes, quos Græci Heroas indigitarunt: & iracundos occursantibusque infestos fuisse Menander signat. Hos Lemures Latini veteres appellare solent, Italis Folleti dicuntur, & Empedusæ. *Penates.* *Lares.* *Larvæ.* *Genii mali.* *Manes.* *Lemures.* *Folleti.* *Empedusæ.*

§ 5. Sunt & ex Larum & Larvarum familia, qui vulgo nostrati dicuntur Terrei virunculi: jam, detectis nonnihil manifestis dæmonum imposturis, infrequentiores quam olim. Horum duplex genus. Sunt enim aliqui mites: merito Lares familiares nuncupandi. Qui in domibus concubia potissimum nocte versantur, atque ministrorum munia peragere, auditui apparent, descendere scilicet è gradibus, ostia aperire, struere ignem, haurire aquam, cibum & quæcunque alia cuique domui consueta apparare, quum prorsus nihil faciant. Horum plerique rerum quoque futurarum ex occultis indiciis præscii, ea, quæ paulo post comperimus perfici, antea administrare audiuntur: ut etiam brevi adfore mercatores signis prænuncient, qui merces venales sint ablaturi. *Terrei virunculi.*

§ 6. Id quod aliquoties in ædibus parentum Theodori & Agnetis (quorum Deus pro ineffabili sua misericordia meminerit in resurrectione justorum) observavi puer, admodum territus, una cum fratribus Arnoldo & Matthia: ubi quum in tabulato ingens lupuli asservaretur copia, si quando venturi essent emptores, præcedenti nocte per gradus dejici eo modo audiebantur sacci, quo veritatem subsequens ostendebat dies. Omen id ut faustum, plausu semper excipiebatur. Quum enim de rebus suis statuunt mercatores, aliquo mercium causa profecturi, de iis antea loquuntur, ingredique se earum nomine iter fatentur. Quod intelligens diabolus, sua his, ad quos contendunt mercatores ante ostendit ludibria, quam illi adveniant. Tempus siquidem suppeditat locorum distantia. Ita & prænovisse & prænunciare videtur dæmon, quæ jam fieri cœpta sunt.

§ 7. Alii tetrici sunt, familiam quocunque modo vel turbantes, vel exterrentes. Hos dæmones etiam in subterranearum, ut *Tetrici familiares dæmones.*

Theo-

Theologis placet, substantiarum numero habitos, in quibusdam versari fodinis, tradit vir eruditissimus, ac metallicarum rerum investigator acerrimus, Georgius Agricola: truculenti autem & aspectu terribiles, plerunque metallicis infesti atque inimici sunt. Talis fuit Annæbergius ille, qui operarios duodecim amplius flatu interfecit, in specu, qui Corona rosacea appellatur: eo nomine relictus, quantumvis argento dives esset. Flatum vero emittebat, ex rictu. Equi enim specie habentis procerum collum, & truces oculos, dicitur visus. Ejusmodi etiam fuit Snebergius, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum, in superiori loco maximæ illius concavitatis quondam feracis argenti collocavit, non sine corporis attritu. Quæstuosam admodum fodinam deserere apud Turcas cogebatur Judæus à dæmone metallico, hominibus frequenter in forma capræ aurea cornua gerentis apparente.

In lib. de Animant. subterraneis.

Annæbergius dæmon.

Snebergius dæmon.

§ 8. Psellus certe, cum sex genera dæmonum definiat numero, hoc cœteris pejus esse dicit, quod ipsi amictui sit crassior materia. Quidam philosophi hos & similes dæmones, qui nocentes sunt, & natura improbi, nominant brutos, & rationis expertes. At sedatos illos Germanorum alii, ut etiam Græci, Cobalos vocant: quod hominum sunt imitatores. Nam quasi lætitia gestientes rident, & multa videntur facere, interim nihil plane efficientes.

Cobali.

§ 9. Alii virunculos montanos nominant, staturam significantes, qua plerunque apparent: nempe nani, tres dodrantes longi. Videntur autem esse seneciones, & vestiti more metallicorum: id est, vitteto indusio, & corio circum lumbos dependente induti. Hi damnum non solent dare metallicis, sed in puteis & cuniculis oberrant: &, quum nihil agant, se tamen in omni laborum genere videntur exercere, quasi modo fodiant venas, modo id, quod effossum est, in vasa infundant, modo machinam versent tractoriam. Quanquam vero interdum glareis operarios lacessunt, rarissime tamen eos lædunt. Nec lædunt unquam, nisi prius ipsi cachinno aut maledicto fuerint lacessiti.

Virunculi montani.

§ 10. Itaque non admodum sunt absimiles dæmonibus, tum his, qui raro hominibus apparent, quum quotidie partem laboris domi perficiant, & curent jumenta: quibus quod nostri causa benigne faciant, generique hominum sint, aut saltem videntur esse amici, nomen imposuerunt Germani (Gutelos siquidem appellant) tum

Guteli.

Trulliis

Trullis vocatis, quos sexu tam mulieris quam viri ementito, cum apud alias nationes, tum maxime apud Sujonas in famulatu fuisse ferunt.

§ 11. Sed dæmones montani potissimum laborant in his specubus, è quibus metalla jam effodiuntur, vel ea effodi posse spes est. Quocirca à laboribus non deterrentur metallici: sed omen inde capientes, alacriori sunt animo, & vehementius laborant, eosque exoptant. *Dæmones montani.*

§ 12. Narrat Trithemius de quodam dæmone, qui familiaritate singulari hominum usus egerit in diœcesi Hildesiana, potissimum in episcopi aula, ubi culinæ ministeria obibat. Ipsius verba referam, fides rei sit penes lectorem. His temporibus spiritus quidam malignus in diœcesi Hildesheimensi multo tempore multis visibiliter apparuit in habitu rustico, pileo caput opertus, unde & vulgo Pileatum eum appellabant rurales, hoc est, ein Hedeckin, lingua Saxonica. *Iste* spiritus Hutgin multa mirabilia fecit, & delectabatur esse cum hominibus, loquens, interrogans & respondens familiariter omnibus, aliquando visibiliter, aliquando invisibiliter apparens. Neminem læsit, non prius læsus: sed injuriarum seu irrisionum memor, vicem irrogantibus sibi contumeliam impendit. *Spiritus familiaris.* *Hedeckin. Hutgin.*

§ 13. Cum Burcardus comes de Luca per comitem Hermannum de Winsenburg fuisset interfectus, & comitatus ipse Winsenburgensis in direptionem videretur expositus, præfatus spiritus dormientem in lecto suo Bernhardum episcopum Hildesheimensem accedens, eum excitavit, dicens: Consurge, ô calve, exercitum convoca, quia comitatus de Winsenburg, propter homicidium vacuus & desolatus, tuo facilè parebit imperio. Qui surgens, milites suos commonuit, comitatum invasit & obtinuit, quem Ecclesiæ Hildesheimensi de Imperatoris consensu in perpetuum conjunxit. Eundem quoque pontificem non rogatus idem spiritus sæpe de multis periculis avisare consuevit.

§ 14. In curia ejusdem præsulis frequens apparens, coquis ministrare plerunque satis diligenter consuevit, crebrosque in culina cum ipsis miscere sermones. Unde, cum jam ex consuetudine familiaris factus, à nemine timeretur, puerulus quidam in coquina serviens eum despicere, subsannare, & contumeliis afficere cœpit, & quoties potuisset, immunditias coquinæ in eum effudit. Qui cum sæpe magistrum coquinæ rogasset, ut puerum ab injuriis suis compesceret,

 sceret,

sceret, minitatus se tandem injurias ulturum, irridetur ab eo dicente: Tu spiritus es, & puerum times? Cui dæmonium respondit: Quia puerum tuum ad petitionem meam emendare contemnis, ego quantum illum timeam, post dies paucos tibi ostendam. His dictis, spiritus abscessit iratus. Non multo post, cum die quodam post vesperam puer solus in coquina fatigatus dormiret, venit spiritus, & suffocatum in frusta conscidit, ollæque impositum ad ignem coquere cœpit. Quod magister coquinæ cum percepisset, spiritui maledicere cœpit. Qui exacerbatus, assaturam postero die pro episcopo & curialibus ad ignem in verubus positam, compressis desuper bufonibus horrendis, veneno & sanguine eorundem aspersit. Rursusque contumeliis affectus, per pontem in foveam de alto illum præcipitavit. Supra muros civitatis & castelli vigilias nocturno tempore diligentissime peragens, omnes custodes vigilare coegit.

§ 15. Vir quidam longe profecturus, cum uxorem haberet impudicam, quasi per jocum dixit ad spiritum Hutgin: Bone socie, tibi commendo uxorem meam, donec revertar, vide custodias eam. Cumque viro absente cum adulterio mulier portionem suam poneret, & amatores multos successive tentaret, ita se spiritus iste invisibiliter medium semper interposuit, projectisque in terram de lectulo viris, nullum pervenire vel ad tactum ipsius fœminæ, taceo de commixtione illicita, permisit. Sic mulier singulis noctibus & fere singulis toto tempore horis novos semper introduxit amatores. Quos tamen spiritus, mox ut eam contingere tentassent, procul in terram projecit. Tandem revertenti marito, & adhuc longe à domo existenti, spiritus commissarius lætus occurrit, dicens: Gratus est mihi valde tuus adventus, quo liberer à tam inquieto labore, quem mihi imposuisti. Cui maritus: quis ergo tu es? Ego sum, inquit, Hutgin, cui pridem abiturus, uxorem commisisti tuendã. Ecce custodivi eam tibi, licet cum maximo & continuo labore, ab adulterio salvam. Sed oro te, ne illam mihi deinceps custodiendam tradere velis. Malo enim totius Saxoniæ porcos, quam unam ipsam uxorem custodire tuam, tantis me dolis circumvenire, tantis viis totque modis abuti suo corpore tentavit.

§ 16. Innumera quoque alia tam seria quam ridicula spiritus iste miracula fecit, quæ omnia nec facile scribi possunt, nec, si scriberentur, multorum credulitatem invenirent. Idiotam quendam & simplicem hominem clericum ad synodum citatum, per annu-
lum

lum factum ex foliis lauri, aliis quibusdam additis, aliquanto tempore doctissimum reddidisse ferunt. Tandem à præfato episcopo Bernhardo per censuras Ecclesiasticas elliminatus, de provincia recedere compulsus est. *Si credere fas est.*

§ 17. Familiares quoque referuntur dæmones, privatorum hominum se nutum observare simulantes. Tali consiliario fretus legitur Socrates, quem Deum appellavit Apulejus: de quo peculiarem hujus vide librum, & Serm. 26. & 27. Maximi Tyrii philosophi Platonici. Unde hoc consequutus est, ut nihil suo juvante Deo vitæ finem veneno coactus sit facere. Quemadmodum Q. Sertorius, qui cervam Dianæ, ut prædicabat, numine afflatam, consultricem habuit, nullo suæ deæ monitu edoctus, domestica fraude periit. Eadem ratione Numam quoque Romanorum regem, nympham Ægeriam coluisse, consuluisseque, memoriæ proditum est. *Dæmones familiares.*

§ 18. Pueri quoque incorrupti & violenter necati animam, adjuramentis ineffabilibus à se evocatam assistere sibi, & per eam omne quod juberet fieri, jactabat Simon Samaræus. Erat autem familiaris illi diabolus: quem pueri animam esse prædicabat, ut divinitatem suam mentiretur cautius. *Clemens. Recogn. 1.*

§ 19. Benedicti III. pontificis Romani tempore, in urbe Moguntinensi dæmonium quoddam, sub cujusdam sacrifici pallio, dum aquam lustralem spargeret, quasi familiare esset, latitans, illum accusabat, quod ea nocte cum procuratoris filia concubuisset: ut Sigebertus atque Vincentius tradunt.

§ 20. Huic numero accensendi dæmones, qui hominibus plerisque peculiaribus tanquam familiares, morituri alicujus notas vel gemitu vel strepitu vel pulsatione in claudenda clavis theca futuri cadaveris, sive etiam in commonstrando pullato funeris adhuc ignoti, subsequuturi tamen comitatu, sub ipsa meridie vel alias ostentant.

§ 21. Ludibria insuper quædam diaboli ad nostræ ætatis crepundia, ante doctrinam Euangelii, è superstitionum tenebris minus evolutam repurgatamque, in Germaniæ nostræ locis plurimis observabantur, familiaria adeo, ut publicæ Lemurum (Albas mulieres, & Sibyllas albas vernaculo sermone appellabamus) choreæ hoc vel illo loco celebratæ narrarentur. Eratque hoc larvarum genus apprime infestum puerperis, & infantibus lactentibus, cunis adhuc inhærentibus. *Albæ mulieres. Sibyllæ albæ.*

§ 22. Quod etsi olim erat frequentissimum, cum Satanæ præstigis

giis nimium tribueretur, Christoq; ejus supplantatori ac nostro patrono unico ignavius adhærerent animi, diabolo ludente, ridente, variisque artibus, quibus ad se imperitam multitudinem illexerat, impium cultum stabiliente: tamen post puriorem ferventioremque Evangelii prædicationem mentibus hominum insonantem, id usque adeo evanuisse, est quod Deo gratias agamus summas, ut ne levia quidem ejus vestigia videantur reliqua. Hoc dæmoniorum genus intellexisse apparet Hieronymum, ad Paulam super obitu Blesillæ in epistola sic scribentem: Quid causæ est, ut sæpe bimuli & trimuli, ac ubera materna lactantes, à dæmonio corrumpantur?

Deumus. § 23. Deumum nuncupatum cacodæmonem veneratur rex emporii Indiæ celeberrimi Calechut, confisus illi factam à Deo potestatem judicandi orbis terrarum, & tribuendi unicuique pro benefactis videlicet & malefactis mercedem meritam. Ejus imaginem, ut monstrum horrendum ingens, sedentem capite redimito diademate, Romanorum pontificum modo, scribit Ludovicus Romanus patricius regem habere in sacello suo. Hoc autem illi accedit, quod diadema ipsius ternis insignitur cornibus. Deum vere maximum Tamerani appellant incolæ. *Navigat. v. 2.* *Tamerani.*

Agnan. § 24. Agnan vocatum dæmonem nunc hac, nunc alia forma videre Americos, ab eoque multum infestari, tradit frater Andreas Thevet Angoulesme, in observationibus suis in America cap. 35. & 36.

Grigri. § 25. Grigri dictum dæmonium apud eosdem in Canada & Guinea, maxime vero in eorum sylvis conspicitur.

§ 26. Habent etiam suos dæmoniorum sacerdotes aut vates, Pages vel Charoibes vocatos. Horum aliquis, postquam dies novem ab uxoribus abstinuit, in novo quodam tuguriolo, importatis ad victum, ut regio fert, necessariis, mundo lecto à virgine annorum duodecim strato, totus decumbit solus, semoto populo, invocans dæmonem quem Hovioulsira nuncupant, per horæ & amplius spacium, adhibitis suis ceremoniis. Facta deinde invocatione, dæmon tandem accedit, inspirans quæ scire desiderabat vates. Exauditur etiam aliquoties advenientis strepitus & rugitus ab astante populo, qui tum acclamat: Præcamur, ut vera proferas, & denuncies prophetæ nostro intus operienti. Paulo post rebus intus peractis prodit vates, ac à dæmone intellecta longe explicat. *Hovioulsira.*

§ 27. No-

§. 27. Nomina adhæc ridicula admodum, frequenter sibi dant dæmones rogati. Sic cum in obsessis nomen alter alterius haud ita pridem Hammonæ coram pastore inquireret, unus plumarum fascem, vel plumifascem se nuncupari, alter planipedis sibi nomen esse, tertius roseam arborem se appellari respondit. Ita qui scelestus & vaferas in Kentorpio cœnobio tragœdias tum movebat, Elsæ familiaris, Hornuar se vocari dixit. *Vide lib. 4. cap. 11.* *Plumifasce. Planipes. Rosea arbor.* *Hornuar.*

§ 28. Dæmones fictitii & poëtici, ut Matuta, Oceanus, Gallacia, Phorcis, Saturnus, Opis, Jupiter, Juno, memorantur à Platone in Timæo, à Marco in libro De universitate. *Dæmones poëtici.*

§ 29. Commenticiorum horum & futilium nominum, quorum nullus est finis, enarrationi diutius immorari tædet. Orandus sedulo & ardenter Deus per filium, ut nostros animos, nativum suum templum, ab illius maligni conspurcatione & sordibus expiare, clementerque conservare dignetur. *2. Cor. 3. 5.*

Distinctio dæmonum secundum Theologos & philosophos. Item bonorum & malorum dæmonum differentia.

CAP. XXIII.

SUNT etiam ex Theologorum schola, qui malos dæmones in novem distribuunt gradus, veluti ipsis novem angelorum ordinibus adversantes. Quorum primi, ψευδόθεοι, hoc est, falsi dii dicuntur, qui assumpto divinæ majestatis nomine, pro diis coli volunt, sacrificiisque & adoratione honorari: sicut Satan ille Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. Hos supra latius recensui. Secundo habentur loco spiritus mendaciorum. Cujusmodi fuit ille, qui egressus est spiritus mendax in ore prophetarum Achab. Hoc dæmoniorum genus sese oraculis immiscet, & Pythiorum vatum divinationibus ac prædictionibus homines ludificat. Tertio ordine censentur iniquitatis vasa, qui spiritus sunt inventores malorum, omniumque artium pravarum. Qualis apud Platonem Theutus ille dæmon, qui ludos & aleam docuit. Vasa furoris, Esajæ 13. Vasa iræ, Jeremiæ 50. Vasa mortis, David Psal. 7. Quarto loco, ultores scelerum. Quinto præstigiatores, qui miracula imitantur, & Magis infamibus maleficisque inserviunt, atque ita populum seducunt. Sextæ classi assignantur aëreæ potestates, se tonitruis, fulminibus & fulguribus miscentes, corrumpentes aërem, pestilen- *ψευδόθεοι.* *3. Reg. 22.* *Eccles. 39.* *Apoc. 13.*

§ 8. Si igitur post timorem horrore concepto successerit gaudium, & ad Deum fiducia, atque ineffabilis charitas, auxilium præsto esse memineritis, quod animæ securitas, præsentis divinæ majestatis indicium sit. Sic namque & patriarcha Abraham Deum videns, gavisus est: & Joannes præsentiam Mariæ sentiens, quæ in sacri ventris hospitio universitatis gestaret parentem, exultavit præ gaudio in utero matris. Sin vero injectus timor duraverit, hostis est, qui apparet, qui non modo reficere nequit, quemadmodum Gabriel paventem virginem securam esse jubet. Sed & pavorem duplicat, & usque ad profundam impietatis foveam, ut nimirum ipsi genua flectant, mortales impellit. Proinde misera gentilitas edicti divini ignara, falso dæmones deos opinata est.

Joan. 8. *Luc. 1.* *Luc. 1.*

§ 9. Subjungam & hanc distinctionem, quod angeli nos ament ac tueantur, diabolus vero & nos & Deum odit: Gaudent illi de nostro bono: de quo contristantur dæmones. Cavent illi, ne offendamur: hi offendunt; ut in Apocalypsi, in Tobiæ filio, & Jobo apparet. Nuncii item angeli inter Deum & homines, precesque offerunt: diabolus autem hominum accusator.

Luc. 15. *Psal. 90.* *Tob. 12.*

§ 10. Cæterum, qui angelorum atque dæmonum distincta nomina, officia, loca & tempora penitius curiosiusque intelligere volet, ea in Rabi Simonis Templorum volumine requirat, ac in ejusdem libro Luminum, & in tractatu de Magnitudine staturæ, in tractatu item Templorum Rabi Ismaelis, tum etiam in omnibus ferè commentariis libri Formationis, &c.

Quod diabolus non omnia, & nihil sine Dei consensu potest: & quare Deus illi multa permittit, constitutis limitibus.

CAP. XXIV.

QUANQUAM Deum omnipotentem & misericordem, suo consilio, & nostro merito, ut dæmon sua ludibria & tyrannidem in cujuscunque ordinis homines exerceat, quandoque permittere, ex præcedentibus sit palam: non tamen indulget ei, connivetque ad omnia: nec infinitam, nullisve astrictam limitibus licentiam concedit: alioqui uno momento à diabolo enecti interiremus omnes: sed metas constituit, quousque illius actiones tolerare velit (interea tamen nos clementissime alarum suarum umbraculo complexos custodit, fovet & patrocinatur) quibus tam angustè

Agendi limites diabolo constituuntur.

guste satanam coërcuit, ut citra ejus assensum, ne in bestias quidem aliquid possit, multo minus in homines. Exemplum habes Matthæi 8. ubi porcos ingredi nequivit, nisi singulari CHRISTI permissione.

Citra Dei assensum, ne tantillum quidem potest Satan.

§ 2. Nec unquam illi Deus in homines vel tantillum concedit, nisi ut vel probentur, si boni sunt: vel castigentur puniantur que, si peccatores, præfixis terminis, ultra quos ferri non sinitur. Ut infideles, ait Clemens, à fidelibus, & pii discernantur ab impiis, permissum est maligno uti his artibus, quibus singulorum erga verum parentem probentur affectus. Sic Deut. cap. 13. permissæ tentationis explicatur causa: Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum aut portentum, & evenerit, quod loquutus est, & dixerit tibi, eamus, sequamurque deos alienos quos ignoras, & serviemus eis: non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus, ut palam fiat, an diligatis eum, an non.

Quare diabolo aliquid in homines permittitur. August. in Evang. Joan. tract. 7. item serm. 241. de Tempore. 2. de Trinit. III. 8. Recogn. Theodoretus quæst. 12. in Deut & lib. 3. de Diis & angel. Moral. II 6.

§ 3. Pulchra Gregorii est sententias Satanæ voluntā semper iniqua est, sed nunquam potestas injusta: quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem. Quod enim ipse facere, inique appetit, hoc Deus fieri non nisi juste permittit. Formidari ergo non debet Satan, qui nihil nisi permissus valet. Similiter fere idem in 19. ca. Job. li. 14. cap. 18. & li. 2. Moral. in Job, cap. 16. & in 23. ca. Job. 16. ca. 18. & in 40. cap. Job, lib. 32. cap. 11. & dialog. lib. 3. Item Cassianus asserit, potestatem nocendi non esse positam in arbitrio dæmonum, Collat. 7. cap. 21, Terminum vero hunc statutam esse, author Clemens existit, ut nisi quis prius fecerit dæmonum voluntatem, dæmones in eo non habeant potestatem.

Recog. VIII.

§ 4. Permittit Deus, ut præstigiis miracula quædam Mosis, adminiculo diaboli imitentur magi Ægyptii, virgasque in dracones videantur vertere, flumina sanguine tingere, ranas ex fluminibus evocare. At cyniphes ex terræ pulvere productos, vel muscas domus Ægyptiorum solas infestantes, vel fœda hominum & pecorum ulcera, aut reliqua Mosis opera imitatione mentiri, minime conceditur, ut à solo Deo ea proficisci cogerentur fateri.

Exod. 7. 8.

Exod. 8. 9. 10. 11.

§ 5. Annuebatur satanæ, ut regem Babyloniorum Nebucadnezar in furorem actum, & ab hominum usu in solitudinem propulsum, forma misere defœdata, durissime affligeret & exagitaret totum

Daniel. 4.

tum

tum septennium: ne autem animæ vim faceret, prohibebatur. Interea nec penitus illum rejicit Deus, nec pœnis obrutum deserit: sed exacto septennio liberatum à furiis, regno restituit. Itidem illi Deus
Job. 1. assensit, ut in fortunas & corpus Jobi sæviret: ne tamen animam illius læderet, mandato cavit. Concedit ut septem viros Saræ virginis vita privaret dæmon, propter effrenem in illam affectum, cu-
Tobiæ 3. jus illi erant indigni matrimonio. At in castum juvenem Tobiam,
Zach. 3. nihil illi licuit. Quum Josue princeps sacerdotum (per quem JESUS significatur) coram Dei angelo consisteret, permissum est satanæ ad
Matt. 4. dextram stare, ut ei adversaretur. Christum ad hæc tentare permit-
Luc. 22. titur, sed usque ad aras. Petrum expetivit satanas, ut cribraret sicut triticum: nec illi concessum est.

§ 6. Nec ullo modo admittendum sentio, vel levissimum quiddam illum posse, cui ex sacrosanctis literis vel probæ monetæ libris exemplum vel ἀναλογία non attestentur: quum huc maxime veteris & novi Testamenti monumenta, prophetarum concio, Christi ad-
1. Joan. 3. ventus spectent, ut diabolus, ejus artes, conatus & potentia innotescant, nervus illius infringatur, opera dissolvantur, regnumque pessum eat.

§ 7. Quapropter si quid præter omnem fidem ad diaboli potentiam relatum audiatur, non confestim confugiendum est ad illud imperitorum axioma, diabolum videlicet Deo permittente hæc & illa indiscriminatim posse. Considerandum siquidem, quis ea in
Quid in diaboli permissa potentia considerandum. re majestatis divinæ à rerum primordiis fuerit ordo & modus, num hunc contraveniat, quod accidisse narratur, quum nihil promiscue aut citra ordinem condiderit universi ordinis causa, imo ipsus ordo. Unicuique enim rei suam essentiam, formam, proprietatem, vires & munus indidit, ut quodcunque conditum vel agere vel
Natura quid. non agere debeat queatque ex insito Naturæ (quæ nihil aliud est, quam ordinaria Dei potestas, cunctis rebus pro sua cuique conditione indita) motu, & extra hanc inditam à principio potentiam, nihil id ipsum possit: neque aliud huic, quam quod ea ratione potest, à Deo conceditur: alioqui sibi ipsi Deus adversaretur; quod ab eo est perquam alienum.

§ 8. Hujusmodi ordinis constantiam jactis primum universitatis fundamentis animadvertimus in spiritibus, quomodo nimirum angeli puriores in locis & ministeriis cœlestibus versarentur, Deum glorificantes, & quæ illis maxime usui sunt, qui ipsis puritatis sincerita-

ceritatisque *ἀναλογίᾳ* proximiores sunt vel esse possunt, tum & aliis annunciantes administrantesque, quemadmodum hujus libri cap. I. plenius explicui: ita & dæmones illis puritate, ob arbitrii captivitatem & suæ synceritatis primo inditæ depravationem, inferiores, spiritusque crassiores inferiora sortiti loca, puta aërem & eo demissiorem regionem, in iis vagantur, Dei nutum observantes, cujus sunt ministri vel in probandis vel castigandis vel puniendis ex Dei voluntate hominibus, nec aliter. Hac ratione, quicquid agit, ut Dei minister operatur.

§ 9. Cæterum quando eosdem falsis persuasionibus ad cujuscunque mali perpetrationem excitare conatur, non ut Dei spiritus vel minister agit, sed uti depravatus sui arbitrii spiritus, quo suæ corruptionis consortes efficere studet, quos ex indiciis externis in hoc vel illud vitium pronos, induci facilius posse colligit. Ut itaque spiritus est impurus & tenebricosus: ita se sui similibus adjungit insinuatque. Tale ex abstrusa Dei ordinatione & permissione opus est *diaboli*. Nec aliud unquam à mundi creatione ipsum potuisse, ex sacris Bibliis & historiis veris intelligetur.

§ 10. Eodem modo & de hominis insita primitus potentia sentio. Ut autem clarius intelligatur, exemplo quid velim, ostendam. Si à divina majestate mihi permittatur, ut per aëra cum avibus volem, aut per terræ viscera cum lumbricis serpam, vel in aquis cum piscibus degam: id certe nequirem, quia Dei ordinem ab origine constitutum, & insitam mihi à Deo naturalem potentiam contraveniret, quum me hominem de limo terræ, & ex ossibus, nervis, ligamentis, carne, venis, arteriis, sanguine & spiritu compaginatum creavit, *hujus*que compositionis virtute in terra degerem, eamque excolerem, & quicquid hanc spectaret, sedulo curarem, ex eaque viverem: spiritu vero divinitus indito, cœlestia mihi curę & studio essent.

§ 11. Ita ab initio volucribus levioribus, ut in aëre volent altius, mandatum: succo autem terrestri saburratis, in terram dimissius inclinent. Aquarum hospitium piscibus commissum. Arboribus & plantis terræ superficies præfixa est. Lumbricis & vermibus eam altius persulcandi facta est potestas.

Non vero ut celeres pascantur in æthere cervi,
Aut freta destituant nudos in littore pisces,
Sive pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibat, aut Germania Tigrim.

§ 12. Non minus spiritibus suæ potentiæ leges & limites præscripti, ultra quos ne latum quidem pilum ferri queunt, etiamsi Deus conniveret, cunctaque permitteret. Nihil autem permittit, quod in suo ordine fieri nequit. Hic Dei omnipotentiæ nihil derogatur, sed dæmonis impotentia ostenditur. Ex omnipotentia porro divina non quicquid concludendum. In scholis dicunt, à posse ad esse non valere consequutionem. Deus non agit contra verbum suum & seipsum. Probandum esset, hoc vel ipsum Deum velle.

§ 13. Ita sancti Patres etiam de omnipotentia loquuntur. Tertullianus dicit contra Praxeam: Plane nihil Deo difficile sensi: quidvis de Deo confirmare poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem, quia omnia potest facere, ideo credendum est illum fecisse: sed an fecerit, inquirendum, &c. D. Ambrosius scribit ad Chromatium Epist. VI. 37. Quid ergo ei impossibile? non quod virtuti arduum, sed quod naturæ ejus contrarium. Impossibile, inquit, est ei mentiri. Impossibile illud, non infirmitatis est, sed virtutis & majestatis: quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem. D. Hieronymus ad Eustochium De custodia virginitatis, inquit: Audenter loquar, quum omnia possit Deus, suscitare viginem non potest post ruinam. Augustinus De civ. Dei V. 10. Deus dicitur omnipotens faciendo quod vult, non, faciendo quod non vult. Item: Potestas Dei non minuitur, cum dicitur mori fallique non posse. Mox: Propterea quædam non potest, quia omnipotens est, &c. Theodoretus quoque dicit, non indefinite pronunciandum esse, Deo omnia esse possibilia. Nam qui hoc absolute dixit, omnia & quæ bona sunt, & quæ contraria, simul dixit.

§ 14. Non oportet Dei potentiam esse errorum latibulum. Diabolus sibi multa assumit, quæ non potest. Creare ne muscam quidem hic potest (hoc siquidem solius Dei munus est, qui cujuscunque veræ essentiæ unicus fons est & origo) nec id officii ulla sibi tribuere potest creatura, sit vel angelus vel homo. Concubitum item exercere, eoque generare nequit dæmon. Desunt enim ei organa & materia, illis animalibus solum ab initio mandata, quæ carnem, sanguinem, spiritum & ossa, quibus carent dæmones, habent. Vides quantam hic ruinam facit falsissima illa cunctipotentiæ diabolicæ persuasio.

§ 15. Imo à me asseritur, illum nihil omnino posse extra indi-

tam

tam ei à rerum origine vim, quæ ipsius essentiæ consona est, & ei naturalis dicitur. Ex hujus potentia quicquid operari potest, Deo annuente, concedendum ei est: verum in eo exsequendo sæpius etiam freno coercetur, ut, quod velit & possit, non efficiat. Ad vindictam quidem Dei minister est, exsequutor justitiæ ejus & tortor, in eo genere, quod naturali virtute valet, neque amplius. *Haymo in cap. 1. Habacuc.*

§ 16. Eadem ratione citra negotium convulseris, vulgarem de Lamiarum viribus objectionem. Has nimirum rerum miracula humanas vires superantia, diaboli adminiculo præstare. Imo nec hæ extra connatam naturæ humanæ virtutem quicquam valent, etiamsi millies cooperetur dæmonium. At potius ob sexum & ætatem ex corporis inidonei constitutione frigida, humida, crassa & torpida, tenuis substantiæ dæmoniacæ opus impediunt, ut, si ille harum cooperationem requirat, in sui operis exsequutione turbetur inhibeaturque. Multa siquidem huic ut spiritui sunt naturæ ductu possibilia vel naturalia, quæ ob humanæ essentiæ crassitiem & tarditatem, nostræ naturæ metas longe lateque vincant.

§ 17. Si reluctèris, urgeasque ex spirituum communione miracula edi: &, quemadmodum se piis clarisque hominum spiritibus adjungunt angeli boni, tenues & puri, ut eorum preces in cœlestibus apud Deum exsequantur; eodem modo dæmones, ut crassiores spiritus impuris malevolisque hominum spiritibus se conjungere, ut eorum vota & voluntatem perficiant: respondeo: Ut quidem hæc quadantenus permitto, non tamen sequitur inde, naturalem hominis potentiam ita augeri, ut amplius vel aliter extra insitam ab initio vim quid valeat: at solum à spiritu vitioso spiritus & voluntas depravatur, ut, quod naturæ impetu queat, male & perverse velit & exequatur: nec propterea quocunque plagarum & afflictionum genere quoslibet ex illius precibus affici posse concedendum.

§ 18. Quod autem hujusmodi homines maleferiati desiderant, hoc præstigiis vel in eorundem phantasia vel in aëre exhibet præstigiator, ut decipiantur, qui ex naturæ corruptela simili afficiuntur sympathia. Sic utriusque fieri potest voluntas, quatenus naturæ ordo permittit. Nec Deus summe bonus & justus aliter concedit, quam ut pravorum sit communio tum in voto tum in actu; at limitate, ne pro arbitrio lædere queant. Bonorum vero libera est & voluntas & actio, qui nihil volunt, nisi in summo bono, hoc est

Deo, qui infinitus est, nec ullis circumscribitur limitibus.

§ 19. Proinde, non quidvis concedere justissimum Deum asserendum est; sed ea solum, quæ naturalis ordo divinitus constitutus postulat: In cujus notionem si ex ordinatis rerum principiis & ratione pervenire nequiveris, in veritatis libros mentis oculos converte, lucidoque radio contemplare, quid hactenus diabolo concessum sit. In iis enim velut in tersissimo speculo, totius harmoniæ & divinæ ordinationis ideam, evidentissime cernis. Ad quam ἀναλογίᾳ quadam facile referri poterit, quicquid in hujusmodi meditatione tibi remoram objicit.

Quæ diabolo sunt impossibilia: ubi multa maleficia illi hactenus falso attributa recensentur.

CAP. XXV.

Porro quemadmodum mirificas Satanæ vires actionesque præstigiosas confessus sum: ita quoque machinetur, fabricetur, architectetur, moliatur, formet, reformet, fingat, mutet quadrata rotundis, artem quamcunque jactet, oculos præstringat: plurima tamen illi ἄμαχα atque impossibilia proponam, constanter negans, illum aut illius angelos vel minimum corpus posse creare, sive res ex nihilo condere, aut vere pro suo nutu transmutare, aut iis aliam induere formam, virtutem, vel proprietatem. Nequit corpus in salis petram revera immutare, quod uxori Loth contigit. Nec potuit virgas in dracones vere convertere, nec aquam in sanguinem, nec gignere ranas, nec cyniphes vel pediculos ex pulvere producere, nec mare sejungere, ut nudis transiretur pedibus, nec aquam amaram reddere simpliciter dulcem, neque eam ictu è petra elicere, quæ cuncta Moses præstitit. Non item res exiguas reddit ampliores, quod in seminibus & quibuscunque creatis à Deo quotidie fieri videmus. Oleum quoque in vasis viduæ vacuis auxit Helisæus: & panibus quinque hordeaceis piscibusque duobus tot hominum millia cibavit Christus, relictis duodecim fragmentorum cophinis. Nec sua virtute potest aquam in vinum transformare, elephantiacos mundare, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressus firmitatem restituere, aut ullum morbum vere sanare, vel steriles fœminas fœcundas reddere. Nequit etiam diabolus cum suis membris, alicui vitam dare, aut extinctos ad vitam revocare: aut eorum

Diabolo impossibilia.

Gen. 19. Exod. 7. 8. 9. 10. Vide lib. 2. cap. 8. Exod. 14. 15. 17.

4. Reg. 4.

Joan. 6.

eorum animas in manu Dei existentes, & in Domino obdormientes, è sua quiete turbare: vel institutum divinitus naturæ cursum impedire (quemadmodum Josue Amorrhæos expugnante, & postea Ezechia convalescente, ac Domino JESU in cruce pendente, revera factum legimus) destruere aut mutare. *Sapient. 3.* *1. Thess. 4.* *Josua 10.* *Esaja 28.* *Eccl. 46.* *Dionys. ad Polycar.*

§ 2. Nec quoque penitus destructa redintegrare potest: non cœlo deducere lunam: nec quæ adhuc in herba sunt, aut satas alio traducere messes: non honestos bonosque homines diligere, non improbos odisse: non introspicere ac integre pernoscere sensus & cogitata hominum contra Platonem in Epinomide: non duras, asperas & acutas materies, per solidas corporis partes illæse, aut per strictiores meatus magnitudini materierum certa proportione aut dimensione secundum naturæ legem neutiquam respondentes, in ipsa corpora immittere: non ad ullum malum (in quod nocte diuque ipse totus malus, malignaque voluntate quoscunque pessimos mortales vincens, sponte propendet, nec vitiata natura aliter potest) ullius hominis imperio vel arte, vel ex fœdere compelli: non se in hominum corpora pro sua voluntate, aut ad alicujus malitiosæ & maleferiatæ anus arbitrium imprecationemve insinuare, nec ejusdem edicto è corporibus egredi: non denique prævidere prius, quomodo fata mundi, imperiorum aut privatarum rerum dispensaturus sit Deus, quam illa voce divina promulgantur declaranturque. *August. de Definit. Ecclesiastic. dogmatum.*

§ 3. In Decretis legitur: Quisquis credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius deteriusve immutari, aut in aliam speciem vel similitudinem transformari, quam ab ipso omnium Creatore, pagano & infideli deterior est. Omnibus itaque publice annunciandum est, quod qui talia credit, & his similia, fidem perdidit: & qui rectam fidem non habet, hic non est ejus, sed illius in quem credit, id est diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt. *1 parte 26. q 5. episcopi.* *Joan. 1.*

§ 4. Scribit Psellus Platonicus & Christianus, dæmonia sæpe hominibus divitias polliceri, item gloriam, victoriam, amorem, cum tamen tradere ex se non possint: quippe quæ nullum imperium habeant. Sed visu tandem quædam inania suis cultoribus afferunt, varia prorsus & instabilia, quæ tamen impii divina esse spectacula putant. Hinc multa, quæ tanquam vere gesta, hactenus diabolo & illius mancipiis attributa sunt, ut fraudulenta aut præstigiosa,

gioſa, vel non eo,quo apparuere, modo revera exiſtentia, collabaſcere oportet: quemadmodum luculentis porro demonſtrationibus,fuſius in ſequentibus docebitur libris.

Diabolum ignorare hominum cogitationes, ſententiis patrum oſtenditur.

CAP. XXVI.

Quum mire controverſum hactenus apud eximiæ etiam prudentiæ viros fuerit, num ſenſus hominum noſcat diabolus, licet hic ſacroſanctæ Scripturæ teſtimonia ſatis ſuperque meam ſtabiliant ſententiam, ubi Deus ſolus καρδιογνώστης, cordis cognitor & inſpector agnoſcitur, Act. cap. 1. 15. & Sapientiæ cap. 1. ſcrutans corda & renes, Apoc. cap. 2. tamen, ut præfractioribus nimis in ſatanicarum virium prærogativam inclinantibus ſatisfiat, corollarii vice, patrum quorundam ſcripta huc facientia adjicere volui, ut & hujus ſtationis præſidia in poſterum deſerant adverſarii.

Idem Rabanus lib. 4. de ſermo, properiet. cap. 10.

§ 2. Auguſt. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 81. Internas animæ cogitationes diabolum non videre, certi ſumus: ſed motibus eas corporis ab illo & affectionum indiciis colligi, experimento didicimus. Secreta autem cordis ſolus ille novit, ad quem dicitur: Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.

§ 3. Anſhelmus in caput 6. Matth. Dæmones non poſſunt cogitationes intelligere,niſi aliquibus ſignis indicantur. Ibidem in 15. cap. Sunt arguendi hac ſententia, qui cogitationes à diabolo immitti putant,& non ex propria voluntate naſci. Diabolus eſt adjutor, & incentor malarum cogitationum poteſt eſſe,non author: quia nec interiora, niſi per quoſdam habitus & geſtus exteriores, novit. Verbi gratia,ſi pulchram mulierem vos crebro inſpicere viderit, cor amoris jaculo vulneratum intelligit.

§ 4. Haymo ſuper Euangel. feriæ 4. poſt Oculi: Diabolus non eſt author malitiarum,ſed incentor potius. Incentor enim poteſt eſſe,non author Non enim poteſt interiora cordis noſtri rimari,ſed ex geſtibus intelligere quid cogitemus. Joannes Caſſianus Collat. 7. cap. 15. Nulli dubium eſt, quin poſſint ſpiritus immundi cogitationum noſtrarum attingere qualitates, ſed indiciis eas ſenſibilibus forinſecus colligentes, id eſt,aut ex noſtris diſpoſitionibus aut verbis & ſtudiis, in quæ propenſius conſpexerint nos inclinari. Cæterum illas, quæ necdum de internis animæ prodierunt,adire omnino non poſſunt.

DE

DE MAGIS INFAMIBUS,

LIBER SECUNDUS.

DE

Quibus nominibus magi infames & venefici, in veteri Testamento significentur.

CAP. I.

Quanquam mota interdum quæstione, vel disputatione instituta de Lamiarum actionibus, sacræ mox objiciantur Scripturæ testimonia, in quibus magi vel malefici, sive incantatoris aut venefici, vel etiam præstigiatoris, ut alii interpretantur, nomen legitur, eoque denotari nuncupatas vulgo Lamias vel sagas, mox indistinctius asseratur: comperio tamen, prodigiosos hos homines cum suis artibus, præstigiis, illicitisque divinationibus, varie à Rabinis & Hebræis interpretibus exponi, diversis etiam nominibus reddi à nostris Latinis: nec Hebraismo exacte vel Latinæ translationi consonare Græcam. Manifestum id erit, si contextum Hebraicũ cum quacunque versione non oscitanter contuleris, Rabinorumque & interpretum judicia attentius observaveris omnibus his locis, ubicunque ulla horum portentorum fit mentio: velut Exod. cap. 7. 8. 9. 22. Levit. 19. 20. Deut. 18. Hierem. 27. Daniel. 2. 4. Reg. 21. 2. Paral. 33. & reliquis. Ob ejusmodi diversitatem interpretum, & dissidia, prædictis in locis virum undequaque doctissimum, & linguarum peritissimum D. ANDREAM MASIUM consului, qui voces Hebraicas, rem magicam spectantes, atque hic usurpatas numero septem, his explicuit verbis.

§ 2. Primam, videlicet כשף Chasaph, video constanter in vulgaribus Latinis Bibliis ita redditam, quasi id maleficium significet, quo à dæmone dementati homines, per malas artes pecudibus, segetibus, imo etiam ipsis hominibus nocent, aut saltem nocere se existimant: à quibus facinoribus malefici vocantur, quos lex Mosis, *Chasaphim.*

è vita sublatos voluit, Exodi 22. hoc decreto, מכשפה לא תחיה: hoc est, Maleficam non patieris vivere. Nomen enim מכשפה Mechassepha, quo lex hic utitur, à כשף Chasaph deflectitur: positumque est in Fœminino genere, ut ajunt interpretes: non quod viros impunes lex esse velit, sed quia ille sexus ob genuinam simplicitatē dæmonis insidiis frequentius patet. Quare Græca tralatio, quam Septuaginta senioribus asscribimus, decretum illud liberius reddidit φαρμακοὺς οὐ περιβιώσετε: hoc est, Veneficos (ut Masculino genere fœmininum comprehendam) non retinebitis in vita.

Mechassepha. *Vide & post in epist. priore ad Brent.*

Josephus Ant. Jud. IV. 8; intelligit eos, qui venenum usurpant. Vide post VI. 21.

§ 3. Animadverto autem prædictum vocabulum כשף Chasaph, & quæ ab ipso deducuntur: vix usquam in prædicta tralatione Græca aliter exponi, quam ut veneficium significent: hoc est, hisce Græcis vocabulis, φαρμακὸς, φαρμακεὺς, φάρμακον, & quæ hujus sunt inflexionis. Nam & vulgo etiam creduntur illi, quos vocamus maleficos, nefarias suas artes non sine medicatis quibusdam rebus exercere atque efficere: ut taceam authores tum Græcos, tum Latinos.

Φαρμακὸς Φαρμακεύς. Φαρμακὶς unde Aristoph. Φαρμακίδες Θετταλαί.

§ 4. Abenezra autem apud Hebræos magni nominis scriptor, dicit vocem כשף Chasaph proprie ad præstigias spectare: hoc est, eas delusiones, quibus res aliter atque se habent, nostris oculis exhibentur. Quod ut ipsi concedamus, tametsi mihi sane non videatur facile ex sacra Scriptura id evinci posse: tamen Danielis secundo capite, ubi legimus, Nabugodonozerem inter alios somnii sui interpretes adhibuisse etiam מכשפים Mechassephim: si præstigiatores vertas, non video, quid illi ad explicandum somnium adferre sua arte potuissent, quæ tota fallax & delusoria est.

§ 5. Quare ejus loci interpres, Levi Gersonis filius, summus in illa gente philosophus, ait, Mechassephim esse eos, qui artem profitentur astrorum, genios cœlo deducendi, atque in characteres quosdam certis horis siderumque cursibus fabrefactos concinnatosque pelliciendi, & illectos in eorum hominum, quos velint, aut commodum aut incommodum incitandi, vel ad quævis etiam alia officia adigendi, veluti ad præsagia significationesque rerum abditarum. Malachiæ cap. 3. vers. 5. mechassephim & menaphim, id est, malefici & adulteri, conjunguntur.

§ 6. Ego vero, si meum judicium etiam requiris, putarim illud vocabulum late patêre, atque ad quamvis magicam artem spectare: & in hac sententia video etiam esse vulgus Hebræorum. Video

tamen

tamen Syros illa voce uti pro λειτουργεῖν, hoc est, rem divinam facere, aut sacris operari, item precari suppliciter & magno studio. Et quia Syri sic illo themate utuntur, probabile est, olim Hebræos quoque illos pristinos sic usurpasse. Sæpe enim fit, ut vocabulum aliquod in vicina conservatum lingua inveniatur, quod è sua periit. Sicut Ligures hodie lotum arborem aut fructum fabam Græcam vocant. Latini autem, quid sit faba Græca, nunc ignorant.

§ 7. Secunda vox erat קסם Kasam, ea videtur, etiam Hebræis anthoribus, peculiariter ad futurarum rerum præsagia pertinere. Quare & in Græcis Bibliis ubique, quod sciam, significatione verbi μαντεύεσθαι, quod vaticinari significat, redditur: veluti Deut. 18. Jerem. 27. & alibi. In Latinis vero Bibliis (loquor autem semper de vulgari tralatione) interdum vertitur ariolandi, interdum divinandi verbo: ut in iis locis, quos jam citavi. Est autem etiam ubi in bonam partem accipitur, pro eo qui subtilioris ingenii sui perspicacitate futura prævidere aut conjicere potest, & quod facto opus est, perspicere. Sic enim utitur Jesaias cap. 3. vers. 2. cum inter alios, qui rempublicam conservare apud Hierosolymitanos possent, istos etiam enumerat. *Kasam.* *μαντεύεσθαι*

§ 8. Tertia עונן Onen, in Latinis Bibliis aliquando observare somnia, ut Deut. 18. & 2. Paralip. 33. aliquando augurari, ut Jer. 27. interdum etiam divinare, ut Micheæ 5. vertitur. In Græcis vero, nonnunquam οἰωνίζεσθαι, id est, augurari, ut Jer. 27. plerunque etiam ἀποφθέγγεσθαι, oracula edere, Micheæ 5. Veteres Hebræorum dicunt id verbum ad eos proprie pertinere, qui temporum momenta superstitiose observant, atque alia fausta rebus gerendis, alia infausta præscribunt. *Onen.* *οἰωνίζεσθαι* *ἀποφθέγγεσθαι.*

§ 9. Quarta נחש Nahas, Deut. 18. & 2. Paralip. 33. Latine vertitur, observare auguria: Græce vero, ut ea, quæ proxime præcessit, οἰωνίζεσθαι, vox est in Bibliis frequens. Hebræi dicunt, ad eas conjecturas accommodari proprie, quibus rerum præsentium futurarumque statum nimis curiosa & sane delira religione conjicimus ex fortuito quopiam eventu: velut ex dextro aut sinistro avium volatu, aut animalis cujuspiam occursu, vel membri nutu, tinnitu ve aut lapsu, sternutatione item, singultu, cantu, cribri motu: & quæ sunt aliæ hujus generis mille superstitiones apud mulierculas in vanissimo usu. *Nahas.*

§ 10. Quinta חבר Habar, Latine incantare, Græce ἐπᾴδειν *Habar.* *ἐπᾴδειν.* *ἐπαοιδοὶ incantatores.*

traducitur. Utuntur Hebræi ea, quando arcana quædam verba à Magis mussantur, quibus efficacia inesse mira putatur. Quale illud est Virgilii nostri:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

§ 11. Et ego vidi, qui verbis sisterent feras, telique jactum expectare cogerent: & qui fœdum illud & domesticum animal, quod Rattum dicimus, simulatque conspexissent, quovis loco quasi attonitum aut stupidum subsistere, nec se loco movere compellerent (sive id visu solo, sive incantatione effecerint) donec non ex insidiis, sed protensa manu apprehensum strangularent. Quin & David ejuscemodi miracula fieri per incantationes, satis videtur de aspide surda significare, cujus mentionem facit Psal. 57. aut juxta Hebraicos codices, 58. Quo loco utitur verbo isto חבר Habar & simul etiam verbo לחש Lahas, quod idem significat.

Lahas. Ob. § 12. Sexta vox אוב Ob, plerunque redditur in Latina translatione Python, aut Pythonicus spiritus: ut Deut. 18. Esa. 19. 1. Reg. 28. & 4. Reg. 23. ac alibi crebro. Interdum etiam, sed ut mihi videtur, minus proprie, magus: ut 2. Paral. 33. In Græca autem fere semper ἐγγαστρίμυθος: nisi quod 4. Reg. 21. & 23. interpretetur θελητὰς, & nescio an usquam alibi. Significat vero vox אוב Ob, Hebræis utrem aut lagenam: unde & eos dæmonas, qui obscuris vocibus, ex semotioribus corporis humani partibus, veluti ex axillis, aut fœminarum pudendis responsabant, quasi ex utre aut lagunculа, אוב Ob, aut plurali numero Oboth, ea gens

ἐγγαστρίμυθοι. ἐγγαστρίται. vocavit. Græci vero apposita voce appellarunt ἐγγαστριμύθους, aut ἐγγαστρίτας, eo quod ex ventribus hominum profarentur. Quam vocem Græcam imitati Latinorum quidam, non inepte ventriloquos dixere.

Part. 2. caus. 26. q. 3. § 13. Accommodantur autem illa vocabula proprie ad ipsos malos spiritus: interdum tamen etiam ad ipsos homines, qui illos patiuntur. Ejus generis dæmonium nobilitavit olim apud Athenienses quendam Eurycleam magum, ut author est Aristophanes in Vide lib. 2. cap. 14. Vespis: ubi ait, se supposititiis suis comœdiis multum commodi attulisse Reipub. Atheniensium, quas, Euryclis imitatus oraculum & morem, in aliorum poëtarum ventres ingressus, clam recitandas curarit. Ab illo Eurycle (ut doctissima commentaria Græca ostendunt) vates ejus generis postea dicti sunt εὐρυκλεῖται, & ἐγγαστρίμυθοι vel etiam ἐγγαστρίται. Puellam quoque cujus in Actis Apostolorum

cap. 16.

cap. 16. fit mentio, ventriloquam fuisse, author est D. Augustinus in eo libro, quem de doctrina Christiana composuit. Sed de hoc satis. *Ventriloqua.*

§ 14. Postrema vox Hebræa erat ידעני Iidoni, quam ab Hebræo verbo ידע iada, quod scire atque cognoscere significat, deductam puto. *Iidoni.* Quanquam non ignorem, quas nugas Hebræi adferant de animali quodam terrigeno, humana forma, cui nomen Jadua fingunt, & cujus osse vaticinentur ii, qui Iidoniim vocentur. Est enim illa gens nimis quam stulta, in ejusmodi anilibus deliriis & fingendis & credendis. Vocabulum Iidoni vertitur Latine aliquoties Divinus, ut Deuter. 18. Levit. 20. & fortasse alibi: non nunquam etiam ariolus, ut Levit. 19. item 4. Reg. 23. Esaiæ 19. Greece vero interdum ἐπαοιδὸς ut 2. Paral. 33. Levit. 19. & 20. Interdum autem γνώστης, quod illi, quam dixi, etymologiæ appositissimum est, ut 1. Reg. 28. 4. Reg. 21. & 23. Est autem ubi vertitur, ὁ ἐκ τῆς γῆς φωνῶν, qui è terra clamitet: ut Esaiæ 8. & 19. Quod an ad oraculum è terra redditum spectet, an vero ad manes sepulchris exciendos, quale 1. Reg. 28. narratur factum, non satis scio.

§ 15. Equidem putarim, vocabulum hoc Iidoni, omne dæmonum vaticinantium atque responsa dantium genus complecti: illosque ab rerum omnium cognitione, quam profitentur, sic esse appellatos. eam vero, quæ hanc proxime antecedit, dico אוב Ob, horum certam speciem, ex ventribus scilicet, aut axillis, aut aliis secretioribus humani corporis partibus obscura voce profantium significare. Cujus rei vel id argumentum esse potest, quod in universis Bibliis hæ duæ posteriores voces, vix altera sine altera scriptæ usquam habeantur. Certe ultima hæc Iidoni, nusquam omnino, nisi mox post illam penultimam. Atque ita fiet, ut illarum septem vocum, quas commemoravimus, priores quinque ad hominum superstitiosas vanitates, aut veneficia etiam, quibus vel res abditas cognoscere, vel miracula efficere se posse putant, videantur spectare: duæ vero postremæ, ad ipsa malorum dæmonum, aut dæmoniacorum hominum (ut sic dicam) oracula.

§ 16. Hic præcipua illa horum monstrorum vox non erat prætermittenda, nimirum Hartummim. Sic eos dici ait Rabbi Levi, qui naturali modo mirabilia faciunt, aut facere censentur ab his, qui eorum dexteritatem minus diligenter observant. *Hartummim.* Aben Esra interpretatur, qui secreta qualitatum rerum & naturæ cognoscunt. At tales non fuisse, res ipsa docet, quum naturali potentia illi produci

effectus, quales Exod. 7. & 8. leguntur, nequivissent. Enimvero sic fui ssent magi naturalium rerum periti, Deo grati, nihil in ejus contumeliam præfractè molientes. At Hartummim in Exodo, potius magi fuere infames: qui, ut diaboli mancipia, nihil non præstigiis dæmoniacis conati sunt, impiorum oculis rerum simulachra objicientes, ut Mosi & Aaroni legatis Dei, fides derogaretur: qua ratione præstigiatores dicendi potius essent.

§ 17. Est autem aliarum nationum vocabulum, ab Hebræa lingua alienum & peregrinum, usurpatum tamen ab Hebræis, velut Genes. 41. vers. 8. & 24. item Exod. 7. v. 13. & 24. & cap. 8. vers. 7. & 18. & cap. 9. vers. 11. Adhæc Daniel, 1. vers. 20. denique Daniel. 2. vers. 2. D. Hieronymus in Gen. vertit Conjectores: in Exodo, Maleficos. Et sane Exod. 7. vers. 13. qui primo vocantur Hachamim, id est sapientes, & Mechassephim, hoc est malefici, ut quidam volunt, mox dicuntur illi ipsi Hartummim Mezeraim, hoc est, incantatores Ægyptii: unde colligi potest, quales sint Hartummim. Idem in Daniele interpretatur Hariolos. Rab. Isaaci Nataris sententia est, hoc nomine vocatos esse ab Hebræis quosvis, qui inter gentes singularem profitebantur sapientiam; præsertim, quum ea ad superstitionem pertineret.

Magus illusor, & Lamia delusa, & veneficus eodem nomine Germanis dicuntur.

§. 18. Nostris adhæc Germanis uno eodemque nomine Zauberer nuncupatur magus, ex professo illusor, & frequenter eruditus. Saga vel Lamia ob mentis imbecillitatem & corruptam phantasiam à diabolo delusa, & venenum studio usurpans veneficus. Hinc evenit, ut quando sagarum fit mentio, vel veneficorum, mox Pharaonis præstigiatores, longe à sagarum & veneficorum actionibus alienos opponant, æquivoco Germanico falsi.

§ 19. Proinde omnes scriptores Germanicos, quotquot me hactenus in ea lingua legisse contigit, graviter in hoc argumenti genere impegisse, etiamsi speciosos librorum foribus præfixerint titulos, atque sacræ Scripturæ testimonia produxisse videantur, palam testari minime pudet: maxime, quod in aëre turbando morbisque conciliandis nimium eos Lamiis tribuere, gladiumque strictum & fasces inflammandos crudelissimis carnificibus sine judicio, discretione, vel ulla commiserationis nota imprudentius subministrare videam.

§ 20. In ea opinionum varietate, ne tenebras offundat nominum confusio, ad hoc nostrum institutum variis de causis libuit, Magum in-

gum infamem à Lamia & venefica sejungere: ut clarius, exulceratissimo hoc nostro seculo, & in hoc negotio, adhuc tam indocto, res innotescant (cui usui voces servire oportet) & hi internoscantur, de quibus mihi sermo est: atque palam videatur, ubi ab aliorum male inolita opinione, rationis & sacrosanctæ Scripturæ basi innixus firmissime, non temere dissentiam. licet his hominibus, ac eorum artibus, quædam esse communia non diffitear.

Quid magus infamis, γοητεία & θεουργία.

CAPUT. II.

MAGI itaque infamis nomen generalius erit, nec tam angustis constrictum cancellis: Lamiarum vero & veneficarum appellatio strictioribus circumscribetur limitibus. Magũ enim nuncupo, qui à dæmone vel ab aliis, aut è libris voluntarie edoctus, præscripta aut barbarorum ignotorum aut cognitorum verborum formula recitata, submurmurata, applicatave, vel characteribus quibuscunque aut exorcismis, dirisque execrationibus aut ceremoniis, solennibus ritibus, aut rebus plerisque adjunctis, pro suo arbitrio, dæmonium in præstigiosum, fallax, vel alioqui ludicrum ministerium, illicite evocare conatur, ut ascititia sese vel conspicua ostendat imagine, vel aliter prodat, ad quæsitaque vel voec vel susurro respondeat, vel picturis, vel notis, vel quocunque alio modo: vel qui aliud opus, simili ratione præter naturæ legem, perficere nititur. Sub hoc etiam nomine illos omnes comprehendo, qui ab Hebræis, Græcis & Latinis hic variis dicti nominibus, superstitiose modoque vetito futura prædicunt.

Magus infamis.

Magiam Ægyptiorum inauspicatam Calasiris apud Heliodorum de Histor. Æthiopica ex Ægypto ἀποφαίνει, id est, magia artifex duplicem facit.

§ 2. Magorum artem omnem ac potentiam aspirationibus dæmonum constare, perhibet Lactantius: à quibus invocati, visus hominum præstigiis obcæcantibus fallunt, ut non videant ea, quę sunt, & videre se arbitrentur ea, quæ non sunt. Sic Clementis & fratrum oculos effascinarat Simon magus, ut patris Faustiniani vultui facies videretur impressa Simonis: Petrum vero deludere poterat minime. Hoc vere incantare, fascinare, effascinare dicitur: γοητεύειν Græcis, ἐπᾴδειν vel etiam βασκαίνειν, (quanquam duæ hæ voces minus generales existant) qua dictione Paulus usus est: O' insensati Galatæ, τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε; quis vos incantavit, & oculis veluti præstigio imposuit, ut non crederetis veritati? De oculis delusis Paulum intellexisse, testantur sequentia.

Orig. error. II. 15.

Clem. lib. 10 Recog.

Incantare Fascinare. γοητεύειν. ἐπᾴδειν. βασκαίνειν.

Gal. 3.

§ 3. Est

Præstigium. § 3. Est autem plane præstigii genus, ut id, quod sit, non videas: tum quod non est, te videre putes: ita visus intuentium præstringitur. Fascinum id, fascinationem, incantationem, maleficium vel carmen appelles licet: Magiam voce Persica, magicen, magiam infamem, magicam artem, immundorum spirituum commerciis inauspicatam: Græce ἐπῳδὴν & ἐπαοιδὴν, quasi dicas excantatricem: vel celebriori voce, γοητείαν, incantationibus & carminibus nefariæ curiositatis arte compositis concinnatam, quam honestiore vocabulo etiam θεουργίαν vocare audent, licet quodam discerniculo: quasi illius cultores, ut artibus illicitis deditos, putent damnandos: hujus vero patronos, laudabiles. quamvis utrique sint ritibus dæmonum fallacibus obstricti sub angelorum nominibus.

Fascinum. Magia infamis. ἐπῳδή. γοητεία. θεουργία. August. lib. 10 de Civitate Dei.

§ 4. Quandoquidem & Porphyrius quandam quasi purgationem animæ per theurgiam, cunctanter tamen & pudibunda quodammodo disputatione promittit: reditum autem ad Deum hac arte præstari cuiquam, inficiatur omnino. Quibusdam vero consecrationibus theurgicis, quas τελετὰς nuncupant, idoneam fieri atque aptam susceptionem spirituum & angelorum ad videndos deos (vel certius, meo quidem judicio, dæmones colludentes) arbitratur. Hanc & Augustinus rejicit.

τελεταί.

§ 5. At μαγείαν esse boni, ad bonum aliquod, dæmonis advocationem, Græci quidam fuco illito volunt: cujusmodi fuerunt Tyanei Apollonii vaticinia. γοητείαν autem mortuos excitare: unde etiam ἀπὸ τῶν γόων, id est à luctibus, deducunt, qui ad sepulchra edi noctu assueverunt, atque noxios dæmones in subsidium permovere & excire credebantur: & ob id illa aspergine lustralis aquæ & tædarum igne expiabantur, ne dæmones ea vel obsiderent, vel læderent. Hanc artem omnium placita legum exterminant execranturque. Hinc inter sacrilega Manassis regis flagitia, quibus Deum irritavit, connumeratur, quod fuerit maleficus, magiam exercuerit, & Pythonem consuluerit.

μαγεία quorundam Græcorum. Athenæus ex Clidemo, lib. 9. 4. Reg. 21. 2. Paral. 33.

Magiæ origo, & qui primi ejus cultores: insuper Magici libri patribus falsò inscripti.

CAP. III.

Lactant. Eusebius.

HUJUS artis originem ab angelis prævaricatoribus deducit apud Clementem Petrus lib. 4. Recog. referens, eos docuisse

cuisse homines, quod dæmones artibus quibusdam obedire mortalibus, hoc est magicis invocationibus cogi possent: ac velut ex fornace quadam & officina maliciæ, totum mundum, subtracto pietatis lumine, impietatis fumo repleverint. Ita introductum diluvium. Cham vero superstitis Noe filius, cuidam ex filiis suis, qui Mesraim appellabatur (à quo Ægyptiorum & Babyloniorum & Persarum ducitur genus) male compertam magicæ artis tradidit disciplinam. *Lactant.* *Eusebius.* *Non multo secus Berosus scribit.*

§ 2. Hunc gentes, quæ tunc erant, Zoroastrem appellaverunt: admiratæ primum magicæ artis authorem, cujus nomine etiam libri super hac plurimi habentur. Hic à dæmone, quem importunius fatigabat, igne succensus concrematur. Hujus cineres, tanquam fulminei ictus reliquias, colligentes hi, qui erant primo decepti, deferunt ad Persas, ut ab eis tanquam divinus è cœlo lapsus ignis, perpetuis conservaretur excubiis, atque ut cœlestis Deus coleretur. *Plura ibidem*: & quomodo hinc templa sint constructa, imagines erectæ, mysteria, ceremoniæ ac sacrificia instituta, ut eo licentius peccarint homines, idola nec videre, nec audire, nec in aliquo moveri scientes.

§ 3. Sic Plinius, quoque in Perside à Zoroastre (qui Persa Oromasi filius erat, quem aliqui filium Nohæ Cham putant) ortam magiam commemorat: fusius ejus originem, quando & à quibus cœperit, & celebrata fuerit, enarrans. Justinus in sua Epitome hunc Zoroastrem, qui magicam reperit artem, & de eadem centum millia versuum ab Hermippo commentariis illustrata composuit, Bactrianorum regem fuisse scribit, qui (teste Eusebio de Temporibus, & in x. de Præp. Euang.) plus 800. fere annis ante tempora Trojana fuit, quo etiam tempore Abraham & Ninus, quicum bella gessit, vixerunt, cum ageretur annus ab orbe condito MM. CLXXXV. Moriens Assyriis prædixit, si cineres suos conservarent, ipsorum regnum non periturum. Præceptorem in hac vanitate habuit Agonacen, quem aliquot annorum millibus ante Trojanum bellum fuisse celebrem, quidam sentiunt ex Cosmographica supputatione, qua Trojam annis 4020. post mundi creationem captam numerant. *Berosus.* *li. 30. ca. I.* *August. de civit. Dei. XXI. 14.* *Volaterr. x. 4. Oros. I. 4. Phrisingens. I. 6. Suidas.* *Ruvisius.*

§ 4. Methodius scribit, anno 340. Jared surrexisse viros malæ artis inventores, iniquos & omni nequitia plenos, ex filiis Cain, ut Jobeth & Tholuscol filios Lamech, qui cæcus fuit, quorum dominatu *In suis revelationibus.*

N minatu

Zamolxis Pythagoreus dicitur Straboni lib. 16. Magi. Contra Almadalam & Alchindum de effectu projectuque radiorum Joan. Fr. Picus lib. 7. cap. 5. & 6. ex professo. Curt. lib. 6. Philostr. in vita Apollonii. Volaterr. Anthrop. XIII. 8. Dion Nicaeus & Xiphilinus in vita Antonini Philosophi. Suidas. Crinit. lib. 5. cap 11. Fulgos. lib. 8. cap. 11. Philostr. in Apollonii vita. Volaterr. lib. 13. cap. 4. Adversus Apollonii Tya magica. Picus. lib. 7. cap. 10. Contra Porphyrium & illius lib. de responsis. idem lib. 7. capite 4. Plin. XXX. 1. Volaterr. lib. 13.

minatu diabolus eos convertit ad omne genus magicarum artium.

§ 5. Zabulum & Zamolxidem in illicitas artes pronos, hanc primos excogitasse, vel potius propagasse, ut à patre diabolo haud dubie natam, ferunt alii.

§ 6. Horum vestigia sequuti sunt Almadal, Alchindus & Hipocus ex Arabum turba, Apuscorus, Zaratus & Cobares apud Medos, Marmaridius apud Babylonios, Zarmocenidas apud Assyrios, Abbaris item apud Hyperboreos, Thesphetion apud Æthiopes, Arnuphis apud Ægyptios, Julianus apud Chaldæos, vocatus Theurgus, filius Juliani philosophi, qui lib. 4. de dæmonibus scripsit, sub M. Antonino: Cambyses & Zamares, Charondas, Dæmogorgon (aliis Damigeron) Eudoxus, Hermippus, Gobrias. Extiterunt & alii clariores antistites, ut Trismegistus Mercurius, vel Hermes, qui tempore Mosis vixit apud Pharaonem, quem mare rubrum absumpsit: Apollonius Tyaneus, Dardanus, Gog Græcus, & Germa Babylonicus.

§ 7. Recentiorem vero magiam (quam Cypriam dixere) ex Perside invectam esse in Græciam, prodiderunt Græci, à quodam Hostane Persa, qui Xerxem bellum Græciæ inferentem comitatus, semina artis portentosæ undique sparsit, infecto quocunque commeaverat mundo. Hunc ad rabiem, non aviditatem modo scientiæ ejus, Græcorum populos egisse, asserit Plinius. Inde Hostanes secundus, Alexandri Magni comes, artem hanc illustravit.

§ 8. In universum deinde orbem magiæ studium est translatum. Hanc & coluere Antisthenes Atheniensis, discipulus Socratis, & Diogenis præceptor, author librorum de arte Magica: Onomacritus apud Athenienses Musæi socius, Athenis ab Hipparcho expulsus: Thrasyllus etiam ob hujus peritiam Tiberio Cæsari admodum gratus: Sempronius Rufus, natione Iberus, præstigiorum nomine à Severo Imperatore in insulam relegatus, deinde ab ejus filio Antonino revocatus: Cetieus quoque, Hermogenes, Philetes, Cyprianus qui D. Justinam virginem Aglaio amatori frustra conciliare nisus est: item Didius Julianus, & Antoninus Heliogabalus.

§ 9. Porphyrius à posteriore gentilitate maxime cultus, & inter Platonicos, ob excellentiam, philosophus cognominatus, sed hostis ille Christi asophos vel misosophos potius appellandus, cujus præceptor Plotinus Italicæ scholæ Platonicæ patronus, ut Jambli-

Jamblichus Ægyptiacæ,& Proclus Asiaticæ. Hic habitus omnium Platonis mysteriorum consultissimus, cujus librum de Sacrificio & magia non minus graviter quam acerbe perstringit Joa. Franc. Picus de Prænotione superstitiosa VII. 5. Hi simul operam dedere, ut cum studio & labore insanirent, philosophi alioquin sua laude digni. Amphionem quoque Thebanum & Orpheum magicis artibus valuisse, tradit Pausanias. His adde Apulejum Medaurensem non alia de causa fictum in asinum fuisse commutatum, quam ob magicarum vanitatum peritiam. Item Artephium, qui in Compendio studii Theologiæ affirmat, se peragrasse omnes Orientis regiones exquirendæ sapientiæ gratia, & ad Tantalum pervenisse in aureo throno sedentem, deque cœlestibus, de natura, de moribus docentem, qui nihilominus ab Artephio sit doctus.

cap. 3. Anthrop. Herodot. in Polyhymnia. Dion. in Tiberio. Dion. & Xiphilin. in Antonino. Capitolinus. Spartianus. Volaterr. lib. 23. Anthro. Dion & Xiphil. in Antonino. Porphyrius. Plotinus. Iamblichus. Proclus. Joan. Pic. l. 2. c. 5. de Pran. divin.

§ 10. Illustrata hæc magia est, & fere absoluta à Democrito Abderite, qui Dardani Ægyptiorum magi peritissimi libros de Magia conscriptos, & in ejus monumento abditos eruit, atque justis commentariorum voluminibus ex disciplina Apollonicæ Captidenis & Dardani Phœnicum explicavit. Ab illo Dardaniæ dicuntur artes. Unde Columella:

At si nulla valet medicina repellere morbum,
Dardaniæ veniant artes. ——

Et Choastes apud Valerium Flaccum:

Maximus hos inter Stygia vovit arte Choastes.

Item: *Harcalo non pavidus fetas mulcere leænas.*

Syllius lib. 1.

Et apud eundem:

Nec non serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, tactuque graves sopire chelydros,
Ac dubiam admoto sobolem explorare cerastæ.

§ 11. Eodem Dardani exemplo duodecim libros à se de hoc præstigiarum genere concinnatos, in sepulchro secum recondi voluit Numa Pompilius, rex & pontifex Rom. Extant & de hoc artificio Hermetis libri.

§ 12. Non hic erant prætermittendi præstantissimi philosophi, Pythagoras, Empedocles, Democritus & Plato, qui ad hanc artem discendam (Plinio authore) navigarunt, exiliis potius, quam peregrinationibus susceptis. Hanc reversi prædicarunt, hanc in arcanis habuerunt. Quin & Pythagoram, Platonemque, ob eam capessendam Memphiticos vates accessisse, & pene totam Syriam, Ægyp-

Lib. 30. cap. 1.

Plutarch. in vita Numa. Contra monstrosa

Pythagoras facta scripsit Timon Phliasius. tam, Judæam, & Chaldæorum scholas perlustrasse, compertum est. Enimvero hanc apud Chaldæos, religionem etiam in sapientiam philosophicam commutantes, Assyrios, Persas, Arabes, Æthiopes, & Indos plus ab initio cultam fuisse atque celebratam, quam apud ullas alias gentes, constat.

Ægyptii natura superstitiosi. § 13. Ægyptios adhæc, natura superstitiosos, ac in aniles fabulas & histrionica commenta religionem vertentes, inprimis ea claruisse, quod potissimum apud eos dæmonum viguerit cultus: quibus nihil studio majori fuit unquam, nihil prius, quam ut quibuscunque possent modis, à vera Dei & naturæ contemplatione abreptos, transversos homines suis illaquearent vaframentis. Ita Græci amantes & perquam studiosi novarum & ingeniosarum inventionum, in Pyrronias disputationes religionem transfuderunt: quemadmodum Romani dominationis natura cupidi, eam ad suos similiter inflexerunt attemperaruntque affectus, & imperio conformarunt politico: qua ratione utrique dæmonum artibus manum quoque pronius dedere. Extitere & Choatræ populi, incantatores non vulgares, quorum lacus juxta Mæotim, Plinio teste. Valer. Flaccus. Argonaut. VI.

Centoras & diros magico terrore Choatras.

Herod. Neuri Scythiæ populi incantatores quoque habiti famosi.

§ 14. At quanquam naturalem magiam plerosque eorum authorum coluisse objicietur, plurimum tamen eosdem superstitionis impiæ infamisque magiæ admiscuisse comperitur: ut natura lis illa gœtiæ & theurgiæ illecebris confusa, malorumque dæmonum imposturis irretita, non satis secernatur: alias penitissima illa naturalium rerum abstrusarum speculatio & cognitio, vera nimirum philosophia, sanctiorque magia, à sapientibus solenni plausu excipienda, colendaque, à me hic non elevatur, cui etiam nulla ex parte quicquam derogatum volo. *Naturalis magia quid, & ejus commendatio.*

§ 15. Rabini Hebræorum asserunt, antiquos patres ad Sanhedrim, hoc est, consilium & judicium magnum admisisse neminem, nisi magiæ peritum, & gnarum septuaginta linguarum. Adhæc quos Græci sophos aut philosophos, Chaldæi etiam magos vocant, ut in Danielem testatur D. Hieronymus: hos commendat veritatis historia, Matth. 2. Momentum enim, locumque nati filii Dei, ex prophetiis, quas in illo regno & Babylonicæ Israeliticæ captivitatis tempore sparserant, stellæ monitu agnoscunt. Quam quidem

stellam.

stellam non fortuito illuxisse, neque ex materia physica naturæ ductu inflammata exarsisse, verum divinitus accensam, ut Christi nativitatem designaret, ipsosque ad locum, in quo erat, deduceret; intelligunt.

§ 16. Superiorum vero infamia vel hinc magis elucescet, quod in Divinationibus Cicero scribit, in Persis augurari magos, & divinare, congregarique in fano commentandi causa, atque inter se colloquendi. Et quod gravius multo est, in lib. de Sacrificio & Magia Proclus, dum hanc naturalium sympathiam cognationemque, &, si voles, compassionem latissime demonstrat, etiam numinum advocatione uti solitos magos, per hujusmodi rerum consensum, tradit. Eos quoque multæ idololatriæ occasionem dedisse, fabricatos temere superstitionum & falsæ credulitatis plurima genera, testatur Laërtius. Ex quo artis liquet ignominia, quod numinis appellatione prætenta, ad dæmonum inclinans versutias, impeditissimis & ipsa erroribus obretita, minus providos in interitum præcipites rapiat.

§ 17. Sed utinam posterioribus Magis ea mansisset religio, quæ Magorum Persarum erat, & Ægyptiorum sacerdotum, & Druidum Gallorum! qui nefas esse arbitrabantur, ea magiæ sacra literarum monumentis committere, ne vulgo innotescerent. Ita tandem fuisset sperandum, illud prodigiosum diaboli artificium, atque generi humano exitiosum, prorsus interiturum. Quemadmodum & jam Theologis & Medicis quocunque moliminis genere conandum, ut artium hæc perniciosissima, fraudibus plena, è religionis nostræ sacris quam longissime exulet, & è divinæ Medicinæ castris omnino procul exterminetur: quum utranque suis fucatis *exorcismis*, barbaricarum vocum preculis, obscurorum nominum recitatione, sacrosancti eloquii abusu, ligaturis, periaptis, carminibusque ad salutis & vitæ hominum perniciem conspurcarit. Sicuti apud Judæos secretiorem divinæ legis interpretationem, Cabala nuncupatam, identidem ab ea defœdatam vitiatamque legimus: ut Cabalistica ejusmodi magia, Christum incomparabilia effecisse miracula, astruere non exhorrescant perfidi Judæi. *Cabala à magia infami vitiata.*

§ 18. Et hodie adhuc titulis, quos præ foribus splendidos suspendunt hi magi, ementitis circumferuntur libri sub nominibus Adæ, Abelis, Enoch (quem diviniorem ante cæteros fuisse asseruit *vetustas*) item Abrahæ, Aaronis, Danielis ob somniorum explicatio- *Libri magici.* *Enoch.*

Antiq. Jud VIII. 2. Vide sequenti li. 5. cap. 22. eam de Solomone opinionem scite dilutam.

nem, Solomonis (insigni conjectura ita ex Josepho augurantur sacrilegi, indoctis auribus irrepentes) adhaec Zachariae Babylonii, Pauli, Honorii, Cypriani, Thomae, Hieronymi & Eboracensis cujusdam: ut ob speciosa haec nominum lenocinia magis arrideant, illiciantque & citius fidem sortiantur.

§ 19. Verum acrius intuenti, aperte se prodit horum furciferorum circulatorumque fallax praestigium, & nostro aevo jam pridem conficta sese profitentur ipsa volumina. Joseph quoque Israelis filio, ex peculiari Dei munere vaticinanti, somnia interpretanti, in fratrum ministerium à providentia divina segregato, Christique typum gerenti, eam aspergit maculam Justinus, illum magicas novisse artes, easque ad Mosen & reliquos pervenisse scribens. Idem de Mose tradit Plinius, & Tacitus: quem etiam Aegyptium sacerdotem dixêre non valde diligentes (teste Capnione) quidam rerum scriptores, ut Strabo Cosmographiae lib. XVI. Magum item & fallacem eum appellat Possidonius, & Lysimachus, & Appollonius Molon, & plerique alii, similiter Appion: quos mendacii, ignorantiae & insaniae insimulat Josephus multis argumentis.

Justin. lib. 16.

Lib. 30. cap. 1.

Lib. 1. & 2. contra Appionem.

Magi profani.

§ 20. Eam labem in primitiva Ecclesia quoque multis Christianis illeverunt gentes, qui tantum differebant à magis, quantum à tenebris lux, à mendacio veritas, ab ima vanitate, summa & sincera pietas. Hos Origenes defendit. Nec sane illud mirum, quum plures ab haereticis & impostoribus libros sub titulo Servatoris nostri Jesu fuisse editos, non solum Hieronymus in 13. Ezechielis commentario testis sit: sed & Augustinus in 1. de cons. Evangel. affirmet, fuisse gentiles quosdam temporibus suis, qui jactarent se vidisse & legisse libros aliquot Christi ad Petrum & Paulum, in quibus scripta esset summa totius artis magicae, ex cujus peritia Christus, dum viveret, tot tantaque miracula edidisset: Quorum insaniam quatuor argumentis eodem in loco breviter refellit.

Ex magis multi haeretici prodiere. 1. Timoth. 3.

Simon Samarit. magus, haereseum seminarium.

Abdias episcop. Bab. lib. 1. certam. Apostol.

§ 21. Ex eo magorum collegio etiam ingens haereticorum numerus in Ecclesiam irrepsit, qui sicut Jannes & Jambres restiterunt Mosi, sic & illi Apostolicae veritati oblatrarunt. Horum princeps extitit Simon Samaritanus, qui Romae sub Claudio Caesare propter hanc rem statua donatus est, cum hac inscriptione: SIMONI SANCTO DEO. Hic tandem velut in aëre volans, à daemonibus vectus, Petro orante exaltatus dilabitur, misereque interiit. Ejus blasphemias prolixe recensent Clemens in Itinerario, Irenaeus, Egesippus de Exc.

de Exc. Hierosolymit. III, 2. Eusebius, Nicephorus Eccles. hist. II. 27. Ambrosius in Hexaemero, Fulgosus VIII. II.

§ 22. Menander magus Simoni successit, ipse quoque genere Samarita: neque solum ejus expressit impietatem, sed longe superans, majoribus portentis efferebatur, sese Servatorem dictitans ex olympo ad cœlum demissum, docebatque nullo pacto angelos ab hominibus vinci aut cogi posse, quam artis magicæ disciplina & baptismo, ab eo traditis, ex quibus immortalitaté humano generi provenire asserebat. Quæ omnia ex libris Irenæi refert Eusebius III. 4.

§ 23. Ex illo Simone tanquam ex hæresium seminario, pullularunt per multas successiones, monstrosi Ophitæ, turpes Gnostici, jactantes omnem intelligentiam sibi datam non cœlitus, sed à spiritu impostore & ventriloquo: impii Valentiniani, Cerdoniani, Marcionistæ, Montaniani, & multi alii hæretici, propter quæstus & inanis gloriæ aucupium mentientes adversus Deum, nec quicquam utilitatis aut beneficiorum conferentes hominibus: at decipientes, & in errorem perniciemque præcipitantes.

§ 24. Huc pertinet famosissimi magi Cynopis historia, quicum Joanni Evangelistæ, jussu Domitiani in Pathmo insula, quæ est una ex Sporadibus, exulanti, controversia erat. Exempla quoque leguntur apud Josephum Antiq. Jud. xx. 6.

Qui magiam infamem postea coluere, & funestus quorundam interitus.

CAP. IIII.

SUPERIORUM magorum nugamenta itidem insulse sequuti sunt, Appion Grammaticus, Julianus apostata, Robertus Anglicus apud Helvetios misere mortuus, Rogerius Bachon, Petrus Aponensis Conciliator dictus, Albertus Teutonicus, Arnoldus de Villanova, Anselmus Parmensis, Picatrix Hispanus, vel author libri ad Alfonsum sub Picatricis nomine, Cicchus Asculus Florentinus, & plerique alii obscurioris nominis scriptores, deplorati certe ingenii homines. Qui, quum se magiam tradere pollicentur, non nisi aut deliramenta quædam, nulla ratione subnixa, aut superstitiones, piis omnibus indignas congesserunt.

In Rogerium Bach. scribit Joan. Franc. Picus VII. 7. & contra Petr. Aponensem ac Albertum IV. 9. & VII. 5. & 7. de Praenot. superst. velut & adversus Indorum Brachmanum & Gymnosophistarum Aethiopum magica. VII. 9.

§ 2. Quorum plures etiam in hac arte florentissimos, fama mulctatos, & quam miserrime hoc mundo defunctos fuisse, se partim cognovisse, partim testantibus fidelissimis hominibus audivisse, asserit

exi-

Lib. 2. de verbo mirif. eximium illud olim Germaniæ decus Joannes Reuchlinus, linguarum peritissimus. Quandoque enim ejusmodi societatis jure devinctos, vel ancipitibus falsisve præstigiis ad mentiendum permotos perdunt dæmones, & judicibus vinciendos, excarnificandos, enecandosque produnt: vel ipsi tragico aliquo tristique supplicio interemptos abripiunt. Solent tali quidem honore & remuneratione, tenebrarum potestates suam afficere clientelam.

§ 3. Ita Zoroastrem absumpserunt flammæ, ac Simonem magum altissimus casus. *Zaroes & Arphaxat Magi fulguris ictu mortui.* Zaroes & Arphaxat magos in Persidis civitatibus ludificantes homines, ipsa hora martyrii Simonis & Judæ apostolorum fulguris ictu exustos fuisse, tradit Abdias Bab. episcopus lib. 6. certam. Apostol. Sic & Cynopem magorum principem, *Cynope magus a fluctib. absorptus.* Joanne euangelista orante, fluctus absorpsisse legimus. L. Piso primo Annalium auctor est, Tullum Hostilium regem, ex Numæ libris, eodem sacrificio, quo Jovem cœlo devocare conaretur, quoniam parum rite quædam fecisset, fulmine ictum. Amphiaraus Argivus vates & augur, cavere sibi non potuit, quin primo die, quo *Statius in Thebaide.* Thebas veniret, hiatu terræ absorberetur.

§ 4. Maxentius Imperator artibus magicis (quibus exercendis erat aptior, quam Imperio) deditus fuit, & mulieres prægnantes interdum secuit, aliquando infantum recens natorum viscera inquisivit. Quandoque arcanis quibusdam rationibus dæmones accivit, eorumque responsis bellum, quod sibi à Constantino & Lycinio parari senserat, amoliri conatus est. At quod hic sui conatus *Eusebius. I x. 9.* impii sortitus est autoramentum? Victus aliquot à Constantino præliis, cum suis tandem in flumine mersus periit, ponte Milvio rupto, quem scaphis conjunctis, ut transire posset, ipse fecerat, & in proprium appararat exitium. Christiani dixere, interitum Maxentii similem fuisse Pharaonis pœnæ.

§ 5. Scribit Olaus Magnus. 111. 4. de gent. Septent. quod *Methotin magus occiditur.* Methotin quidam arte magica insignis, excellentem fictæ dignitatis, vel potius divinitatis opinionem sibi assumens, simplicium animos præstigiosæ artis fama seductos, ad præstigiosa libamenta sibi pendenda adduxerit. Hic, cum esset summus deorum pontifex, sacrificia ceremoniasque ita distinxit & ordinavit, ut discretus superum cuique cultus & libatio observaretur, asserens deorum offensas communibus sacrificiis aut permixtis ceremoniis expiari non posse. Tandem sceleribus ejus detectis, concursu populi occiditur:

tur: occisusque pestifera cadaveris sui contagione plurimos perimens, tumulo extrahitur, ac palo infigitur, quemadmodum vanitatis ipsius meruerant præstigiæ.

§ 6. Et ejusdem libri cap. 18. hæc narrat: Colebatur etiam inter alia Aquilonis numina, magus quidam Hollerus nomine, non minori fraude, quam singulari superstitione, divinitatis opinionem & cultum sibi in gente curiosa vendicans. Is, siquidem parem cum Othino amplitudinem in medio deorum assecutus, adeo armorum & præstigiarum usu clarus evasit, ut ad trajicienda maria osse, quod diris carminibus obsignavisset, navigii loco uteretur: nec segnius eo, quam celerrimo velorum ventorumque usu, prajecta aquarum impedimenta superaret. Tandemque ut divinitas ejus ostenderetur esse mortalis, ab æmulis suis truculentissima morte est interemptus. *Hollerus magus trucidatus.*

§ 7. Præterea Oddonem, Danicum piratam maximum, tradit absque carina altum pererrasse mare, & hostilia sæpe navigia concitatis carmine procellis evertisse, ac postremo peritiore hoste circumventum, gurgite submersum esse, qui marinos vortices præstigiosis carminibus olim calcare consuevit. *Oddo magus submergitur.*

§ 8. Joannes Faustus ex Kundling oppidulo oriundus, Cracoviæ magiam, ubi olim docebatur palam, didicit, eamque paucis annis ante quadragesimum supra sesquimillesimum, cum multorum admiratione, mendaciis & fraude multifaria in diversis Germaniæ locis exercuit. Inani jactantia & pollicitationibus nihil non potuit. Exemplo uno artem ea conditione Lectori ostendam, ut se non imitaturum, mihi prius fidem faciat. Hic sceleris ergo captus Batoburgi in Mosæ ripa ad Geldriæ fines, barone Hermanno absente, mitius ab ejus sacellano D. Joanne Dorstenio tractabatur, quod huic viro bono, nec callido, plurium rerum cognitionem artesque varias polliceretur. Hinc & tamdiu vinum, quo Faustus unice afficiebatur, prompsit ille, donec vas evacuaretur. Quod ubi Faustus intelligeret, atque Graviam sibi abeundem esse, ut raderetur barba, diceret alter: vinum is, si adhuc curaret, artem denuo promittit singularem, qua citra novaculæ usum, tolleretur barba. Conditione accepta, arsenico confricari eam citra ullam præparationis mentionem jubet. Adhibita illinitione, tanta successit inflammatio, ut non modo pili, sed & pellis cum carne exureretur. Cum stomacho idem ille mihi facinus hoc non semel re- *Faustus magus famosus.*

censuit. Alius mihi non incognitus, barba nigra, reliqua facie subobscura, & melancholiam attestante (spleneticus etenim erat) quum Faustum accederet, incunctanter hic ait: Profecto te sororium meum esse existimabam, pedibus tuis mox observatis, num longæ & incurvæ in iis prominerent ungulæ: ita hunc dæmoni assimilans, quem ad se ingredi arbitraretur, eundemque affinem appellare consuevit. Hic tandem in pago ducatus Wirtenbergici inventus fuit juxta lectum mortuus inversa facie, & domo præcedenti nocte media, quassata, ut fertur.

§ 9. Ludimoderator apud Goslarienses ex Fausti magi, vel verius infausti mali doctrina instructus, modum, quo carminibus in vitro coerceretur Satan, didicit. Ut itaque impediretur à nemine, die quodam in sylvam abiit: ubi in magica exocratione aberranti apparuit dæmon horrenda admodum forma, oculis flammeis, naribus ad cornu bubuli morem intortis, oblongis dentibus, aprinis non dissimilibus, genis felem referentibus, & in universum terribilis. Hoc idolo terrefactus hic prosternitur, jacetque horas aliquot semimortuus. Tandem respiranti non nihil, atque ad civitatis portas progredienti, quidam familiares obvii, vultus mutati, palloris que causam rogant. Hic tremens & velut furibundus obmutuit, domumque ductus horrendos edere sonos, & prorsus insanire cœpit. Anno tandem exacto fari denuo incipit, & ea specie sibi dæmonem apparuisse narrat. Cœnæ vero Dominicæ communionem ubi tum celebrasset, tertio post die se Deo commendans, calamitosæ huic vitæ valedixit.

§ 10. Quidam item magus in pago, vix ab Jhena oppido dimidium miliare, medicinam fecit: liteque inter hunc & vicinum fabrum lignarium orta, hic alterum conviciis acerbioribus irritavit. Post menses aliquot periculoso afficitur morbo faber, priusque offensæ veniam precatus, magi opem implorat: qui dissimulata injuria, jubet ægrotum in potione uti radice, cui à Verre nomen est (sic legitur) cum aliis venenatis herbis. Ea bibita tam atrocibus exercetur cruciatibus indies magis ac magis auctis, ut tandem cum morte vitam commutarit. Homicidii accusatur magus à fabri conjuge & consanguineis. Causa vero ad magistratum Jhenensem delata, vinculis ille coercetur: & quæstionibus subditus rem omnem confitetur; ac in primis, quod vindictæ studio fabrum perdidisset. Subjungens, artem se edoctum fuisse à vetula non pro-

cul ab.

cul ab Hercinia sylva degente. Item dæmonem sibi semper præsto fuisse, commonefacientem inspirantemque, quid consilii tam absentibus quam præsentibus præstari oporteret. Quare palo affixus, Vulcano consecratur.

§ 11. Alloquutum se plurimos asseverat Joa. Franc. Picus, qui vana spe futurorum delusi ab apparente sibi dæmone, per inita pacta vocato, usqueadeo vexati fuerunt postremo, ut optime secum putarint actum, ne vitam amiserint. Alium quoque intellexit ab ejusdem sociis adhuc vivis, à dæmone quinquaginta ferme abhinc annis vivum ablatum, nusquam comparuisse, dum curioso cuidam & male sano principi Trojæ oppugnationem repræsentare, quasi in scena, pollicitus esset, Achillemque & Hectorem introducere præliantes.

De Praenot. superst. IV. 9.

Magus vivus à diabolo ablatus.

§ 12. Comes item Matisconensis, magicæ factionis, hora prandii coram multis Baronibus & militibus abreptus fuisse à dæmonibus legitur, ac ter circum civitatem Matisconensem velocissime vectus cunctis videntibus, atque ter miserabiliter exclamasse, Succurrite cives, succurrite: unde tota civitas fuit commota, atque ille factus perpetuus dæmonum comes, ut fusius docet Hugo Cluniacensis.

§ 13. Recenti adhuc memoria, Anno 1530, sacerdoti in crystallo thesauros Noribergæ ostenderat dæmon. Hos cum loco perfosso ante urbem quæreret sacerdos, adhibito amico spectatore, & jam in specu arcam vidisset, atque ad eam cubantem canem atrum, ingressus sacerdos in specum, opprimitur interficiturque, ruente cacumine, & specum rursus complente.

Sacerdoti in crystallo thesaurus ostenditur à dæmone, & ab eodem opprimitur in specu.

§ 14. Saltzburgi incantator jactabat, se omnes in vicinia ad miliare serpentes posse in unam perducere foveam, & interimere. Quod cum tentaret, tandem antiquus & ingens proserpit serpens. Quem quum carmine in foveam compellere niteretur, ille exiliens, incantatorem velut cingulum amplectitur, trahitque in foveam, & enecat. Hæc magiæ hujus stipendia, hi simulatæ fructus amicitiæ, hæ ementitæ phialæ, annuli, carceres, ficti compedes, & vesana perniciosaque ludibria.

A serpente magus necatur.

§ 15. Recte igitur ac pie Petrus Lombardus ait: Dæmonum scientia & virtute exercentur artes magicæ, quibus tamen tam potestas quam scientia à Deo data est vel ad fallendum fallaces, sicut Ægyptios: & etiam in ipsos magos data est, ut eorundem spirituum

Sententiarum. II. dist. 7.

 opera-

opratione viderentur admirandi, à quibus erant damnandi: vel ad monendum fideles, ne tale quid facere pro magno desiderent: vel ad exercendum seu probandum justorum patientiam. Nec putandum est, dæmonibus hanc rerum visibilium materiam ad nutum servire: sed Deo potius, à quo hæc potestas datur.

De libris quibusdam magicis.

CAP. V.

PRÆTEREA non eximios tantum viros, sanctos patriarchas & Dei angelos tam sceleratorum execrandorumque dogmatum jactant authores, hi magi: verum etiam libros à Razièle & Raphaele, Adæ & Tobiæ angelis, traditos ostentare non erubescunt, ut hoc fuco suam pulchre adornent Empusam. Hi vero libri, ut & superiores, penitus introspicienti præceptorum canonem, rituum modum, verborum consuetudinem, characterum genus, barbarum constructionis ordinem, indoctam phrasim, sententiarum vim, res insulsas, manifeste sese produnt, & inscriptiones esse adulterinas suppositiasque, nec nisi summas imposturas eos continere, ac non ita pridem ex unius conspirationis volutabro cunctos nostra ætate scaturiisse, minimeque Chaldæorum & Hebræorum linguam vetustatemque resipere: nec duplicem Ægyptiorum characterem, unum in sacris, alterum in profanis agnoscere, commonstrant. Interim tamen à perniciosissimis abominationum architectis veræ sapientiæ ignaris fabricatos esse ex gentilitiis quibusdam observationibus, nostræ religionis ceremoniis, veluti ex insidiis, ut circumveniant citius, studio immixtis insertisque multis ignotis nominibus & signaculis, ut stupori terrorique sint rudioribus, simplicibus & incautis, mentis sanæ dubitet nemo.

Cap. 3. Libri magici.

§ 2. Optimo jure his annumeretur abominabilis libellus nuper in lucem ab impio homine emissus, tributusque Henr. Corn. Agrippæ, meo olim hospiti & præceptori honorando, ultra annos quadraginta jam mortuo, ut hinc falso ejus manibus jam inscribi sperem, sub titulo quarti libri de Occulta philosophia, seu de ceremoniis magicis: qui insuper clavus librorum trium de occulta philosophia, omniumque magicarum operationum jactatur. Sed

Parturiunt montes, generatur ridiculus mus:

meræ sunt nugæ, & scopæ dissolutæ, ut nihil ex eo certi constituere queas, etiamsi hujus vanitatis studiosissimus singula, quo jubet author

Quartus liber de occulta philosophia impius. Cardanus lib. 18. de subtil. alio titulo ejus libri meminit.

thor ordine, industrie prosequaris, inchoesque ex figura mundi, collectis literis ab ortu corporis planetæ secundum successionem signorum per singulos gradus, atque ex singulis gradibus ab ipso planeta aspectis, facta projectione à gradu ascendentis, ut ille proponit, & fusius nugaciusque docet.

§ 3. Idem dictum volo de tabulis, per quas malorum spirituum nomina extrahuntur: & de calculatione, quam Ægyptiis literis tradidisse Trismegistus dicitur. qui etiam omnium primus extitisse fertur, qui de nominibus spirituum eliciendis tractarit. Fabrica quoque exquisita in hoc libello subsequitur de characteribus bonorum & malorum spirituum: quos tamen ita effictos esse ad deceptionem, nec iis quicquam inesse virium, quilibet sanæ indolis haud difficulter judicabit. Accedit & tabula, per quam figuræ quædam malorum spirituum familiares, & imagines inveniuntur, sub quarum forma invocantibus occurrere & comparere illi solent: item formæ familiares *spiritibus* Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, Lunæ. Pentacula describuntur quoque tanquam figura quædam sacra, à malis eventibus nos præservantia, & ad malorum dæmonum constrictionem & exterminationem adjuvantia: malos etiam spiritus allicientia, nobisque conciliantia, quæ ex characteribus, picturis, nominibus bonorum spirituum varie componuntur, quibus abominabilis, imo blasphemus sacræ Scripturæ adhibetur abusus.

§ 4. Inter reliquas preces, rogatur etiam malus spiritus ad cogendos homines, cujus nomen similiter inseritur. Fitque hoc, si ad malum tendit operatio, ut ad vindictam, pœnam vel destructionem. *Præterea*, si quis versiculus in Psalmis, vel aliqua parte literarum *sacrarum*, desiderio nostro congruus habetur, ille orationibus immiscetur: & post orationem ad Deum, quandoque oratio convertitur ad exequutorem illum, qui minister in præcedenti oratione optatur, sive unus sit, sive plures: sive angelus, vel stella, vel anima, vel ex Heroum numero aliquis.

§ 5. Subsequuntur & variæ consecrationes rerum aliarum, tum libri, per quem malorum dæmonum ministerio plurimum quidam utuntur, cui spiritus inscripti proclivem obedientiam sacro quodam *suo* juramento voverunt. Hic post consecrationem conservatur religiose, ne extra institutum aperiatur. Fumi certe & anicularum deliramenta.

§ 6. Idem sentiendum de invocatione bonorum spirituum ibi

descripta, ubi post deliria multa, recitatur genibus flexis Psalmus, Beati immaculati in via, cum divinis & angelicis nominibus: eoque finito surgit actor, & incipit ab Oriente in Occidentem continuo vortice intra consecratum circulum circuire, donec vertigine correptus humi in circulo procumbat. Ubi quiescens statim in ec tasin rapitur, in qua is se prodit, qui cuncta anunciabit.

§ 7. Sic & oracula per insomnia redduntur, si post alia ex præscripto administrata, lectum ingrediatur actor cogitatu illi rei inhærente, quam cognoscere desiderat, eoque indo rmiat modo. Hisce somniis haud dubie insinuat se diabolus, quando res imaginationi cogitationique tam valide impressæ adhuc in organis imaginationi inservientibus hærent.

§ 8. Quæ etiam in mali spiritus invocatione requirantur, eadem religione prosequitur. Ubi adhibentur quoque consecratæ res, necessariæ tam ad defensionem invocantis & sociorum ejus, quam etiam ad vincula & constrictionem spirituum: quales sunt sacræ chartæ, laminæ, picturæ, pentacula, gladii, sceptra, vestes, ex materia & colore convenienti. Apponuntur & sedilia pro spiritibus, qui quoque invocati ad potum & esum invitantur.

§ 9. Inde pestilentissimus subjungitur libellus, Heptameron inscriptus, sive elementa Magica Petri de Abano: quem, ut reliquos id genus omnes, inter lectionis rejectæ libros, Vulcano cum primis consecrare decet. In eo circulus & ejus compositio describitur, item nomina horarum & angelorũ eis præsidentium, barbara nimis, quemadmodum & angelorum quatuor anni temporum nomenclaturæ: consecrationes quoque & benedictiones circuli ac suffumigiorum, exorcismus ignis cui superponuntur fumigia, vestis & pentaculum factum die & hora Mercurii, crescente luna, in charta, membrana scilicet hœdi, ubi prius super illo dicta fuerit missa Spiritus sancti, & aspersa baptismatis aqua.

Elementa Magica Petri de Abano.

Usus missæ & aqua baptismatis

§ 10. Succedit modus operationis, exorcismus spirituum aëreorum impius, oratio ad Deum blasphema, in quatuor mundi partibus recitanda in circulo, deinde visiones & apparitiones virtute exorcismi excitatæ, cum invocatione horrenda exorcistæ: nomina item angelorum absurda diei Dominici, & ejus conjuratio, ut & singulorum totius septimanæ dierum.

§ 11. Occasione hujus libri Agrippæ ascripti, silentio involvi diutius ob veritatis prærogativam non patiar, quod in diversis aliquot

Agrippa à columnia vindicatur.

quot scriptoribus legerim, diabolum forma canis ad extremum Agrippæ halitum comitem ipsi fuisse, & postea nescio quibus modis evanuisse. Satis equidem mirari hic nequeo, tantæ existimationis viros tam insulse aliquando loqui, sentire & scribere ex inanissimo vulgi rumore. Canem hunc nigrum mediocris staturæ, Gallico nomine Monsieur [quod Dominum sonat] nuncupatum, novi ego, si quis alius, familiarissime, quem nimirum non raro, ubi Agrippam sectarer, loro ex pilis concinnato alligatum duxi: at vere naturalis erat canis masculus, cui alias fœmellam fere colore & reliqua corporis constitutione similem, quam Gallice Madamoselle [Dominam] appellabat, me præsente, adjunxit.

Jovius in Elog. & ex hoc Andreas Hondorff in libro Exemplorum German. & plerique alii.

§ 12. Causam autem huic falsæ opinioni dedisse opinor, partim quod canem hunc pueriliter nimis amaret [ut sunt quorundam hominum mores] oscularetur plerumque, aliquando & à latere hunc sibi admoveret in mensa, quemadmodum & in eodem simul lecto sub lodice noctu pateretur, ubi conjugem Mechliniensem Bonnæ repudiasset anno tricesimo quinto supra sesquimillesimum: velut & in musæo, ubi inter supellectilem chartaceam, certe insignem, perpetuus erat Agrippa, atque in ejus mensa Agrippæ & mihi in studiis communi, inter utrunque semper jaceret hic canis. Partim adhæc, quod, licet in dicto hypocausto inter chartas continuo delitesceret meus herus, nec toto octiduo vix semel prodiret, quicquid tamen in diversis regionibus ageretur, fere norat. Hoc alii imprudentiores, huic cani, ut dæmoni, dum adessem, acceptum ferebant. Sed revera à doctissimis quibusque viris ad illum undequaque scribebatur quotidie. Anno supradicto Bonna Lugdunum profectus, capitur à rege Francisco, quod liberius nonnihil in ipsius matrem alias scripsisset: sed quorundam intercessione liberatus, Gratianopoli in Delphinatu post aliquot menses in Domino obdormiit. Tum ego Lutetiæ Parisiorum agebam.

§ 13. In hoc catalogo recensendus libellus Arbatel de magia veterum, inscriptus, magicæ impietatis plenus, uti constat ex aphorismo 16. 17. 21. 24. 25. 27. & alibi, secus licet splendide polliceatur in fronte, nimirum Pneumaticam magiam veterum tum magorum populi Dei, tum magorum gentium, pro illustratione gloriæ & philanthropias Dei.

De Joanne Trithemio, ejusque libro Steganographia inscripto.

CAP. VI.

STEGANOGRAPHIÆ Joannis Trithemii abbatis Spanheimensis, in hæc verba meminit Carolus Bovillus: Ad Trithemium diverti, quem reperi magum, nulla philosophiæ parte insignem. Ejus Steganographiam evolvi velitatim nonnullorum capitum perlegens initia. Vix horas duas librum in manibus habui: abjeci enim eum illico, quod terrere cœperant me tantæ adjurationes, ac tam barbara atque insolita spirituum (ne forte dicam dæmonum) nomina. Universa vero hujusmodi nomina [quoad videre visus sum] ignotæ linguæ sunt. Aut enim Arabica, aut Hebraica, aut Chaldaica, aut Græca: Latina pauca, aut ferme nulla. Innumeri autem sunt characteres, quibus adjurationes singulæ notantur.

In epist. ad Germanum Ganajum Reg. consiliar. Trithemius. Steganographia Trithemii.

§ 2. Quod in epistola ad Boscium Trithemius scribit, verba esse plana, lucida, sine omni literarum aut vocabulorum transpositione, ita ut omnes legant & intelligant: secretum tamen illius qualecunque erit, manere ignotum: hactenus vera loquutus sit. Nam in tota hujusmodi Steganographia passim sanctissimas ac piissimas orationes inserit, quæ ad amicum epistolarum loco mittantur: re autem vera lachrymæ sunt crocodili. Id enim mihi facere videtur, quod D. Dionysius in epistola ad Sosipatrum de Apollophane sentit. Divinis adversus Deum nefarie utitur, ac per mundanam inanemque sapientiam, divinam sapientiam evacuare molitur. Quod autem sine adjutorio spirituum omnia pollicetur se facturum, recte (ut ait Daniel) in caput suum mendacia confingit: manetque puto angelus Dei bonus, ut secet eum medium, dissolvatque fœdus iniquum, quod cum nocentibus angelis iniisse ac sanxisse, palam ex ipso opere declaratur.

Daniel. 13.

§ 3. Porro, si rite memini, hunc ipsum in Steganographia illa ordinem servat. In primis spirituum ipsorum nomina digerit: hinc eorum adjurationes disponit, ac singulorum characteres subscribit: postremo figuras distinguit, è quibus pro adjurationibus singulis apta spirituum nomina, quoties necessitas ingruerit, depromere atque elicere liceat. Partitur autem in hujusmodi figuris, spiritus ipsos in quatuor Imperatores, Duces, Comites & Servos. Imperatores vero totius orbis esse tantum duodecim, quotquot & venti à philosophis esse traduntur. Ex his quoque quatuor designat præcipuos,

Ordo Steganographiæ.

puos. Orientis, Meridiei, & Occidentis & Septentrionis: quos, ut magnos, Imperatores appellat. Sub quolibet Imperatore statuit Duces, puto trigenos aut quadrigenos. Sub Ducibus singulis rursus Comites, majore numero: & Servos sub Comitibus innumeros.

§ 4. Hoc igitur pacto, ad artis suæ effectum convertitur. Cum vult dissito amico sua aperire consilia, (hæc enim vocat secreta) scribit epistolæ loco orationem quandam miræ sanctitatis & devotionis fuco affectatam, eamque charactere cujuspiam duodecim Imperatorum imprimit, & ad amicum, qui (ut ait) noverit artem, mittit. Exceptam igitur chartam aperit is amicus: & in calce epistolæ, characterem inprimis cujusnam sit Imperatoris, attendit. Si est Orientis princeps, versus ad Orientem, literas in eam cœli plagam patentes expandit, requiritque confestim ex suis libris, quibus adjurationibus princeps ille cogatur, ut suorum quempiam subditorum ad se mittat. Elicit autem adjurationes duas, ac primam *quidem* super patentes adhuc literas: spectansque in autoram profert. Qua rite prolata, mittit ilico Imperator ille quendam suorum aut Ducum aut Comitum aut Servorum, qui protinus advolans, fit viro eminus visibilis, velut nebula aut caligo in aëre pendula. Ubi deinde secundæ conjurationis verba explevit, spiritus ille propius accedit, cominusque ad ejus aures expetita amici secreta propala. & nunciat.

§ 5. Sunt autem (quod sentiam) adjurationes ipsæ haud continua oratio, sed aggregatio quædam nominum ipsorum spirituum ad varium quendam magicæ artis modum ordinatorum, suntque hujusmodi nomina (ut dixi) omnia ferme ignota, velut Arabica, &c. Memini item me in ipsius opere ita legisse: *Hi autem spiritus perniciosissimi sunt, & nequam. Odio quam maxime habent lucem, tenebras diligunt.* Forti adjuratione opus est, ut ad necessaria nostra cogantur. Quod si in his adjurandis territus, pauxillum trepidaveris, aut in explenda adjuratione (sive vocabuli omissione, sive seriei immutatione) aberraveris, te ilico necabunt.

§ 6. Hos igitur tam in vindictam paratos, quis adeo erit mente captus, ut bonos clementesque spiritus esse probet? Vidi in eo *Opere* adjurationes nonnullas, quas vocat potentes, quibus possit unusquisque, qui assidue cupit spirituum uti ministerio, alligare apud *se spiritum*, ac cogere, ut in ejus domo maneat semper, eique in cunctis famuletur. Cæterum in semotissimo, ut ait, à turba loco is

spiritus locandus est, ne temere ad se ingredientes necet, &c. Satis superque me fecisse videor, si tibi hæc exposui, quibus liquidius & viri, & artis, quam pollicetur, fuci, ne dicam mendacia, tibi patescant. Hactenus Bovillus.

§ 7. Quem tamen mendacii & impietatis accusat Trithemius, se purgans in Præfatione libri Polygraphiæ ad Maximilianum Imperatorem. Librorum Steganographiæ partem scriptam cum figuris & spirituum nominibus apud Henr. Corn. Agrippam felicis memoriæ, ego ipse olim legi, atque eo inscio exscripsi.

§ 8. Studio in argumentis famosorum quorundam librorum describendis longior fui, ut iis cognitis promptius de reliquis ejus farinæ blasphemiis censeatur.

§ 9. Hic disciplinæ & artis fons, origo & firmamenta, ac sacrilegi negocii methodus: cujus tamen vi obedire manes, cogi numina, turbari sidera, elementa servire, ejusque inexpugnabili potestate & cæca numinum coactorum violentia, stupenda supra naturam se opera perficere, sibi persuadent, jactantque in sinu ridentes, bis certe miseri homines. quod vani testantur exitus, & post immensa laboriosaque studia frustrati eventus. Præstigias ostentant, non miracula: quæ non Dei assistentia, sed permissione ob hominum incredulitatem, & dæmonum pactione fortiuntur effectum.

Magia artes quædam. § 10. Hujus scholæ artes jactantur, ars Almadel, ars Notoria, ars Bulaphiæ, ars Artephii, ars Paulina, ars Revelationum, & similia impietatis monstra plura, neutiquam toleranda: quæ hoc ipso sunt magis exitialia, quo indoctis apparent diviniora.

Incantationum varii modi.

CAPUT. VII.

INCANTATIONUM vero diversitudine odum omnibus seculis extiterunt modi, quorum unus alio crebrior, hoc vel illo tempore fuit, atque hisce vel aliis locis celebrior. Huc refer universum illud præstigiarũ genus & illusionum, quibus malefici hi, qui se honestiori Magorũ nomine appellari malunt, phantasmata phasmataque edunt, multa miracula fraudulenter ostentantes, plerumque Goeticis incantamentis, conjurationibus ineptis, illicitis gentilitiis sacrificiis, imprecationibus, mentione divinorum nominum, recitatione verborum sacrorum aut barbarorum, sive adhibito quocunque murmure:

mare: nonnunquam plantis, animalibus, eorumque partibus, præter rem vel superstitiose vel dolose admotis: interdum etiam certis suffumigiis, luminibus, collyriis, [illegible] seu alligationibus & suspensionibus: insuper metallis, aut arte fabrefactis corporibus, simulachris, imagunculis, annulis, sigillis: characteribus hoc vel illo modo usurpatis, quibus admirandas rebus imprimi vires commentantur: item speculis, & similibus hujus magicæ artis monstris organisque.

§ 2. Quibus licet interdum aliquid virtutis naturalis inesse potest, tamen ut plurimum ad eorum constructionem aut usum adhibentur nefande vel sacra Dei oracula, voces sive sententiæ, vel blasphema vocum diabolicarum deblateratio. A quibus vim omnem manare propagarique in hæc media, ac ab iisdem pendere confidunt, dæmonio interea colludente cooperanteque, imo rem omnem Dei permissu, ob magi impietatem & astantium incredulitatem expediente, quam elusus incantator alioqui frustra machinaretur. Hoc equidem ad omnes horum hominum mirificas, naturalisque potentiæ cursum & modum exuperantes actiones, semel hic dictum responsumque volo.

In actionibus illis magorum natura cursum superantibus dæmon operatur, Dei permissu, ob magi impietatem, & astantium incredulitatem.

§ 3. Enimvero eousque horum hominum animos satanicæ hujus professionis œstrum pervasit, ut creditum sit, id genus imposturis dæmoniacis omnino perfici quæ requiruntur, aut naturis rerum vel novas indui vires, vel priores adimi, infirmari aut vegetari, sive naturæ cursum mutari, fulmina cieri, tonitrua, ventos, pluvias inopinato concitari vel sedari, serpentes feritate violentiaque exui, bestias indomitas coërceri, ferrum rumpi, morbos infligi & curari, manes ac umbras evocari, & [ut Apulejus ait] animas agiles reverti, pigrumque mare colligari, & nova corpora creari. Nec portentosas eas res enumerare hic lubet, quas cum Coracesia, Callicia, Menaide, Conrinthade, Aproxi, à Pythagora celebratis herbarum nominibus, ad hoc certe aptis, si non excogitatis, ut sono terreant: & cum Democriti Chirocineta, Agloaphotide, Marmaritide, Achemenide [qua in hostium aciem conjecta, trepidare agmen, & terga dare, scribit Plinius] Hippophanade, Adamantide, Cynocephalæa Appionis, similibusque terrificis plantarum monstris, apud magos usurpatis, & jam singulari Dei bonitate in hominum utilitatem memoriæ excussis, penitusque abolitis, quandoque prorsus sublatas volet Deus.

Lib. XXIV. 17. & III. 2.

§ 4. Immensus siquidem est harum fallacium actionum & rerum numerus, quas latere præstat. Saltem incautos nimisque credulos præmonuisse utile est, ne impie hue quoque attractis divinis nominibus, vel sacræ Scripturæ verbis inique contortis fallantur, seducanturque, quemadmodum hactenus factum animadvertimus: ut hoc nomine, quo gravissime delinquitur, se purgent excusentque, quod nimirum nomina sacrosancta invocent, verbumque Dei commisceant in hoc opificio diabolico, ubi scelere horribili sanctissimum Dei nomen profanatur, atque abusu abominando Scriptura conspurcatur divina.

§ 5. Et quanquam iniquis impiisque his rationibus dæmones se accersere, aut iis imperare posse, maleferiati hi homines gloriosius jactent, & ad horum illicita murmura nutumque illi obedire videantur, quasi obstricti compulsique: interim tamen suos hos dominos & imperatores, sibi magis devinctos servilesque habent, ut quibuscunque dæmonum spectris, larvis aut propositis imaginum dolis seu ludificantibus formis, fidem adhibere cogantur: unde tamen ipsis nunquam usqueadeo multum commodi sperandum, nisi quod sibi hac ratione magis placeant, aliosque in admirationem pertrahant, tanquam rerum non vulgarium aut curiosarum periti. Interim ab his cogi se simulant dæmones: quanquam venire optent, teste Porphyrio, ut suis deinde alios præstigiis irretiant.

Lib. 1. de abditis rerum caus.

§ 6. Sic quendam se vidisse Joannes Fernelius scribit, vi verborum spectra varia in speculum derivare, quæ illic, quæcunque imperaret, mox aut scripto aut veris imaginibus, ut ille ait, ita dilucide exprimerent, ut prompte & facile ab assidentibus omnia internoscerentur: Audiebantur quidem verba sacra, sed obscœnis nominibus spurce contaminata. cujusmodi sunt elementorum potestas, horrenda quædam & inaudita principum nomina, qui Orientis, Occidentis, Austri, Aquilonisque regionibus imperent. Hæc ille.

§ 7. Etsi vero hujusmodi formæ & literæ appareant, à præstigiatore mendaciique parente nostris oculis objectæ: non tamen non debent esse præstigiosę, mendacesque vel mendaciis involutæ, ut mercedem requisitam dignamque curioso hominum studio reponat liberaliter, naturæ suæ immemor nunquam.

§ 8. Incantamentorum etiam peculiares modos apud Septentrionales observatos, his verbis describit Olaus Magnus: Inter Bothnicos

ethnicos homines Septentrionis passim reperiebantur malefici ac magi, tanquam in proprio loco, qui per summam ludificandorum oculorum peritiam suos alienosque vultus variis rerum imaginibus adumbrare noverant, fallacibusque formis veros obscurare conspectus. Nec solum pugiles, verum etiam fœminæ & teneræ virgines pro voto suo larvas livido squalore terribiles, faciesque adulterino pallore distinctas, ab aëris teneritudine mutuari consueverunt: & rursus ablegato nubilę inumbrationis vapore, pręteritas ori tenebras sudis perspicuitate discutere. Tantamque vim carminibus eorum adfuisse constat, ut rem remotissime positam, & quantalibet nodorum consertione perplexam, è longinquo soli sibi conspicuam ad contactum evocare posse viderentur. Talibusque præstigiis id ipsum hoc modo demonstrant.

Hist. de gent. Sept. III. 19. Incantationum modi apud Septentrionales.

Saxo Grammat. Histor. Dan. VII. init.

§ 9. Scire cupientes statum amicorum aut inimicorum, longinquo terrarū spacio, quingentorum vel mille miliarium inde distantium, *Lapponem* seu Finnonem hujus rei peritum, dato munere, lineæ scilicet vestis aut arcus, rogant ut experiatur, ubinam fuerint & quid agant amici vel inimici. Quocirca conclave ingreditur, uno comite uxoreque contentus, ranam æneam aut serpentem malleo super incudem præscriptis ictibus concutit, carminumque murmure hinc inde revolvit: continuoque cadens in ecstasin rapitur, jacetque brevi tempore ut mortuus. Interea diligentissime à prædicto comite, ne quodvis vivens culex aut musca, vel aliud animal eum contingat, custoditur. Carminum namque potentia spiritus ejus malo dæmone ductore à longinquis signa (annulum vel cultellum) in testimonium expeditæ legationis seu commissionis reportat. Illicoque resurgens, eadem signa cum cæteris circumstantiis conductori suo declarat.

§ 10. Idem de Ventis venalibus, l. III. 18. illud miraculum tradit: Solebant aliquando Finni inter alios gentilitatis errores, negotiatoribus in eorum littoribus, contraria ventorum tempestate impeditis, ventum venalem exhibere: mercedeque oblata tres nodos magicos, non Cassioticos loro constrictos, eisdem reddere: eo servato moderamine, ut ubi primum dissolvissent, ventos habere placidos: ubi alterum, vehementiores: at ubi tertium laxassent, ita sævas tempestates se passuros, ut nec oculo extra proram in evitandis scopulis, nec pede in navi ad vela deprimenda, aut in puppi pro clavo dirigendo, integris viribus potirentur. His addit Olaus: In-

Venti venales.

sana certe sunt documenta, quæ nostra excogitavit credulitas, ut acrius torqueremur. Utinam facesseret à mentibus hominum tale figmentum: quod esse falsum, & nullius momenti, etiam à majoribus est ostensum.

§ 11. Sed hæc gens Aquilonaris, arte hac post susceptam Christianæ religionis confessionem, legis inhibitione, nunquam visa est uti palam: nec alios eam, nisi cum vitæ discrimine, docuit. Multa alia ejusmodi maleficorum opera enarrat Olaus impudenter satis, in ejusdem libri capitibus diversis, quæ profecto non semper fidem merentur: proinde in iis recensendis brevior esse volui. Ventos tamen ita magis sedari, testatur Herodotus quoque lib. 7. de præfectis Xerxis: quod ii triduana tempestate quadringentas naves amisere, donec quarto die magi incisiones faciendo, & veneficiis incantando, ventum Thetidi & Nereidibus sacrificando, tempestatem compescuerunt: sive eadem tempestas aliter cessarit. Sic & Ephesii notulis quibusdam & vocibus magicis utentes, in omni negotio victores evadere putabantur.

Ravisius.

§ 12. Interjiciatur hic Apuleji commentum, cujus hæc sunt verba: Athenis, proxime & ante Pœcilem porticum, isto gemino obtutu circulatorem aspexi equestrem, spatham præacutam mucrone infesto devorasse: ac mox eundem invitamento exiguæ stipis venatoriam lanceam, qua parte minatur exitium, in ima viscera condidisse, & ecce pone lanceæ ferrum, qua bacillum inversi teli ad occipitium per inguen subit, puer in mollitiem decorus insurgit, inque flexibus tortuosis, enervam & exossam saltationem explicat, cum omnium, qui aderamus admiratione: diceres Dei medici baculo, quod ramulis semi amputatis nodosum gerit, serpentem generosum lubricis amplexibus inhærere.

Li. 1. de Asino aureo.

§ 13. His adde varios incantationum ritus cultoris magicæ stultitiæ maximi Artephii, à Cardano enarratos: ut hinc non solum dolosos, sed & mente captos esse ejusmodi magos, quis jure censeat. Adhæc, à Græcorum plerisque, literis proditum est, fuisse Pasetem quendam, inter magicæ vanitatis consectatores primæ notæ, qui carminum potentia refertissimum repente convivium hospitibus discubituris præmonstrare consueverit: idque, cum libuit, mox evanuisse rursus, ut nihil omnino apparatum videretur, discumbentibus omnibus fame & siti elusis. Si quid precio comparasset, id agebat, ut erogati nummi in venditorum loculis apparerent, illis interim ludifi-

Ritus incantationum Artephii. De varietate XVI. 91. Pasetes ludificator magicus. Sic & Numa Pompilius, teste Guidone Bitur.

ludificatis. Unde proverbium, Pasetis semiobulus.

§ 14. Simile quid passum esse Menippum Lycium machinatione sponsæ, literarum monumentis traditum invenitur, in nuptiis: ubi aurea supellex & imaginarium argentum, velut fumus effluxere, administri & coqui ac reliqua familia increpata evanuit. Accium Navium Tarquinio Prisco rege & multis aliis præsentibus cotem novacula per incantamenta divisisse, fertur.

Menippus Lycius delusus à sua sponsa. Philost. apud Volaterr. in vita: Apollonii. Cic. 1. de Divinat. Plin. ca. 8. de viris illustrib. Volaterr. Anthrop. XIII. 3.

§ 15. Tucciam virginem Vestalem incesti criminis ream Romæ, cum precatione certa aquam cribro hausisse, anno, urbis 609, commemorat Plinius. Hujus & Tertullianus meminit in hæc verba: Quid ego de cæteris ingeniis, vel etiam viribus fallaciæ spiritalis edisseram? phantasmata Castorum (qui scilicet toties Romæ victorias nunciarunt) & aquam cribro gestatam, & navem cingulo promotam (à Claudia Vestali) & barbam tactu irrufatam? ut & numina lapides crederentur, & Deus verus non crederetur.

Aqua cribro hausta. Lib. 28. cap. 2. Val. Max. li. 8. cap. 1. In Apologet. adversus gentes cap. 22.

§ 16. L. Domitio rure quondam revertenti, juvenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nunciaret Senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat, atque in fidem veritatis adeo permulsisse malas, ut è nigro rutilum, ærique similem capillum redderent: unde Ænobarborum cognomen. Suetonius. Habet etiam hoc hominum genus suos modos, quibus vinum vel butyrum & id genus alia, numerata prius pecunia, ex locis dissitis, Satanæ opera adferri jubet. Tales aliquot insignes nostro ævo novit Germania.

Aenobarborum cognomen unde.

§ 17. Magos adhæc ipsos, quibuscum dæmon colludit, non est mirum quandoque vel transferri subito, vel ita apparere: quum plerosque dæmonum vexationibus obnoxios, vel eorum ludibriis deditos, transvehi nonnunquam alio sciamus. Sic Pythagoram uno momento & in Thuriis & in Metapontiis fuisse, Apollonium adhæc è Smyrna celerrime Ephesum verbo dicto translatum esse, ferunt historiæ. Tam autem verum est, eodem momento illud effectum fuisse, quam certa ea historia, qua traditur, Ambrosium eadem hora Mediolani fuisse & Turonis in Martini exequiis. Ejusdem fidei erit, quod literarum monumentis commissum legitur de Joanne Teutonico Halberstadii sacerdote Metropolitano, mago insigni, hunc nimirum artis suæ magicæ potentia, ipsa nocte Nativitatis Domini tribus locis celebrasse missam, Halberstadii unam, alteram Moguntiæ, tertiam Coloniæ, anno 1271.

Magi & dæmoniaci transferuntur interdum.

§ 18. Præ-

§ 18. Præstigiator quidam magicus Magdæburgi equulum in theatro frequenti per circulum transilientem ostentabat certa stipe: in fabulæ exitu paucam se apud mortales collegisse pecuniam questus, se in cœlum conscendere velle ait. Hinc in sublimi ejecto fune, consequitur in altum equulus: præstigiator quasi eum cauda retenturus, quoque ascendit: cujus uxor maritum apprehendens assectatur, itidem ancilla, ut viderentur ascensu contiguo velut concatenati, simul aëra petere. Hæc dum populus ad stuporem spectaret, cuidam civi eo forte declinanti, quærentique quidnam rerum ibi ageretur? responsum est, circulatorem cum equulo in aëra conscendere. Hic se statim vidisse eum in vico ad diversorium abeuntem asseveravit. Illusos itaque se ubi animadverterent spectatores, discesserunt. Porro universam ejusmodi quavis arte comparatam dæmonum necessitudinem, cunctamque earum delusionum rationem, pestiferam fraudem esse, in extremum hominum exitium introductam, neminem inficiati decet.

Præstigiator magicus in aëra cum equulo conscendere videtur.

Magorum Pharaonis actiones præstigiosæ.

CAPUT. VIII.

Cæterum ut omnium obtutui hæc magorum fabula & potestas, vel potius ludibria magis pateant, penitiusque cognoscantur, agite oculis non delusis contemplemur, solertique indagine investigemus magorum vel maleficorum Pharaonis conatus, opera & potentiam: sic & illis satisfiet, qui, cum deceptarum menteque læsarum quarundam mulierculanum fit mentio, confestim ad voluntarios Pharaonis magos confugiunt, quasi eadem utrorumque sit professio: quam longe lateque differre sentio.

Exod. 7. Veritas transformationis in opere Mosis.

§ 2. In manu Mosis, electi omnipotentis Dei ad Pharaonem legati, virga revera in vivum, Dei verbo, transformatur draconem. Quo argumento se, à Deo cœli & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, conditore unico (cujus quippe solius est creare, & res vere transmutare) missum esse testatur. Quod autem idipsum à Pharaonis Magis, carminibus factum dicit Scriptura, rem altius introspiciens, non eandem quæ à Mose vere ostensa est, metamorphosim intelliget: sed saltem draconis præstigiosam formam, obtutibus regiis offusam apparuisse. Quare etiam mendax draconis magicæ vanitatis facies, in præstigii revelationem, à vero Mosis dracone devorabatur: ut mendacium à veritate absorbetur vinciturque.

Præstigia magorum Pharaonis.

§ 3. Propte-

§ 3. Propterea, Josepho teste, Moses inquit: Jam declarabo manifeste, non esse hæc præstigias veritatis specie parum cautis imponentes: sed ipsissimam Dei virtutem, argumentum omnipotentis illius voluntatis apud incredulos futuram. & cum dicto virgam in terram mittit, jubens ut fiat draco. Quæ mox dicto parens, Ægyptiorum virgas, quæ draconum specie reptabant, unam post aliam aggressa, omnes ad unam devoravit. Enimvero si verus extitit magorum draco, dæmonis ope ex virga ita transformatum esse oportuit. Ineptam autem prorsus esse, ut in vivam bestiam transmutari queat, virgæ materiem, cuivis liquido constat. Quemadmodum creare etiam ex nihilo, vel rem in multo dissimillimam, aut etiam contrariam pro suo arbitrio vere transfundere essentiam, penes diabolum est minime. *Antiq. Judaic. 11. 5.*

§ 4. Corpoream materiam non subjici potentiæ dæmonis, quantum ad transmutationem ipsius ad formam, confirmat Augustinus: *Non est putandum*, inquiens, *istis trangressoribus angelis ad nutum servire hanc rerum visibilium materiem, sed soli Deo.* Fatendum tamen, dæmones etiam celeritate incredibili, quibusdam rebus emotis, serpentes, dracones, vel quid aliud earum loco subjicere posse. Magi signa videbantur potius facere, quam faciebant, ait Clemens. & Berno: Sæpe ipse dæmon ludificat hominum mentes, ut videre videantur, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Recte item Jamblichus de Mysteriis: Quæ fascinati imaginamur, præter imaginamenta, nullam habent actionis & essentiæ veritatem. Ejusmodi namque finis est magicæ artis, non facere simpliciter, sed usque ad apparentiam imaginamenta porrigere, quorum mox nec vola (quod dicitur) nec vestigium apparet. *August. 3. Trinit.* *Li 3: Recog. De cont. divinat. damn*

§ 5. *Eodem* censendum modo de reliquis signis: quod nimirum Moses elevans manum, virga ferierit fluminis aquam coram Pharaone & servis ejus, quæ tota mutata est in sanguinem: mortuisque piscibus tantus extitit fœtor fluminis, ut Ægyptii de ejus aqua bibere non possent, totaque Ægyptus sanguine redundaret. Idem suis incantationibus Ægyptiorum magi effecerunt, à quibus plerique omnes Ægyptii, idololatræ & idonea Satanæ organa pendebant: quorum oculis cujuscunque coloris aut imaginis spectrum fraudulenter offerre, Dei permissu, dæmonio facile erat, ut cor illud *Pharaonis* (quod Deus præviderat fore, ut induraretur) justo Dei *judicio*, majori occallesceret duritie, meritamque tandem ille lueret pœnam. *Aqua in sanguinem mutata.*

§ 6. Magorum autem fuisse præstigias facinus illud, vel hinc palam est, quod unicus ille Ægypti fluvius Nilus in sanguinem conversus erat, ejusque pisces computruerant opera Mosis servi Dei. Nec ulla præterea erat reliqua universæ Ægypti aqua non tincta: ut Ægyptii omnes undique circum flumen aquam effodere cogerentur, quam biberent. Unde proculdubio colligendum, magos tantummodo paucule aquæ antea in vase conservatæ, vel effossæ, rubicundam præstigiosæ faciem ostendisse suis carminibus vel fascino, ut Scriptura testatur: hoc est, ludificante dæmonum operatione.

§ 7. Hi etenim agitatis ad hanc delusionem commodis humoribus, spiritum opticum vel visualem quibuscunque imaginibus imbuere queunt: quemadmodum plerisque melancholicis usu venire observamus. Sic in hypochymatis vel suffusionis oculorum initio ex humoris affluxu ad visus organa veluti pusillos culices obversari intelligimus, interdum quasi lucentia quædam corpuscula, plerunque veluti caliginosa se oculis offerre, nonnullis tanquam lanarum filamenta & aranearum telas apparere, quibusdam circa lucernas circulos videri. plerisque item regio morbo laborantibus, propter suffusam bilem omnia lutea & flavescentia sese ostendere apparet: atque hæc fiunt magis vel minus, hac vel illa forma, secundum humorum & spirituum visoriorum constitutionem, quemadmodum naturæ peritis cognitum & perspectum est.

Ranæ Ægyptiæ. § 8. Quid aliud dicendum de ranis ex Ægypti fluminibus eductis, quibus terra cooperta est, Aarone ex Dei mandato manu virgam in fluvios & lacus protendente? Magorum ranas solummodo
Exod. 8. fuisse eadem ratione mere imaginarias, hinc luce meridiana clarius evadit, quod tantam ranarum colluviem eos creare oportuisset, mu-
Genes. 1. nus Deo omnino peculiare, nec ulli unquam creaturæ, multo mimus Satanæ ejusve clientelæ concessum. Singularis hæc Dei ab ini-
Creare solius Dei est. tio fuit & mansit prærogativa, qua neminem dignatus est.

§ 9. Præterea si veras in terram ex aqua magi produxissent ranas, utique & reducere universum hoc ranarum genus eadem arte potuissent. Proclivius etenim multo fuit, visas in nativum naturalemque suum locum, fluvium nimirum & lacus repellere, quam in domos, penetralia, cubicula, cubilia, furnos, cellas, loca hisce animalibus aliena, immo adversissima, primum eas non apparentes excire, ubi illis moriendum est: quum in aquis, ut designato his vivario, libere victitent: aut saltem vitam illis adimere, quibus donasse

videbantur, facillimum fuisset. Vel quam sortitos credemus magos nocendi aut perficiendi potentiam, si ne ranas quidem lædere, aut carminibus, quibus eductæ putabantur, tantum abigere valuerunt? Hoc usque adeo nequiverunt, ut Pharao rex posito priore supercilio, coactus fuerit suos adversarios Aaronem & Mosem hortari, ut Deum pro depellendis à se suoque populo ranis deprecarentur. Quod etiam ita factum est, definitoque die ranæ sunt exterminatæ à domibus: iisque mortuis in cumulum coacervatis, fœtebat regio.

§ 10. Sic Pharaonem etiam invitum Domino Deo incomparabili honorem deferre oportuit: quemadmodum & ipsos magos, penes quos ea potestas minime fuit. Nam quum Deo non amplius præstigias permittente, cyniphes vel pediculos, tum homines tum bestias infestantes producere, Aaronem & Mosem imitati, nequicquam tentassent: coram Pharaone confessi sunt, Digitus Dei est hic. quasi dicerent: *Digitus* vel potentia Dei est, quæ vere progignit & *condit ex pulvere*, vel etiam nihilo, quicquid pro suo arbitratu vult, & quando illi placitum est. Id vero, quod à nobis effictum vidisti, Satanæ digitus est, qui nihil unquam revera procreare, sed phantasticam solum rerum imaginem dolose ostentare potest. Quare nos ejus clientes, ministrorum ipsius omnipotentis Dei veritatem imitati sumus, præstigiis quibus te ac tuum populum hactenus illusimus, Deo vero ob tuam incredulitatem & cordis duritiem connivente. At cessat jam illa permissionis hora, ut non amplius Satanæ ludibriis supersit locus, sed Dei viventis veritati testimoniũ perhibere cogamur.

§ 11. Ita Dei manum jam agnoscunt, qui ei antea suis imposturis derogarunt. Dei gloriam prædicant, qui eam suis fucis prius obscurarunt. Nec postea vivum usque adeo glorificassent Deum, nisi antea impediti, frustra suam tentassent artem. Nec Deo tam justa puniendi contumaces occasio fuisset reliqua, nisi prius ad præstigias connivisset: deinde impediisset, quo se suamque potentiam notam faceret, ostenderetque illam longe esse aliam, ac veluti ex diametro pugnantem cum ea, quam Ægyptii idololatræ & magi in veri Dei contemptum hactenus adeo venerati essent. Justinus Martyr in explicationibus quæstionum Christianis propositarum quæst. 26. asserit, magorum Pharaonis miracula non fuisse vera, sed spectantium fascinatione oculorum opera dæmonum. Hos Ægyptios incantatores Jannem & Jambrem fuisse, Pharaonem vero hunc Cenchreem Ægyptium regem, scribit Fulgosus VIII. c. II. 1. Timot. 3.

§ 12. Sed quid pluribus opus? cum ex eo quod Thessaloni-
2. Thess. 2. censibus scribit D. Paulus de Antichristo, permultos ab eo signis & prodigiis mendacibus seductum iri, haud obscure colligatur, ea, quæ à magis ostententur, esse ficta. Uti tamen eorum haud improbo interpretationem, qui mendacia dici contendunt, quod homines ad mendacia pelliciant, ut causa ex suo effectu aut nomen aut ἐπίθετον sortiri solet: ita quoque concedant oportet, ut ψευδοῖς explicemus falsis, admittantque utranque explicationem, quam his verbis affirmat D. Augustinus: Mendacia dicuntur signa & prodigia, vel quia videbuntur & non erunt, vel quia homines ad mendacia deducent. Quin & Avitus Alcimus episcopus Viennensis, qui claruit sub Zenone & Anastasio Impp. anno 490. eleganti carmine exprimit, quam tuemur sententiam, lib. 2. de Peccato origin.

Legifer ut quondam vates sub rege superbo,
Dum nova monstraret jussi miracula signi,
Commovit livore magos, ut talia tentent,
Accumulentque suas cælo fervente ruinas.
Illis suppeteret forsan si recta potestas,
Demere, non etiam festinent addere monstra,
Aemula sed signis tantum, non viribus æqua.

Æmula, inquit, signis, non æqua viribus.

§ 13. Non abs re hic etiam Decretorum testimonium accive-
In 2. parte. caus. 26. quæstion. 5. episcopi. August. de civit. Dei. ro, in quibus hæc leguntur: Nec mirum de magorum præstigiis, quorum in tantum prodiêre maleficiorum artes, ut etiam Mosi in illis signis resisterent, vertentes virgas in dracones, & aquam in sanguinem. In gentilium etiam libris legitur, quod quædam maga Circe socios Vlyssis mutaverit in bestias: item de sacrificio, quod Arcades de suo Lycæo immolabant, ex quo quicunque sumerent, in bestiarum formas converterentur. Sed hæc omnia magicis præstigiis potius fingebantur, quam rerum veritate complerentur. Ut ergo ipsi errores ignorantibus manifesti fiant, de eorum proprietate atque inventoribus juxta traditionem majorum patrum dicere congruum arbitramur. Magi sunt, qui vulgo malefici ob fascinorum magnitudinem nuncupantur. Hi sunt, qui permissu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo, &c. Hucusque decreta.

Pythia

Pythia mulier in Endor, non Samuelem, sed hujus imagine diaboli spectrum excitavit.

CAP. IX.

HINC ut ad mulierem in Endor maleficam, vel Pythonis spiritu impraegnatam, meo proposito objiciendam, confugiatur, per me licet: quum nullum hic aeque atque sacrae Scripturae testimonium admittam. Ea Samuelem excitasse legitur, è terra ascendentem, solito corporis habitu & vestitu, ac futura in Dei manu adhuc posita praedicentem. Ecclesiastici quoque author tradit, ipsius Samuelis haec acta & vaticinia fuisse, quum ait: eum dormivisse, regi notum fecisse finem vitae suae, & exaltavisse vocem suam è terra, & vaticinatum esse, delendam esse impietatem gentium.

1. Sam. 28. *Ecclef. 46.*

§ 2. Etsi vero historiae circumstantiae, & Jesus Syrach asserere videantur, ipsum apparuisse Samuelem: penitius tamen rem intuenti ostendam, non ipsum Samuelem, sed illius imagine diaboli spectrum, Pythiae foeminae libenter obsequutum, ut ludificaret, visum fuisse.

A Pythia foemina non Samuel, sed hujus imagine spectrum diaboli excitur.

§ 3. Primo diserte severoque edicto à mortuis quaeri veritatem vetuit divina vox, mulcta mortis constituta: nec per eos doceri vult vivos, nec ab iis aliquas expectare patefactiones. Non inveniatur in te consulens mortuos: qui hoc facit, est βδέλυγμα Deo suo: hoc est, res talis, quam odit Deus, abominatur, & in aeternam abjicit damnationem. Proinde nos suo verbo, in quo sese & voluntatem suam expresse declaravit, inniti firmissime voluit Christus, inquiens: Mosen habent, & prophetas.

A mortuis non quaerenda veritas. *Levit. 19. 20. Deut. 18.* *βδέλυγμα.* *Luc. 16.*

§ 4. Adhaec, piorum animas maleficarum carminibus è designata à Deo sede evocari, & in corpora inhumata compelli, vel falsissimum est: vel ne in sinu quidem Abrahae, loco beatis assignato, tutae existunt eorum animae, in Domini manu conservatae. At Satanam nihil unquam ab hac morte in sanctorum animas potuisse, nec bonos spiritus magicis artibus obedire: nec secretas semel à corporibus & collocatas in definitis sedibus animas, si revocentur, redire, ut Ethnicis persuasum erat, confessum est hactenus: sed adscititia se illarum imagine ostentant daemones. Quocirca non à mortuis ipsis, verum à daemonibus illorum habitu vestitis, νεκρομάντεις responsa accipiebant: quae, si illi integris & expressis mortuorum corporibus cernerentur, νεκυομάντειαι: sin vero tenues, nebulo-

Magorum carminibus non obediunt beatorum animae. *νεκρομάντεις.*

συμμάρτυρες. sas & evanidas sibi circumfunderent umbras, συμμάρτυρες nuncupabantur. Vere D. Chrysostomus ait: Non anima defuncti est, quæ dicit, Anima talis ego sum: sed dæmon, qui hæc, ut homines decipiat, sic confingit. Ibidem: Animæ sunt in loco certo, & expectant judicium, neque se inde possunt commovere.

§ 5. Antea quoque Samuel plus minus biennio mortuus fuerat: & ejus corpus si non omnino computruerat, tamen ita deformatum fuisse certum est; ut eximia illa specie viva, qua antea innotuerat, & qua se nunc denuo fictus hic sistit Samuel, apparere nequiverit. Neque etiam deorum magnificentiam referre potuisse cadaverosum corpus, quilibet novit: quum tamen deos è terra ascendere, se contueri affirmaret divinatrix. multo minus quivit loqui & vaticinari iste Samuel.

§ 6. Quorsum etiam Samuelis piissimi vatis tamdiu sepulti corpus, pallium consuetum eodem momento, ex impiæ fascinatricis mulierculæ imperio incorruptum assumpsisset, quod in sepulchrum secum non assumpsit, nec eo amiciebatur mortuus? Hoc autem sanctissimi viri spectrum ostentare, facile fuisse illi, inficias ire nolo,
2. Cor. 11. qui se in lucis angelum transformat, cumprimis apud impium regem, tum perditam Satanæ servulam.

§ 7. Deinde cum ipsa historia paulo ante testetur, Deum contumaci & abjecto regi ipsum consulenti, responsa dare noluisse, vel per viventes prophetas aut sacerdotes, vel per somnia: multo minus per divinum vatem ex morte suscitatum, quem nec vivum audire voluit Saul, vel per angelum è cœlis missum, respondit regi, quem in furore suo omnino repudiarat. Quo etiam nomine motus Saul, Pythiam divinatricem professionis ergo, publico edicto juxta Dei voluntatem ex Israele exulantem, furtive vero latentem, iniqua ratione consulere statuit: quasi indignabundi animi institutum fuisset,

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Ideo non potuit non odisse & execrari hoc factum Deus, & justo judicio deploratam illusione dæmoniaca Saulis impietatem contra suum & ipsius præceptum, contra etiam conscientiæ testimonium designatam punire, ut in præfracti Saulis mentem Satanæ fascinum merito permiserit. Nec novum aut inauditum hoc est, ubi quos pertinacis impietatis homines esse prævidet, præscitque, magis solet excæcare, indurare, spiritui mendacii relinquere, & in reprobam

bam tradere mentem. Exemplo sit Pharaonis invicta pertinacia, fides mendacibus spiritibus data, & extrema inde punitio. *Exod. 7. 8. 9. 10. 11. 14.*

§ 8. Quod porro historia commemorat, Samuelem senem pallium indutum indigne tulisse, quod è sua quiete excitus esset, atque eum Sauli regi loquutum vaticinatumque fuisse: hinc non convincitur, verum extitisse Samuelem hoc spectrum. Quoniam diabolo, spiritui mille artifici, non sit difficile quamcumque formam mentiri, quidvis fingere, simulare, & de futuris jam antea vaticinio patefactis prædicere: maxime vero, de quibus manifesta præludia, & eventus minime dubii indicia in foribus fere videbantur. Nec ignoravit Satan, certissima esse, quæ Sauli vaticinatus fuerat vir Dei Samuel. Ideo à Samuele antea prædicta repetit, potuitque non temere conjecturam facere ex apparatu hostium magnifico & instructis copiis, item ex dictis, factis & circumstantiis reliquis belli præsentis, quam sortem in eo conflictu assequeretur Saul: potissimum cum ipsum à Deo abjectum, nec resipiscentem, & adversus Dei mandatum postremo Pythiam vatem diaboli mancipium consulentem, in sua haberet potestate, atque pro suo impellere nutu, & præsentis prælii objicere posset exitio. Ideoque Saulem mortuum testatur Scriptura in transgressione sua, qua prævaricatus erat contra Dominum: nempe contra Domini verbum, quod non custodivit, & quod Pythonem consuluit interrogando, neque requisivit Dominum: ob hoc interfecit eum, translato regno ad Davidem filium Isai. *1. Par. 10.*

Jesu Syrach authoritas.

§ 9. Porro si Jesu Syrach testimonium urgeatur, quanquam (Hieronymo teste) illi ab Ecclesia non concedatur authoritas dogmata confirmandi Ecclesiastica, nec rerum earundem controversias dirimendi: hæc tamen quoque addere libet, ne pia hujus libri doctrina elevari putetur, Jesum Syrach solummodo ex primo Samuelis libro historiam proponere: quod factum est, simplici enarrare oratione, quemadmodum legitur, ut ad avitæ virtutis æmulationem posteros invitaret, provocaretque: Samuelis item laudes succinctæ recensere: minime differere voluisse, verane an ficta fuerit Samuelis apparitio.

Illusionem fuisse Samuelis apparitionem, censent Hebræi.

§ 10. Inter Hebræorum autem Rabbinos quanquam pauci aliter sentiant, tamen Pythonum opus esse, fere omnes censent: & nihil aliud præter præstigias, vanitatem, mendacium & deceptionem. Samuelem intelligunt spiritum Pythonicum, qui induerat

Samue-

Samuelis speciem: item Samuelem visum esse dicere Sauli. Mulier videbat Samuelem, neque tamen audiebat eum alloquentem Saulem: sicuti nec Saul videbat Samuelem, hoc est, illusionem illam diabolicam, quæ videbatur illi Samuel. Sunt inter eos, qui hæc omnia mulieris putant arte conficta, quæ ex certis conjecturis sic deluserit Saulem. Kimchi contra adversarios sic arguit: Si Deus suscitavit Samuelem, ut futurum eventum indicaret Sauli: cur eventum illum non magis revelavit per somnia aut per prophetas, aut per sacerdotum oracula, quam per maleficam mulierem? Saadia vero, & Ajas, quod ipsa mulier, cum præter solitum morem miranda videret, stupefacta, cœperit magna clamare voce, hanc veram fuisse visionem, non quidem mulieris arte, sed Dei virtute apparentem, falso existimarunt.

De vero Samuele non evocato à divinatrice, Patrum quorundam sententia.

CAP. X.

Quæst. 27. item part. 2. caus. 26. quæst. 5. Nec mirum

CÆTERUM, ut huic nostræ sententiæ roboris aliquid accresat, audi argutissimi sanctioris Theologiæ censorem Augustinum, lib. Quæstionum veteris & novi Tastamenti: Indignum facinus æstimo, inquit, si secundum verba historiæ commendetur assensus. Quomodo enim fieri poterat, ut arte magica attraheretur vir & nativitate sanctus, & vitæ operibus justus? aut, si non attractus est, consensit: quod utrumque de viro justo credere absurdum est. Si enim invitus adductus est, nullum suffragium habet justitia: si autem voluntarius, amisit meritum spirituale, quod positus in carne quæsiverat: quod valde absurdum est, quia hinc qui justus recedit, permanet justus. Porro autem hoc est præstigium Satanæ, quo ut plurimos fallat, etiam in potestate se habere justos confingit.

2. Cor. 11.

§ 2. Quod Apostolus inter cætera ait: Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. Ut enim errorem faceret, in quo & ipse gloriaretur, in habitu viri justi & nomine se subornavit: ut nihil proficere spem, quam prædicabant Dei cultoribus, mentiretur, quando hinc exeuntes justos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saul & filiorum ejus non sit mentitus: quasi magnum sit diabolo, ante diem, occasum corporis prævidere, quum signa soleant quædam apparere morituris, quippe à quibus Dei protectio

rectio amota videtur. quanto magis diabolus, quem angelica majestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur; de cujus magnitudine Apostolus ait: An ignoratis altitudinem Satanæ? Quid mirum ergo, si imminentem prope mortem potuit prævidere, cum hoc sit, unde fallit, & se in Dei potestate vult ad orari?

§ 3. Nam tanta hebetudine demens effectus est Saul, ut ad Pythonissam confugeret. Depravatus enim causa peccati, ad hæc se contulit, quæ damnaverat. Sed si quis propter historiam, ut ea, quæ verbis expressa sunt, putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit: recte faciet quidem, si tamen minime istud ad veri rapiat rationem, sed ad visum & intellectum. Saul namque reprobus factus, poterat bonum intellectum habere. Historicus enim mentem Saulis & habitum Samuelis descripsit, ea, quæ dicta & visa sunt, exprimens: prætermittens, si vera, an falsa sint. Quid enim ait? Audiens in quo habitu esset excitatus, intellexit (inquit) hunc esse Samuelem. Quid intellexerit, retulit: & quia non bene intellexit, contra Scripturam alium adoravit quam Deum: & putans Samuelem, adoravit diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet Satanas. Hoc enim nititur, ut adoretur quasi Deus.

1. Reg. 28.

Idem scribit Rabanus ad Bonasum abbat. in epist.

§ 4. Si enim vere illi Samuel apparuisset, non utique vir justus, permisisset se adorari, qui prædicaverat Deum solum esse adorandum. Et quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennæ; Cras mecum eris? His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodit improvidus Satanas: quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis, contra legem: & virum peccatis pressum, quum magna distantia peccatorum & justorum sit, cum Samuele justissimo futurum mentitus est. Verum potest videri, si de Samuelis nomine taceatur, quia Saul cum diabolo futurus erat. Ad eum enim transmigravit, quem adoravit.

§ 5. Idem ad Simplicianum, ubi ultro citroque quæstionem de excitato Samuele agitasset, tandem ait: Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior intellectus, & expeditior exitus, non ut vere spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma & imaginariam illusionem, diaboli machinationibus factam: quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus, quarum imagines sunt, appellari. Quis enim, qui hominem pictum dubitet vocare

Li. 2. quæst. 3. Eadem fere ad Dulcitium, quæst. 6. & in libello de cura pro mortuis agenda.

hominem? quandoquidem & singulorum quorumcunque pictu-
ram cum aspicimus, propria quæque nomina incunctanter adhi-
bemus: veluti cum intuentes tabulam aut parietem, dicimus, Ille
Cicero est, ille Salustius, &c. quum aliud nihil sint, quam pictæ
imagines.

§ 6. Et paulo post: Si vero liquido constat, nominibus ea-
rum rerum, quarum imagines sunt, easdem imagines appellari: non
mirum est, quod Scriptura dicit Samuelem visum, etiamsi forte ima-
2. Cor. 11. go Samuelis visa apparuit, machinamento ejus, qui transfigurat se
velut in angelum lucis, & ministros suos velut ministros justitiæ.
Jam vero, si illud movet, quomodo à maligno spiritu Sauli vera
prædicta sint: potest & illud mirum videri, quomodo dæmones
Matth. 8. agnoverint Christum, quem Judæi non agnoscebant.

§ 7. Cum enim vult Deus etiam per infimos & infernos spiri-
tus aliquem vera agnoscere, temporalia duntaxat, atque ad istam
mortalitatem pertinentia: facile est, & non incongruum, ut omni-
potens & justus, ad eorum pœnam, quibus ista prædicantur, ut ma-
lum, quod eis impendet, antequam veniat prænoscendo patiantur,
occulto apparatu mysteriorum suorum, etiam spiritibus talibus ali-
quid divinationis impertiat: ut quod audiunt ab angelis, prænun-
cient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Do-
Act. 16. minus atque moderator vel jubet, vel sinit. Unde etiam spiritus
Pythonicus in Actibus Apostolorum attestatur Paulo apostolo, &
euangelista esse conatur. Miscent tamen isti fallacias suas: & ve-
rum, quod nosse potuerint, non docendi magis, quam decipien-
di fine prænunciant. Et forte hoc est, quod quum illa imago Sa-
muelis, Saulem prædiceret moriturum, dixit etiam secum futurum:
quod utique falsum est, &c. Idem lib. 2. de Doctrina Christiana,
capite 26. ait, Samuelem hunc fuisse imaginem sacrilegio excita-
tam. Et autor libri de mirabilibus sacræ Scripturæ, si is sit Augusti-
ni, negat verum fuisse Samuelem, cap. 11.

§ 8. In recitandis his Augustini sententiis copiosior fui studio,
quod haud ita pridem monachum audierim, qui in publica con-
cione ipsius Samuelis spiritum verè evocatum fuisse, ex Augustino
defendere conatus sit. Nostro huic sensui calculum addit Tertul-
lianus, in libro de Anima dicens, Diabolum illusisse & mulieri &
Sauli, & illius oculis, hujus vero auribus imposuisse. Justinus Mar-
tyr in explic. quæst. 52. dæmonem Samuelis habitu & figura ap-
paruisse

paruisse affirmat. Origenes in historia de Bileamo ait, Bonos spiritus non obtemperare carminibus magicis.

De necromantia, quid sit, & qui ea usi fuerint.

CAPUT. XI.

Νεκρομαντείαν vero, & νεκυομαντείαν, eam vocant, quæ sacrificiis solenni ritu institutis & peractis, atque diris execrationibus ab Orco manes educit, accitosque de futuris sciscitatur: ita Samuelem mulier excitasse putatur in Endor. *νεκρομαντεία. νεκυομαντεία.*

§ 2. Hanc Æneam quoque exercuisse traditur, quum in Italiam venisset, occiso Miseno tubicine. Apud Lucanum quoque Erichthonem maleficam Thessalam, fascinatricemque evocasse mortuum narratur, qui belli Pharsalici eventum Sexto Pompejo denunciat. Dicitur & Apollonius Romæ verbis occulte pronunciatis, puellam nuptiarum die resuscitasse, cujus illum nobilem scriptorem Philostratum testem esse miror. Idem gloriatur se Achillis animam ab inferis evocasse, ut corporis sui molem ostentaret, & ad interrogata de gestis in bello Trojano ipsi responderet: Non, inquit, sicut Vlysses terram effodiens, agnorum sanguine manes Achillis eduxi: sed omnes adhibui preces, quas placandis heroum animabus sacerdotes Indorum dici jubent. Appion quoque Grammaticus memoriæ prodidit se umbram Homeri evocasse, ut ab eo percunctaretur, cujas esset, & quibus parentibus editus. *Lib. 6. Erichtho malefica. Philostr. lib. 4. in Apollonii vita. Horat. lib. 1. Ser. Sat. 8.*

§ 3. Sed eadem est ratio, & mera dæmonii ludibria, si ea videbantur ita acta esse: iis enim mire erat exposita antiquitas, Dei ignara. quemadmodum ea & ad herbarum facultates usqueadeo fuit attonita, ut ad vitam revocari mortuos herba quapiam crediderit. Sic Xanthus historicus in primo lib. Historiarum scripsit, occisum draconis catulum herba quapiam resuscitatum, quam magi Balim vocant. Eadem Thilonem, quem draco interfecerat, vitæ restitutum: & Juba rex Mauritaniæ, herba itidem in Arabia hominem vitæ redditum esse tradit. Hoc autem quum fieri nequeat, illos in lipothymiam vel animi deliquium illapsos, vel alioqui morbo prope victos, admota illa herba vires vel excitante, vel etiam naturæ respirantis virtute quasi revixisse fuisse visos, mea est sententia. *Plinius. xxv. 2. Balis.*

§ 4. Nec vero ex Israelis cœtu hic solus deliquit Saul, nec etiam soli Ethnici dæmones mortuorum umbris involutos consuluerunt.

Quos, quum nescirent Deum, minus mirum est varias exquirendæ voluntatis divinæ, placandorum numinum, & explorandorum futurorum rationes effinxisse. Sed & in reliquum Dei populum pervasit furor ille, qui etiam usque ad hoc nostrum seculum in quibusdam male sanis perduravit ingeniis. Usitatissimam etenim superioribus annis fuisse consuetudinem acciendorum & interrogandorum manium, norunt majores: & hac de re peculiaria & magna volumina fuisse consarcinata, eademque in quibusdam scholis palam proposita, sunt qui meminerunt. Nobis autem cura mandata incumbit, ut omnem consociationem cum dæmoniis & eorum ministris execremur, ne eorum usu polluamur, & oscitantia vel securitate eorum retibus implicemur incauti.

De divinationibus Magicis.

CAPUT. XII.

PORRO ritus, quibus commoveri ex imo animas, producique illi arbitrabantur, item variarum divinationum magicarum monstrosas species, prodigiososque modos, Satanæ artificio in æternam hominum perniciem dolose confictos, in historiis annotatos, & ab Ethnicis usurpatos, erudite in doctissimis suis Commentariis, de Præcipuis divinationum generibus describit multijugæ lectionis vir CASPAR PEUCERUS. Ubi licet plurima lectu dignissima, atque huc facientia, comperies: nos tamen & alia non pauca nec observatione indigna sequentibus capitibus proponemus.

§ 2. Et Incantatores quidem, ariolos, aruspices, augures, pythonissas, genesianos, saltores, sortilegos discernit divus Augustinus libro de Natura dæmonum: id quod in Decretis annotatum etiam est 26. q. 3. & 4. c. igitur. Divini autem omnes dicuntur, *Divini.* quum vel inita cum dæmonibus manifesta societate vaticinantur, vel superstitiosis quibusdam artibus, quæ ex occulto cum dæmonibus pacto scaturiunt, mancipati idem efficiunt. Vel sit Divinatio, alicujus rei affirmatio, quæ neque ex causis, neque ex verisimilibus signis est collecta. Ad species veniamus.

Λεκανο-μαντεία. § 3. Λεκανομαντείαν describit Psellus, & eam fuisse in usu apud Assyrios ait: sed & Chaldæis & Ægyptiis familiaris fuit. Ea etiamnum hodie utuntur Turcæ, licet non nihil diverse. In pelvim aquæ reple-

repletam imponebantur aureæ & argenteæ laminæ, lapideſque pretioſi characteribus certis ſignati: & poſtquam conſueta eſſent prolata verba, quibus dæmon exciebatur, proponebatur quæſtio. Tum primo quidem ſonitus tenuis abſque voce audiebatur, qui ſignum erat ingredientis dæmonis: poſt aqua inundante, voces exiles ex ea emergebant, quibus ad quæſtionem reſpondebatur: aut opera data exiles admodum, ne mendacii coargui poſſet dæmonium in his quæ non noverat.

§ 4. Γαστρομαντεία hoc à priore diſcrepabat, quod non voce, ſed picturis reſponſa expediebat. Collocabantur vaſa vitrea, rotunda, aquis conferta limpidiſſimis, & circum collocabantur accenſi cerei: cumque evocatio dæmonis ſecreto murmure finita, & quæſtio relata eſſet, adhibebatur puer impollutus, aut mulier prægnans, quæ vitra ſtudioſe accurateque intueretur, ac circumſpiceret, rogaretque, imperaret & flagitaret reſponſa. Ea tandem imaginibus aquæ impreſſis, & per vitra pellucida renitentibus, diabolus oſtendebat. γαστρομαντεία.

§ 5. Κατοπτρομαντεία, ex nitidis terſiſque divinat ſpeculis, in quibus propoſitarum rerum imagines effictæ, redditæve à diabolo fulgent. Ea uſus eſt Didius Julianus imperator: & pleraque Satanæ monitu prævidiſſe, quæ acciderunt, ſcribitur. κατοπτρομαντεία.

§ 6. Κρυσταλλομαντεία, ex cryſtallis fabrefactis atque expolitis, colludente in his diabolo (in pleriſque enim minuta ſpecie alias materiæ alterius conditus deliteſcit) depictas notas atque figuras eventuum ac rerum quæſitarum, quaſi vaticinans ſuis Magis renunciat. κρυσταλλομαντεία.

§ 7. Δακτυλομαντεία appellatur, quando ex annulis ad certos cœli poſitus fabrefactis, vel diabolico ritu conſecratis divinant malefici. At, qui vetitis his divinationum dæmoniacarum modis utuntur, nimis impune inter Chriſtiani nominis homines degunt quamplurimi. Ex ſimili officina nuper quidam annulum eadem religione ſacratum heroi obtulit viginti coronatis venum, ejus ſcilicet virtutis, ut felicem conſequeretur eventum in quocunque luſus genere, quamdiu hunc comportaret. Cujus rei ut faceret periculum, aſſumpto annulo luſit, & quidem fortuna annuente, benignaque. Quo ſucceſſu illectus coronatos numerat, reditque ad conſuetæ negociationis exercitium & luſum, ac perdidit duplo plus, quam antea lucrifecerat. Expertus itaque ſe deluſum, annulum infringi jubet. δακτυλομαντεία.

 § 8. ὑδρο-

ὑδρομαντεία.

§ 8. ὑδρομαντεία varie usurpabatur. Aqua implebatur cyathus, annulusque filo suspensus ex digito librabatur in aquam: atque sic conceptis verbis postulabatur rei quæsitæ declaratio, vel confirmatio. Si quod proponebatur, verum erat, annulus suo nutu, non impulsus, cyathum feriebat constitutis ictibus. Hanc exercuisse Numam Pompilium,& excitos in aquam deos consuluisse tradunt. Extant & alii ejus modi.

ὀνυχομαντεία.

§ 9. ὀνυχομαντεία perficiebatur oleo & fuligine in unguem pueri alicujus impolluti illitis, solique obversis. Confici enim ex mixtione olei, fuliginis & radiorum solarium simulachra rerum expetitatum, opinio erat: quæ tamen formabat mille artifex diabolus, ut ex hac mixtura in ungue reddi ac refulgere viderentur.

κοσκινομαντεία. ἀξινομαντεία.

§ 10. Κοσκινομαντεία, & ἀξινομαντεία, ad perstringendos atque detegendos occultos scelerum authores,& res alias obscuras manifestandas, Magi utuntur. Hanc securi perficiunt rotundo palo infixa, aptataque ad normam, & cum præfatione, ordine enumeratis suspectorum nominibus. Ad cujus vero mentionem securis vel levi impulsu se circumagit aut nutat, eum culpæ reum peragunt. Sic apud Homerum produntur proci Penelopes,sed adhibito lapide Gagate, & prunis imposito.

§ 11. Illam administrant cribro forcipi imposito, & forcipe binis tantum apprehenso atque elevato digitis: itidemque adjuratione facta per sex verba, nec sibiipsis nec aliis intellecta, dies, nues, jeschet, benedœfet, donuina, enitemaus: deinde suspectorum nominibus recitatis, quocunque nominato cibrum vel tremit, vel nutat, vel volutatur, eum reum statuunt. at quam vere, testatur omnis dæmonum veritas. Potuit & ille, qui cribrum in forcipe sustinebat digitis, illud pro suo arbitrio commovere.

κεφαλαιονομαντεία.

§ 12. Κεφαλαιονομαντεία, asini capite super prunas assato, nescio quibus perficitur ritibus, olim Germanis familiaris.

Ceromantia

13. κηρομαντεία, cum ceræ liquefactæ, & in aquam distillantis figuræ observabantur, Turcis etiamnum in usu.

ἀερομαντ.

§ 14. ἀερομαντεία ex aëris partibus ac motu sumpta, velebratur ab Aristophane in Nubibus.

ἀλφιτομαντ. τυρομαντία. ἰχθυομαντία

§ 15. ἀλφιτομαντεία describitur à Theocrito in Pharmaceutria: & ἀλευρομαντεία quoque, quę in frumento farinæ commisto considerabatur. τυρομαντεία per caseum fiebat: ἰχθυομαντεία vero per pisces, olim à Tyresia & Polydamante celebrata & usurpata.

§ 16. κατο-

§ 16. καπνομαντεία ex fumo capiebatur incensi seminis papaveris, aut sesami prunis injecti. καπνομαντ.

§ 17. βοτανομαντεία per herbas instituebatur, veluti per salviæ folia: συκομαντεία, per folia fici: λιβανομαντεία, per thus. βοτανομαντ. Dion.

§ 18. Δαφνομαντεία per laurum. Nam ex ejus crematæ strepitu futura colligebant: ex fragroso quidem secunda, testibus Porphyrio, Eustathio in Homerum, Tibullo. At laurus bona signa dedit: ex Tacito autem adversa. Unde Propertius: δαφνομαντ. Iliad. 7. Lib. 2. Eleg. Lib. 2. Eleg.

Et tacet extincto laurus adusta foco.

Antiphon, Philochorus, Artemon, Serapion Ascalonites, & ex recentioribus Fulgentius Planciades affirmant, qui lauri frondes sub pulvinari capiti suppositas habuerit, vera hunc somnia noctu visurum. Hinc Claudianus inquit, —— *Venturi præscia laurus.* Quapropter & Apollini deo fatidico sacra fuit, & hinc Laurus Apollinea, Delphica, Fatidica dicta. Parrhas. in Claud. lib. 2. de rapt. Proserp. Cælius Rodig. lib. 5.

§ 19. Ita fructus arboris cujusdam apud Canibales invenitur, cucurbitæ minori non absimilis, oblonga sive ovali forma, quem maraka & tamaraka nuncupant. Hunc illi, pulpa exempta, granis milii, lapillisve, aut re simili implent, variisque plumarum generibus superne exornant: deinde inferiori parte pertusum bacillo adaptant, quem terræ infigunt. Hujusmodi fructus binos aut ternos in singulis tuguriis servare magna cum reverentia apud eos moris est. Existimant enim, quum hunc fructum manibus pertractant, crepitantemque ob milii grana injecta audiunt, cum suo se Toupan, id est, deo sermones conferre, atque ab eo quædam responsa accipere, sic à suis persuasi Paygi. Divinatorum genus hoc est, qui suffitu herbæ petun & quibusdam obmurmurationibus, illorum tamaraka divinam facultatem tribuere perhibent. Maraka. Tamaraka.

§ 20. τεφρομαντεία, cum cineri digito bacillove res, de qua divinandum est, inscribitur: isque sub dio exponitur. quæ enim remanent literæ, non dissipatæ ventis aut confusæ cinere, ordine suo docere de re quæsita putantur. τεφρομαντ.

De Sortilegiis

CAP. XIII.

Κληρομαντεία, Sortilegium. Quod genus duabus de causis hic explicare libet. Primo, quod non exoleverit adhuc, ut superiora

riora pleraque divinationum genera, ſed & à vulgo & à prudentioribus etiamnum quandoque obſervetur, heu! nimis impie. Secundo, quod videam à nullo ſortilegiorum ſpecies diligenter inveſtigatas, ac diſtinctè traditas.

Sortilegi. *Li 4. Etym. & habetur 26. q. 1. c. Sortilegi & 26. q. 4. c. Igitur genus*

§ 2. Iſidorus autem Sortilegos eſſe ſcribit, qui ſub nomine fictæ religionis per quaſdam, quas Sanctorum ſeu Apoſtolorum vocant ſortes, divinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum inſpectione futura promittunt. Superſtitionis genus, cui dæmon occulte ſæpe colludit. Hinc ſortes variæ, puncta figuræ jactatæ, taxillorum jactus, plumbeæ figuræ in aqua projectæ, in apertum librum repentinus oculorum intuitus, occurſus alicujus ſententiæ ex improviſo, & alia væſana indicia, quæ uno ſortium nomine comprehenduntur.

Sortes.

ἀστραγαλομαντ.

§ 3. Diverſas autem ſpecies, κληρομαντείας faciunt: ut ἀστραγαλομαντείαν, quæ per talorum jactus fit, & ex numero oblato ſumitur, cum de re numerata, veluti de numero maritorum, uxorum, liberorum, villarum, & aliarum rerum quæritur: aut cum numerus jactus comparatur elogio. Libri enim ejuſmodi elogiorum ſunt omnibus de rebus & negotiis: ex quibus cuilibet aſſignatus eſt ſuus & ſitus taxillorum, & numerus quomodocunque cadentium: qui, cui elogio reſpondere deprehenduntur, id vaticiniũ ac reſponſum ad quæſtionem propoſitam eſſe demonſtrant. Tales libros etiamnum cum figuris & numeris alearum excuſos, Galli plerunque animi cauſa habent.

§ 4. Orta prorſus fuit hæc divinationis ſuperſtitio à Pythagoreis, ut & ἀριθμομαντεία. elementis illi literarum certos tribuebant numeros, numeris vim occulti futurique præſagam. Vide Archid. in c. accuſatus. §. ſane, de hæret. lib. 6. & in ſumma confeſſ. in tit. de ſortil. 2. & 3. quæſtionibus Hoſtien. & Ray. in ſumma, eodem tit. Et S. Thom. ſecunda 2. quæſt. 95. in tit. de ſuperſtit. verſ. ad quartum dicendum.

ὀνομαντ.

§ 5. ὀνομαντεία ſumitur ex cujuſcunque quærentis nomine, per elementa ſcilicet ejus, eorumque figuras.

ἀλεκτριομ.

§ 6. Huic quidem perſimilis eſt ἀλεκτερομαντεία, ſed ridiculo mirabilique modo & invento exercetur. Locus enim circumſcriptus in circulum, diſtribuitur per partes vigintiquatuor æquales: in quarum unaquaque, litera Alphabeti ſcribitur, & unicuique literæ granum frumenti imponitur. Inde gallus ad hoc enutritus dimittitur: & obſervantur eæ literæ, quarum ille grana depaſcit. Valens imperator

perator cum mire perplexus ac anxius esset de Successoris sui nomine, gallus vatidicus & Alectriomanticus depavit grana imposita his literis Θ. Ε. Ο. Δ. quibus Theodosius significabatur. Vide quomodo colludat huic impiæ persuasioni dæmon. ὀρνιτ

§ 6. ὀρνιτείαν similem Histrionum Memphiticorum recenset Joannes Leo, qui exiguas aviculas capsulæ in abaci formam constructæ annexas ostentant, quæ rostro sortium chartulas tam dextri quam sinistri ominis extrahunt. Qui sortem suam scire cupit, obulum aviculæ objicit: quem rostro excipiens, in capsulam defert: deinde progrediens, responsi chartulam eodem rostro profert. Quomodo his quoque nugis dæmon colludat, ac utatur ad superstitionem animis inculcandam, facile colligitur ex dicto Leone, qui pejus quam in chartula sorte accepta conscriptum erat, accidisse sibi postea conqueritur. Li. 8. de scrip. Afric.

§ 7. Jam ad στιχομαντείαν, quæ repentino in librum apertum oculorum intuitu, ex sententiæ versusque ad quæstionem facientis occursu sumitur, modo ad numerum jactarum alearum, modo sine eo. Et quoniam poëmata pro vaticiniis, ut poetæ pro vatibus habebantur, in iis potissimum exercebatur. Hinc & in publicis causis Sybillina carmina ita observabantur, & inter privatos Græcos Homerica, Latinos vero Virgiliana. στιχομαντ.

§ 8. Socrates audiens in carcere recitari Achilleum illud apud Homerum. 7. Iliados.

ἤματί κεν τριτάτῳ φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην:

prædicebat Æschini se post triduum moriturum. Alexandro Severo obvenit hic Virgilii versus,

Tu regere imperio populos Romane memento. Æneid. 6.

Post annos aliquot Imperium adeptus fuit Romanum Brutus: exquirens is successum prælii Pharsalici, in hunc Patrocli versum incidit, Valer. lib. 1. cap. 5. Iliad 16.

ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός.

Claudio Imperatori obvenit,

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas: Æneid. lib. 6.

Nec ultra biennium imperavit. Eidem inquirenti de fratre occurrit versus, qui & Gordiano juniori post, ex sexto Æneidos,

Ostendent terris hunc tantum fata. ——

Decem & septem diebus à suscepto Imperio interfectus fuit.

§ 9. Opilius Macrinus, num ad Imperium perventurus esset,

ſcire deſiderans, in hos incidit Homeri verſus,

Iliad. 8. ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί,
σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει.

Sane ſenex ad imperium pervenit, nec diutius quatuordecim menſibus id retinuit, occiſus ab Heliogabalo. Adriano imperatori dubitanti de animo ac amore Trajani erga ſe, ſortes hæ Virgilianæ obvenêre ex ſexto Æneidos,

Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ,
Sacra ferens? noſco crines, incanaque menta
Regis Romani. ——.

Poſt adoptatus à Trajano, ſucceſſit ei in imperio Romano. Claudius ſecundus Aureliani imperatoris prædeceſſor, inquirens de poſteritate ſua, incidit in illud primi Æneidos libri:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

Genus ejus per longam poſteritatem ſtetit.

Sortilegia. § 10. Et hæc fere ſunt & ſortium & ſortilegiorum genera. Quæ non ſolum, à ſortibus ex urna capiendis, aut aliunde legendis ita dicta mihi videntur, ſed etiam à lectione. Nam & verſus ſorte oblati legebantur, ut ſupra demonſtravimus: & ſortes etiam fuiſſe acceptas pro ſyngraphis, aut ſcriptura Oraculorum, reſponſorumve, conſtat ex Delphicis ſortibus. Valerius Maximus ſcribit, legatos ad Delphicum oraculum miſſos ob exundationem lacus Albani, retuliſſe ſortibus præcipi, ut aquam ejus lacus emiſſam per agros diffunderent. Et hinc ſortilegos dictos exiſtimarem, qui ſortes iſtas ex charta vel membrana vel cortice legiſſent. Horatius in arte Poëtica: (Lib. 1. cap. 6. — Sortilegi.)

—— Et divina futuri
Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.

§ 11. In his autem omnibus ſpeciebus dæmonem ſuas artes, ſuaſque præſtigias non omittere: ſed fere ſemper adhibere, vel inde conſtare poteſt, quod & impiis ritibus fiant, & non niſi ad credulitatem impiam hominibus inculcandam, idolomaniam ſtabiliendam, & crudelitatem exercendam:

Ovid. 13. Metamorph. *—— Duræque jubent Agamemnona ſortes*
Immeritam ſævæ natam mactare Dianæ.

De

De Pythonicis & γαστρομαντείᾳ.

CAP. XIV.

QUanquam supra de Pythonicis nonnihil attigimus, quia tamen ibi nihil explicare voluimus aliud, quam nomina tantum, quibus Sacræ literæ magos appellant infames: hic Pythii vox accuratius nonnihil explicanda prius, ob frequentem ejus usum, erit, quam longius progrediar.

§ 2. Apollinem vero Pythium quidam dicunt ob nocentissimum draconem πύθωνα, in infantia ejus jaculis interemptum. Unde spiritus ille, quo afflati futura prædicebant, Pytho vocari cœptus est. Aliis Pythium oraculum ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, id est, à sciscitando sortitum nomen putatur, quod de futuris occultisq; & ignotis consulebatur. Ab oraculo autem oppidum, cui alioquin Delphorum nomen erat, πυθὼ: & Apollo, quem hominis specie ex solido auro conflatum, in templo venerabantur, ac præsidere loco fingebant, Pythii nomen adeptus est. *Pytho unde, & Pythium oraculum.*

§ 3. Mulierem quæ cum habitu dæmonem excipiebat, atque ipsius incitatione Græce vaticinabatur, Pythiam ob eandem caussam, & ἐγγαστρίμαντιν vocabant, & πυθόμαντιν. Chrysostomus de Pythia vel Apollinis oraculo ita perhibet: Dicitur hæc Pythia fuisse fœmina, quæ super tripode divaricatis cruribus malignum spiritum inferius immissum, partesque genitales è quibus loqueretur subeuntem excipiens, furore repleretur, & crinibus sparsis spumansque ore debaccharetur, funderetque insana oracula. *Pausanias in Phocicis. Strabo lib. 9. Pythia mulier. ἐγγάστριμαντις. πυθόμαντις.*

§ 4. Methodius Hieronymi testimonio, adversus Origenem librum condidit περὶ πυθωνίσσης, ut ait Sophronius. Nam tertio περὶ ἀρχῶν Origenes dæmonem Pythonicum quosdam à tenella ætate possidere scribit. Divinando etiam magnum præstabat quæstum suis dominis puella illa in Actis Apostolorum, Pythonis spiritum habens. Videntur quoque hæ vates se prius aqua Cephisi fluvii præterlabentis Delphos proluisse. Quo fit, ut Lucanus dicat, Fatidica Cephisus aqua. Vel potius ex ea potasse, ut qui ex Gallo Phrygiæ flumine bibebant, statim furebant. Unde Galli sacerdotes Cybeles dicebantur, de quibus idem Poëta sic: *Act. 16.*

—— Crinemque rotantes,
Sanguinei populis ululaverunt tristia Galli.

Semetipsos enim castrabant, & inter sacrificandum furiosorum instar erant. πυθωνικοὶ & πύθωνες dicuntur Plutarcho, fatidico spiritu correpti.

γαστριμαντεία. § 5. Nunc porro ipsum divinationis genus, quod γαστριμαντεία vocatur, considerabimus. Licet autem divinatio sit spiritus in humano corpore conclusi, ratione tamen loci partisque, ex qua profertur, diversa est. In στερνομαντεία enim spiritus inclusi pectori, cujus os στέρνον nominatur, vel suggerebant, vel vinctis compressisque linguis obsessorum, ipsi per os efferebant requisita præscitaque vaticinia. At γαστριμαντεία, vel γαστριμυθεία vaticinia profert ex ventre spiritibus turgido.

στερνομαντ. Sophocl. γαστριμυθ.

§ 6. Quare, qui hoc divinationis genere obsidentur, Ventriloquos ab Augustino, ab Aristophane ἐγγαστριμύθους appellari diximus: nec aliter prolata fuisse vaticinia tum Pythonicorum, quorum in Sacris literis fit mentio, tum Pythiarum apud Delphos: licet alioquin ratione sexus discrimen aliquod sit, id, quod nondum animadversum video. In mulieribus enim sonus horum vaticiniorum ex genitalibus partibus edebatur & audiebatur. Nec enim alia via ex Pythiis Delphicis dæmon pronunciare solitus fuit, quam diductis feminibus per inguen.

Lib. 2. cap. 1. 4 Reg. 23. Act. 16. ἐγγαστρίμυθοι. mulieres quomodo vaticinentur.

§ 7. Quin & Tertullianus, auctor gravissimus, affirmat se ventriloquas vidisse fœminas, è quarum pudendis vocula quædam, dum sedebant, excitabatur, respondebatque sciscitantibus. Denique Cælius Ludovicus, patrum nostrorum memoria fœminam se ventriloquam crebro vidisse Rhodii, Italiæ urbe & patria sua, scribit: ex cujus pudendis vocem immundi spiritus pertenuem quidem, sed tamen prorsus intelligibilem, sæpe audierit de rebus præteritis aut præsentibus mirificam: at de futuris plerunque incertam, sæpe etiam vanam & mendacem.

Antiq. lect. VIII. 10.

§ 8. At in viris hi spiritus impuri tanta turpitudine vaticiniorum suorum voces & sonum edere non possunt: sed per honestiorem corporis partem, os scilicet, eloqui coguntur, ut supra dictum est de Euricle ab Aristophane celebrato: cujus Vespas cum anno Christi M. D. LX. Parisiis Hadrianus Turnebus (tum Græcarum literarum, post Philosophiæ & Eloquentiæ regius professor) interpretaretur, audientibus meis filiis Theodoro jam jurisconsulto, & Henrico medico, palam testabatur olim se Lutetiæ vidisse persimilem illi Aristophanis Euricli hominem astutum, Petrum Brabantium:

ἐγγαστρίμυθοι. viri quomodo vaticinentur.

tium: qui quoties volebat, toties ex ima parte corporis, ore quidem aperto, sed labiis immotis loquebatur, & hac sive arte, sive exercitatione, sive dæmonis impostura multis passim imponebat. *Petrus Brabantius, ventriloquus.*

§ 9. Nam cum Lutetiæ virginem quandam formosam, sed patre orbatam, deperiret, nec matrem superstitem inducere posset, ut eam sibi desponderet: tandem cum ultro citroque hac de re colloquuntur, vocem edit è corpore, qua demortuus mulierculæ maritus de pœnarum gravitate conqueri videbatur, quas ob uxoris diffidentiam in purgatorio perpeteretur, quod ea filiam à Brabantio toties expetitam, optimo viro denegaret. Quibus illa questubus exterrita, virique miserta, petitioni nebulonis assensit. Quem tamen non tam filiam, quam dotem ei à patre in testamento constitutam ambiisse, satis apparuit. Sex enim mensibus post, ubi puellæ bona decoxisset, uxore socruque relicta, Lugdunum aufugit. *Conficta mortui de Purgatorio querela.*

§ 10. Ibi mercatorem quendam ac trapezitam prædivitem obiisse intellexerat. Qui cum haberetur injustissimus, eo quod omnia per fas ac nefas in vita corrasisset, filium Cornutum, ejus unicum hæredem, in porticu pone cœmiterium obambulantem, adit: & eo se missum innuit, ut, quid opus facto esset, doceret. Cæterum dum ei de patris anima potius, ac fama, quam morte cogitandum esse dicit, vox inopinato inter loquendum, patrem referens, exauditur. Quam cum Brabantius ex ventre daret, se tamen expavescere mirum in modum simulabat. Monebatur autem hac voce filius, quem in statum pater injustitia sua decidisset: & quantis purgatorii cruciatibus tum sui, tum ipsius causa exagitaretur, eo quod iniquorum eum bonorum hæredem reliquisset: quamque nullo modo liberari posset, nisi justa à nato expiatione facta, & debitis, in eos eleemosynis collatis, qui maxime tum temporis egebant: eos autem esse Christianos à Turcis captos. proinde viro, quicum loqueretur, crederet: hunc ad redimendos eos Constantinopolim à piis hominibus ablegatum, ejusque rei ergo divinitus ad eum missum. Cornutus, homo minime malus, etsi his auditis dolum haud animadverteret: quia tamen durum videbatur istud de pecunia verbum, se deliberaturum respondit, & Brabantium eo loci postridie redire jubet. Interea anxius, de loco subdubitabat, in quo vocem exaudierat, quod umbrosus esset, ac opacus, & hominum insidiis Echoque aptus. Quare postero die *Alius ejusdem dolus.*

eum in alium apertum, planum, nullisque vepribus aut umbris impeditum locum deducit. Ubi nihilominus eadem inter loquendum repetebatur cantilena: hoc etiam addito, ut Brabantio statim sex Francorum millibus numeratis, tres in singulos dies Missas redimeret pro salute patris: alioquin nullam apud inferos fore redemptionem. Unde filius conscientia ac religione obstrictus, licet ægre, totidem tamen Brabantii fidei commisit, omni legitimo accepti solutique testimonio neglecto. Pater ignibus ac Vulcani ictibus liberatus, in posterum quievit, nec filium amplius interpellavit. Verum miser Cornutus dimisso Brabantio, cum solito lætior esset, idque reliqui mensarii satis admirari non possent, mox ut sciscitantibus causam aperuit, adeo statim irrisus fuit à cunctis, quod & nummis & cerebro emunctus & expurgatus esset, ut præ mœrore post aliquot dies mortuus, & patrem ad inquirendam ex eo rei veritatem insecutus fuerit.

§ 11. Libro de Divinatione dæmonum contemnenda, professorum ejusmodi divinationum opiniones confutat erroresq; convincit Berno, quemadmodum testatur epistola ad Meginfredum.

De ΤΥΡΟΜΑΝΤΕΊΑ, *Circulatoribus, & Theraphim.*

CAP. XV.

Muhazzimin. Ζαομησιτ. REPERITUR Fessæ in Africa circulatorum magorumque genus, quod Muhazzimin vocant. Hi omnium promptissime dæmonia dicuntur ejicere. Et quia illorum vaticinio nonnunquam succedit eventus, dici non potest, quam ea res eorum existimationem augeat: quem ejicere nequeunt, spiritum aëreum esse, asserunt. Modus autem adjurandi dæmonis hic fere est. Primo characteres circulosque nonnullos in foculo aut alio quovis loco depingunt: deinde signa quædam in dæmoniaci manibus ac fronte describunt, illumque miris modis fumigant: postea carmen componunt, ex dæmone sciscitantur, qua & quomodo huc intraverit, quis sit, quod illi nomen: tandem, ut exeat, præcipiunt.

Zairagia. § 2. Sunt & alterius generis, qui regula quadam Cabalistica (Zairagia appellant) operantur. Hæc autem multis continetur scriptis. Naturalis siquidem scientia putatur: neque alios Fessæ reperias, qui majori cum fide magisque indubitanter ad interrogata respondeant. Verum hæc ars difficillima est. Qui enim huic

operam

operam dare vult, non minorem Astrologiæ, quam Cabalisticæ cognitionem habeat necesse est. Joannes Leo Africanus testatur in descriptione Africæ, se vidisse quendam ejus artis peritum in unius figuræ descriptione integrum consumpsisse diem, & figuras in hunc fere componi modum. *Lib. 3.*

§ 3. Primo circulos multos in majori circulo ducunt: in primo crucem formant, in cujus extremitatibus quatuor mundi plagas appingunt, Orientem Occidentem, Austrum & Aquilonem: in centro ubi lineæ concurrunt, utrumque notant polum: extra primum circulum, quatuor depingunt elementa: deinde circulum in quatuor secant partes, & sequentem circulum in totidem: post hæc quamlibet partem in alias septem secant quarum quamlibet characteribus majusculis Arabicis insigniunt, adeo ut quodlibet elementum vigintiocto habeat characteres. In sequenti circulo septem Planetas notant, in alio duodecim zodiaci signa, in sequenti duodecim mensium Latina nomina, in alio vigintiocto lunæ domicilia, in alio trecentos sexaginta quinque anni dies depingunt; extra hunc vero quatuor ventos cardinales annotant. Deinde unam tantum rei propositæ literam sumunt, atque per omnia ante enumerata multiplicant; productumque characteris numerum quodammodo dividunt, atque pro characteris ratione loco aliquo collocant, utque elementum illud exigere videtur, in quo reperitur character sive figura. *Geomantia.*

§ 4. His omnibus ita peractis, figuram animadvertunt, quæ cum numero jam producto convenire videtur: cum quo eodem modo procedunt, veluti cum priore progressum, donec vigintiocto characteres habeant, ex quibus unam dictionem colligunt: ex dictione vero oratio conflatur, quæ ad rem ipsam in quæstionem vocatam respondet. Ea porro oratio semper in carmen prioris speciei cadit, quod Arabes Ethauil appellant, componiturque ex octo stipitibus, & chordis duodecim juxta Arabicæ linguæ metricam. Carmen igitur ex iis characteribus compositum, verum atque indubitatum rei propositæ præbet responsum (ut credunt) primo quid quæratur, deinde rei quæsitæ sententiam. *Ethauil.*

§ 5. Hi autem raro errare dicuntur, quod Cabalisticam admirandam reddit. Et quanquam naturalis habeatur, nihil tamen se vidisse affirmat Joan. Leo, quod non præter naturam potius sit: & ita scribit porro. Memini me quondam in loco aperto collegii

regis

regis Abulunam (quod Fessæ visitur) in area levigato marmore strata insignem vidisse figuræ descriptionem. Areæ quodlibet latus quinquaginta erat ulnarum: hujus duæ tertiæ partes iis occupabantur, quæ ad figuram pertinebant: tres vero descriptionem faciebant, quorum quilibet suum tantum curabat locum, duravitque ea descriptio per integrum diem.

Libri de hu artibus.

§ 6. Hujusmodi quoque aliam Tuneti à quodam artis peritissimo descriptam vidi: cujus pater duo volumina commentationum in ejus artis Canones conscripserat, quos qui exacte sciunt, summo habentur ab omnibus pretio. Ego solum tres, Tuneti unum, Fessæ vero duos videre potui: duas quoque in ejus artis regulas, Explicationes, & Commentarium Margiani cujusdam, ejus parentis quem olim Tuneti vidi, & aliud ab Ibn Chaldim historiographo conscriptum. Artis regulæ cum Commentariis possunt quinquaginta aureis haberi Tuneti.

Fessa tria divinorum genera.

§ 7. Breviter, Fessæ tria in universum sunt fatidicorum & divinorum genera: primi, ut diximus, Geomanticis vel Gyromanticis utuntur figuris. Alii aquam catino vitreo infusam olei guttula admixta, lucidam & transparentem reddunt, in qua tanquam in speculo dæmones confertim se videre affirmant, qui exercitum numerosum repræsentant: quorum nonnulli in itinere sunt, alii rivum transmittunt, alii terrestre prælium gerunt: quos quietos interrogant, dæmonibus nutu manuum vel oculorum indicio respondentibus. ô temeraria credulitas! Vitreum vas pueris interdum vix octavum egressis annum in manuum dant, à quibus, num hunc vel illum dæmonem viderint, interrogant. Permulti eo dementiæ rediguntur, ut in his nugis magnam pecuniæ vim profundant.

§ 8. Tertium genus est mulierum veneficarum, quæ se cum dæmonibus habere familiaritatem affirmant: dæmones autem aut rubros, aut albos, aut nigros appellant.

Turcarum magica divinatio.

Supra capite 12.

§ 9. Hodie adhuc in cœmiterio vel foro publico Constantinopoli divinandi artem profitentur, victum hinc quæritantes. Turcæ viri & mulieres cum primis Ægyptiæ, ab initio idololatræ. Hi in arena notatis figuris, vel ejectis colligatis aleis, & notarum numero collecto, in libro nescio quid legentes submurmurantesque vaticinantur: vel ceram cum oleo confundentes, donec refrixerit expectant, ex apparentibus deinde characteribus divinant. Non-

nunquam

nunquam ex aqua, speculo, vitro, & id genus similibus organis præsagiunt, haud dubie ab impietatis & τῆς ἀπάτης magistro ita instructi, ut eos longa annorum serie, quasi ab uberibus maternis, virulentum ejusmodi lac exuxisse, minime hæsitem.

§ 10. Sic de quodam divino, Diophanes nomine, refert Apulejus: Corinthi nunc apud nos passim Chaldæus quidam hospes, miris totam civitatem responsis turbulentat, & arcana fatorum stipibus emerendis edicit in vulgum, qui dies copulam nuptialem affirmet, qui fundamenta mœnium perpetuet, qui negotiatori commodus, qui viatori celebris, qui navigiis opportunus. Mihi denique proventum hujus peregrinationis inquirenti, multa respondit, & oppido mira, & satis varia. Sed hæc omnia falsa esse, testatur Sibylla Erythræa, καὶ πλάνη πάντα τάδ' ἐστίν, ἅπερ ἄφρονες ἄνδρες ἐρευνῶσι κατ' ἦμαρ. *Lib. 2. de Aureo Asino.* *Lactantius de Orig. err. II. 17.*

§ 11. Theraphim imagines futura annunciantes, ad hunc fiebant modum, teste Elia Levita: Mactabant hominem primogenitum, cujus caput torquendo præscissum, postea sale & aromatibus condiebatur; inde capiti subdebatur lamina aurea, cui nomen spiritus inscriptum erat: coramque eo in pariete locato candelæ incendebantur, & adorabatur.

Magicorum vatum oraculis non esse credendum, nec eos esse adeundos.

CAPUT. XVI.

At omnes hi prædictionum modi ἀναιτιολόγητοι dicti, qui nullas in natura causas habent, severissime in Lege divina prohibentur, ubi diversis appellantur vocibus: ut semper apud omnes gentes divinationum imposturæ fuerunt variæ. Sic Deuteron. cap. 18. Non inveniatur in te divinus, qui divinando futura prædicit, neve aruspex, hariolus, augur, præstigiator, astrologus, Pythii consultor, magus aut necromantis.

§ 2. Ubi per קסם quidam intelligunt ברדק experimentatorem, qui sortilegio aut stipulatione investigat, num utile sit itineri se committere, aut opus aliquod inchoare. Plerique sentiunt esse generale vocabulum ad omnium divinationum species. Per מעונן vero intelligitur is qui ex עבכים, id est, nubibus aut ex astris responsa dat, & dicit hunc aut illum diem cavendum in his vel illis

electionibus, quæ tamen astrorum influentiis non ita subjiciuntur: puta, si uxorem duxeris, aut domus fundamenta jeceris sub ejusmodi aspectu, erit inauspicatissimum. Per מנחש intelligitur מביט בעוף פרח qui avium volatum intuetur, & garritum observat, ut auguretur: velut cum ex crocitante corvo mortem alicujus prædicit.

§ 3. Mirandum igitur magnopere, eousque prudentiam hominibus eripi, ut audire, dicto parere, compelli, ligarique spiritum natura nobilissimum, malitia autem ob rebellionem nequissimum, propria virtute hominis, natura eo inferioris, & malignitate pene non imparis quandoque, arbitrentur: quasi se homini præter naturam dedere voluerit is, qui Deo creatori, natura invitante, subjici recusarit. Qui ergo naturæ fœdus violarit, hicne in usum nostrum servabit pactionem?

§ 4. Adde, mendacem mendaciique parentem, quæcunque vera ad falsitatem, & quæcunque bona ad malitiam intorquere. Quis nisi luxatæ mentis huic fidat, ut de futura veritate percunctetur, quam vel nullo modo sciat, quia ejus naturæ est minime nota, vel desuper non revelata: aut, si sciat, malitioso astu mendaciis involvat. quod si pure eam quandoque profetat, vel coactus id facit; vel, si sponte atque libenter, malo tamen animo, pessimoque fine proposito. ut scilicet perniciosius offendat in posterum, & veritate qualicunque, quæ in rebus agendis parum emolumenti allatura sit, prolata, demum sub alia (quæ nisi integre pernoscatur, sit grave incommodum vel exitium paritura) atrocius lædat, & mendacium ipsum, ceu venenatam escam & exitialem hamum, cautius tegat Tartareus ille piscator. Stultus itaque ille, qui hunc consultum abit: at stultior multo, qui inde redit, nisi resipiscat.

§ 5. Interim non inficior, cum ille rerum naturas cognoscat, multa ex causis naturalibus eum prius scire, quam ab humano intellectu percipiantur: & tanto exactius, quanto ejus ingenium est sublimius: ea autem ignaris velut fur prænunciat, præsertim quorum in actu viderit initia: ut vaticinari & occulta rerum prænovisse credatur. Copiose, docte, & pie in hanc rem, contra magicas prænotiones, disputat libris novem de Prænot. maxime vero libro 7. Joannes Franciscus Picus, philosophus insignis. Chrysostomus in Euangelium Joannis, Homil. 18. Prædictio, inquit, futurorum immortalis Dei duntaxat opus est. Quod si aliquando dæmo-

dæmones aliquid prædixerunt, stultum & incautum vulgus decepërunt. eorum namque vaticinia passim falsa deprehenduntur. Nonnihil in hanc rem quoque dictum est libro I. capite decimo.

§ 6. Certa itaque permanet Origenis sententia: Qui ad vana contendunt auguria atque veneficia, divinationes ac philacteria atque incantationes, horum gressus conturbantur, horum opera impediuntur, ab ipsis Dei visitatio recedit, ipsos sancti angeli derelinquunt, & cum ipsis diabolus permanet, infatuans mentes eorum, obtundens corda illorum, abstrahens à vero sensu eorum, &c. Addam & Petri Blesensis verba epist. 49. Mendacii pater veritatem exhibet umbratilem frequenter, donec infidelitatis filios secum præcipitet in gehennam. Sic ergo scientia Christiani nil debet de futuris inquirere, sed illius dispositioni humiliter obedire, qui disponit omnia suaviter, cujus consiliarius nemo fuit, &c. Non labores noscere tempora vel momenta, quæ posuit pater in sua potestate. Futurorum enim explorare notitiam auguriis aut aliis illicitis modis, diabolica tentatio est, & æternæ damnationis occasio, &c. Frequenter evenit rerum prodigia certos exitus obtinere, eis tamen nulla fides adhibeatur: licet enim vera sæpe pronuncient, sæpius tamen & periculosius mentiuntur. Nec te tamen moveat, quod quandoque ex dispensatione divina talia personæ commendabiles acceptasse leguntur. *Lib. 3. in Iob.*

§ 7. Adde & D. Antonii præclaram sententiam: Ut concedamus paulisper, si dæmones vera nunciarent, respondete mihi, quis fructus est nosse venientia? Nunquid aut sciens hæc, aliquando laudatus, aut punitus est nesciens? In hoc unusquisque sibi præparat seu tormenta seu gloriam, si vel negligat scripturarum mandata, vel faciat. Nullus ob id nostrum hanc arripuit vitam, ut habeat præscientiam futurorum: sed ut præceptis Domini obediens, amicus incipiat esse de servo. Curandum est, non præscire, quæ veniunt, sed implere, quæ jussa sunt.

§ 8. Quare Phavorinus apud Gellium deterrere volens & depellere adolescentes à genethliacis istis & quibusdam aliis id genus, qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos se pollicentur, & persuadere eos nullo pacto adeundos esse consulendosve, hujusmodi argumentis concludebat: Aut adversa, inquit, eventura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera, & fallunt, miser fies, frustra expectando: si adversa dicunt, & mentiuntur, miser fies, fru- *Lib. 14. cap. 1.*

ſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, jam inde ex animo miſer fies, antequam è fato fias: ſi felicia promittuntur, eaque eventura ſunt, tum plane duo erunt incommoda: & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudii fructum ſpes tibi jam defloraverit. Nullo igitur pacto utendum eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus.

Atrox facinus Ioannis Galeacei in aſtrologum.

§ 9. Subjungam hic novum inauditæ crudelitatis exemplum, quo Joannes Galeaceus divinationes Aſtrologicamque vanitatem putavit eſſe refellendam. Aſtrologus, qui de eventu graviſſimarum rerum felici prędictione judicare conſueviſſet; cum Joannis Galeacei vultum intentis oculis, ut ajunt, acerrime contemplaretur: Cogita, inquit, de rebus tuis quam maturrime: nam diu inter homines agere, & hujus ſeculi lucis uſura frui non potes. Cui cum ille: Quid ita? Propterea, inquit, quod aſtra, quorum ego regiones & ſitus ipſo natali tuo die notavi, mortem tibi nondum juventutis limites egreſſo, non obſcure denunciare videantur. Cæterum Galeaceo captioſiſſimo interrogationis genere ſciſcitanti: Age vero tu, qui hæc natalitia prædicta, tanquam deum ſequeris, quam diu victurus es? Reſpondit Aſtrologus, Curriculum vivendi fatorum benignitate contigiſſe ſibi ſatis diuturnum. Verum, inquit ille, ne unquam poſthac bonitate & clementia fatorum ſtulte confiſus, majorem forte quam par eſt, de longinquitate vitæ ſpem capias, morieris eveſtigio, contraque opinionem tuam, nec te poterit conjurantium aſtrorum toto cœlo vis ulla, tam cæco judicio clariſſimorum hominum ſatis contumelioſe illudentem, ab exitio vindicare. ſimulque cum dicto hominem in vincula abripi & ſtrangulari juſſit.

§ 10. Porro exquiſitiorem artium harum diabolicarum enumerationem permitto illis, qui eas didicerunt, ac magiſtri doctorisque ſui conſilio, ductu & opera, exercere perpetuo ſuo aliorumque exitio audent, quos in nefariorum ſuorum ſcelerum communionem perditiſſime adducunt. Dolendum autem hanc peſtem immaniter in totum Chriſtianum orbem proſerpere, graſſarique nimis: maxime ubi vox Euangelii obſcurius ſonat, & neſcio quibus gentilitiis, & dæmoniaco aſtu non dubie in hominum deceptionem excogitatis ſuperſtitionum ritibus divini cultus veritas conſpurcari videtur.

De quorundam Sacrificorum & monachorum magica divinatione, medicationeque falsissima.

CAP. XVII.

SUUM adhæc locum in familia turgidorum Pythio spiritu, hic inveniunt Magorum albo inscribendi merito, nec ulla ratione prætermittendi, plerique sacrifici & monachi, ut indoctissimi, ita & incomparabilis impudentiæ, perditissimæque impietatis homines (viris piis, quos unice veneror, nihil detractum hic volo) qui medicinæ sacræ, quam ne primis quidem labris eos gustasse constat, cognitionem mentientes, facile cuivis vulgari (Consulares, vel alicujus doctrinæ, judicii, existimationisve viros nominare pudet) de morbo sciscitanti, consiliumque quærenti, è maleficio vel incantatione esse morbum progenitum, ore mendaci respondere persuadereque non verentur.

§ 2. *Pythii* insuper hi vates sæpenumero incantatricem vel sagam notoria sua arte per indicia, si diis placet, indigitare nefarie audent: honestæ alicui, inculpatæ ac piæ matronæ hoc cauterium crebro inurentes, à quo illa nunquam, vel ejus soboles, ne in multam quidem posteritatem, sanari poterit. Enimvero non rerum suarum satègisse se arbitrantur, quod morbum mendaciter commententur: nisi etiam insontes calumniis opprimant, odiaque plus quam Vatiniana apud hoc credulum nimis hominum genus concitent, litibus integras vicinias personare faciant, amicitias divellant, sanguinis necessitudine constrictum unionis vinculum dissolvant, ad pugnas promoveant, carceres procurent, cædes tandem varie architectentur aut eorum qui insontem denotatam hujus maleficii ficti effectricem vel vindicare, vel illi patrocinari student: aut etiam hujus fœminæ ab aliis cæsæ, sive à magistratu male instituto punitæ. Horum vivum si me testem dixero, mentiar minime, etiamsi indignatione rumpantur ilia Codro, aut ejus sectæ asseclis. *Sacrifici quidam inepti, maleficii morbum mentiuntur, & ejus reas statuunt insontes.*

§ 3. Ita hos ecclesiasticos scilicet! viros, eximia sui instituti mancipia, religionis potissimum pallio, strenuam sibi navare operam & experitur & gloriatur heros illorum Beelzebub: qui ob pecuniæ aucupium, aut falsæ existimationis cupidine prurientes, hoc modo suas aliorumque animas dæmonibus prostituunt & devovent:

Medicina artium vetustissima,

vent: medicinam artium ut vetustissimam, ita & utilissimam, maximeq; necessariam, ejusmodi incantationum opinione in naturalibus morbis ad vitæ & salutis perniciem defœdantes. Extat falsissimum cujusdam doctissimi viri in hujusmodi impostoribus similem ἑρμῆν ἰατρομόναχον epigramma Græcum:

> παμμιάρων ζήσας μονάχων μιαρώτατος ἑρμῆς,
> εἰς ἰατρῶν παῖδας αὐτομολῶν ἀπέβης.
> ἐῦγ' ἑρμᾶ ψυχαῖς μίαν μοναχός τ' ἰατρός τε
> ἀσπάζεις τέχνην, δὶς νεκροπομπὸς ἰών.

Sed & Latinum ejusdem aliud haud immerito istos ψυχαγωγοὺς appellat:

> *Vixisti monachus monachorum dedecus Hermes,*
> *Nunc medicorum idem dedecus es medicus.*
> *Fallor? an, ut fueras monachus ψυχόπομπος olim,*
> *Idem Hermes medicus nunc ψυχαγωγὸς eris?*

Commentum cujusdam pastoris.

§ 4. Ex horum numero quidam nugaci Dialogo nuper Germanice (Latine etenim ob inscitiam non potuit) typis effuso scribit, mulieri cuidam ventrem in eam extumuisse molem, ut uterum gerere censeretur: & quum ante Bacchanalia se partum edituram speraret, eoque frustraretur, hanc ad ipsius opem confugisse: qui propinato pharmaco se expulisse duos nucleorum cerasorum jam partim germinare inchoantium, partim ad digiti altitudinem natorum cantharos (quartas vulgus dictitat, sex libris mensura propemodum æquivalentes) addito juramento asserit. Mendacii vero impudentia hinc cognoscitur, quod nusquam in alia cavitate huic excretioni idonea, quam intestinorum sinu contineri potuerint nuclei. Si autem novem circiter menses, à cerasorum postremo natorum tempore in illis impacti, tumorem tantum excitarint jam egerminantes: quæ via quæso interea temporis per intestina arctissime nucleorum mole infarcta, distentaque naturalibus patuit excrementis? Mirum, quod eidem commento non assuerit, fœminam hanc medicamenti oblati operatione, eadem opera nucleorum germen emittentium acervo agrum consevisse: vel nisi eos expulisset, potuisse actis loco bene stercorato (cum venia id mihi dicere ob rei insulsitatem liceat) radicibus, post paucos menses læta gignere protrudereque in apertum aërem cerasa.

§ 5. Idem ille in celebri apud Geldros oppido, ubi olim medicinam publico feci stipendio, in virginum arctius occlusarum cœ-

nobio, uni valetudinis nonnihil afflictæ, maleficium esse, quo exerceretur, persuasit: nec id nisi missæ sacrificio super puellæ ventrem celebrato, tolli posse, addit. Quo permisso, peractoque, eam primum maleficio cœpisse exagitat, quum leviter antea naturali afficeretur malo, postea sæpenumero monasterii gubernatrix (quam Matrem appellant) nobilitate, ætate & probitate veneranda expostulavit. Suos interim, qui ipsum ob religionis forte nomen admirentur, habet ridiculus hic actor & ineptiarum scriptor, etiam officio pastor: cujus, quamquam mihi intus & in cute noti, nomini parcit calamus, ob conscientiam, quæ modestiam imperat, aliorumque vitia tegi vult. Quare & alios similium maleficiorum reos, ejusdem ordinis homines penitius mihi cognitos, prudens prætereo. Qui nisi resipiscant, quod ex animo illis optarim, timendum, ne de iis dixerit Iesaias: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.

Maleficium pastoris cujusdam sacrilegum.

Iesaia 27.

§ 6. *Huc referendus sacer ille magus, qui à dæmoniis edoctus, & ex tenebrarum officina proserpens, tragicæ comediæ actum nuper exhibuit ad hunc modum.* Qui Hambachi in ducatu Juliacensi suam præstat operam in cuniculis insidiandis Petrus, ubi haud ita pridem anno 1563. in principio Augusti, equum suspenso cervici cymbalo, pascuis mandasset unde exilierat: ille ratus equum furto abductum, adiit sacrificum Pythium Gerardum nomine, vicarium in Blatsum, diœcesis Coloniensis: qui consulto prius suo veritatis magistro, furem cum equo Rhenum Bonnæ trajecisse, ac in diversorio proximo venditurum asseruit. Ipse responsioni fide apposita, incunctanter insequitur, rogatque in Rheni trajectu, num talis equus ibi esset transvectus: quod factum esse intelligit, commonstraturque equi ductus ab uno loco in alium. Tandem post dies aliquot continuo itinere pervenit Häckenbergum in comitatu Senensi, ubi virum offendit armatum, qui ipsius videbatur insidere equo. Hunc adortus, de equo sibi restituendo, quem suum esse asseverabat, strenue agit, consideratque qua parte non satis munita hunc confodere posset, si forte ad pugnam veniretur: in quem solum finem fabulam hanc machinatus fuerat mendax ille & sanguinarius homicida ab initio. Post multam altercationem actor *hic* contrectat equi testiculos, quos suo equo exemptos sciebat, *color* alioqui & forma omnino respondebant. Ita hic culpam deprecatus, rem omnem ordine recenset, domumque redit. In itinere

autem intellexit, mox post ejus abitionem equum inventum fuisse mortuum, altero pede posteriore casu trajecto per funem collo alligatum, unde solvi nequiverat: quæ mortis causa extitit. Sic innotuit hujus execrandi vatis & sacrifici veritas, digno certe flagello punienda. Alter autem sumptus & jacturam circiter dalerorum decem in eo itinere fecerat: hinc graviter adhuc malefico sacerdoti coram me minitabatur.

In maleficium, & divos, inscitiam suam & errores referunt indocti medici & chirurgi.

CAP. XVIII.

NEC interim aliorum quoque ineptorum hominum, medicinæ cognitionem impudenter doloseque jactantium, unicum esse asylum inficias eo, ut, quum morbi essentiam, multoque magis ejus curationem, ignorent, coganturque ex imperitia velut cæci de coloribus judicare, maleficium mox esse affirment. Hoc velamine suam dolose tegunt in artis sacræ operibus inscitiam, elabunturque non secus quam indocta illa chirurgorum turba, confestim ad divos, velut Quirinum, Antonium, vel qualemcunque alium, refert gangrænam vel sphacelum vel phagedænam, aut ulcera alia maligna sive curatu contumacia: quæ tamen ab initio non usque adeo fuerunt prava, quam paulatim illorum, solum ex quibusdam unguentorum formulis incerta periculosaque ἰατρεία, medicantium ignorantia, in ejusmodi maliciam degenerarunt. At calumniam, aut potius juste in eos instituendam actionem, hoc maleficii nominis prætextu caute declinare student hi vere malefici.

§ 2. Cujusmodi etiam existunt plerique homines, qui nuper ignis chymici fumo insolescentes, ex Theophrasti Paracelsi schola se ortos gloriantur: peculiaria arrogantiæ, φιλαυτίας, & inanis gloriæ mancipia: qui voce Stentorea, pollicitationibus & sesquipedalibus verbis nihil non possunt, in hoc pulchre suum imitati magistrum: ut memoriæ commendarint voces non sani hominis spurcissimas, quibus medicam artem veterem & sacrosanctam insectantur, calumniantur, rejiciunt, pedibusque conterere satagunt, nova ementiti principia cum vocibus novis: quæ nec ipsi quidem intelligunt, nec rationibus defendent, contenti verborum inutilium, quibus sua Paracelsus opplevit scripta, congerie & acervo. Hic se

Theophrastus Paracelsus.

medi-

medicinæ monarcham, veræque artis inventorem jactat: talem illum quoque habent, colunt & venerantur ejus sectatores.

§ 3. Hactenus itaque latuit illa artium utilissima, & cumprimis in conservando genere humano, si quid aliud, necessaria. Nihil hic est quod singulorum à Deo creatorum vires à rerum primordiis cognoverit Adamus, nihil item quod à medicis corpus patris aromatibus condiri voluerit Josephus, nihil quoque quod pro medicis leges promulgarit ex Dei jussu Moses. Vanum similiter elogium Jesu Syrach, quo medicos propter necessitatem ab Altissimo conditos, honore debito affici voluit: Ineptum adhæc, quod similitudinem ab eo, quod in rerum natura non existebat, sumpserit Christus, docens, medico non opus esse bene habenti, sed ægroto. Lucam quoque medicum, & quidem dilectum appellasse D. Paulum, testatur veritatis liber. *Gen. 2.* *Gen. 50.* *Exod. 21.* *Matth. 9.*

§ 4. Hi certe veterem coluere medicinam rationi innixam, usuque confirmatam, quam etiamnum nos usurpamus. Nihil hic de venturo in extremis diebus medicinæ Monarcha & inventore, Paracelso Theophrasto. Neque hic chymiam haud levem medicinæ partem elevo, quam magnifacio, uti & omnes mecum veteris medicinæ cultores: eamque nunc mire exornari, est quod arti nostræ gratuler: ejus quoque potentia contra quoscunque morbos extrahi spiritus, & olea, pulveres & sales confici ex sulphure, vitriolo, antimonio, & id genus mineralibus reliquis, uti & metallicis, libenter agnosco, ut qui illa penes me habeam, nec infeliciter utar. *Coloss. 4.*

§ 5. Ut vero institutum prosequar, hujus scholæ, ut videri & dici voluit, antesignanus, & fictæ nobilitatis oberro (cujus nomen interitu quam propalatione dignius) intra menses tres ad nobilem accitus, in terra Juliacensi ischiade aliquandiu crudeliter excruciatum, cui ex præpostera curatione in tumorem attolli cœperat femur sinistrum, intra mensem huic bonæ valetudinis restitutionem addixit: graviter in eum invectus medicum, qui sub juncturis cauterium antea impressisset, quod tamen ab hoc Paracelsista denuo contra omnem rationem tempore & loco inconvenientissimo inustum est. Hic primum exhibito aliquot diebus pulvere sudorifero, imbecillitatem corporis totius ægroto accivit.

§ 6. Elapsis diebus circiter tredecim, quum in deterius cuncta vergere animadverteret æger, inquit: quid si jam primũ numerare men-

suis dies auspicemur? respondit alter: Non: quandoquidem Coloniæ oleum in igne adhuc foveo, quo femori illito, prodibit, etiamsi in eo lateat dæmonium. Hinc oleum applicat, & alternis fere diebus cochlear propinat vini sublimati in pulverem purgantem aliquandiu infusi: cui fimum quoque miscuerat calcinatum, ut ille vocat. Ita factum est, ut quartanam febrem simplicem, duplicem & triplicem ægroto concitaverit brevi. En hujus artis potentiam: Probatum est.

§ 7. Interim in horrendum tumorem excrescebat femur illud, nulla imminutione facta ex ardenti vino toties purgante: dextrum interea femur contabescebat ex diutini ulceris fluxione, quod sponte proruperat. Cruciatus præterea intolerabiles leniebat quandoque, vigiliasque perpetuas horis paucculis infringebat exhibitione pilularum ad formam stercoris muris apparatarum, unde & Stercus muris Paracelsi nuncupatur. Has cum vino Malvatico propinabat etiam in ipsa febre, quas multa cordis angustia consequebatur.

§ 8. Hoc opiatum stercus ex Ducatorum veterum auro purissimo vi chymica extractum prædicabat: & quum hac ratione ægrotus ei ducatos Hispanicos & Rosaos nobiles, quos vocant, in ampliorem ejus stercoris confectionem numerasset: reversus ille ex dicta hospitii sui urbe, aurum illud non satis purum fuisse asserit, ut aliud adhuc accederet, ab hoc artifice naturalis alterius caloris quam chymici potentia decoquendum: id tamen, quod imperitus judicabatur, ad nobilem non reddibat. Hyperici adhæc, Fuga dæmonis nuncupati, floribus sacculo insutis, capitique subditis: item corallo cervici appenso, circumligatoque supra utrumque carpum, maleficia arcere clam conabatur.

§ 9. Ultra menses duos in curatione hac Paracelsistica perseveratum est. Simulatque igitur extrema imminere videret, hic non medicus, sed monarchæ Paracelsi sectator primarius; domum revertitur, allaturus ex fumo chymico potentiora: rediturum autem se post biduum triduumve, pollicetur. Proinde quibus reveheretur equis, mittit æger: morbum præcenit curator, & paucis diebus post, ad ægrotum hunc nobilem, nuncium ablegat cum literis fidele ejus sodalitium, quibus Paracelsistæ morbum depingit: quod nimirum voratis tribus vel quatuor granis pulveris, ab uno vomitu cum multa angustia postea evomuisset corium, carbones varios, arenam lapideam, setas porcinas in crucium figuram compositas,

& id

& id genus monstra plura: & quod aliud nullum ipse pharmacum admitteret, quam quod in cistula apud nobilem relicta conservaretur, eamque se desiderare. nec Paracelsistam secus credere subjungebatur, quam Lamiam, quæ ipsum hoc infecisset maleficio, ipsius quoque probata sæpe medicamenta impediisse, ne suum sortirentur effectum: calamitoso adhæc morbo per incantamenta nobilem hunc mutilasse. Eas penes me habeo literas.

§ 10. Nam in extrema illa desperatione, ne nostram ægroto afflictissimo denegaremus operam, rogabar una cum illustrissimi nostri Principis chirurgo. Temere autem huic nihil polliceri voluimus: solum vero jam decem diebus admoliti manum, cataplasmatibus anodynis suppurantibusque cruciatuum intolerabilium lenimen induximus, ac pus promovimus eo studio, ut ex femore ante dies quinque secto, pus album perfectissimum paulatim effluere siverimus: & postea ultra libras ejus decem ferme in olla reservatas effluxisse non mentiar. Accessit etiam non nihil mutationis in quartanarum triade: non enim ea malorum hydra omnino superari potuit, eo potissimum anni tempore hyberno in corpore usque adeo corrupto, labefactatis visceribus, & prostratis ex dolorum immensitate viribus; qui menses aliquot continuo eum decubitu supino affixere lecto. Quare licet ægrotum hunc iri consumptum nos judicaremus, à Deo tamen alii sperabant gratiam & auxilium.

§ 11. En inscitiæ pallium, carmina, incantamentum & maleficium. Naturales enim morbos pati nobilem ægrotum, experiebamur nimis. Nec pharmaca Paracelsistæ alio fuisse læsa maleficio, quam malefico igne chymico, & rei ignorantia, testabatur ipse effectus. Pulveris enim sudorifici uncia media quotidie bis sumpta, sudorem extorsit copiosum: vini sublimati cum cathartico pulvere prius confusi cochlear, alvum turbavit, movitque: stercus muris narcoticum ex opio nimirum apparatum, stuporem somnumque induxit: cauterii actualis ulceratum stigma, cum eschara, adhuc apparuit: quorsum itaque hæc à suo opere carminibus præpedita fuêre?

§ 12. Si insuper vera est epistolæ missæ narratio, Paracelsistarum oculos fuligine chymico obductos, facile suis quisquiliis perstringere valuit indefessus ille ab initio impostor. Figmentum vero fuisse in eum finem adornatum, ne palàm fieret fucus & inscitia, censent cordatiores. Quinetiam intelligunt, ex purissimo auro &

lapidibus preciosis vi ignis dissolutis, eorum medicamenta non semper confici, id quod tamen impudenter satis jactant, ut millium exactione liberiori ægrotorum cistas exonerent. Interim nihil minus quam aurum vel gemmæ, medicamentis inest.

§ 13. Et quidem recte, quum nihil ad rem nostram sæpe faciant: sed venena, aut venenata utplurimum ægrotis ingerunt: & si quæ salutaria per se noscuntur, iis tale empyreuma ab ignis vehementia sæpenumero imprimitur, ut pro benignis reddantur venenosa, urentia & caustica. Quanquam ignis chymici potentia liquores, olea & pulveres apparari, quibus summa inest tenuitas & virtus admirabilis, non sum nescius. His nihil derogari, quinimo debitam attribui laudem volo. Mihi solum controversia est cum iis, qui sub hujus artis prætextu & ignorantia maleficium commentantur, falsoque ægrotis ejus rei fidem imprimunt.

§ 14. Memoriæ ferme exciderat, eundem nostrum Paracelsistam magnifico Legum Doctori, venerando seni, in maligna tibiæ exulceratione consuluisse, ut hydropiper aquæ Rheni, in fluminis adversi medio exhaustæ immersum, parti affectæ applicaret, & paulo post aliud similiter imponeret, atque dies aliquot in ea curandi methodo persisteret, ablatasque herbas inter tegulas lapideas curvas seponeret, vigilanti inspectione observans, num eæ putrescerent, contabescerentve: quemadmodum enim illæ siccarentur, eodem modo & tibiæ ulcus siccitatem consequuturum addicebat. Quatuordecim diebus mutationem ulceris fore, ægroto pollicebatur, mensem integrum perseveranti frustra. Magica certe medicatio, hoc medicorum genere digna.

Ad divos, morsus canis rabidi curationem, & epilepsiam, referunt inepti medici.

CAP. XIX.

Divis non est asscribenda morborum curatio.

HOC item albo dignabor eos, qui canis rabidi morsus curationem apud D. Hubertum Ardennatem, ex præscripto emendicandam impie censent: & qui epilepsiam D. Ioanni, Cornelio, Valentino, aut Egidio consecrant. Næ hos eorum, qui ad divinos aut Pythiam familiam confugiunt, pœnam non immerito subituros timendum est. Non inconvenienter hic adducam obiter, sententiam ex senioris Hippocratis, vel alterius memorabilis viri (ut vult

Gale-

Galenus) libello de Morbo sacro aut Comitiali, quem Epilepsian Græci dicunt: in quo, quum prius, divini nihil amplius huic inesse malo quam aliis morbis, demonstrasset, sic inquit: Qui primi hunc morbum sacrum esse pronunciarunt, tales homines mihi fuisse videntur, quales etiam nunc sunt magi & expiatores & circulatores, & quidam arrogantes, qui se vehementer pios esse simulant, & amplius quid scire. Hi itaque consilii ac mentis inopiæ obvelantes ac prætexentes divinitatem, quum nihil haberent, quod exhibitum prodesset, ut ne manifesta fieret ipsorum ignorantia, sacram hanc esse affectionem pronunciarunt: & rationibus idoneis collectis, curationem constituerunt sibiipsis securam, expiamenta offerentes, & incantamenta, & à balneis abstinere jubentes, & à cibis multis ac ineptis ad hominum ægrotorum esum, &c.

§ 2. Deinde pallium nigrum non esse habendum præcepêre: niger enim color mortalis est. neque pedem supra pedem habendum esse, neque manum supra manum: hæc enim omnia curationis impedimenta esse. Omnia autem hæc divinitatis gratia apponunt, velut amplius quid scientes, & alios prætextus proferentes, quo, si sanus æger evadat, ipsis gloria & dexteritas ascribatur: sin moriatur, in tuto positæ sint ipsorum excusationes: habeantque prætextum, quod ipsi non sint in causa, sed dii. Neque enim medicamentum aliquod edendum aut bibendum exhibuerunt, ut ipsi in causa esse videri possint. *Contra veri sutos medicos, & sacrilegos magos. eximia Hippocratis sententia.*

§ 3. Et paulo pôst: Talia itaque dicentes & excogitantes, amplius quid se scire simulant, & homines decipiunt, proponentes his lustrationes ac purificantes, quum verba ipsorum magna ex parte se ad Deum & dæmonium extendant. Atqui mihi sane non de pietate verba facere videntur, velut ipsi putant, sed potius de impietate: & quod Dei non sunt, pietasque ac divinitas ipsorum impia est ac scelesta, velut ego docebo. Si enim & lunam abolere, & solem obscurare, tempestatemque & serenitatem facere, pluvias item ac siccitates, & mare sterile, itemque terram, & alia hujuscemodi omnia, se scire profitentur, sive ex sacrorum mysteriis, sive ex alia quadam professione aut meditatione hanc potentiam jactent: qui talia studio habent, impii sane mihi esse videntur, & deos non esse putare: neque si sint, aliquid posse, neque ullum aliquod extremum etiam malum prohibere. Quod quum faciant, quomodo non ipsis infesti sint? Si enim homo incantamentis ac *Qui se potestatem habere aëris jactant, impii sunt.*

sacrificiis utens, & lunam abolebit, & solem obscurabit, & tempestatem ac serenitatem faciet, non utique ego horum aliquid divinum esse putaverim, sed humanum, si divinitatis potentia ab humana voluntate superatur, & in servitutem redacta est.

§ 4. Fortassis autem hæc non hoc se modo habent: sed homines victus indigi, multa & omnigena moliuntur & evariant, tum in alia omnia, tum in hunc morbum, in singulis affectionis speciebus causam Deo asscribentes. Non enim semel, sed sæpius eorundem mentionem faciunt. Siquidem enim capras imitentur, & si balatum edant, & frendant, & si dextris partibus convellantur, Matrem deorum causam esse ajunt. Si vero acutiorem & concitatiorem sonum emittant, equo assimilant, & Neptunum authorem esse dicunt. Sed, si aliquid stercoris etiam emittant, quod sæpe quibusdam contingit, præ morbo coactis, Hecates Enodiæ appellatio additur. Si autem tenuiorem & densiorem vocem edant, velut aviculæ, Apollo Nomius, id est pastor: si vero spumam ex ore remittant, ac pedibus calcitrent, Mars causam habet. Quicunque porro pavores noctu ingruunt, timoresque ac deliria, & exultationes è lecto, terroresque ac fugæ foras, Hecates insidias esse dicunt, & heroum insultus, expiamentisque utuntur ac incantamentis, & scelestissimum ac impiissimum (meo sane judicio) faciunt numen.

Posteri nimis religiosi, idolorum nomina cum nostra religionis divis commutarunt, quibus varias illas epilepsiæ species dedicaverunt.

§ 5. Expiant enim morbo correptos sanguine, itemque aliis sceleribus inquinatos aut injustos, aut ab hominibus intoxicatos, aut qui scelestum aliquod facinus perpetrarunt: quos contraria his facere oportebat, sacrificare nimirum ac precari, & ad templa progressos diis supplicare. Nunc vero horum quidem nihil faciunt: verum expiant, & alia expiamenta terra occultant, alia in mare projiciunt, alia ad montes deferunt, ubi nemo attingat, neque conculcet. Oportebat autem ea ad templa deferre, ac Deo contribuere, siquidem Deus est author. Non tamen ego puto hominis corpus à Deo inquinari, sordidissimum scilicet à purissimo. Verum, etiamsi contingat ab aliquo inquinari, aut quid perpeti, cupierit utique à Deo purgari ac purificari magis quam inquinari.

Christiana Hippocratis sententia.

§ 6. Deus itaque est, qui maxima ac sceleratissima peccata purgat & purificat, & liberatio nostra existit: ipsique terminos templorum ac delubrorum diis designamus, ut nullus, qui non purus sit, eos transcendat: & ingressi respergimur, non velut, qui inquinemur,

mur, sed, si quod etiam prius scelus habemus, purificemur. Et de expiationibus quidem sic se res habere mihi videtur. Hic vero morbus nulla re divinior reliquis mihi apparet: sed naturam habet, quam etiam alii morbi, & causam unde singuli gignuntur. Naturam autem & causam ab eodem Deo fieri, à quo etiam alia omnia. Hactenus Hippocrates. cujus argumenta, ut nostro instituto non inutilia, fusius commemorare visum fuit.

Magicas artes esse vanas comperit Nero, easque & earum sectatores damnavit Moses.

CAPUT. XX.

AT cum Plinio & Mosis edicto, telam enarrandis breviter fallacium magorum operibus contextam absolvo. Tradit ille, ætate sua principem Neronem vanas falsissimasque comperisse artes magicas. Quippe, inquit, non citharæ tragicique cantus libido illi major fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitiis: primumque imperare diis concupivit, nec quicquam generosius voluit. Nemo unquam ulli artium validius favit. Adhæc, non opes illi defuere, non vires, non discendi ingenium, aliaque non patiente mundo. Immensum & indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero.

Lib. 30. cap. 2.

Magicas artes vanas esse comperit Nero.

§ 2. Magus ad eum Tiridates venerat, magos secum adduxerat, magicis etiam cœnis eum * initiaverat: non tamen, quum regnum ei daret, hanc ab eo artem accipere valuit. Proinde persuasum fuit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras: sed in iis veneficas pollere artes, non magicas. Nero in exquirendis magicis artibus paulo curiosior, quod nullum certæ veritatis signum argumentumve perspexisset, eas sustulit.

** alias invitaverat.*

§ 3. Eo etenim earum vanitas proserpserat, ut sapientibus etiam ethnicis odio essent, & execrabiles. Interdicuntur quoque & damnantur earum assectatores severissimo Dei mandato in Levitico, tum etiam Deuteronomio: Non inveniatur in te ducens filium aut filiam in ignem, divinans divinationem, observans dies, non divinans ex sortibus, non incantans aut exercens præstigias diabolicas: non consulens Pythonem, non interrogans mortuos: quia abominatio est Domino omnis faciens hæc. Quod vero hi tole-

Levit. 19. 20. Deuter. 18.

tolerarentur, audirenturque, Esaias vaticinatur casum & interitum Babylonis, cui & inprimis exitio fuit hujus teterrimæ artis studium, quum ad ultimum à Cyro rege sub Persarum imperium redigeretur. Ita clamat divinus vates: Venient tibi duo hæc subito in die uno, sterilitas & viduitas, propter multitudinem maleficorum tuorum, & propter duriciem incantatorum tuorum vehementem. Et subjicit: Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficorum tuorum, quibuscum negocium tibi fuit ab adolescentia tua, si forte juvari possis ab eis. Merito itaque apud priscos semper in quæstione fuit, incantamenta valerentne aliqid, quum meræ sint præstigiæ.

Esaja 47.

DE LAMIIS, LIBER TERTIUS.

DE Quid Lamia sit.

CAP. I.



NUNC ad Lamiæ historiam me confero, vulgo Strigæ, à Strige ave nocturna & infausta, quam pulchre depingit Ovidius:

λαμία Dion. Lamia cur dicta, indicat Duris Lybicorum lib. 2.

Fast. 6.

Sunt avidæ volucres, non quæ Phinæia mensis
Guttura fraudabant, sed genus inde trahunt.
Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ,
Canicies pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis Strigibus nomen: sed nominis hujus
Causa, quod horrenda stridere nocte solent.
Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt,
Næniaque in volucres falsa figurat anus.

Fabulosum hoc esse, scribit Plinius lib. 11. Strix.

§ 2. Plura ille de strigibus & virga aurea, qua fugantur, quam

albam

albam esse dicit: & post, ex alba spina sumi, adjecit:

Virgaque Janalis de spina sumitur alba,
Qua lumen thalamis parva fenestra dabit.
Post illud nec aves cunas violasse feruntur,
Et rediit puero, qui fuit ante, colos.

Στρὶξ, τεῖγλος, Hesychio. Leguntur & hi versus apud Festum corrupti, hoc pacto:

Σύεαι πμεδν νυκτίνομα, ςεῖγγα πελαδν
ὄρνιν αἰάνυμον ἱξελὰ ὠκυπόρους ἐπὶ νᾶας. *id est:*
Syrnia noctivaga ableges, volucremque sinistram,
Feralem striga velivolis immitte carinis.

Infaustam strigem, puerperis maxime infestam, Hebræi לילית lilit dicunt, Esaiæ 34. à ליל, quod nox est, quia nocte volat: unde & in quatuor cubiculi parietibus, in quo decumbit puerpera, scribunt חוצלילית, stulte putantes, tale dæmonis terriculamentum & injuriam ea ratione arceri posse. De hac lilit multi multa insulse nugantur. Naham Armenis dicitur Lamia. Volatica antiquitus nuncupabatur, teste Festo. *Lilit.* *Naham.* *Volatica.*

§ 3. Sagam adhæc vocant à satagendo plerique: nonnulli à sagiendo: Aliam vero etymi occasionem longius petitam in Saxonica doctissimi viri Joannis Becani comperies: sed aliis placet, à sagan voce Hebræa derivari, sacerdotem seu vatem denotante. Alrumnam veteres Gothi dicebant, vel Hellerum, hoc est, secreto cum inferis & dæmonibus colloquentem: unde & herba mandragora hellerumna dicta est, quam & Germani Alrun appellant. Nostratibus Hex & Zaubersche vel Zauberin nuncupatur ejusmodi dementata mulier. Gallis Sorciere: Italis Jannara, incantatrice, strea, striga, maga, fattureja: Hispanis Bruxa. *Saga.* *Alrumna.* *Sorciere.* *Strea.* *Bruxa.*

§ 4. Hanc autem dico, quæ ob fœdus præstigiosum aut imaginarium cum dæmone initum, qualiacunque mala vel cogitatione vel imprecatione vel intuitu vel re ludicra atque ad institutum opus inepta designare putatur: velut aërem insolitis ignire fulminibus, tonitru terrifico concutere, damnosa grandinis insueti multitudine ferire, tempestates excitare, segetem in agro lætam alio transferre aut depopulari, morbos præter naturam hominibus bestiisque ciere & mederi, paucis horis longissime evagari, choreas cum dæmonibus ducere, epulari, succubum agere, vel cum dæmonibus coire, seipsam & alios in bestias commutare, & mille mon-

ſtroſa rerum ludibria oſtentare. ut hinc facile conſtet, quam longo intervallo à magis infamibus noſtra diſtet Lamia.

§ 5. Ad cujus longiorem deſcriptionem faciunt quorundam poëtarum (licet peculiare illud noſtrarum Lamiarum genus, quod ob opinionem maleficii hominibus & brutis in exitium eo, quo audietur modo, illati, noſtro ſeculo comburitur, eos non noviſſe exiſtimem) fabuloſi verſus, ex perverſæ opinionis officina deprompti. ut Virgilii libro 4. Æneidos, ubi Dido ad Annam ſororem ait:

Hinc mihi Maſſilæ gentis monſtrata ſacerdos,
Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes,
Quas velit, aſt aliis duras immittere curas,
Siſtere aquam fluviis, & flumina vertere retro,
Nocturnoſque ciet manes: mugire videbis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.

§ 6. Et in damone, ſeu Pharmaceutria, Eclog. 8.

Carminibus Circe ſocios mutavit Vlyſſis. Item:
Picus equum domitor, quem capta cupidine conjunx,
Aurea percuſſum virga, verſamque venenis
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Eclog. 8. 7. Metamorph. Omnipotentiam quoque Circes maleficæ prædicat Homerus. Item:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

§ 7. Quibus non apud Ovidium gloriatur malefica?

Cum volui, ripis ipſis mirantibus, amnes
In fontes rediêre ſuos: concuſſaque ſiſto,
Stantia concutio cantu freta: nubila pello,
Nubilaque induco: ventos abigoque, vocoque:
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces:
Vivaque ſaxa, ſua convulſaque robora terra,
Et ſylvas moveo: jubeoque tremiſcere montes,
Et mugire ſolum, maneſque exire ſepulchris:
Te quoque Luna traho.——— Item de Medea legitur:
Verbaque ter dixit placidos facientia ſomnos,
Quæ mare turbatum, quæ flumina concita ſiſtunt.

Et paulo poſt:

Ter ſe convertit, ter ſumptis flumine crinem
Irroravit aquis, ternis & hiatibus ora
Solvit. Et de eadem:

Et miſe-

Et miserum tenues in jecur urget acus. Item: Epist. 4. 3.
Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam, Amor eleg. 6.
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit, & nullo poma movente fluunt.
Horatius: *Quæ sidera excantata voce Thessala,* Epod. 5.
Lunamque cœlo deripit.

§ 8. Et Tibullus de fascinatrice: Lib 1. eleg. 2.
Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi,
Fluminis ac rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque solum, manesque sepulchris
Elicit, & tepido devorat ossa rogo.
Cum lubet, hæc tristi depellit lumina cœlo:
Cum lubet, æstivo convocat orbe nives.

Item de incantationis vi copiose scribit Lucanus: Lib. 6. de Bello civili.
Mens hausti nulla sanie polluta veneni,
Incantata perit. Paulo post:
Cessavere vices rerum, dilataque longa
Hæsit nocte dies, legi non paruit æther,
Torpuit & præceps audito carmine mundus.

Et paulo ante:
Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit,
Non fatis adductus amor, flammisque severi
Illicitis arsere ignes. Item:
Gens invisa dijs, maculandi callida cœli,
Quos genuit natura mali: qui sidera mundi,
Juraque fixarum possunt pervertere rerum.
Nam nunc stare polos, & flumina mittere norunt,
Æthera sub terras adigunt, montesque revellunt.

§ 9. C. Manilius Astronomices suæ lib. 1.
——*Linguis dixere volucrum,*
Consultare fibras, & rumpere vocibus angues,
Sollicitare umbras, imumque Acheronta movere,
In noctemque dies, in lucem vertere noctes,
Omnia conando docilis solertia vincit.

Apud Maronem adhæc sacra inferis Magica se facturam simulans Dido, Æneid. 4.
Unum exuta pedem vinclis in veste recincta

Testatur moritura deos :
videlicet è ritu & consuetudine nocturnorum sacrorum & maleficiorum : ut & apud Ovidium,
Metam. VII. *Egreditur tectis vestes induta recinctas,*
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.
1. Serm. Sat. 1. 5. § 10. Apud Horatium tamen malefica succincta est.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam.——
Sine calceis tamen & capillo passo,
Pedibus, inquit, *nudis passoque capillo.*
Quod autem Horatius addit;
Serm. I. 8. ——*Scalpere terram*
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt : —— eo facit, quod maleficæ solebant in scrobe sacra facere diis infetis : ut apud Ovidium,
Metam VII. *Haud procul egesta scrobibus tellure duabus*
Sacra facit.——
Quod quidem & ab Homero in Odyssea cantatur.
§ 11. Nec est de nihilo à Marone dictum,
Æneid. IV *Falcibus & messæ ad lunam quæruntur ahenis*
Pubentes herbæ.——
Quandoquidem & æri vim medicatam inesse credebatur, ut ahenis potius falcibus à malefica secarentur herbæ, quam ferreis. Et ad lunæ lumen lectas herbas efficaciores maleficiis censebatur, quod lunam maleficiis præesse existimaretur, & herbas sua quadam spuma & saliva inficere. Lucanus :
Donec suppositas propior despumet in herbas.
§ 12. Ubi vero Lucanus agit de maga illa Thessala manes evocante, maleficii materiem affingit:
Lib. 6. bell. civil.
Huc, quicquid fœtu genuit natura sinistro,
Miscetur : non spuma canum, quibus unda timori est:
Viscera non lyncis, non duræ nodus hyænæ
Defuit, & cervi pasti serpente medulla:
Non puppim retinens Euro tendente rudentes
In mediis echeneis aquis, oculique draconum:
& reliqua. Huc faciunt Grugnæ Stryacis Catossç Macaronicorum libri 5. Carmen mire festivum est, ridiculumque Italicis dictionibus singulari lepore & artificio ubique immixtis.

§ 13. Quan-

§ 13. Quanquam poetarum assertio, vel etiam contradictio, parum ponderis hic apud me obtinet: tamen ut curiosioribus satisfiat, libet paucis hæc tela obiter eodem retorquere arcu. Si quid Medea, hac arte cumprimis celebris, hic potuisset, minime prætermissura erat, à Jasone vincta, cum clamaret: *Ovidius VII. Metamorph*

——Si possem, sanior essem:
Sed trahit invitam nova vis. ——

Maleficiis Medeæ præponderabat Jasonis forma. Sic Lucianus in ἔρωτ: τίς γὰρ φίλη δυνάται μαγεῦσαι τὸν ἔρωτα, ὅτῳ ἡ τέχνη κλείει.

§ 14. Adhæc Cicrce Solis & Persæ nymphæ filia, non procul à Cajeta Campaniæ urbe habitans, maga formosissima, quæ quicquid vellet, posse repellere, allicere, ligare, impedire, evocare credebatur, suum nequivit remorari Vlyssem: magisque sine arte Vlyssi devincta est, quam Vlyssem cum omnibus suis artibus vel vinxerit, vel deluserit. Sic de Vlysse cecinit Ovidius: *de Remed. am. I.*

Nulla recantatas deponent pectora curas,
Nec fugiet vivo sulphure victus amor.
Quid te Phasiacæ juverunt gramina terræ,
Cum cuperes patria Colchi manere domo?
Quid tibi profuerint Circe Perseidos herbæ,
Cum tibi Neritias abstulit aura rates?
Omnia fecisti, ne callidus hospes abiret:
Ille dedit certæ lintea plena fugæ.
Omnia fecisti, ne te ferus ureret ignis:
Longus in invito pectore sedit amor.
Vertere quæ poteras homines in mille figuras,
Non poteras animi vertere jura tui.
Diceris his etiam, cum jam discedere vellet,
Dulychium verbis detinuisse ducem:
Non ego, quod primum (memini) sperare solebam,
Jam precor, ut conjunx tu meus esse velis:
Et tamen, ut conjunx essem tua, digna videbar:
Quod dea, quod magni filia Solis eram.
Ne properes, oro, spatium pro munere posco:
Quid minus optari per mea vota potest?
Et freta mota vides, & debes illa timere:
Utilior velis postmodo ventus erit.
Quæ tibi causa fugæ? non hic nova Troja resurgit,

Non aliquis socios rursus ad arma vocat.
Hic amor & pax est, in qua male vulneror una,
Totaque sub regno terra futura tuo est.
Illa loquebatur, navem solvebat Vlysses,
Irrita cum velis verba tulere noti.
Ardet, & assuetas Circe decurrit ad artes,
Nec tamen est illis attenuatus amor.
Ergo quisquis opem nostra tibi poscis ab arte,
Deme veneficiis carminibusque fidem.

§ 15. Porro quod Virgilius in Damone dicat,
Carmina vel cælo possunt deducere Lunam:
Atque apud Horatium glorietur Canidia,
Polo deripere Lunam vocibus possum meis:
Et saga apud Ovidium jactet,

Metam. VII. *Libel. de Epilepsia.*

Te quoque Luna traho. Hoc scite ab Hippocrate diluitur. Si enim, inquit, homo carminibus Lunam deducere cælo posset, tum certe Deus & mens divina, astrorum conditor & rector, hominum potestati, magorumque incantamentis (quod dicere nefas est) esset obnoxius. Sed hanc fovet ejusmodi opinio causam.

al. Aglaonice. De præcept. connubior. Luna unde dicatur cælo deduci. Lib. 2.

§ 16. Aganice ut Plutarchus refert, Hegetoris Thessali filia, siderum in pleniluniis defectus perita, ac temporis gnara quo luna objectu terræ umbra obnubilaretur, quum hæc mulierculis credulis præsaga futuri prædiceret, præcantatione lunam subducere cœlo credebatur. Tamen Pirithoum primum à cœlo detraxisse lunam, fingi à poetis, non ignoro. Hæc Propertius ita ridet:
At nos, deductæ quibus est fallacia lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis:
En agedum dominæ mentem convertite nostræ,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, & sidera & amnes
Posse Cytæinis ducere carminibus.

Cap. 39. 40.

Quorundam poematum hujus argumenti explicationem, etiam circa Libri hujus finem comperies.

§ 17. At apud hæc poetarum commenta locum merentur infinitæ historiæ, fabulis fabulosiores, XI libris Metamorph. sive lusus asini conscriptæ à L. Apulejo Madaurensi, philosopho Platonico. Ex iis accipe duas, ut cum his conferantur, fidemque parem sortiantur illa, quæ frequenter adhuc nostro hoc ævo à male credulo ac de-

ac dementato vulgo tanquam vera narrantur, licet sint mendacia mera, quibus etiam facile ab aliis datur fides.

§ 18. Cauponam reginam hoc modo describit: Saga est, & divinipotens, coelum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, deos infirmare, sidera extinguere, tartarum ipsum illuminare. Amatorem suum, quod in aliam temerasset, unico verbo mutavit in feram castorem: quod ea bestia captivitati metuens, se ab insequentibus repraecisione genitalium liberat: ut illi quoque simile, quod Venerem habuit in aliam, proveniret. Cauponem quoque vicinum, atque ob id aemulum, deformavit in ranam: & nunc senex ille dolium innatans vini sui, adventores pristinos in fece submissus, officiosis ronchis raucus appellat. Aliam de foro quidem, quod adversus eam loquutus esset, in arietem deformavit: & nunc aries ille causas agit. Eadem amatoris sui uxorem, quod in eam dicacule probrum dixerat, jam in sarcinam impraegnationis obsepto utero, & repigrato foetu, perpetua praegnatione damnavit. Et, ut cuncti numerant, octo annorum onere misella illa, velut elephantem paritura, distenditur. *Apuleji fabula l. 1. de Asino aur.*

§ 19. Et lib. 2. de Pamphile, Miloni nuptui tradita, haec scribit: Maga primi nominis, & omnis carminis sepulchralis magistra creditur, quae surculis & lapillis, & id genus frivolis inhalatis, omnem istam lucem mundi sideralis, imis tartari & in vetustum chaos submergere novit. Nam simul quenquam conspexit speciosae formae juvenem, venustate ejus sumitur, & ilico in eum & oculum & animum detorquet. Minus morigeros & viles fastidiens, in saxa & in pecua, & quodvis animal puncto reformat. Alios vero prorsus extinguit.

§ 20. Longioris morae in iis recensendis me pudet: quare figmentorum enarrationem obsignabo cum his Apuleji verbis lib. 1. Nae istud mendacium tam verum est, quam si quis velit dicere, magico susurramine amnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes expirare, Solem exhiberi, Lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri.

Lamiarum Professionis modus ineptus, nec cohaerens.

CAP. II.

Professionis Lamiarum modus ineptus. nec cohaerens.

ATQUI, ut omnia Satanae instituta minime cohaerent, variaque & mendacia comperiuntur: ita & professionis modus ineptus

ptus mancusque est, ac diverse à quolibet ejus factionis reo, quæstionibusque subjecto narratur. Exempla sunt obvia in malleo maleficarum, libro sic scripto, ubi legitur: Modus profitendi duplex est. Unus solennis, per simile, ad votum solenne: alius privatus, qui seorsum dæmoni quacunque hora fieri potest. Solennis inter eos fit, ubi Lamiæ in certam concionem statuto die veniunt, dæmonem in assumpta effigie hominis vident: qui quum de servanda sibi fide admonuerit, successumque in rebus mundanis prosperum & vitæ longitudinem promiserit, quæ præsentes sunt, novitiam suscipiendam ipsi commendant. Et dæmon, si in abneganda fide, cultu Christianismi, & extensa muliere (sic enim beatissimam virginem Mariam nuncupant) & in sacramentis nunquam venerandis invenerit novitiam seu discipulum proclivem, tunc dæmon manum extendit: ac viceversa discipulus seu novitia stipulata manu, illa servaturum se pollicetur. Hinc dæmon subjungit, ea non sufficere: sed omagium deinde petit, continens, ut anima & corpore se in æternum illi dedat, & pro viribus alios quoscunque utriusque sexus illi adjungere velit. Addit denique, ut certa unguenta ex ossibus & membris puerorum, & præcipue renatorum fonte baptismatis, sibi conficiat, per quæ omnia sua instituta ipsius adminiculo explere poterit. Hunc modum nos inquisitores (scribunt Mallei maleficarum authores) cognovimus in oppido Brisiaco Basiliensis diœcesios, plene à saga juvencula informati.

Prima secunda partis q. 2. cap. 2. 3.

Non manum, sed ejus formam extendit, cum spiritus carnem & ossa non habeat. fallax itaque est stipulatio nec ullius momenti.

§ 2. Deinde post legitur: Præfato inquisitore mihi referente intellexi, in ducatu Lausanensi quosdam magos coxisse & comedisse proprios infantes. Modus autem discendi talem artem fuit, ut dixit: quod magi in certam veniant concionem, & opere eorum verisimiliter dæmonem in ascititia hominis specie conspiciant, cui discipulus necessario dat fidem de abnegando Christianismo, de eucharistia nunquam adoranda, & de calcando super crucem, quando latenter posset. Fuit insuper fama communis, Petro judice in Boltingen narrante, quod in terra Bernensium tredecim infantes à Lamiis essent devorati: quamobrem etiam in tales parricidas satis duriter exarserat publica justitia.

§ 3. Alius postea juvenis, tamen uxoratus, hunc refert ordinem: Oportet primo Dominico die, antequam aqua benedicta consecratur, discipulum futurum cum magistris templum ingredi, & ibidem abnegare, &c. Deinde omagium præstat magisterulo, id est,

parvo

paruo magistro: ita enim dæmonem, nec aliter, voeant. Sequitur postremo: De utre bibit, ut audies: quo facto, statim intrinsecus sentit se imagines nostræ artis concipere, & principalibus ritibus hujus sectæ imbui, confirmarique. Quum aut modum, quo infantes comederent, à saga capta inquireret Petrus: hæc respondit, illum talem esse. Infantibus nondum baptizatis insidiamur, vel etiam baptizatis, præsertim quando crucis signo & orationibus non muniuntur. Hos in cunabulis, vel ad parentum latera jacentes, ceremoniis nostris occidimus: quos, postquam putantur oppressi esse, vel aliunde mortui, ex sepulchro clam suffuramur, & in olla decoquimus, donec evulsis ossibus, velut cera fere potabilis efficitur. De solidiore materia unguentum facimus, nostris voluntatibus, artibus & transvectionibus commodum: de liquidiore vero humore, utrem implemus: ex quo quicunque biberit, additis ceremoniis paucis, evestigio nostræ artis conscius redditur, & magister. Hæc ille. *Unguentum terribile.* *Potus tartareum.*

Professio Lamiarum diluitur, ostenditurque fœdus esse præstigiosum, stultum, & nullius ponderis.

CAP. III.

QUAM hæc non cohæreant, sint absona, indignaque quibus fides vel leviter adjungatur, quilibet, dummodo non omnino mentis velit esse inops, & præfracte concepta opinione præoccupatus, facile judicabit. Fœdus autem esse præstigiosum, phantasmate aut imaginatione, vel phantastico præstringentis spiritus corpore fallaciter apparente: vel nervis opticis seu visoriis indita subdole, quam Satan vult, specie, commotis huc humoribus & spiritibus idoneis: vel sibilo, susurro aut murmure in organis auditus, viciatæ formis imagini respondente, spiritus maligni arte excito conflatum stabilitumque, ac inde nullius esse ponderis, haud obscure cognoscitur: potissimum si diversa contrahentium essentia, contractus forma, modus, & circumstantiæ, perspicaci mentis acie inspiciantur, atque rationis fideique nostræ æquilibrio exactius pensiculentur.

§ 2. Sic plerasque omnes actiones Lamiæ hactenus attributas, quas suas esse, malesana quoque fatetur, ex corrupta à præstigiatore virtute imaginativa, non Lamiæ, sed ipsius Satanæ existere, palam fit. Huic etenim minime opus est alterius adminiculo in sua po-

tentia ostendenda, aut actionibus declarandis, qui nec ullius voluntate aut imperio cogitur quam Dei, & hujus ministrorum bonorum: malis non coactus, sed sponte & quidem libenter obsequitur, Deo permittente, maliciosus ille veterator, secus licet fingat, simuletque, teste Porphyrio, ut suis præstigiis nos magis irretiat. Non autem strictè colligari pactum imaginarium, doloque malo mendaciter ab altera parte initum necesse est, quum à præstringente spiritu apud stupentem, nec mentis compotem satis hominem, aliter fieri nequeat.

§ 3. Siquidem quod dæmon extensa manu firmaque stipulatione lamiam recipiat, falsissimum esse neminem dubitare oportet, quum carnem & ossa, quibus manus constat, non habeat spiritus, ipsa Veritate teste. Tatianus adhæc contra Græcos scribit, dæmones omnes non carnea, sed spirituali concretione constare, qualis est aëris & ignis: quæ corporum constitutio à solis illis perspici potest, qui spiritu Dei muniuntur, non item à cæteris hominibus quos anima regit.

§ 4. Præterea dolosa hæc stipulatio, maximè in perniciosum finem conficta, sine testibus aut vadibus contra Dei voluntatem, si tantum habebit momenti, ut nulla queat rescindi ratione, & necessario ejus virtute alter alterius voluntatem sequi, illiusque præcepto morem gerere compellatur: quum pactum illud prius in baptismo expeculiari Dei voluntate & mandato, solennibus verbis verè sancitum, & quidem interpositis fidejussoribus, tanquam prærogativâ non præponderabit? Alia profectò contractus est firmitas inter Deum veracem & sanæ mentis homines. Quicquid ille stipulatur & in suo verbo addicit, hoc fideliter & indubitate præstat, nec data manu præstigiosa deludit, non saltat, nec convivatur, vel similibus rebus ludicris quibuscum paciscitur, nequiter fallit dementatve, quemadmodum hic commentitio carnali corpore marsius. Disparitatem hic qui negaverit, nescio quid veritatis idem sit admissurus.

Fidem Christianam abnegantes. § 5. Atqui fidem Christianam hic abnegasse anum miseram, objicies. Et nos, quotquot aliam salutis viam quærimus, quam Christum Jesum, ejus præcepta observantes, vestigiisque insistentes, viva in ipsum fide per dilectionem operante, fidem abjicimus, *Gal. 5.* reipsa testati mente sana, quod illa vel ætate stupida, vel sexu inconstans, vel impotentia mentis lubrica, vel animi morbo desperans.

rant, aut imaginarie aut maligni arte delusæ fecisse putantur. Aurea Pauli verbis, quibus fidem Christianam vere abnegantes, & doctrinis dæmoniorum adhærentes, non modo scite depingit, sed & digito simul commonstrat, paulisper accommoda: Spiritus certo loquitur, quod in posterioribus temporibus desciscent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, & doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis, quos Deus creavit ad vescendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognoverunt veritatem. *1. Timot. 4.* *Doctrinis dæmoniorum adhærentes.*

§ 6. Item: Illud scito, inquit, quod in extremis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines sui amantes, avari, fastuosi, superbi, malefici, parentibus immorigeri, ingrati, impii, carentes affectu, nescii fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quam amantes Dei: habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegarint. Et istos aversare: ex his enim sunt qui subeunt in familias, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiscentiis variis, semper discentes, nec unquam ad cognitionem veritatis venire valentes. Quemadmodum autem Jannes & Mambres resistebant Mosi, ita & hi resistunt veritati: homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Sed non proficient amplius. Siquidem amentia eorum evidens erit omnibus, quemadmodum & illorum fuit. Hæc Paulus. *2. Timot. 3.* *Pietatis vim qui abnegarunt, circa fidem reprobi.* *Exod. 7.*

§ 7. Ad chrisma in fœderis contractu è fronte exemptum, quemadmodum plerisque aliis persuasum, si confugias; licet vel unico verbo hic satisfacere possem: id tamen ne plus facessat negocii, tutius erit respondere: Si qua vis sit chrismatis, eam non in externa illinitione magis consistere, quam in externa aquæ superfusione in sacramento Baptismi, qui fide intercedente sanctificatur, atque ita confirmatur, ut si postea centies aqua corpori infusa abluatur, imo tota cutis abradatur, nihilominus ex charactere fide impresso permanet baptismi essentia: etiamsi ejus virtutem homo quandoque lapsu abneget, tamen si resurgat, à peccatis ad vitæ emendationem pœnitudine conversus, eadem stabit baptismi semel administrati energia. *Chrismatis vim, si qua est, non posse externa exemptione tolli.*

§ 8. Ratio chrismatis erasi erit eadem apud resipiscentem, si ita voles: alioqui vel vulnere syncipiti inflicto, aut putrido ulcere ea

in parte exorto, illud quoque interire sequeretur: quanquam etiam non vere syncipur in fœdere collidi crediderim, sed imaginarie: quemadmodum reliqua multa hic contingere animadvertimus, quo credulum hoc malesanorum hominum genus persuasione mala inducatur, ut se diaboli retibus jam inde implicitum usque adeo, servumque credat, quasi omnis resipiscentiæ via deinceps sit præclusa, quo hac ratione tandem extrema cogitet moliaturque: quamvis non magis huic, imo multo minus, ut vitiata phantasia deluso, quam quibusvis aliis graviter peccantibus, conversionis locus erit præcisus. Petrus siquidem, antea brevi à Christo præmonitus, contra conscientiæ testimonium ter Christum, addito etiam juramento, negat: atqui agnito errore, lachrymisque fusis, in gratiam recipitur. De hoc, uti & impresso charactere, vide lib. 6. cap. 22. ubi plura de fœderis vanitate.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Jo. n. 18.

Fœderis vani demonstratio reliqua.

CAPUT IV.

Ceremoniis non posse occidi pueros. Infantes mortuos ex sepulchris effodi, delusorium est.

Ad hæc, quod ullis ceremoniis pueros occidere quis possit, falsissimum est, meraque Satanæ suggestio, ac inanis credulitas. Item quod illos ex sepulchris clam effodiant, nihil esse nisi diabolicam persuasionem ex imaginativa vi corrupta, aut alto somno vitiata, palam constabit, si monumenta inspiciantur, unde eos extractos esse narrant: ibi etenim reconditi adhuc invenientur. Nec hæsitare volo, eodem modo in mentem illis inductam esse infantis decoctionem in olla, confectam, donec exemptis ossibus caro redderetur potabilis.

Potus ille Stygius imaginarius, aut & unguentum.

§. 2. Tam enim id existit inhumanum, tetricum, crudele, & creditu difficile, ut si vel meis intuerer hoc oculis, citius hujus horribilis spectaculi fascino eos mihi præstrictos crediderim, quam nefandum hoc & plusquam tragicum, omnemque exuperans fidem condimentum vere apparatum esse fatear. Sed esto, quod ex Stygia palude proserpant ejus unguenti artifices horrificæ striges, quæ omnem humani sensus imaginem prorsus exuerint: cedo tamen, unde illi unguento ea virtus, ut si quis eo inungatur, fiat sceleratarum voluntatum, execrabilium artium, & transvectionum incredibilium particeps? vel si eo sedile aut lignum illinatur, mox alter huic innixus, per aëra feratur; quemadmodum sagæ persuasum habent.

bent, & Malleus maleficarum testatur? Non libet hic anxie de mortuæ, putidæque & virulentæ hujus carnis decoctæ temperamento & viribus disceptare, siquidem in rerum natura eam ita paratam non inveniri, firmiter credo: idem de liquidioris materiæ in utre, ut dictum est, conservatæ præparatione, potatione & virtute dictum volo.

§ 3. Interim negandum non est, miseras has mulierculas ita formis virtuti phantasticæ impressis, à dæmonio dementatas, non aliter ac si hæc ita vere fierent, scire: uti fere omnes illarum præter naturam actiones, imaginariæ saltem videntur: & propterea quæstionibus adactæ, flammisque propinquæ, sua aperte confitentur flagitia per somnum vel simulachrum illis solummodo cognita. Id ipsum confirmatur in Decretis, ad hunc modum: Quædam mulierculæ inservientes satanæ, dæmonum illusionibus seductæ, credunt se alia nefanda quoque agere, puta parvulos à lacte matris avellere, assare & comedere: domi per caminos seu fenestras intrare, & habitantes variis modis inquietare: quæ omnia & consimilia solum phantastice accidunt eis. Cum ea vero, quæ fossula facta, & lotio infuso, vel aqua, digitoque moto se tempestatem ciere arbitratur, colludit dæmon aërem turbans, ut illam, sibi addictam in officio contineat. *In secunda parte: caus. 26. q. 5. Episcopi. Et Augustin. de spiritu & anima cap. 28. Vide & cap. 9. hujus lib. & cap. 11.*

§ 4. Hujus ergo ex utre potionis tartareæ, sed imaginariæ in fœdere usus, ipsum quoque præstigiosum esse, præter multam ejus diversitatem apertius demonstrat: lubetque hic cum Horatio dicere.

Ne quodcunque volet, poscat sibi fabula credi, *1. Carm. ode 36. 2.*
Neu pransæ lamiæ vivum puerum extrahat alvo.

Pacti item vanitatem id quoque docet, quod eo inito ceremonias quasdam contra Ecclesiæ statuta cogantur observare: quemadmodum diebus Dominicis jejunare, aut sextis feriis (ut ajunt) carnibus vesci, aut crimina in confessione celare, vel tempore elevationis in terram spuere, vel sub Missæ actione verba proferre inutilia, vel aliquid simile designare: ita Mallei referunt fabricatores.

§ 5. Hæc qualia & quanta sint delicta, quilibet vel tenuiter modo Sacrarum literarum cognitione tinctus, intelligit. Etenim quum dies Dominicus sit audiendo Dei verbo, orationibus & divino cultui cum primis consecratus, his nemo fructuosius vacarit, quam qui mentem à cibi nebulis serenam conservarit. Est (inquit *Die Dominico utiliter jejunari.*

Matth. 17. Christus) aliquod dæmoniorum genus, quod non nisi orationibus & jejuniis ejicitur. Sobrios hinc nos esse jubet Petrus, & vigilantes ad orandum, quia adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem devoret. Item Paulus docet suos Corinthios: Ne fraudetis vos invicem, nisi si quid ex consensu pro tempore, ut vacetis jejunio & precationi. Ita jejunium & oratio fere conjunguntur, & quidem ordine optimo: ut quod apud Tertullianum legitur, jejunare die Dominico nefas existimari, non immerito mirer: minusque Melchiadis Papæ edictum videatur commendandum, quo ne die Dominico jejunaretur, cavit.

1. Pet. 4. 5.

1. Corint. 7.

Carnibus vesci diebus à pont. Rom. vetitis quando liceat.

§ 6. Quod vero carnibus vesci, urgente necessitate (si modò absit offendiculum, contemptus & gula) liceat diebus à Pontifice Romano vetitis, alii defendunt ex his Christi verbis: Audite & intelligite: non quod ingreditur in os, impurat hominem: sed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem. Item ex Paulo ad Coloss. 2. Ne quis vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Et post: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi viventes in mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, neque contrectaris: quæ omnia ipso pereunt abusu, juxta præcepta & doctrinas hominum, quæ verbotenus quidem speciem habent sapientiæ per superstitionem ac humilitatem animi, & læsionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis.

Matth. 15.

1. Timoth. 4.

§ 7. Ad Timotheum hic quoque scribit: Spiritus certo loquitur, quod in posterioribus temporibus descifcent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis, quos Deus creavit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem: quod quicquid creavit Deus, bonum sit, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem Dei, ac precationem. De his si commonefeceris fratres, bonus eris minister JESU Christi, enutritus in sermonibus fidei, bonæque doctrinæ, quam usque secutus es. Cæterum prophanas & aniles fabulas rejice. Hæc Paulus. Item: Omne quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini siquidem est terra, & plenitudo ejus.

1. Corin. 10.

Psal. 23.

§ 8. Ad-

§ 8. Adhæc, quod ex pacto certa celare crimina in confessione cogantur Lamiæ: quis amabo singula distinctè enarrabit peccata, quum pleranque omnes nostri cogitatus, verba & actiones sint peccatorum labe conspurcata? aut quonam divinæ voluntatis testimonio, exacta illa nostrorum scelerum enarratione opus esse convincetur? Quo ordine ea recensuit publicanus ille in templo, aut latro in cruce?

Celare crimina in confessione.

Luca 18. & 23.

§ 9. Tam quoque grave est delictum, in terram tempore elevationis spuere, quam sputum ejus in ore continere: & æqualem pœnam merentur verba inutilia tam sine Missa, quam sub ejus actione prolata. Huc adducatur, commissum in calcanda secreto cruce flagitium: item, quod die Dominico ante lustralis aquæ consecrationem templum ingrediantur: & mille alia aniculaium deliramenta, eo huc adducta à dæmone, ut sub religionis prætextu superstitionem impietatemque inveheret & stabiliret.

In terram spuere tempore elevationis.

Verba inutilia sub Missa proferre.

Crucem calcare secreto.

Ante lustralis aquæ consecrationem templum ingredi die Dominico.

§ 10. Hic præstigiosi fœderis nervum palam cernit quilibet pius. Rectissime ergo Augustinus ait: Omnes artes hujusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ, penitus sunt repudiandæ. Et Origenes: Incantationes diaboli sunt seductiones, dæmonum irrisiones, idololatriæ fex, animarum infatuatio, atque cordium scandalum. De illiusmodi pacti nullitate nonnihil postea in Anacephal. libro. 6. cap. 25.

Lib. 1. de doct. Christ. & legitur 26. q. 2. c. illud quod est. Lib. 3. in Job.

§ 11. Superioribus nugamentis ex Psello accensere libet de Euchetis & Gnosticis, qui nefanda sacrificia perpetrare dicuntur, ut dæmonia toto concipiant pectore. Conveniunt die quo passus est Salvator, vespere statutum in locum, una cum puellis sibi notis: & post quædam sacra extinctis luminibus, mistim congrediuntur sive cum sorore, sive cum filia, sive cum qualibet. Nono rursus mense revertuntur, puellasque accersunt, & infantes jam natos ab his evellunt, perque totum corpus pueros circumcidunt, & circumfuso sanguine phialas implent, corpora cremant, cinerem cum sanguine miscent.

Eucheta & Gnostici. Vide Epiphanium de Hæresibus.

§ 12. Hoc condimento epulas & pocula condiunt, tum sua interesse, tum aliorum clam quorumcunque possunt. Existimant enim hoc sacrificii & alimenti genere, tanquam maxime profano, abstrusum characterem divinum nobis impressum, ac dæmonia procul arcentem, penitus aboleri, itaque dæmonia liberius ingredi. Gnosticis

(ut Irenæ-

(ut Irenæus atteſtatur, vir & Chriſtianus & eruditus) vocabulo à ſcientia ficto, præbuit incunabula Carpocrates. His enim præſtigias Simonis magi, non ut ille clam, ſed publice ac palam tradebat: & velut pro ſummis ac optimis ſtudiis laudem confeſſam & publicam de nefariis actibus, à deceptis auditoribus requirebat, & magicas tenebras in luce publica perorabat, de amatoriis duntaxat ſomniiſque immiſſis, ac dæmoniis paredris, aliiſq; ſimilibus fraudibus.

Carpocrates magiam ſceleſtam publice docuit.

§ 13. Huc ſpectat horrenda hiſtoria, quam de Fratricellis Neapolitanis Joannes Genadius ſcribit: Tempore Ludovici Bavari Imperatoris, in contemptum religionis Chriſtianæ fratres Neapolitani, diſſidentibus Papis, flagitioſam quandam, ſimul & turpiſſimam excogitabant ſectam. Enimvero convenientibus in antris lociſque abditis, quos in eam turpitudinem allexerant, viris & fœminis, ſacerdotes qui inter ipſos habebantur, ut crimen honeſtate prætexerent, divinas laudes Chriſtiano more præcinebant. Quibus intempeſta nocte peractis, ſacerdos pro concione quædam præfatus ad confirmandos in nefario errore animos, in eo maxime erat occupatus, colendam eſſe ante omnia charitatem, quam eſſe omnium virtutum caput, ſacræ literæ teſtarentur, & hanc potiſſimum inter homines authore Deo conciliari poſſe, ſi Spiritu ſancto bini maſculus & fæmina venereo complexu jungerentur.

Sceleratiſſima fratrum Neapolit. ſecta.

§ 14. Cum igitur, quam quiſque oculis prænotarat, extinctis luminibus viciaſſet, tunc demum peracta ſacra cenſebantur. Ii enim in publica profeſſione docebant, non hoc eſſe Chriſti teſtamentum, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: ſed π, Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Quo compreſſu ſi quæ concepiſſet, deportari ad ſe partum ſacerdotes jubebant, qui ſolenni more in loco ſacrificiis dicato convenientes, infantulum ſubjecto igne ad cineres uſque comburebant, quos urna exceptos ceu rem ſacram reponebant: cumque erat aliquis in collegio ſacerdotum cooptandus, illis cineribus in vino epotis initiabatur. Quod ſi pontificem eorum maximum mori contigiſſet, ut omnis abeſſet invidia, & res non humano, ſed divino conſilio agi videretur, hic erat in demortui locum, alterius ſubrogandi ſtatutus modus. Infantem illo flagitio conceptum ad locum ſceleribus deſtinatum juſſa mater haud invita deportabat, & ubi vulgo aſtante, ſacerdotes conſederant, tam diu per comprimentes manus in orbem tradebant, donec miſerrimus infans pernecaretur. Hæc geſta ſunt ſub Ægydio epiſcopo Romano, apud Neapolim.

Qui

Qui homines dæmonum illusionibus artibusque magis sunt expositi.

CAP. V.

HIC porro id hominum genus potissimum impetitur, quod tali est temperamento, vel à caussis externis aut internis movetur, ut à dæmonis spectro appetitum, vel illius suggestione tentatum, se uti organum illius voluntati non ineptum, ex fucata inductione facile præstet. Hujusmodi sunt melancholici, & ob jacturam vel qualemcunque aliam caussam tristes, teste Chrysostomo, cujus hæc verba sunt: Omni diabolica actione potentior ad nocendum est mœroris magnitudo: quia dæmon quoscunque superat, per mœrorem superat. Sunt item Deo diffidentes, impii, illicite curiosi, perverse in religione Christiana instituti, invidi, impotentis odii, maliciosi, vetulæ vix mentis compotes; similesque lubricæ fidei (qui enim facile credit, facile & recedit) vel insignis maliciæ mulierculæ.

Apta satanæ organa.

Li. 3. de Providentia ad Stagirium monachum.

Ob mœrorem multos superat dæmon.

§ 2. His ut instrumentis congruis insidiatur quibuscunque potest modis diabolus, suo tempore & loco: singulos, ut cujusque animi studia & affectus ex certis indiciis cognoverit, peculiari aliqua ratione adoritur, insectatur, illicit, vel assumpta plausibili forma, vel cogitatione imaginationeque varie agitata & corrupta, donec tandem ipsius proposito consentiant, se ipsius persuasioni dedant, quicquid in mentem ille ingerat credant, tanquam fœdere obligati, ab illius nutu pendentes, ipsi obtemperantes, vera omnia esse quæ suggerit rati, formas in imaginativa virtute vel phantastica ab eo ingestas revera substantialiter (ut sic dicam) existere confidentes sanctissime.

Clemens li. 2. Recog.

August. lib. 2. de doctrina Christ. ca. 24.

§ 3. Nec aliter sane queunt, quum illorum mentem ex primo assensu imaginibus inanibus vitiarit, consopitis vel concitatis in hoc opus corporis humoribus & spiritibus, ut hac ratione ad organa accommodata species aliquas inducat, perinde ac si extrinsecus ea occurrerent vere, non solum dormientibus, verum & vigilantibus: atque hoc modo aliqua foris vel existere vel fieri putentur, quæ tamen revera nec sunt, nec fiunt, nec sæpe in rerum natura existunt. Ea est horum immundorum spirituum subtilitas incomprehensibilis prope, & fraus infatigabilis, sensus hominum eludens. Sic & veterum Ægyptiorum sensus obsedisse dæmonem, docet apud Clementem D. Petrus.

Libro 5. Recog.

De sexus fœminei Credulitate ac fragilitate.

CAP VI.

Sexus fœminei credulitas. PLURIMUM vero hic sexum fœmineum, nimirum temperamenti ratione lubricum, credulum, maliciosum, impotentis animi, & ob ejus affectus, quibus difficulter imperat, melancholicum: cumprimis autem effœtas, stupidas, menteque titubantes vetulas inducit subdolus ille veterator. Quo nomine Evam convenientius suæ *Genes. 3. 1. Tim. 3.* persuasioni organum, non Adam, in rerum primordiis, quum duo solum existerent homines, aggressus est: quam levi etiam disputationis velitatione vicit. Hinc D. Petrus non injuria mulierem vo- *2. cap 3.* cat infirmius vasculum. Et Chrysostomus (si is est) in 2. parte Ho- *Homil 23. in prin.* miliarum in Matthæum: Sexus, ait, mulierum incautus & mollis est: incautus, quia non omnia quæ videt aut audit, cum sapientia & ratione considerat: mollis autem, quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum.

§ 2 Idem in epistolam ad Corinth. 2. Homil. 23. dicit, mulierum proprium esse decipi. D. Hieronymus, aut (ut videtur) alius, in regula monacharum ad Eustochium, cap. 16. Debilis est nimium sexus quem geritis, ac fragilis, & mobilis, si suo relinquatur arbitrio. Scitissime item: Mulierum genus, inquit Eleazarus apud Aristeam, suorum affectuum sequax, atque in lapsum proclive, propter imprudentiam, & ejus naturam imbecillem. Quintilianus imbecil- *Declamat. 318.* lam rem esse ait fœminam. Mentis quoque imbecillitatem illis tribuit Valerius Max. libro 9. Rer. mem. cap. 1. Cajus item pro Lucilla, apud Stobæum serm. 17. εὐάγωγον γὰρ ἐστιν εἰς πίστιν, καὶ μάλιστα ὅταν τὸ δυσχερὲς συμβῇ. quibus significatur, mulierem ad credendum facilem esse, præsertim in calamitatibus. Scribit autem Fulgentius, credulitatem deceptionum esse matrem. Mulieres facile decipi, & desperare citius quam viros, tradit Aristot. in prin. lib. 9. de Histor. animalium, & Albertus in initio lib. 8. de Animal. cujus bonam partem ex nono Aristotelis mutuatus est.

§ 3. Hinc non inepte mulier (ut Varro interpretatur, & repetit ipse Lactantius, & D. Augustinus, si is est, sermone de tempore 243.) à mollicie dicta esse videtur, immutata & detracta litera, quasi mollier. Quod & scribit Gratianus in 6. Sed illud. 32. q. 7. *Lib. 8. Iliad.* Ab Homero item mulieres peculiari epitheto θηλύτεραι vocantur, tanquam molles. Ad animum molliciem hanc trahit Gratianus: uti

etiam

etiam facit Glos. in cap. 1. de claud. despon. Fragiles adhæc esse mulieres, imbecilles, infirmas, & proinde deceptu faciles, testimonio sunt leges, quæ ea ratione statuerunt multa: ut scribitur in l. si mulier. C. ad Velleianum. & in l. si pater. C. de sponsal. &. in l. prima. §. penult. C. de rei uxor. act. & in l. ult. C. de donat. ante nuptias. & in l. sicut. ibi: sexus fragilitas. C. de præscript. 30. vel 40. annor. & in l. assiduis, post prin. C. qui potior. in pign. habean. & in l. quisquis. §. ad filias. C. ad legem Jul. majest. & in §. 1. ad fin. Instit. qui alien. licet, & in capitul. ex parte abbatissæ. extra, de Privileg. & in capitul.

§ 4. Adam. 33. q. 5. & 24. quæst. 5. Item l. 2. §. verba, in fin. in illis verbis, Infirmitas mulierum, & l. regula, statim post prin. D. de Jur. & fa. igno. & l. cujus bonis. D. de cu. fur. & l. deferre. in prin. D. de jure fisci. & l. 1. §. accusationem, ibi: propter sexus infirmitatem. D. ad S. C. Turpil. & l. 1. ibi, fœmineæ infirmitatis. C. quan. mulier. tut. offi. fung. pot. & l. quisquis, nuper allegata. & l. nullus. C. de jur. fis. l. 10. & l. nullus solius. C. de decur. ead. l. §. & his consequens. versic. unde volumus. in Auth. de æqual. dot. & tex. in d. § verba, ibi, propter sexus imbecillitatem. & in l. Imperialis, in prin. C. de nupt. & in §. 1. post medium, in Auth. ut immobi. ante nupt. dona. in illis verbis, Mulier quippe mariti seductionibus facile decepta, &c. & annotavit Lucas Penna in l. ult. col. 3. C. de privil. schol. lib. 12. Hinc secundum veterum Græcorum instituta, provide admodum ex lege tutores & curatores mulieribus dari solitos legimus, sine quorum arbitrio & authoritate nihil eis agere licebat, ut retulit Harpocrat. Martianus autem scribit, Minervam natam esse sine matre, quoniam in fœminis prudentia non est. Illius leguntur versus in hymno Palladis:

Hanc de patre ferunt sine matris fœdere natam,
Provida consilia quod nescit curia matrum.

Quare Plato satis inciviliter dubitare videtur, utro in genere ponat mulierem, rationalium animalium, an brutorum.

De Melancholicorum depravata imaginatione.

CAP. VII.

PORRO ne imaginativæ virtutis instrumenta in his mulierculis hoc modo vitiari, & oculorum aciem perstringi, ut ante osten-

di, usque adeo absurdum videatur: animadverte melancholicorum cogitatus, voces, visa & actiones: ac quam omnes sensus ex humore melancholico cerebrum occupante, mentemque immutante, in his sæpe depraventur, intellges. Horum siquidem alii se esse bruta animalia credunt, ipsorumque voces & gestus imitantur. Nonnulli se vasa fictilia factos esse putant: ob id occurrentibus, ne collidantur, cedunt. alii mortem timent, quam sibi tamen consciscunt interdum. Plerique se criminis reos imaginantur, ut pavidi quemcunque viderint ad se ingredientem exhorrescant, veriti ne manibus ipsis injectis captivi abducantur, & ad tribunalia supplicio afficiendi pertrahantur.

§ 2. Quidam senex nobilis, quandoque è sede exiliens subito, ab hostibus se impeti credebat: quos arreptos, retro se in furnum confertim, sua quidem opinione, intrudebat. Alius metuebat, ne Atlas, universum terrarum orbem sustinens suis humeris, defatigaretur, & onus excuteret lassus, cujus intolerabili ruina omnes opprimerentur. Item tres in Frisia non procul à Groninga eo correptos enthusiasmo intellexi, ut se Deum patrem, filium & spiritum sanctum crederent, horreumque in quo subsistebant, esse Noë arcam, ad quam etiam multi similiter fere affecti, salutis ergo confluebant. Qui se totius mundi monarcham & imperatorem esse, ac ad se solum id spectare nomen crederet, novi melancholicum Italum: alioqui bene habitum, eloquentem, nec alio morbo læsum: mire interim in suis Italicis rythmis de statu Christianismi, de religionis dissidiis, de bellis in Gallia exortis & Belgio componendis, tanquam divinis effatis, sibi placentem: passim vero suum titulum hisce litteris evulgabat, R. R. D. D. M. M. id est, Rex regum, Dominus dominantium, Monarcha mundi.

§ 3. Athenæus lib. 12. refert de quodam Atheniensi, qui persuasum habebat, omnes naves in Piręæum appellentes esse suas, easque recensebat, dimittebat ac deducebat: tanto autem appellentes gaudio excipiebat, ac si omnium rerum advectarum esset dominus: at si quid periisset, non quærebat amplius: si pervenissent incolumes, gaudebat: multa interim cum voluptate vitam agens, donec frater ejus Crito è Sicilia advectus, illum medico commisit, cujus opera à morbo liberatus fuit. Cæterum ad se reversus, se nunquam vixisse jucundius, dicere solet. Huc facit illud Horatii:

——*Fuit haud ignobilis Argis*,

Qui

Qui se credebat miros audire Tragœdos,
In vacuo lætus sessor plausorque theatro:
Cetera qui vitæ servaret munia, recto
More, bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis,
Et signo læso non insanire lagenæ:
Posset qui rupem, & puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit elleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol me occidistis amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

§ 4. Scribit Paulus Grillandus, quendam Hispanum clericum & Decretorum doctorem anno ætatis suæ quadragesimo quinto Romæ quarundam juvenum monialium amore captum, quas & forma venusta sæpius in monasterio visitans, verbisque & muneribus abblandiens, usque adeo deperiit, ut nocte dieque, tam somnians, quam vigil, nil aliud, nisi earundem amplexus concubitusque meditaretur corde, verbo, gestis & signis: paulatim & eo venit amentiæ, quum clericus esset, ut se Ecclesiæ sponsum, & moniales ejusdem sponsas esse palam assereret: hoc usus argumento, quod dicerentur sponsæ Christi, qui repræsentatur per Ecclesiam: hinc concludebat, sponsum & sponsas spirituales, hoc est, sacerdotes & moniales, posse simul carnaliter congredi sine peccato, & Deum ita præordinasse, ac se putare summum bonum in ejusmodi congressu esse positum. Eadem insuper juvenculis sæpius prædicabat. Tandem quoque orationes & preces nefarias componebat, quibus apud Deum & alios instabat sanctos, ut maximas vires in renibus posset consequi, in lumbis vero talem calorem, ut abundanter & sæpenumero suam posset explere libidinem: deinde ut D. Cecilia, Ursula, Magdalena & Clara ex dono specialis gratiæ mentibus monialium iisdem nominibus nuncupatarum infunderent, nullum fieri posse opus magis Deo meritorium, quam carnaliter commisceri, crescere & multiplicare, citra ullam personarum distinctionem, & voti castitatis læsionem, idque Deo placere magis quam holocaustum sive sacrificium: ut item illarum corda inflammarent amore ardenti erga sacerdotem ecclesiæ sponsum, ne ejus vota carnalia maxima cum humilitate adimplere, mandatisque

De Sortil. 12. 17.

ut veri patris parêre gravarentur, &c. Hujuscemodi orationibus conscriptam schedulam quotidie ad mendicantium monachorum Ecclesiam deferebat, ubi ipsius quoque Missæ solennitati intererat, datoque Julio pro eleemosyna schedulam sacerdoti porrigebat, ut in Missæ celebratione, scilicet in Memento, preces illas Deo & sanctis virginibus prædictis offerret, cum devotione orando Deum & sanctas virgines, ut pia vota ipsius orantis exaudirent. Ita unum aut alterum monachum rudiorem simplicioremque decepit. Accusatus inde & carceribus traditus, errore revocato & abjurato, veniam consequutus est, & ut alias cautior esset, ex mandato pontificis ex urbe ad tempus relegatur.

§ 5. Vidi, qui cibum & potum pertinaciter aversaretur, condemnationem imaginatus. Sunt, quos tam misere exercet plena scrupulis conscientia, qui nodos in lævi scirpo quæritantes, culpam imaginantur, ubi nulla est: & divinæ misericordiæ diffidentes, se orco destinatos, lamentatione sedulo nocte diuque deplorant. Novi, qui se fratrem multis inde miliaribus degentem videre diceret. Item, qui suis auribus semper obstrepere (masculorum concubitor) quemcunque obvium, etiam conjunctissimum quereretur: atque hoc nomine ad me is scribebat diserte, num quid consilii à me adhiberi valeret: quum in auditus organo vitium esse alii existimarent. Mens autem huic sacrifico erat læsa: quemadmodum & illi, qui pollicebatur se Gabrielem aut Michaelem coacturum, ut ad se venirent, & illos de rebus magnis interrogatos responsum daturos. Sed cum ille rogaretur à Cardinale Tournone, ut id efficeret: respondebat, Se non posse, nisi præparato prius corpore multis jejuniis & orationibus, nec nisi pro rebus reipublicæ Christianæ. Edidit hic librum de Phiala summi pontificis, & ejus partibus.

§ 6. Scio quoque, ubi sulphur & picem redolere maritum occlamaret melancholiæ vitium patiens conjunx, & cibum oblatum piper resipere judicaret: quæ quam alienissima esse à rei veritate, cognoscebantur. Partes item pudibundas inflammatione putoreque ita vitiatas asserebat, ut gangrænam suborituram pertimesceret, his interim locis ab omni vitio immunibus.

§ 7. Infinita alia huc coacervari possent exempla, ubi sensus omnes multifariam vitiatos cernas, ex unico illo humore, vel fuliginoso atræ bilis vapore, mentis sedem inficiente, unde phantastica illa procreari monstra constat. Imaginatricem quoque interdum totam

tam ex aliis humoribus corrumpi, exolvique, docet Galenus de Sympt. differentiis, quemadmodum in catalepsi: plerumque autem vitiari, ut in delirio: est, cum deficit atque debilitatur, quod in lethargo contingit.

§ 8. Quare idem non licebit diabolo, tanquam artificioso spiritui, ut Deo connivente, in sensuū organa sese insinuet, & humores sibi commodos vel vapores commoveat, vel aërem idoneū conferat ad organa: maxime delectu habito ex temperamento, ętate, sexu vel alia causa externa aut interna apta: unde novæ species in imaginativa vi conceptæ, plerunque etiam spiritui visorio per nervum opticum communicentur, quo se vidisse vel designasse, mortis etiam periculo affirmare audeant delusæ hæ fœminæ, quæ nunquam vel visa, vel in rerum natura extiterunt? Levia ejus rei argumenta in hypochymate oculorum vitio apparent. Merito igitur Thomas frequenter allegat illud Augustini in lib. 83. q. Serpit hoc malum dæmonis per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat se coloribus, adhæret sonis, odoribus se subjicit, infundit se saporibus.

De phantasia, & quomodo vitiatur.

CAP. VIII.

De Phantasia sic scribit Jamblichus: Phantasia omnibus animæ viribus est adnata, omnesque figurat atque effingit similitudines specierum, & apparitiones, visaque seu impressiones virium aliarum transmittit in alias: quæ quidem à sensu micant, in opinionem excitat: quæ vero ab intellectu, secundo loco offert opinioni, sed in seipsa ab omnibus imagines suscipit. Hæc utique omnes actiones animæ fingit & exprimit, atque externas accommodat intimis. *Phantasia.*

§ 2. Hic Marsilius Ficinus Platonicus, in explicatione Prisciani Philosophi Lydi, interpretantis librum Theophrasti de phantasia & intellectu, cap. 2. ait: Imaginatio actiones rationis effingit sub rerum sensibilium conditione, ac potest ultra sensuum actus latius phantasmata promere. Superat sensum: quia enim nullo movente, imagines edit, imaginatio est tanquam Proteus vel Chamæleon.

§ 3. Idem lib. 13. cap. 1. de Theologia Platonica: Phantasiam, inquit, quatuor sequuntur effectus: appetitus, voluptas, metus, dolor. Hi omnes, quando vehementissimi sunt, subito corpus

propriüm

Imaginationis vis. proprium omnino, nunquam alienum afficiunt. Quid non foetui adhuc matri unito, subita spirituum vibratione per nervos, quibus matrix cerebro conjuncta est, imprimit imprægnatæ imaginatio? ut si imaginetur malum granatum, illius secum notas proferat foetus: si leporem, infans editur labello supremo bifido ac dissecto. Vehemens siquidem cogitatio, dum rerum species vehementer movet, atque identiden versat, formam, quam continua imaginatione revol vit, foetui imprimit. Spiritus enim interni atque humorum affluentia, rei firmiter cogitatæ inducit figuram. Quum amaram potionem alicui offerri contueantur plerique, in ore mox amarorem sentiunt. quem haud dubie vehementem movere imaginationem credendum est. Quibusdam ejusmodi cogitatione alvus cietur: nonnullis, quod mirabile est, ex alicujus rei aspectu, vel fragosæ etiam auditu (quod mihi quandoque usuvenit) stupescere vel horrere videntur dentes.

Spectra non vident fortes. Imagines fortes gignunt timor & amor. § 4. Theodorus Byzantinus in ea est sententia, viros fortes raro vel nunquam spectra videre: quod ipsi ob innatam constantiam hæc minime imaginentur. Nam solet timor, præ omnibus aliis affectibus, firmas in nobis gignere imagines: post amor. Scythæ, apud quos homines occidere sacrificium est, cum fortes natura sint ac institutis, neque mortuos neque lemures vident: sic nec latrones. Ejusmodi autem simulachra frequentius obvia sunt pueris, mulieribus, væcordibus, mollibus, atque ægrotis, qui propter imbecillitatem animi & corporis, assidua formidine vanisque insomniis quatiuntur.

§ 5. Aristoteles libro de Motibus animalium secundum communem commentationem, cap. 6. Alterant, ait, phantasiæ & sensus, meditationes. Phantasia vero & intelligentia habent rerum virtutem: aliquo enim modo species intellecta calidi & frigidi, aut delectabilis aut tristis, talis existit, qualis quidem & rerum unaquæque. Propter quod tremunt & timent intelligentes solum. Adde item, quod absentibus sensibilibus, phantasmata remanent, & imaginationes, teste Aristot. 2. Anim. & inde ex motu locali formarum sensibilium remanentium in virtute phantastica, cum humoribus, in quibus sunt ut in subjecto, apparent aliqua, quæ non sunt. Sic in libro de Somno & vigilia idem inquit: Descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, simul descendunt formæ in imaginatione conceptæ. Est enim imaginatio thesaurus quidam forma-

formatum per sensum acceptarum. Qua ratione possunt dæmones humores & spiritus movere interiorum exteriorumque sensuum, atque ita ad organa species aliquas inducere, quasi extrinsecus dormientibus nobis, & vigilantibus vere occurrerent res ipsæ.

§ 6. Tradit præterea Aristoteles de Somnio, imagines, quæ apparent in somniis, ferri ad caput, & sensuum organa, sicut nubium elevantur imagines, & diversæ animalium facies repræsentantur in vapore aqueo vel terreo, qui à terra per solis calorem ad aëris medium effertur: sic & somniorum imagines figuras capiunt diversas, halitus elevatos consequentes: unde vapor cholericus calidus & siccus flammam movere videtur: qui autem surgit halitus phlegmaticus, ex dulcedine, quando ad gustus organum fluit, cognoscitur, somniaque aquam spectantia gignit: sed ex vapore melancholico nigro apparet quiddam horribile,& quasi dæmonum imago: proinde huic velut materiæ suis ludibriis convenientissimæ, *diabolus* se non illibenter insinuat. Quod autem ex cholera adusta, quæ melancholia est accidentalis, ascendit, sentitur ut mordax, vulnerans, acre, fellea amaritudine imbutum. Sic etiam quod ex sanguine puro evaporat, pulchrum apparet, & delectabile: cujusmodi est rosarum aut florum aspectus, choreæ, musica, & quæcunque voluptaria cum vanitate conjuncta. Et ad hunc modum fit illusio, ut pro qualitate imaginum, per somnum ex humorum halitu firmius invectarum, res ita visæ credantur esse veræ. Phantastica autem illusio, inquit Algerus, magicis congruit & diabolicis fraudibus: veritatis vero assertio divinis sanctionibus. Hinc & Anshelmus asserit, Incantatores fascinare & deludere homines, ut credant verum esse, quod falsum est. *De Euchar 1. 7.* *In cap. 3. ad Gal.*

§ 7. Dæmones vero, nacti à Deo potestatem, species ejusmodi formandi, & eas in animales spiritus imprimendi, talibus formis ostendunt personas modo lætas, edendo, bibendo, saltando, canendo, Venerem exercendo: modo tristes, quæ nihil non mali fabricent vel patiantur: modo humanas, modo bestiales, modo opprimentes, modo volantes, & animæ sensus iis infigitur tanquam rebus ipsis. Hinc fit, quod homini aliquando videatur, se esse asinum sacco coopertum, plerunque aquilam volantem, nonnunquam cum Diana & ejus nymphis vel etiam alio muliercularum cœtu de loco ad locum transferri, ducere choreas, longius peregrinari, & quibuscunque aliis interesse deliriis. Ideoque talia iis fre-

quenter in somniis & nocte contingunt, interdiu non item, nisi melancholicis quibusdam & insanis: qui idem vigiles patiuntur, quod alii in somnis. Somnoriñas ejusmodi imagines appellat Varro, teste Nonio.

Somnorina imagines.

§ 8. Nec mirum videri debet, dæmonem potentia sua naturali id valere, cum etiam homo insomnis & sanæ mentis pro suo arbitrio, quas velit in suis organis proponere producereque formas, atque in iis imaginatione conquiescere, possit facile: quemadmodum ii omnes qui rerum expetitarum & absentium desiderio languent, experiuntur. Potest autem diabolus id facilius in consentaneis ipsius fuco instrumentis, puta fœminis, aut animi morbo sauciis: quos ejusmodi simulachris, quibus delectari videntur, illudit, effascinatque. Et sicut in ebriis, phreneticis & melancholicis usus rationis vitiatur, humorum & vaporum causa: non minus diabolus, qui spiritus est, eos concitare, suisque illusionibus accommodare, & rationem corrumpere Deo connivente potest, ut formæ rerum non existentium, tanquam res ipsæ apprehendantur, cogitatus vinciant, obversentur defendanturque. Hinc Thomas etiam docet, diabolum efficere posse, quod imaginationi formæ aliquæ præsententur imaginariæ.

p. p. q. 70. ar. 2.

§ 9. Adhæc, intellectum humanum posse juvari ab angelica intelligentia bona, ut aliquid cognoscatur, cujusdam *illuminationis* ratione, testatur Dionysius. Quum enim intelligere censeatur quiddam pati, potest illa speciem quandam in intellectum imprimere, unde intelligendi actus elicitur. Diabolum autem idipsum posse virtute sua naturali, quæ non est imminuta, persuadendo, non illuminando, quemlibet fateri oportet: quo vero quis illustratur magis, eo in veri cognitione accrescit uberius, magisque provide sibi ab imposturis præcavet, quas solas suis persuasionibus meditatur dæmonium.

Quomodo phantasiam hominum corrumpat, & vaticinari videatur diabolus, sententia Augustini.

CAPUT. IX.

de Divinat. dæm. cap. 3. & 5. item de Spiritu & anima cap. 28.

Ut autem supradictis pondus accedat, Augustinum latius hic differentem adducere placuit: qui dæmones ejusmodi multa posse docet, duabus rebus veluti quadam prærogativa, sensus nimirum

rum acrimonia, & motus celeritate: sicque hominum sensibus vel ingerere, vel prænunciare, quæ ipsi dæmones facturi sunt, nec ita ab hominibus præ terreni sensus tarditate dignoscantur discernanturve. Accipiunt enim, ait ille, potestatem, & morbos immittere, & ipsum aërem vitiando morbidum reddere, & perversis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere, de quorum moribus certi sunt, quod sint eis talia suadentibus consensuri. Suadent autem miris & invisibilibus modis per illam subtilitatem suorum corporum, corpora hominum non sentientium penetrando, seque cogitationibus eorum per quædam imaginaria visa miscendo, sive vigilantium sive dormientium. Aliquando vero non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, ante prædicunt, &c.

§ 2. Et post: Quid autem mirum, si quemadmodum medicus in corporis humani vel turbata vel modificata temperie, seu bonas *seu malas prævidet* valetudines: sic dæmon, in aëris affectione atque ordinatione sibi notas, nobis ignotas prævidet tempestates? Aliquando & hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prænunciant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non noverunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscatur, quod interim secus agitur: ita non debet esse incredibile, si etiam leviores cogitationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem dæmonum possunt.

§ 3. Adhæc lib. de Trinitate III. 2. docet, facile esse spiritibus *nequissimis*, per aëra corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggravatæ etiam melioris affectus. Si enim corpora ipsa terrena nonnullis artibus & exercitationibus modificata, in spectaculis theatricis tanta miracula hominibus exhibent, ut hi, qui nunquam viderunt, talia narrata vix credant: quid magnum est diabolo & angelis ejus, de corporis elementis per aëra corpora facere, quæ caro miretur: aut etiam occultis inspirationibus ad illudendos humanos sensus, phantasmata imaginum machinari, quibus vigilantes dormientesve decipiat, vel furentes exagitet?

§ 4. Quare ad Simplicianum scribit: Fallacia satanæ, atque imaginum simulandarum callida operatio, decipiendis humanis sen- *Lib. 2. quæstion. 3.*

Lib. de Divin. dæmonum cap. 6. sibus multiformis invigilat. Fallit autem studio fallendi, & invida voluntate, qua hominum errore lætatur. Sed ne apud cultores suos pondus authoritatis amittat, id agit, ut interpretibus suis signorumque suorum conjectoribus culpa tribuatur, quando vel deceptus fuerit, vel mentitus.

Cap. 12. § 4. Viciatam quoque phantasiam pulchre depingit libro de Cura pro mortuis agenda, his verbis: Similia sunt somniis nonnulla visa vigilantium, qui turbatos habent sensus: sicut phrenetici, vel quocunque furentes modo. Nam & ipsi loquuntur secum quasi vere præsentibus loquantur, & tam absentibus quam præsentibus quorum imagines cernunt sive vivorum sive mortuorum. Sed, quemadmodum hi, qui vivunt, ab eis se videri, & cum eis se loqui nesciunt (neque enim revera ipsi adsunt, aut ipsi sermocinantur, sed turbati sensibus homines talia visa imaginari patiuntur) eodem modo & hi, qui ex hac vita migrarunt, sic affectis hominibus videntur quasi præsentes, cum sint absentes: & utrum eos aliquis imaginarie videat, omnino nescientes. Huic rei simile est etiam illud, cum homines altius quam si dormirent, subtrahuntur corporis sensibus & occupantur talibus visis. Ex his enim apparent imagines vivorum atque mortuorum: sed cum fuerint sensibus redditi, quoscunque mortuos vidisse se dixerint, vere cum eis fuisse creduntur: nec attendunt, qui hæc audiunt, similiter ab eis absentium atque nescientium quorundam etiam imagines visas esse virorum.

Cap. 28. 26. q. 5 episcopi ex concilio. Lamiarum nostrarum confessionem phantasticam esse, ex August. & Decret. constat. § 5. Huc facit, quod lib. de Spiritu & anima tradit Augustinus, & Decreta docent: Quædam futura prædicunt dæmones, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt & seducunt. Unde quædam mulierculæ post Satanam conversæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt se & profitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum dea, vel cum Herodiade, vel Minerva, vel innumera mulierum multitudine equitare, vel earum jussionibus obtemperare. Quapropter sacerdotes Dei prædicare debent populo, ut noverit hæc falsa omnino: & non à divino, sed maligno

2. Cor. 11. spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Ipse namque satanas, qui transfigurat se in angelum lucis, quum mentem cujusque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugarit, ilico transformat se in angelum lucis, in diversarumque formarum species & similitudines; & mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, per devia quæque deducit. Et quoniam solus hoc

pati-

patitur spiritus infidelis, nec in animo, sed in corpore evenire opinatur. Quis enim in somnis & nocturnis visionibus non extra seipsum deducitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam vigilando viderat? Idcirco nimis stultus & hebes est, qui hæc omnia, quæ in spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur: cum Ezechiel & alii prophetæ, Joannes etiam euangelista & Paulus in spiritu, non in corpore visiones viderint. *Ezechiel. 3.* *2. Corinth. 12.*

De phantastica transformatione hominum in bestias.

CAPUT. X.

De phantasticæ porro mutationis hominum in bestias opinione, recentior est memoria nostrorum fere temporum, quam ut inter obliterata possit nesciri. Refert enim Guilielmus Malmesberiensis monachus, in sua historia, tempore Petri Damiani fuisse duas vetulas in via publica qua Romam itur, quales Augustinus appellat stabularias, id est, transeuntes ad hospitia pro mercede suscipientes (nam stabulum proprie hospitium venale & publicum dicitur) quæ in uno commorantes tugurio, una quoque arte malefica imbutæ hospitem quandoque solum advenientem, in equum vel suem vel asinum mutabant, & certo precio mercatoribus divendebant. Quodam die juvenem histrionicis gesticulationibus victum exigentem, hospitio exceperunt, & in asinum verterunt, multum eo lucrifacientes, qui gestuum miraculo distineret transeuntes: nam ad anus mandatum nutumque quocunque modo movebatur. Non enim illi intellectus perierat, sed loquela. Ingentem inde quæstum fecerant vetulæ. Quo cognito, vicinus care asinum redimit. Cautio tamen hæc à mulierculis adhibita est, ut custodiretur, ne in aquam descenderet. Servatus diu ab aqua, & tandem incautiorem nactus custodiam, in lacum proximum se conjecit: & ibi se aliquandiu volutans, propriæ restituitur formæ. Cumque ab eodem obvius sciscitaretur ejus custos, num asinum vidisset? ille se esse respondit. famulus ad herum retulit: herus ad Apostolicum Leonem, virum eo seculo sanctissimum. Convictæ anus idem fatentur: dubitantem Papam confirmavit Petrus Damianus, vir eruditissimus, prolato exemplo de Simone mago, qui suam Faustiniano imaginem impresserat. At hæ & similes nugæ eandem sortiantur fidem, quam Apuleji & Luciani metamorphosis meretur. Ex Vincentio hic

Vide l. 4. c. 22. & l. 6. c. 12. hujus Operis. Vincent. in Spe. natur. lib. 3. ca. 109. Fulgos. lib. 8. c. 11. Stabulum.

Mutati in asinum juvenis figmentum.

Lib. 18. Hist. adde: Pudicam fœminam, in quam amore vesano exarserat Ægyptius quidam, à malefico in equam versam, & à D. Machario Ægyptio heremita restitutam.

Werwolff. § 2. Si qui vero obuagari in Livonia & locis finitimis videantur lupi noxii, quos Lamias putant, Garmanis Werwolff dicti, ii certe vel veri sunt lupi, in ejusmodi tragœdiam exagitati à dæmone, qui interim horum vagis erroribus & actionibus, delirorum λυκανθρώπων phantasiæ organa imbuit, vitiatque, ut ii se esse excursionum erronearum & actionum authores corrupta imaginatione arbitrentur fateanturque. Nec hoc quidem diabolo esse difficile, ex descripto λυκανθρωπίας morbo cuilibet constat, dum humores & spiritus in hæc ludibria idoneos commovet, potissimum quibus atræ bilis nebulæ cerebrum vitiare solent, cujusmodi existit fatuum monstrosumque id genus hominum. Vel certe dæmones censendi sunt ejuscemodi lupi, qui eam assumpsere formam, ut male credulum hoc hominum genus magis irretirent suis vaframentis, insontes gravarent, & sanguinis innocentis reum redderent magistratum. (Lib 4.c.22. hujus operis.)

§ 3. Interea ii qui se in lupos credunt transformatos, alto immersi somno, diaboli studio, alicubi jacere comperiuntur, quorum somnia iis confundit imaginibus, quas hominum oculis præstigiose in pueris vel insectandis vel vorandis, sive armento lædendo, aut longe lateque hinc inde vagando objicit veterator ille. Ut certe non leviter mirari oporteat, inveniri viros cordatos, qui delusorum horum hominum confessioni tanquam veraci innixi, mortis sententiam contra eos pronunciare non graventur. Sed uno ab illis verbo mihi responderi velim, utrum vere in lupos transmutari homines credant, necne. Nec concedere, nec vere transmutare creaturas diabolum posse, satis superque demonstratum est libro 1. cap. 24. & lib. 2. c. 8. & lib. 4. c. 20. ubi ex professo penitissime excutitur hoc argumentum. Jam valeant hæ nugæ.

Sabellicus de Ostentis 1 x. 8. Cap. 24. § 4. Nullum hic locum habet, quod de fœminis in mares versis abstruso naturæ miraculo, Plinius, Sabellicus, Pontanus, & plerique alii scriptores non obscuri, qui libro sequenti adducuntur, tradunt: quum hic solum de phantasticis dæmonum illusionibus agatur.

Quomodo & quare à dæmonio dementententur Lamiæ, ut credant fateanturque se fecisse, quæ prorsus non potuere.

CAP. XI.

CÆTERUM vetulæ illæ, de quibus hic instituta est oratio, non absurde [illegible] assimilari possent: qui velut rapti extra sese, sensuque omni & motu privati, jacent exanimis similes, & post ceu ex profundissimo expergefacti somno, aut à morte ad vitam revocati, redeunt ad sese, & miras fabulas, miraque commenta narrant. In hujusmodi vero cogitationes se ingerens dæmon, earum seriem texit, hancque variat mira arte & scite, repetitis præteritis, annexis præsentibus, & aspersis etiam quibusdam admonitionibus de futuris, ne in suspicionem anilium fabularum, aut temere cogitatarum ineptiarum veniant: inducta etiam persuasione, ut coram spectasse, quæ diabolus offudit, imaginentur, ita dementat eos, quos ad talia usurpat ministeria, ut sui prorsus non sint compotes: sed velut [illegible], ea agitent mente, in eaque intueantur, quæ dæmon objicit: ex sese nihil faciant, nisi quantū aliquando permittitur, & id quidem non est à natura alienum, sed utplurimum apparet rediculum. [illegible]

§ 2. At homines, Augustino teste, malarum rerum cupidi, occulto quodam judicio divino traduntur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus atque decipientibus eos prævaricatoribus angelis, quibus ista pars mundi infima secundum pulcherrimum ordinem rerum, divinæ providentiæ lege subjecta est. Idipsum docent Decreta his verbis: His portentis per diabolorum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id impudenter appetunt scire, quod nulla ratione competit eis investigare. Hæc potestas immundis spiritibus ideo datur, ut perniciosos sibi aptent, hoc est, pravos homines seducant: illos scilicet, qui spernunt veritatem, & credunt mendacio, juxta Pauli sententiam: Sanam doctrinam non ferent, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur onerati peccatis: ducentur variis desideriis, semper discentes, nunquam ad scientiæ veritatem pervenientes.

Dæmonis ludibriis qui magis expositi.

In secunda parte, causa 26. q. 5. Episcopi.

2. Tim. 4.

§ 3. Hos Paulus vocat filios contumaces, in quibus agit spiritus ille, cui potestas est aëris, eludens subtilitate & dolo inimitabili hæc sua instrumenta, in ipsius inductiones propendentia: nimirum has mentis acie læsas, effascinatas, maleque feriatas mulierculas: *2. Tim. 3. Ephes. 2.*

quas

quas ita dementat, ut quicquid illarum phantasiæ suggerit, aut quodcunque etiam malum ab ipso, vel etiam hominibus, Dei abstrusa permissione perpetratum est, aut quæcunque ludibria præstigiis conspicienda illis ostendit, ejus malesuadi suggestione, à se designata (licet phantasmate vel insomniis solummodo nota) perperam credant bis miseræ, quæstionibus subjectæ confiteantur, à propria confessione mortis sententiam audiant, dirisque tandem flammis devoveantur. Sic in ipsius verba juratis, animi & corporis oculorum aciem perstringit cacodæmon, sic sibi addictos demeretur, hoc devotæ illi mentis autoramentum. Hinc pulchre Augustinus: Maligni, inquit, spiritus, quos isti deos putant, etiam flagitia, quæ non admiserint, de se dici volunt: dum tamen humanas mentes his opinionibus velut retibus inducant, & ad prædestinatum supplicium secum trahant.

De Civ. Dei De 11.10.

§ 4. Delusionum ejusmodi modus, & quid in iis dæmon valeat, & quid item nequeat, non inscite describitur in eo libro, cui Fortalitium fidei inscriptio est, ubi ita legitur: Decima differentia dæmonum est eorum, qui decipiunt quasdam vetulas, quæ Xurguminæ sive Bruxæ nuncupantur. Sciendum ergo, esse quosdam homines apostatas in fide, hæreticos & falsos, qui seipsos voluntarie offerunt diabolo: qui & eos recipit, traditque artes inanes, quibus videntur ducenta evagari miliaria, & quatuor aut quinque horarum spacio redire: item destruere creaturas, sugentes eorum sanguinem, atque alia perficere maleficia pro suo nutu ex dæmonis voluntate. At à Satana misere decipiuntur, illuduntur que non solum hæ, sed & qui eis fidem accommodant.

Lib 5. de Bello dæmonum.

§ 5. Veritas autem rei sic habet. Quando pessima hæc figmenta usurpare statuerint malæ mulieres, se verbis & unctionibus consecrant dæmoni, qui eis ad opus suum utitur, & cujuslibet earum phantasiam regit, ducitque per loca ab ipsis desiderata: corpora vero earum sine sensu permanent, quæ umbra cooperit diabolus, ut nulli sint conspicua. Et cum in earum phantasiis impleta esse, quæ voluerunt, observarit, umbra sublata, propriis motibus illas permittit. A loco autem non fuerunt amotæ, sed phantasiæ idolum extitit, quale cacodæmon efformavit.

Phantasiam Lamiarum quomodo regit dæmon.

Explicatio primi canonis ex Concilio Aquir. 2. part caus. 26. q. 5. Volum. 10. Tract. de Lamiis. nu. 49.

§ 6. Ad illum enim errorem tollendum, quod corpore transferuntur, emanavit illud c. episcopi, quod ex distinctione ac recitatione ejus ita probat Joan. Francisc. Ponzibius I. V. doctor: quia post-

postquam fecit mentionem, quod illæ mulieres testarentur se inequitare bestiis noctu, multaque terrarum spacia peragrare: dicatque plurimos hac opinione deceptos, existimantes aliquid numinis ac divinitatis esse extra unum Deum: mandat, ut patet in vers. quapropter, ea omnia reputari falsa, & non à divino spiritu, sed à maligno talia phantasmata mentibus hominum irrogari. Et reddens rationem in vers. siquidem: quia ipse Satan transfigurat se in angelum lucis. cum mentem cujusque mulieris ceperit, & eam per infidelitatem sibi subjugaverit, ilico se transformat in diversarum species personarum, atque similitudines: & mentem quam captivam tenet, insomniis deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per quæque devia deducit. *2 Corinth. 11.*

§ 7. Subjungit postea, quod hoc solus spiritus patitur: & quod infidelis hoc non in animo, sed in corpore evenire opinatur. Et adducit exemplum de Ezechiele propheta, qui visiones Domini in spiritu, non in corpore vidit: & quod Paulus non audet dicere, se raptum in corpore. Ergo constat, quod venit ad determinandum, non solum talia fieri à spiritu maligno, non divino: sed etiam ea & illis similia fieri in spiritu, non in corpore. Et propterea sequitur, quod etiam in casu nostro, licet videantur hæ personæ dicere, se portari à dæmonibus sub hircorum forma, & similiter dicant se credere dominam in cathedra sedentem, esse dæmonem transfiguratum: quod tamen debet dici, hæc & alia, quæ se facere confitentur, phantastice & in spiritu sibi obvenire. Hæc Ponzibii conclusio: qualis etiam est Grillandi, eam exemplo probantis, quod in agro Sabino accidisse commemorabimus infra. *Lamias in spiritu equitare. Ezech. 40. 2. Cor. 12. Tract. de sortileg. q. 7. num. 6.*

An & quomodo & quando corpora per aerem deferre diabolus possit.

CAP. XII.

Nec mirum est hoc dæmonis studium, quo miseras animas ludificari, deridere ac torquere conatur. Ita etenim vult imitari atque æmulari, velut simia, quæcunque Dei opera, per angelos bonos expleta: quemadmodum Abacuc prophetam coma capitis ex Judæa in Babylonem revera brevi momento translatum legimus, & postquam suis Danielem placentis refecisset, in eundem locum restitutum. Nec vero phantastice tantum in hominum mentibus eum hæc *Diabolus simia Dei. Daniel. 14. An spiritus possint corpora transferre.*

efficere, sicut dictum ac probatum est: sed etiam vere corpora surripere, ac per aëra ferre, tum ipsius & angelorum naturalis facultas ac δύναμις, tum usus & experientia testantur.

Matth. 4. § 2. Ac primo quidem, quod Dominum nostrum JESUM CHRISTUM in pinna templi constituisse legitur. Omnia enim tentationis illius opera corporaliter ac sensibus corporeis fuisse peracta, & diabolum ei tum in humana specie apparuisse, est multorum Theologorum unanimis sententia. Verum in hoc discrepant, an Christus à dæmone fuerit delatus, & raptus: an vero deductus saltem, ut ipse pedibus eo conscenderit. Sed quoniam diabolicis hoc persuasionibus fieri oportuit, ut Christus eum sequeretur: secunda opinione rejecta, primam major Doctorum pars amplectitur. Dicit enim Euangelista, Statuit: non, adduxit, quemadmodum paulo ante, quod adduxisset eum in sanctam civitatem. Proinde asseritur, quoad Christum, eum corpore fuisse translatum à Satana.

Thomas in 4. cap. Math vers. diabolus autem. *Diabolus Christum corporaliter transvexit.* *Thomas d. gl. Albert. Magn ibid. Bonavent. 2. sentent. lib. 2. distinct. 7.*

§ 3. Recte autem argumentatur Thomas, quod data possibilitate in uno, per consequens datur in omnibus aliis, qui sunt ejusdem ponderis & magnitudinis. Christus ergo cum per omnia nobis fuerit conformis, excepto peccato: hominibus idem evenire posse dæmonis insultu, quid obstat? Proinde dæmones nihil agere, nihil efficere, nisi quod κατὰ τὴν φύσιν αὐτῶν, ac naturæ suæ proprietatem sit, posse, jam ante Libro primo demonstratum fuit.

Dæmones, homines per aerem vehere posse. *Tract. qq. 1. part. q. 5. titul. de mirac & tit. de dæmon. q. 16. art. 10. in fin. Heb. 2. Rom. 9. 1. Cap. 24.*

§ 4. Quicquid igitur agunt, non nisi volente quidem ac permittente Deo faciunt, sed sua tamen quadam naturæ facultate: ut in habitu & potentia sæpe majora possint, quam ipso actu, quem nos plerunque spectamus: nec ex eo reliquas eorum artes naturales expendimus, quas præstare non aliam ob causam nequeunt, quam quod non permittantur. Etenim angelicæ naturæ ac spiritibus non est contrarium, ut corpora quo Deus permittit deferant. Satan autem spiritus adhuc est: nec ex lapsu spiritualem ejus essentiam interiisse, jam in principio ostendimus. Atqui angelus per aërem detulit Abacuc: angelus Philippum ex itinere rapuit, ut inventus sit in Azoto: cur idem ergo dæmonem præstare non posse dicemus, si Deus permittat? ut omnes sentiunt Doctores & Canonistæ.

Aug. lib. 3. de Trinit. *Dan. 14. Act. 8.*

Quomodo dæmon corpora transportet. *Tit. de dæmon. q. 16. art. 10.*

§ 5. Quæritur tamen haud temere, corporene assumpto, an sine corpore per se, corpus è loco naturali sursum (quod est contra motus corporei naturam) evehere possint dæmones? Et Thomas quidem eos corpora putat assumere, ut naturaliter ac vere, sicut nostrum aliquis,

quis, hominem transportent: idque duplici ratione motuum ostendere nititur. Ego vero respondeo, primum hoc ipsos eodem facere modo quo angeli: & cum D. Augustino, An vero, si hoc angeli faciunt, ut qualibet animalia terrestria rapiant undelibet, constituantque ubi libet: aut eos sine labore non posse, aut onera sentire, credendum est? Quomodo omnia primogenita Ægypti, tantamque hominum multitudinem unica nocte potuit angelus occidere, ut non præ lassitudine destiterit? *prima parte Tract. 91.* *Lib. de civit. 13. cap. 18.*

§ 6. Secundo respondeo ac quæro, qui corpus illud assumptum, quod hominem bajulat ac portat, sine alio item corpore per aërem feratur? Naturale enim sit oportet. At sic in infinitum quæremus. Quare non est, quod dicatur, aut angelis aut dæmonibus corpora assumenda ad delationem alicujus circumscripti. Tertio, quotidiana experientia testatur, eos corporibus ad hanc rem nec egere, nec uti: quod ego vidi, & impedivi Dei auxilio, sicut Libro primo narravi. Sunt alia multa exempla, quibus & homines à dæmonibus è loco in locum, per justa tamen spacia, deferri ostenditur, & id ne assumpta quidem humana forma. *Sine corpore an dæmon corpora ferat.* *Cap. 12.*

§ 7. Neque hinc absurdi quid consequitur, dæmonem scilicet hac ratione multa contra magistratum ac principes, adeoque rerum omnium ordinem effecturum: veluti captivos è carceribus eripere, deliberationes ac arcana principum per homines ipsos manifestare, & eos, qui in aliorum sunt potestate ac ditione, quocunque jure, suæ restituere: quemadmodum dicitur, quo tempore Francisci primi regis Galliæ filii detinebantur obsides in Hispania, magum in Galliam evocatum è Germania fuisse, qui tanta credebatur præditus potestate, ut posset regios pueros per aëra reducere, thesaurosque investigare & transferre. *Non fingitur diabolum corpora per aërem ferre posse.* *Falsum, arte magica hominem deferri per aërem.*

§ 8. Boccatius etiam refert fabellam de nobili Lombardo, qui in universali expeditione Hierosolymitana, se meritum ingens existimans obtenturum, militiæ nomen dederat, ad occupandam terram Sanctam: discedensque conjugi suæ partem annuli signatorii reliquerat, cum hoc pacto, ut si intra triennium ab ea die non rediret, uxori liberum foret arrha hac & symbolo neglecto, alteri marito nubere. At ille, cum in Judæa militaret, captus, ac in Ægyptum abductus, Sultano, (quem jam olim in Europa peregrinantem, attamen ignotum, hospitio receperat pater ejus) propter parentis hospitalitatem, virique prudentiam ac dignitatem, mox adeo *Decameron*

 placuit,

placuit, ut, probatis diutina familiaritate ejus moribus, tandem eum post se secundum omnibus rebus suis præfecerit. Interea cedente die, ac vertente triennio, postremum in extremam incidit tristitiam. Cujus ubi causam Sultanus expiscatus fuerat, magum advocavit, qui illum in lectulo precioso consopitum; & magna auri gemmarumque vi onustum, postrema trium annorum nocte Papiam in summum templum deferendum curavit. Ubi ædituus eum mane conspiciens, refugit: ac interea, dum aliis de spectro narraret Ægyptio, obviam eum habuit ad ædes uxoris properantem: ac, nisi tum rediisset domum, ab alio sponso vesperi ducta fuisset conjunx.

Libello de præcipuis Galliæ civitatibus & sanctuariis.

Ingens robur.

§ 9. At illud de Galliæ Delphinibus non successisse, quæstores ærarii tam Caroli V. Imperatoris, quam Francisci primi Galliæ regis norunt, & Helionoræ Caroli sororis & Francisci conjugis nuptiæ satis docuere. Hoc autem Boccatii figmentum est: ut & illud, quod ita referam, ut tradunt Galli, de S. Nicolao de Varenguille, quod duobus leucis distat à Nanceo: simile illi quod in Legenda S. Antonii de Hermogene legitur. In ergastulo detentus Lotharingus quidam Constantinopoli, tam robustus erat, ut Turcæ veriti, ne catenas ac vincula disrumperet, torquem ejus collo ferreum applicarent, quinque digitorum crassitudine latum, ac tres crassum, ferreis catenis innexum. Huic cum in memoriam rediret sanctus patriæ suæ Nicolaus, eum comprecatus; ut intercederet pro se apud Deum, ita consopitur. Postero mane cum pagi ædituus templum reseraret, captivum hunc in vinculis dormientem ad fores offendit: ille vero è somno excitatus, in fano S. Nicolai, quem invocarat pridie, se esse agnovit. Re pervulgata, populus accurrit: & post aliquot Alleluja decantata à sacrificis, quatuor accersiri jubet fabros ferrarios, qui vinculis eum exonerarent. Quæ cum nulla viderentur humana vi posse dissolvi, ecce in conspectu omnium torques dissiliit, & veluti Cerbero,

Tum stridor ferri, tractæque catenæ.

Quando corpora deferat dæmon, & an lamiarum. Lib. 1 c. 24. supra. Lib. 4. cap. 19.

§ 10. Sed hæc & ejusmodi conficta sunt: & ut accidant, minime verendum est. Neque enim justissimus optimusque Deus omnia permittit Satanæ, quæ vel is vellet, vel suæ naturæ subtilitate posset: sed ea demum, quæ decrevit ipse non ad superstitionem stabiliendam, sed tum saltem, cum aut nos ad frugem revocare vult, aut impios punire. Videbimus hoc in caupone, qui propter furtum ac perjurium evestigio sublatus à dæmone, nunquam postea

visus

visus fuit. Quare nec in lamias nostras, quibus ætas decrepita, phantasia corrupta, & mens læsa, pœnæ loco sunt, dæmonibus hæc violenta ludibria exercere Deus patitur: non enim dæmoni colludit.

§ 11. Cæterum quomodo sine corporibus spiritus hi corpora per aërem gestent, etsi nos tam exacte nequeamus intelligere, quam possumus nostri motus tarditatem ac rationem: tamen haud admodum mirabimur, si consideremus, quam facile anima nostra carcerem suum & corpus hoc moveat, ut curras, saltet, ascendat. Spiritus enim & liberior & levior est substantia, ducens originem suam ex ipso lumine, quod aut supra omnia est elementa, aut ex summo certe elementorum: tum vero, si quæ ventorum sæpe vi contingunt recolamus: veluti, vaccas ex Iberia cis Pyrenæos delatas. Ecnephias enim & Typho non nisi repentini sunt flatus, quorum hic effert, ille defert, & illisu ipso repercussus correpta secum *in cœlum refert*, sorbetque in excelsum. Ideo lapidibus pluit sæpe, quod vento sint rapti, & coctis lateribus. In ejusmodi tamen attritu & collisione nubium, dæmones tempestatibus se ingerere, fulmina & tonitrua exacuere, & illis adnitentibus culmina convellere, prosternere sata, trucidare armenta, evertere arbores, similiaque multa efficere, non diffiteor.

Qui sine corpore assumpto, corpus per aerem ferre possit dæmon.

Lib. 1. c. 1. supra.

Ecnephias. Typho.

Plinius lib. 2. cap. 38. 54.

§ 12. Romæ in Aventino, in templo S. Sabinæ, quod olim fuit Dianæ fanum, saxum nigrum rotundum pendet ab uno aræ latere, quo monachi dicunt diabolum petiisse S. Dominicum, Deo supplicantem: non ipsum tamen læsisse, adeo tremuisse ei manus & brachia. Ejusmodi saxea moles etiam Coloniæ in templo metropolitano visitur, qua per ejus fastigium injecta, trium regum (ut fertur) corpora ibi in summo honore conservata atterere perdereque scilicet voluit diabolus: at ne ea læderentur, retrorsum saliisse perhibetur eadem fide, qua prius illud asseritur.

§ 13. Quemadmodum & illud Chronici Saxoniæ, trium scilicet regum ossa, expugnato Mediolano, Reinholdum episcopum camelo imposita misisse Coloniam: ac camelo cum tanto thesauro in itinere perdito à custodibus, hos orationibus & jejuniis tantum obtinuisse apud Deum suum, ut per aëra iterum camelus ille reversus reliquo cœtui se adjungeret. O crassum nimis & inauditum miraculum. At non levioris authoritatis mysterium in eodem traditur de colloquio Brunonis Hildesiani episcopi & D. Virginis Mariæ in

templo, dum ille octavam Nativitatis B. Mariæ aliquando solennem ageret. Cæterum supradictus ille mihi videtur esse modus, quo dæmonem res quasque corporeas sursum deorsum agere posse existimo, non tamen sine Dei arbitrio ac nutu.

Corpus non nisi per justa spacia ferri, nec eodem tempore diversis in locis existere potest.

CAP. XIII.

Locale loco suo convenire debet. ATQUI mutare essentiam creaturæ, aut efficere, ut unum corpus per aliud sine alterius vel utriusque injuria transeat, aut majus corpus penetret per spacium improportionatum, ut ita dicam, loco; videlicet quod per foramina domorum exigua ingrediantur tales fœminæ: hæc per dæmones non magis fieri possunt, *Matth. 19.* quam ut camelus transeat per foramen acus. *Marc. 10.* Habetur hoc à *Luc. 18.* CHRISTO ipso pro ἀδυνάτῳ. *Corporum penetratio.* Corpus enim, & quicquid loco circumscribitur, hoc est, ut ita loquar, omne τοπικὸν ac locatum, debet esse suo loco proportionatum. Alioquin corporum penetratio admittenda esset: quod contra naturam & omne physicum principium est. *Aristot. 8. Physic.*

§ 2. Nam quod ipse CHRISTUS clausis januis ad discipulos intravit, id nihil aliud sonat, quam quod indicant præcedentia: *Joan. 20.* Cum clausæ essent januæ præ metu discipulorum, Christus venit ad eos. Non autem, quod non reseratæ vel apertæ fuerint. Cur enim non cederent præsentię corporis Christi, & ejus aperirentur clauderenturque virtute? Ita veteres omnes sensere. Nam ingressus, corporis sui veritatem ostendit & Thomæ, cui manus suas & latus: & *Luc 24.* reliquis, quibus pedes porrigens ait, Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet.

§ 3. Vel, si hoc magis placet, licet in resurrectione Christi veritas corporis manet, tamen proprietatibus etiam spiritus mirabiliter ornatur: quæ sunt, esse invisibilem, non moveri de loco in locum, juxta hujus seculi rationem, pertransire per solida corpora nullo impedimento, nullave corporum solidorum læsione, & innumera id genus alia. Proinde quum Christus post resurrectionem habebat corpus spirituale, non necesse habuit januas aperire, & aërem incedendo dividere: sed, qui erat invisibiliter præsens, quum discipuli de ipso colloquerentur, exhibuit se juxta majestatis

suæ

suæ potentiam ex improviso visibilem, & in medio discipulorum sensibiliter stantem. Ut & hujus admirandæ revelationis modus fuerit evidens argumentum, quod à mortuis resurrexerit, & cœlesti fuerit gloria ornatus.

§ 4. Nihil igitur istorum quæ diximus, efficere poterit dæmon: multo minus, ut unum corpus uno momento diversis in locis existat. Cum enim omnia in mensura, numero & pondere disposuerit Deus, singula suum habent & pondus, & mensuram, & numerum. Quod ἄτοπον, ἄμετρον & ἀσχημάτιστον, sine tempore & loco movetur, infinitum est: id vero non nisi unum est. Reliqua ergo, veluti spiritus & corpus, & tempore moventur, & loco. Spiritus etiam substantiæ sunt, quæ à loco circumscribuntur: sicut & anima nostra in loco est, quia alicubi præsens est: & localis, quia quod alicubi præsens est totum, alibi non est.

Corpus unum duobus in locis non est. *Sapient 11.* *Unus Deus ubique.* *Quæst. ad Oros. q. 41. August.* *August. de Spir. & anima, cap. 18.*

§ 5. Dicunt Jureconsulti: Qui ubique est, nullo in loco esse censetur. At non in est animæ linea, superficies, punctum, sicut corpori: finita tamen est. Ubique vero infinitum est. Finiti autem ad infinitum nulla est proportio. Quod si anima tam est circumscripta, ut cum alicubi est tota, non possit esse alibi: quanto magis terrena corpora? Divus Augustinus etiam de Christo post resurrectionem ita sensit, ut dicat: Quomodo discipulorum, cum esset in terra, contrectatus est manibus: sic eorum, ascendens in cœlum, deductus aspectibus: & ita venturus est, hoc est, in eadem carnis forma & substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit: secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Corpus enim non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine, ita sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minusque sit in parte quam in toto.

L. filiusfam. 6. secundum. de leg. 2. *Aristot. 4. Physic.* *Epist 146. ad Consentium.* *Ad Dardan epist. 17. lib. 1. cap. 2. de Orig. animæ, ad Hieron. Quid corpus.*

§ 6. His procul dubio de causis beatus Germanus existimavit fieri non posse, ut mulieres nocte simul in caupona essent, & mariti lateribus accubarent. Legitur enim in ejus Vita, quod cum nocte quadam in diversorio mensa iterum à cœna sterneretur, admirans inquisierit ab hospitibus, cui cœna pararetur? eique responsum sit, bonis illis viris ac fœminis, quæ nocte vagantur. Itaque sanctus vigilare statuit, & ecce multitudinem ad mensam, virorum ac mulierum venientem: quibus ille mandans, ne abirent, tota familia excitata quæsivit, num quem ex iis cognosceret? His omnes vicinos ac vi-

In vita S. Germani. Lamias non esse domi simul & alibi.

cinas

cinas esse dicentibus, singulorum ædibus perscrutatis, omnes in suis lectulis decumbentes invenit. Itaque statim omnes adjuravit: qui se dæmones esse confessi sunt. Sic & Simon magus eadem hora in conclavi cum Nerone, & foris cum populo loqui credebatur. Huc etiam pertinet, quod supra Capite septimo secundi Libri, de præstigiatore magico, Magdeburgi cum equulo in aëra conscendere viso, recensuimus.

In S. Petri Vita.

Lamias non invehere eos morbos, quorum se fatentur effectrices esse: nec locum mereri in historiis, sed inter fabulas, quæ hac de re leguntur, exemplis ostenditur.

CAP. XIV.

Lib. 11. Hist. Scotor. lib. 15. cap. 80. de Variet. rerum. Historia mira de Duffo rege maleficio læso, si vera esset.

ADMIRABILEM hujus argumenti historiam ex Hectore Boethio historiographo proponam, ab Hieronymo Cardano tamen refutatam: ut hinc de reliquis ejusmodi enarrationibus eodem censeatur modo. ea ita habet: Duffus rex incidit in morbum, non tam gravem, quam cunctis vel eruditis medicis (Scotorum tunc vivendi modi, corporeæque constitutionis, quos nondum peregrini invaserant morbi, habita ratione) cognitu difficilem. Siquidem sine ullo signo bilis, pituitæ, alteriusve peccantis humoris redundantiæ, vel ab humano temperamento lapsus, Duffum sensim afflixit. Noctu enim sub perpetua vigilia decumbens, in sudorem immensum solvebatur: interdiu vix dolore, quo nocte laboraverat, levatus, quieti se dabat. Corpus lenta conficiebatur tabe, effœto simillimum. Hærebat cutis rigida, venas, nervos, & qua forma ac situ constituta essent ossa humana, spectantibus ostendens. Suavis ac uniformis spirituum à corde motus: quod tactu cordialis venæ, arteriæ deprehendere vitale humidum nihil temperie excessisse, demonstravit. Vividus illi color, aurium oculorumque vigor integer aderat, & temperatus: frequentior cibi potusque appetitus. Hæc sanitatis signa in languente; multoque dolore afflicto, cum medici admirarentur, &, quæ suarum erant partium, egissent, nihilque invenissent, quo superfluus noxiusque sudor coerceretur, aut quod somnum provocaret, sed rex in horas magis magisque sudore & continua vigilia angeretur: versi ad patientis consolationem (nam eorum sententia, huic soli locus supererat) precati sunt, ut bene de salute speraret, nec sibi deesset: fore, ut externorum medicami-

dicaminum medicorumque, quos ipsi ocius acciret, ope, quod peregrinus & parum eis cognitus esset morbus, adventante vere, soleque (vitæ in animantibus assertore) ad nos redeunte, sanitatem consequeretur. Obortus est sub id tempus incerto authore rumor popularibus susurris, regem veneficarum mulierum arte dæmoniaca, & non naturali morbo tabescentem, per tam longa tempora corpore & viribus confici: easdemque apud Forres Moraviæ oppidum, magicam & sortilegam artem in regis perniciem exercere. Horum fama ilico ut ad regis aures pervenit, ne auctus rumor, re propalata, fascinatrices, ut supplicium evaderent, in fugam ageret: mittuntur in Moraviam, qui, an vera essent, quæ ferebantur, perquirerent. Missi nuncii, itineris causam dissimulabant, & veluti ineundæ pacis gratia inter Duffum regem & conjuratos Moravos, Forres adiere: ª noctuque in arcem admissi (steterat ea adhuc in regis fide) ob quam venerant causam, Donewaldo arcis præfecto, ut imperatum eis erat, exponunt, ejusque fidem & auxilium ad negocium conficiendum implorant. Milites, qui in arcis erant præsidio, tenuit nonnihil hujusmodi rei suspicio. Nam ex prostituta quadam (erat huic mater sortilega & incantatrix) dum blandiuscule eam tractaret amator, de regiæ valetudinis tempore, modo, perpetuitate, quibus Sortibus, quibus magicis carminibus uterentur Lamiæ, posteaquam nonnihil audiverat, sodalibus indicavit, & illi Donewaldo, Donewaldus autem regiis legatis: meretricemque tempestivam tanti facinoris nunciam (erat ea tum forte in arce) Donewaldus ad se accitam, quæstionibus, quo ordine cuncta gerebantur, & in quibus ædibus, ubi fateri coëgerat, mittit intempesta nocte milites ad rem omnem explorandam. Hi in sortilegarum ædes foribus vi reclusis, irrumpentes, sagarum unam ᵇ cereum simulachrum ad regis Duffi imaginem dæmoniaca arte (ut credere par erat) confectum, ligneo affixum veru ante ignem torrentem: alteram, carminibus recitatis liquorem quendam fundentem sensim supra statuam invenerunt. Prehensæ itaque ocius sagæ, conjectæque in vincula, & tractæ simul cum simulachro in arcem, roga-

Rumoris hujus autor esse potuit Satan. *Quorsum hæc aliquis novisset, nisi dæmon locum designasset, ubi dementatas anus ad fictitium ejusmodi opus permovisse se sciverat.* *a Sparso dæmonis opera eo rumore, de Duffi valetudine apud Forres vitiata à Lamiis, mulierculas dementatas dein in ejusmodi ludibriorum apparatum excitare potuit, ut Duffum & subditos in incredulitate confirmaret, eadem faminarum procuraret, novasque in Moravos faces mendaciis incenderet: si vera sit historia, quod minime credo.*

b Quomodo simulachrum cereum liquefactum potuit ad regis imaginem confectum esse dignosci? Unde in sejunctissimo intervallo, vis tostionis, liquoris infusi, simulachri & carminum recitatorum, in Duffum resultare potuit? Quomodo item rex in sudorem solvi quivit, & macie confici liquescente cera, quum cera igni admota facile & brevi tempore deflaat, regem autem longo tempore morbo hoc contabuisse narratur? Quomodo etiam ex consumpta cera mors subsequi? Ob præfractiores, in figmentum hac annoto. Delusus itidem fuit magister Joannes Lagereti præsidens Sabaudiæ, qui se magicas componere imagines potuisse confessus est, quibus Philippum Sabaudiæ ducem læderet.

tæque ad quid sub noctem carmina recitantes, effigiem regis igni exponerent? responderunt, dum simulacrum igni adhibitum torreretur, Duffum regem in sudorem solvi: carminibus vero recitatis, perpetua teneri vigilia, & ad liquescentem ceram macie confici: consumptam autem ceram, regis mortem continuo subsequuturam: ita se malos dæmones docuisse; ad facinusque exequendum, c mercede à Moravorum primoribus conductas fuisse. Perciti ira astantes ad anus verba, confracto simulachro, ut sagas scelus gravi luentes supplicio, flamma consumeret, extemplo curarunt. Ferunt, sub tempus, quo hæc in Forressensi arce sunt acta, regem languore levatum, & nocte absque sudore quievisse: postridieque redeuntibus viribus, quæ erant humanæ facultatis, prompte egisse, perinde ac si nulla adversa valetudine antea fuisset detentus: verum, d utut res se habuit, Duffus recrescentibus viribus sanitati brevi restitutus est.

§ 3. Post hujus historiæ, atque ejus argumenti aliarum enarrationem, in hunc scribit modum e Cardanus: Doceamus, an inter tot miraculorum commenta quicquam veri subsit. nam maximam eorum partem fabulosam esse, atque confictam, vel ipsi, qui hæc constantissime astruunt, negare non audent. Quæ igitur Boëthius refert, condendæ historiæ haud jucundæ non ignavus author, alliciendi lectores causa conscripsit: ut quos Scythica facta moresque, tum regionis descriptio non delectarent, fabulæ saltem tædium minuerent. Neque id vitiosum historico: sed ubi historia per se sterilis est, licet eam jocis ac fabulis exornare. Quamobrem & jure ab his T. Livius abstinuit: & Herodotus juste damnatur, & Saxo Grammaticus laudatur. Tum vero maxime accedit, quod hæc Boëthius scripta invenit, & factum ipsum extra historiam est. In ipsa autem historia enarranda, utpote moribus gentis, bellis, præliis, numero cæsorum, aut nominibus eorum, qui præliis interfuerunt, quive strenue se gesserunt, familiarum initiis, caussis bellorum, temporum ratione, gestis ac serie principum, quibus tanquam membris historia constat, fuit diligentissimus. Quinetiam in his, quæ ad historiam pertinent, nihil tam exiguum fuit (talia autem sunt, regionis & urbium situs, magnitudo, oppida, insulæ, nemora, montes, plantarum nova genera, animalia quadrupeda, aves, serpentes, pisces, soli fœcunditas, ventorum vicissitudines, cœli clementia, stagna, paludes, distantiæ, cæteraque omnia, quæ rara sunt, intelligendæ historiæ ac-

c Huc spectabat illa Sathanæ vox, ut novus facibus regem & Moravos inflammaret, prætérquam quod illa mente delusa, morti ob falsam persuasionem objicerentur: si verum est quod scribitur.

d Hic historiographum hæsitare vides, an sagarum opera, vel quomodocunque factum sit, ut Duffus convaluerit.

e De variet. rerum lib. 15. cap. 80.

Superioris historia de Duffo refutatio.

tiæ accommodata) quod neglexerit omiseritve, aut secus, quam esset, enarraverit. In talibus vero existimavit ornandam historiam, seu quod vera esse crederet, alioquin sacris philosophiæ haud initiatus.

§ 4. Quæ autem Berna & Pinnetus (quorum post, ubi de Incubo agitur, meminimus) & noster ille rusticus, vitrum, capillos clavosque evomens, & sonum confracti vitri in ventre, & horarum ictus in corde sentiens, aut videre, aut audire sibi persuadebant, partim vera, partim falsa esse reor. nam vere aliquid videre, diuque in visione perseverare, ni aliquid sit, quod videatur, absurdum est. Vident tamen quædam, tum audiunt: atque causam horum in atram bilem rejicere oportet, quæ partim cibis & potibus, & aëre & mœrore, timoreque paupertatis, partim à cœli constitutionibus, partim ex consuetudine aliorum delirantium contingit. Habebam ego olim amicum, cui contigit, ut in una harum vallium octodecim menses commorari cogeretur. Ubi rediisset ad me, multa de his incredibilia, quamvis philosophiæ haud ignarus, enarrabat. admonui hominem, ne amplius talia proferret, ni pro fatuo haberi vellet, & vitæ periculum subire. Immiscuit itaque se negociis arduis: commutataque victus ratione, dum aliorum consuetudine fruitur, ad se rediit. Seminis quoque ac menstrui sanguinis retentio, pluribus causa est hujus morbi, aut ortus, aut incrementi.

Historia hujus rustici lib. 4. cap. 7. postea describitur.

§ 5. In universum, tribus maxime hæc deceptio constat: atræ bilis imaginibus, constantia ipsorum, qui hac labe correpti sunt, ac fraude judicum. Nam olim permissum erat, ut iidem accusarent condemnarentque, ad quos damnatorum bona redibant. Unde ne hos miseros adeo injuste damnare viderentur, multa fabulæ addebant. Cæterum in illorum examine confessionibusque nihil non inane aut falsum, aut inconstans, aut nullius momenti reperiebatur, præter contemptam religionem. Quædam enim Christum abnegabant, aliæ sacrificium ipsum inter vestes consuebant, conspuebant aliæ imagines divorum, atque alia similia perpetrabant.

§ 6. Sublata primum in hos miseros ac insanos potestas fuit à sapientissimo senatu Veneto: cum animadverteret eo progressam illorum luporum rapacitatem, ut omnino insontes damnarent spe prædæ: neque contemptor divini cultus quærebatur, sed divitiarum possessor. Inter hæc exorta est Lutheranorum secta: cumque in hac, quod per urbes propagaretur, non jam miseri, sed opulenti

Dominicani. Opes aliorum, non religionē quærunt iniqui judices & inquisitores.

deprehenderentur, omissa priorum cura, ad hos conversi sunt. Sed nunc cum illis mitius agitur, ut omnia vel stultitiæ vel avaritiæ plena esse comperias. Hi ergo (ut ad propositum redam) quandoque sibi videre quædam persuadebant, atque audire: postmodum rem ipsam ex propria levitate augebant mendaciis, tum vero mutuis colloquiis (ut dici solet) è culice elephas exoriebatur. Nam & plerisque hominibus quandoque aliqua insolita videntur audiunturque: sed ea contemnentes, sanoque judicio abigentes negligunt.

§ 6. Hucusque Cardanus: qui interdum contigisse quoque perhibet, ut aliquis, quem maleficio affectum voluerint hæ mulierculæ, naturali causa eodem tempore in morbum maleficio congruum inciderit: quo cognito, à maleficio prognatum esse credebatur, quoniam morbi natura & tempus conveniebant. Sic anui dementatæ falsa suggestione phantasiam vitiat naturalis morbi, illiusque exitus conscius dæmon: & reliquos ob incredulitatem eo modo illudi permittit Deus. Quum vero censores à rerum naturalium cognitione essent alieni, minusque in literis Sacris exercitati, in historias (quicquid id est) ex sua opinione retulerunt: quod paulatim auctum exornatumque, materiem uberem huic stultitiæ præbuit.

§ 7. Quemadmodum vero hujuscemodi narrationes à compluribus in historias relatæ sunt, qui tum ob imperitiam rerum, tum per nimiam credulitatem quicquid aut vulgo dicitur vel jactatur, aut a b aliis traditur, non solum fieri posse, sed etiam revera contigisse sibi persuadent ex superiorum temporum exemplis: quæ cum fabularum sint involucro tecta, fidem historiæ apud illos sibi vendicant: sic illa de Duffo mendacia, videntur & originem & auctoritatem sumpsisse à poetarum narrationibus de Meleagri Oenei regis Ætoliæ filii interitu, stipite fatali combusto. Cum enim grandis aper Ætoliam devastaret, Meleager ad eum occidendum convocavit proceres. Ex quibus Atalanta virgo cum aprum prima vulnerasset, Meleager ejus amore captus, postquam aprum occidisset, ei caput apri dono dedit. Quod ægreferentes duo Meleagri avunculi, caput virgini volebant auferre: sed Meleager illos occidit. Tum Althæa soror occisorum, & mater Meleagri, ut necem fratrum vindicaret, fatalem stipitem igni imponens, Meleagrum pariter exussit. Nam Meleagro recens nato, Althæa mater vidit Parcas igni stipitem imponere, dicentes: O puer tam diu vives, quam diu hic stipes. Althæa

Ovid. lib. 8. Metamorph.

Stipes fatalis.

thæa ergo Parcis abeuntibus mox stipitem igni subtraxit, & diligenter custodivit. Jam vero erga fratres pia, sed erga filium impia, illum stipitem rursus igni imposuit: quo combusto, Meleager etiam exustus est.

§ 8. In Annalium Flandricorum lib. 16. scribit Jacobus Meyerus: 1. Legi aliquid horrendum contigisse Atrebati anno quinquagesimo nono supra millesimum quadringentesimum. Complures scilicet fuisse inhumaniter igne crematos, qui nocte occultas coitiones habuere cum diabolo, unde [2] magnam accepere pecuniam. Viri primarii mulieresque complures indiciis crematorum deprehensi. [3] quidam capti & sævissimis tormentis admoti: [4] alii pecuniæ vi redempti: [5] nonnulli solum verterunt: [6] quidam vero in pœnis adeo constantes fuere, ut nihil confiterentur. [7] Fuisse referunt quidam ex judicibus adeo detestabiles, ut quosdam sibi inimicos indicari curaverint tanquam conscios, reis in tormentis ad hoc coactis. [8] Addunt in nocturnis illis conventibus ex omni ordine statuque mortalium viros mulieresque interfuisse, & eos ibi diabolum in humanam effigiem transformatum adorasse, cujus tamen nunquam videbant faciem, in illius verba mandataque jurasse: [9] convivio ab illo parato largiter epulatos, [10] inde extincto omni lumine quemque cum sibi proxime oblata promiscue concubuisse: sine ope diabolica in sua unde exierant, loca restitutos.

1. Hæc lecta & scripta, ut in hoc negotio diabolico multa alia, ex errore vel confessionis vel judicum vel vulgi.

2. Pecuniam diabolus polliceri vel falsa ingesta opinione, vel apparenter solet, eaque pollicitatione suos ditare: sed non exolvere, imo ejusmodi ludibriis ludificari.

3. Vides judicum imperitiam, iniquitatem, sævitiam & tormenta non ferenda.

4. Quod judicum avaritiam pecunia satiare maluerint, quam in innocentia excarnificari, & ad confessionem enormibus torturis compelli.

5. Ut evitarent sanguinarias truculentissimorum judicum carnificumque manus, licet fœminæ innocentes revera existerent.

6. Distracti licet cruciatibus, divina tamen ope in innocentia constantes mansere.

7. Inde liquet, quæ flagitia in carceribus sæpe extorqueantur, potissimum in hoc negotio obscuro & dæmoniaco, atque à judici-

bus privatæ ultionis, rerumque alienarum nimis cupidis, quinimo insatiabilibus harpyis.

8. Quod ex omni ordine statuque mortalium, &c. scribat, meras fuisse præstigias, nil nisi ludibria, vitiatam phantasiam, mentem læsam, imo somnia mera, quilibet alicujus judicii, haud obscure intelliget.

9. Somnorinum convivium, id quod hora matutina quum surgerent, & more solito post esurirent, facile senserunt.

10. Ubi nullum erat lumen, extingui minime potuit: proinde somnium est merum, uti & congressus ille promiscuus, quum è suo lecto non fuissent moti: quare & sine negocio, & dæmonis ope revera suis stationibus, quas non reliquerant, restituebantur, nihilque verius in tota ea narratione existit. Hoc modo si reliquæ ejusmodi historiæ excutiantur, concidet mendaciorum pallium.

Stulta lamiarum phantasia, & historiarum ejus argumenti falsitas, ex Joannis Grammatici historia Danica demonstratur. Subjungitur & aliud lepidum phantasticæ mulieris exemplum.

CAPUT. XV.

STULTITIA hæc phantastica ut omnium oculis evidentissime pateat, ex Joanne Grammatico asscribam bona fide historiam, ab eo, ut veram, inter reliqua intextam: quam tamen mere mendacem, aut mendaciis egregie excultam (quod equidem cum docti alioqui viri venia dictum cupio) facile is judicabit, qui ad rationis trutinam revocarit, num grato, imo virulento epuli gustu, rationis atque eloquentiæ summum munus, ac manuum feliciter conserendarum donum consequi quis possit. Ita scribit lib. 5. Historiæ Danicæ: Erant Ericus & Rollerus Regneri pugilis filii, patre eodem sati, diversaque editi matre. Matrem quippe Rolleri, eandemque Erici novercam, Cracam vocabant. Mittitur Rollerus à patre, cognoscendi causa, quæ domi, interim dum abfuissent, essent acta. Is ut maternum fumare tugurium vidit, foris accedens, parvulumque foramen furtiva luminis applicatione trajiciens, introspecta æde, animadvertit matrem in furni cacabo coctilia pulmenta versantem. Suspexit præterea tres colubras superne tenui reste depensas, ex quarum ore profluа tabes guttatim humorem epulo ministrabat: duæ

Craca saga.

quippe

quippe colore piceæ erant, tertia squamis albida videbatur, reliquis modico eminentius pensa. Hęc nexū in cauda gestabat, quum cæteræ immisso ventri funiculo tenerentur.

§ 2. Ille, rem maleficio consentaneam ratus, silentio, quod viderat, pressit, ne matrem veneficii reatum astruere putaretur. Ignorabat enim innocuam anguium extitisse naturam, nescius quantum vigoris illo epulo pararetur. Supervenientes deinde Regnerus & Ericus, ut fumidam aspexêre casam, ingressi discubitum petivere. Quibus ad mensam sitis, Craca privigno filioque una cibum capturis, catillum discoloris dapis admovit. Pars quippe picea, sed croceis guttis interlita, pars albida videbatur: quippe pro varia serpentum specie, geminus pultem color infecerat. Cujus quum solam uterque particulam delibasset, Ericus non ex colorum habitu, sed interni vigoris effectu epulas æstimans, nigrantem dapis partem, sed succo potiore confectam, catino quam celerrime verso ad se transtulit: albidamque sibi admotam prius Rollero applicans, cœnam felicius gessit. Et ne mutationis industria notaretur, Taliter, inquit, æstuante freto puppim in proram referri solitam. Nec tenue viri ingenium fuit, industrii operis dissimulationem à navigii consuetudine mutuantis.

§ 3. Ericus itaque fausta jam dape refectus, interna ipsius opera ad summum humanæ sapientiæ pondus evasit. Quippe epuli vigor supra quam credi poterat, omnium illi scientiarum copiam ingeneravit, ita ut etiam ferinarum pecudaliumque vocum interpretationem calleret. Neque enim solum humanarum rerum peritissimus erat, verum etiam sensuales brutorum sonos ad certarum affectionum intelligentiam referebat. Præterea tam comis atque ornati eloquii erat, ut, quicquid disserere cuperet, continuo proverbiorum lepore poliret.

§ 4. At ubi superveniens Craca concham transpositam, partemque pultis potiorem ab Erico comesam cognovit, fortunam filio præparatam, privigno cessisse condoluit. Cui mox gemebunda supplicare cœpit, ne unquam sua fratrem ope deficeret, quem ipsius mater tot novæ felicitatis opibus cumulasset: quippe sapido unius epuli gustu, rationis atque eloquentiæ summam, necnon gerendorum prospere conflictuum gratiam assequutus videbatur. Adjecit quoque, Rollerum propemodum consilii capacem, futurumque ut destinati sibi obsonii prorsus expers non esset. Monuit quoque, si suprema

prema necessitatis violentia postularet, nominis sui nuncupatione remedium celerius esse quærendum: affirmans, se divina partim virtute subnixam, & quasi consortem cœlitum, insitam numinis gestare potentiam. Ericus se ad astandum fratri, natura pertrahi dixit: probrosum referens alitem, qui proprium polluat nidum. At Cracam magis propria molestabat in curia, quam fortunæ filium gravaret adversa. Artificem enim ingenio suo deludi, magnum olim ruboris incitamentum fuit. Hæc Saxo.

§ 5. Quod nulla creatura, multo minus virulenta anguium tabes extillatitia, gignat rationis & eloquentiæ summum donum, aut prosperitatem in bellis donet, sed peculiaria illa Dei esse munera, tam est manifestum, ut bonarum horarum male impensarum merito insimulari debeam, si huic convellendæ historiæ diutius immorer. Præterea, si confectum hoc venenosum epulum ab Erico voratum illis pollebat viribus, quare in Rolleri filii usum non denuo adornabatur cautius, maxime cum insitam illam numinis potentiam secum gestaret Craca? nisi mendaces hujus condimenti virtutes semel alicui edenti consecratas, cum benedictione qua Isaac filium suum Jacobum confertim extremo bearit, conferendas, ridicule quis urgeat. Mirandum interim summopere, tam manifesta mendacia à præclaris illis ingeniis inter res vere gestas describi, citra præmonitionem commenti alicubi lecti vel auditi: sic tutior earum foret lectio.

§ 6. Porro ex Chronicis Angliæ hanc Rogeri historiam similis fidei, uti & superiores non paucæ fuerunt, hic annectere volui in gratiam cujusdam Galli, qui se ficto nomine Leonem Suavium nuncupat, & in Compendio Paracelsicæ doctrinæ occasionem me reprehendendi emendicans, forte quod nonnihil vere nimis de Paracelsi asseclis narrarim, inter alia admodum frivola objicit, quod historiarum authoritati fidem derogem. Cui hoc nomine justa apologia ita satisfactum iri arbitror, ut non temere post hac prurientem calamum in me immerito sit stricturus: quemadmodum & Gerardum Dorn Paracelsi discipulum irritavit, à quo digna defensione, ut debuit, exceptus est.

§ 7. Historia hoc modo describitur: In insula quadam Deysa fuit quædam puella, à cujus nomine insula dicta est, quam licet miles quidam deperiret, in ejus tamen complexum non admittebatur, quamdiu viveret. Defunctam vero iniit, iis verbis subjunctis,

Quod

Quod cum viva mihi denegatum fuit, cum mortua perpetravi: moxque ingressus in cadaver Satan, inquit, En excitasti in me filium, eumque prognatum tibi deferam. Post novem inde menses filium abortiit, eumque ad militem pertulit hoc mandato: En quem excitatum à te filium, cujus abscissum caput tibi reserva. Quandocunque enim hostem vincere, vel substantiam ejus corrumpere voles, capitis abscissi vultus disco tegatur, respiciens hostem tuum vel illius bona, & evestigio interitum sentient. Quum vero desinere volueris, vultus detegatur, & cessabit calamitas. atque ita contigit.

§ 8. Multo post tempore miles ille uxorem duxit, quæ sæpius ex eo sciscitari solet, qua arte aut ingenio sine armis & auxillo suum vinceret hostem? hic rem aperire noluit, imperato uxori silentio: quæ tandem eo absente arcam reseravit, in ea se aliquid inventuram, quod huc faceret, sperans: attonita autem ad abominandi hujus capitis aspectum, confestim illud in Gulfo Sataliæ abjecit. Ejusmodi historiarum patrocinium suscipiat noster Suavius, earundem fide prius inquisita, & pondere exactius pensiculato, ac penes æquum Lectorem stet justa censura.

§ 9. At fabularum pertesus, factum verum subnectam, non illepidum, nec à nostro instituto plane alienum, effœtæ cujusdam mulieris phantasticæ. Phantasticos enim quandoque à communi sensu devios appellat vulgus: & phantasiam, intellectus vel rationis, vel cogitationis depravationem. Ea misera in Waldsassia conficiebat pharmaca, & vaticinabatur circa annum 1555. Quamobrem ab earum ditionum administro ad quæstionem vocata, volens interrogata deludere, amentiam aliorum exprobrabat, qui eam sectarentur. Cum vero tormentorum minis gravius premeretur, se inquit ex eorum esse numero, qui vagabundi Germanis dicuntur spiritus, & quotannis quater corpus quasi exanime relinqui, spiritu interea longius evagante ad solennes cœtus, convivia & choreas, quibus quoque interesset Cæsar: atque sibi codicillorum à Cæsarea majestate donatorum authoritate, licere medicari, futura prædicere, nec non spiritu evolante eos celebrare conventus. Jussa eos ostendere, protulit literas Latinas sacræ initiationis N. sacellani Cæsareæ majestatis, nunc episcopi, in expeditione versus Saxoniam Egeræ perditas: item Agyrtæ cujusdam schedas addidit, quibus ille sua unguenta, & execrandi calculi artem, idque genus reliqua prædicabat.

Phantastici *Phantasia.* *Historia vera.*

 § 10. His

§ 10. His testimoniis subnixa male feriata, ac à dæmone proculdubio delusa (si ex animo hæc dixerit) atrus, nihil non sibi licere in propinandis pharmacis & divinationibus confidebat. Sed, ut desisteret resipisceretque ad monita, exilio puniebatur. Interim tamen sibi restitui codicillos maximopere cupivit, sine quibus nullum felicem successum ex arte consueta sperari posse, persuasum fortassis habuit. Corpus autem ejus tanquam exanime visum esse quum alii assererent, illi ignem admoveri, si denuo ita spectaretur, prudenter antea admonuerat Waldsassiæ olim administrator Dominus HENRICUS WESIUS, LL. Doctor consultissimus, nunc Cancellarius Cliviæ dignissimus, qui hæc mihi ordine retulit. Legerat is fortassis
Fol. 64. in libro Conformitatum, de fratre Rodicofano apud focum dormiente, cujus manui dæmon ignitum carbonem admoverat: quem alter mox experrectus, ex diaboli manu eripuit, ut eo illum feriret, nisi evanuisset.

Aërem nullo modo à Lamiis turbari posse, & quomodo in hanc potentiæ suæ persuasionem à diabolo inducantur: item fruges non excantari.

CAP. XVI.

In aëre concitando quomodo à dæmone illudantur Lamiæ.

SINGULARI insuper ratione in aëre concitando illuduntur hæ aniculæ à diabolo, qui simulatque ex elementorum motu, & naturæ cursu, citius faciliusque quam homines, mutationem aëris & tempestates fore prævidet: vel alicui infligendam ex abstrusa Dei voluntate plagam, cujus ipsum spectat exequutio, intelligit: tunc harum mulierculàrum mentes agitat, variisque imbuit imaginibus, & suggestione multiplici, quasi ob invidiam in proximum, vel ob vindictam adversus inimicum sint aërem turbaturæ, tempestates excitaturæ, & provocaturæ grandines.

§ 2. Itaque eas instruit, ut quandoque silices post tergum, occidentem versus projiciant: aliquando, ut arenam aquæ torrentis in aërem conjiciant: plerunque scopam in aqua intingant, cœlumque versus spargant, vel fossula facta, & lotio infuso vel aqua digitum moveant: subinde in olla porcorum pilos bulliant, nonnunquam trabes vel ligna in ripa transverse collocent, & alia id genus deliramenta efficiant: atque ut arctius eas Satan illaqueet, diem & horam sibi dictis rationibus notas præfigit. Quum vero successum

sum hæ vident, nimirum quascunque desideratas in aëre turbationes, magis confirmantur: quasi eventus hic subsequatur ipsarum operationem, qua ne aquæ quidem stillam elicere possent.

§ 3. Nec sanæ mentis hominem opinari decet, futili vesanarum mulierculanum actioni obedire elementa, & ad harum nutum institutam à Deo naturalium rerum seriem impediri vel inverti: quod haud dubie contingeret, si harum arbitrio tempestates, pluviæ, grandines & fulmina inservirent, ut quandocunque & quomodo hæ jubeant, ea insequantur: sic quoque divina potentia ab humana voluntate superaretur, tanquam in servitutem redacta, ut pulchre docet Hippocrates. *In libel. de Epilepf.*

§ 4. Recta itaque erit sententia hæc Senecæ: Rudis ad hæc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri tam est palam, ut hujus rei causa nullius philosophi schola sit adeunda. Si autem maligna imprecatione, aut certa verborum obmurmuratione, se aliquid non vulgare perpetrare posse, in animum introduxerint, cum Socrate dixerim, incantationes esse verba animas decipientia humanas aut secundum interpretationem, aut secundum timoris incussionem, aut secundum desperationem: quæ sane ne pili quidem facienda sentio, quum nullum effectum revera naturaliter producere queant, nec ob id etiam sanitatem in morbum commutare, quanquam iis se posse falso arbitrentur vetulę. At ejuscemodi morbi à diabolo, connivente Deo, ob horum hominum incredulitatem, maleque conceptam de sagarum potentia opinionem, sæpenumero accersentur infliguntur que. *Incantationum verba nihil posse.*

§ 5. Idem dictum volo de frugibus, quæ nullo modo incantationum verbis aut imprecationibus lædi possunt, sed à dæmone quidem, *Deo* concedente, vel veneficiis: multo minus eæ queunt alio traduci, aliam licet opinionem ex poetarum uberibus suxerint veteres, ad nos quoque derivatam. Hinc celebratur illa duodecim Tabularum lex: *Agrum non posse à lamiis excantari, nec lædi, sed à dæmone vel veneficiis.*

QUI FRUGES EXCANTASSET, POENAS DATO: NEVE ALIENAM SEGETEM PELLEXERIS EXCANTANDO: NE INCANTANTO, NE AGRUM DEFRUGANTO. *Sub tit. de Injuriis. aliisque delictis l. 9. al. tit. 11.*

§ 6. Vera autem carmina & veneficia quibus segetes pelliciuntur, atque in agrum transferuntur, docet C. Furius Cresinus: qui è servitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in invidia *Plinius. XVIII. 6. C. Furii Cresini carmina.*

erat magna, ceu fruges alienas pelliceret maleficiis. Quamobrem à Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (ut ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. postea dixit: Maleficia mea Quirites hæc sunt: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigiliasque & sudores. omnium sententiis absolutus itaque est.

Opes congerendi modus non magicus.

§ 7. Aliam, at non tam laudabilem fruges opesque pelliciendi, haud tamen magico carmine rationem, ob facti raritatem hic obiter interseram cujusdam civis oppidi non ignobilis apud Ultraisulanos, qui viro doctrina & virtute celeberrimo eam ipse explicuit, ac se ipsa re successu mire prospero expertum adjunxit. Hic in cœlibatu perstitit levibus primum divitiis dotatus, propria domi quadra victitans. Quolibet autem die sabbathi, lactis ebutyrati, quantum in septimanam integram pro alimento sufficeret, vili redimebat stipe, idque intrito pane secalino totum octiduum prius sinebat acescere, quam eo frueretur, ne recentioris deliciis affectus nimis, ejusdem quoque nimium absumeret. Illo oxygalactis condimento non modo famem, sed & sitim sedabat, seque recreabat, quum & cibi & potus locum suppleret. Ubi tamen vel festiva temporis celebritate aut læto spiritu incitatus, liberalioribus epulis genium exhilarare, & perbelle cuticulam curare vellet, accedebat priori mensæ secunda ex ovo uno aut altero: in quem usum & gallinam splendido pulmento, nimirum sui stercoris alebat. Cæterum adversus frigoris qualescunque injurias se quoque singulari dexteritate muniebat, gestando scilicet in supremum tabulatum, deinde rursus deportando, donec incalesceret, quos paucos ligneos fasces semel coëmerat. Hac arte perpetuo

Algebat nudo clausa culina foco:

Nec ullo opus illi erat lumine, præterquam cœlesti, solis quippe & lunæ: tempori siquidem inservire, eique se conformare novit non minus quam hirundo, ciconia, aut ulla sic latitans bestia. Enimvero toto anni decursu sole decumbente, simul & ipse decumbebat: eo item exoriente, ipse quoque apparebat: at lunæ usura erat rarior. Adhæc sua lintea non minori frugalitate eluebat subinde, saponis loco gallinæ suæ stercore illito. Ejusmodi providentiæ lucro sine

ullis sumptibus domum aluit sustinuitque, & affectui ita satisfecit, ut quicquid ex suis facultatibus quotannis rediret, in redituum usuram deponeretur: sic tandem in divitem evasit virum hic Euclio, si dives sit dicendus, quem bona possident.

§ 8. Etsi hanc artem liberali detexerim animo, ne tamen imitari studeat ullus, protestatione minime opus fore sperare volo. Verum quid accidit? quod non minus pulchre quam vere Comicus cecinit, *Tenax requirit prodigum.*
Vix enim halitum reddiderat extremum, quum circa funus, mutata rei domesticæ forma, vario potus genere ita defunctum lugerent hæredes, ut etiam in eundem à calumniis ob avaritiæ incomparabilis dedecus non abstinerent, seque alio modo inituros jactabant rationes: nec defuit eventus. Quicquid enim hoc tenacitatis studio multis congestum fuit annis, id breviori tempore non tam laboriose dissipabatur prodigalius. Sed ad institutum.

§ 9. Porro ex rationibus supradictis non immerito admirari summopere, graviterque ex animo dolere cogor, annis superioribus apud ea Imperii, eique contigua loca, ubi clarius sonare Euangelii vox creditur, vitiatam tempestate vineam, & disjectam, quæ adhuc in herba erat messem, non ad Dei vel probantis vel punientis manum, mentis oculos convertisse magistratus: sed ea neglecta, ad deliras lubricæque mentis mulierculas numero plures respexisse, easque in squalidos carceres, dæmonum hospitia & diram carnificinam pertraxisse, ubi in excitatæ tempestatis & invectæ jacturæ confessionem adactæ, Vulcano solenniter consecratæ sunt.

§ 10. Mente autem delusas fuisse à diabolo, qui earum phantasiam ludibriis præstigiisque corrupit, ut se fecisse, quæ non potuere, confessæ sint (quemadmodum solent obsessi, melancholici, incubo pressi, *Lycaones*, cynanthropi, dementati, fatui & pueri) dubium est minime. Non enim mulieris malitiosæ, aut alterius maligni hominis voluntati & potentiæ aërem vel elementa, ut pro illorum mandato noceant, subjecisse justum & multæ miserationis Deum, satis demonstratum est. Si diabolo potestas est aeris, hic Dei solius permissionem desiderat expectatque, nocendi semper cupidissimus: ut hoc nomine absurdum errorem esse, ingenue dicam, si quis mulieris vetulæ, amentis & maleficæ imperio subjici diabolum credat. *Ephes. 2.*

§ 11. Hæc quidem ita illi subjacet, ut cogitatione, sermone & actu, illius sæpe voluntati morem gerat: verum ipse profecto hujus

nutui pro sua libidine obsequi potest minime, etiamsi uterque idem expetat, cum Dei solius semper, & quandoque fidelium ejus ministrorum edicto obedire compellatur. In rebus corrumpendis aëris conturbati violentia, vel quocunque modo, unius Dei nutum & consensum præstolatur spiritus procellarum, ubi suos vel explorare vel castigare instituit Deus: cujus ministri veri, in Christi nomine, dæmonium subinde pellere poterunt. Proinde hos, qui veritatis luce ac radiis sibi oculos configi arbitrantur, in aliam decuit traducere sententiam & magistratum & plebejos: & quum sedulo gravique sermone ab idololatriæ flagitio auditores revocare conentur, hanc quoque ejus nefandissimam speciem explicare oportuit, qua Lamiis attribuitur id, quod solummodo ad Majestatem divinam pertinet, tempestates nimirum pro suo arbitrio ciere, & grandinem pollicere: item quando in rebus afflictis eousque dejicitur animus, ut superstitem adhuc esse Deum, qui opem ferre queat, vix credatur.

§ 12. Si quæ fatentur dementatæ anus, præstare valerent, vix in generis humani sustentationem frumenta superessent: immo nihil in rerum natura incorruptum permaneret, nec quidem ipse homo consisteret: proinde etiam non tanto opus esset apparatu in bellis, ubi nihil non instrumentorum & materierum pestilentissimarum cum gravissimis sumptibus effingitur, quo hostis in perniciem cogi, ager funditus corrumpi, segetes prorsus dissipari, vites radicitus evelli, aquæ penitus vitiari queant: solum hic ejusmodi vetula, quam Lamiam dicunt, voto & opinione celerius, unico nutu non modo hæc efficiet, verum etiam copias ita affliget, urbesque & regiones conquassabit, ut se felices fore sint speraturi adversarii, si in deditionem permittantur.

§ 13. Quid hic opus sumptuosis tormentis? quid pulveris illius diabolici mole? quid globorum & sphærularum acervis? quid mixto in funestiorem perniciem lardo, vel quacunque alia peste? quid igne in exurendis oppidis, arcibus & pagis? quid numerosa illa manipulorum, & potius mancipiorum Satanæ caterva? quid equitum cataphractorum turba? Unica hæc nostra Empusa, sola Lamia, omnipotentiam hic suam ostendet: quæ etiam in Turcam erit ableganda, ut à subsidii in perpetuum Christianismi hostem colligendi onere Germania semel sublevetur libereturque. In media profecto luce cæcutiisse videmur, qui amplam hanc occasionem tam stupide neglexerimus. Sed dæmonis ope sublimia hæc operari

nostras sagas, nec illius auxilium à Christianis admittendum esse, respondebitur.

§ 14. Hic vicissim mihi explicari velim, cujus ope dissidia seminentur propagenturque inter Christianos: cujus instinctu & adminiculo hos, & cumprimis principes, adeo temere, frequenter ob rem nihili, fastu vel insolentia turgidos bella movere, urbes pacificas evertere, regiones vastare florentissimas, sanguinem innocentem quam possunt affluentissime cum multa tyrannide effundere contingat: ubi violentiæ, stupri, adulterii, rapinæ, proditionis, latrocinii, & nefandissimorum quorumcunque scelerum tam in amicos, quam in eos, quos hostes vocant, quinimo dæmoniacæ colluviei & flagitiorum satanicorum frequentissima schola & asylum securissimum? Quis hic architectus, quis Imperator, quis dux & rector? Nonne cacodæmon? Si itaque exitiosis id genus monstris quibuscunque & diaboli organis in bellis locus est, quare ille denegabitur nostris Lamiis: quæ non vulgari ratione, secundum horum hominum opinionem, omnia perdere, cœlum terræ miscere, & hostem in ordinem redigere poterunt, etiam absque sanguinis effusione; si ita voles: vel cum gravissimis ejus cruciatibus, pro suo arbitrio & libidine, citra ullam hæsitationem, & sine sumptibus? Eam de Lamiarum potentia persuasionem ad nos à mendacibus poetis derivatam, in multorum etiam piorum animis tam tenaces adhuc egisse radices, ex animo frequenter lugeo. ad durum illud flagellum peccata nostra mereri certum est.

§ 15. Quanquam vero, dæmonis instinctu dicta facinora perpetrare homines, objicietur: & vice versa, diabolum ex pravorum hominum suggestione & voluntate quoque operari: hic respondeo, ea non consequi necessario: & oportere distingui rerum substantias, unde actiones producuntur. Alia enim est proprietas dæmonis, Dei spiritus ministratorii: alia terrestris hominis. Ille quidem ut spiritus, in hominem se insinuare, eumque agitare potest, unde dæmoniacus, vel à dæmone obsessus dicitur homo: nequit tamen in dæmonem spiritum se vicissim ingerere homo terrestris, ut inde similiter nomen mutuetur, opereturque.

§ 16. Grassante crudeli bello inter reges Daniæ & Sueciæ anno 1563. ex castris Danicis scriptum est, Sueciæ regem inter suas copias circumducere quatuor vetulas Lamias, quæ carmine omnem Dano præpedirent victoriam, ut nullum posset hosti facere damnum;

num:& si qui à Sueciæ rege cingerentur obsidione, redderentur imbelles, atque in deditionem proni. Ac licet famæ huic prius nulla fuisset data fides, postea tamen unam ex his Lamiis captam fuisse à milite generosi comitis à Schwartzenburch Gunthardi, ducis exercitus, quæ ea confiteretur, scripto addebatur: quemadmodum & circa vias in puteis & locis aquosis limosisque inventa fuisse extracta longe fila, quibus ligneæ cruces multæ aliiq; characteres appendebant.

§ 17. Si vera est historia, graviter utrinque delictum est contra manifestum Dei mandatum: à Suecis, quod vetitam opem acceperint: à Danis vero, quod sibi à magicis illis præstigiis & dæmonum ludibriis timuerint. Enimvero amentes illæ anus revera nihil hic potuere, quanquam secus fortassis erant persuasæ à mendaciorum architecto. Cæterum permittit sæpenumero Deus justo suo *judicio*, eos, qui diffidia volunt, in reprobam tradi mentem, & ad foliorum arborum agitationem pertimescere exhorrescereque.

Levit.20. Deut.18.

§ 18. Ne autem inaudita talis in bellicarum desperationum conatibus videatur machinatio, asscribere non gravabor, cujusmodi flagitium ad extorquendos dæmoniacis fraudibus imbres è clausis cælis non minus docte quam pie enarret Joannes Jovianus Pontanus lib. 5. belli, quod Ferdinandus Senior Rex Neapolitanus cum Joanne Andegavensium duce gessit. Hæc doctissimi viri sunt verba: Et jam prima rubescebat aurora, quum hostes conspicati ascendentem militem, superantemque montis ardua, relicto castello, tormentisque, non expectato primorum ascensu, cum captivis per montes citato gradu Suessam se recipiunt. Rex territabundus, quanquam oppidanis excidium, direptionem cædemque minitabatur, irrito tamen incepto paucis post diebus inde abiit.

§ 19. Verum enim irritam obsidionem, utque incassum cederent conatus tanti, fusus repente cœlo nimbus efficit, laborantibus ac pene enectis siti popularibus. Nam quod menses aliquot nullos aër imbres dederat, & quod in cisternis erat collectum aquarum, id omne exhaustum cum esset, languentibus maxime agrestibus, cunctis denique ob aquarum inopiam extrema metuentibus, nefarium ad sacrum magicaque ad maleficia concursum est: quod in summis miseriis ultimaque aquarum penuria perditissimis à sacerdotibus commentum esset, dum impie agendo, Dei simul iras & aëris turbationem ac tempestates exciunt.

§ 20. Inventi enim ex oppidanis atque obsessis sunt, qui no-

ctur nis

ctumis in tenebris, deceptis castrorum vigiliis, per asperrimas rupes furtim profecti ad littus, trahentes secum imaginem affixi ad crucem Christi, maledictis illam prius ac diro persecuti carmine, post in mare execrabundi immerserint, cœlo, mari, terrisque tempestatem imprecati. Quo etiam tempore sacerdotes quidam mortalium omnium scelestissimi, dum satisfacere profanis militum artibus student, ritum nefarium secuti, quo, ut dictum est, in hujusmodi necessitatibus elici imbres putantur, asino pro ædis foribus constituto, tanquam agenti animam cecinere funestum carmen. Post divina eucharistia in illius os palatumque injecta, conclamatum asinum funereis cantibus, vivum tandem ibidem pro templi foribus humavere.

§ 21. Hic vero vixdum perfecto sacro obnubescere aër, ac mare agitari ventis cum cœpisset, diesque medius offundi tenebris, ac nunc cœlum micaret ignibus, nunc lux omnino eriperetur, tonitru cœlum terræque horrescerent, volitarent evulsæ ventis arbores, descissaque fulminibus saxa complerent auras fragoribus, prorupit tanta è nimbis pluvia, imbresque tam validi, ut non cisternæ modo colligendis aquis satis non essent, sed arentia saxa rupesque exustæ solibus torrentes undequaque prolapsos diffunderent. Itaque rex, qui sola in siti potiundi oppidi spem collocaverat, frustra ab ea habitus, ad Savonem vetera in castra rediit. Cæterum existimare Deum iratum, beneficium pro scelere referre, neque pii est hominis, neque rerum naturæ callentis, atque pervestigantis causas. Quo enim majores invaluere hyeme sive æstate æstus, cœlique ac terræ siccitates, eo tempestates consuevere post sequi fœdiores, nimbique magis procellosi. Adhæc, si quando naturales tempestatum turbines prævidet diabolus, tunc ad prædictarum blasphemiatum studia excitat, quos ejusmodi impietatis cultores noverit.

§ 22. Bellicis porro motibus digressus nonnihil; ad tempestatem Germanicam, cujus paulo ante memini, revertor. Hic nec illud silentio erat sepeliendum, quod quum ea in illis grassaretur oris, eodem tempore varium procellosarum earum nubium exortum defixis oculis se vidisse, & attentius observasse in diversis, etiam longe dissitis provinciis, nimirum ducatu Wirtembergensi, Franconia, Bavaria, Saltzburgo, Vienna, mihi asseruerit vir nobilitate, prudentia, multijuga lectione & vario rerum usu eximius, qui citatis equis die noctuque citra ullam cunctationem iisdem diebus

per eas festinantissime pervolabat ditiones ad Cæsarem, tractum tempestatis & damni illati ubique singulari considerans studio: nec animadvertisse quicquam, quod ad Lamiarum opus potuerit contorqueri, ait.

§ 23. Cum stupenda se adhæc admiratione excepisse affirmavit, quod rediens ex hospitis relatu in itinere cognoverit, quasdam fœminas apprehensas, carceribusque traditas esse, ob accitam tempestatem damnosam, maxime apud eos, quos alia mentis oculi acie de diaboli potentia, & delusarum sagarum ludibriis censere decuit, quam facere vulgus solet, propter peculiare & indefessum Theologiæ purioris studium, cui se hi mancipasse creduntur: unde non obscure licuit elicere dilucidos ejusmodi plagarum authores & causas.

§ 24. Exemplum in Jobo minime dubium proponitur. Punitionis quoque similis minæ evidentissimæ in Prophetis leguntur, adversus eos, quibus ad divinæ vocis monitionem aures obduruere. ut Aggæi 2: Percussi vos vento urente & aurigine, atque omnium manuum vestrarum opera, & non fuit, qui ad me converteretur. Et cap. 1. Ponite corda vestra super vias vestras, dicit Dominus. Seminastis multum, & collegistis parum, &c. Et infra: Respexistis ad amplius, & factum est minus: & intulistis *in domum*, & ego exufflavi illud. Propter hoc, inquit, super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem: & terræ prohibitum est, ne daret germen suum, &c. Item Joelis 1. Dissipata sunt horrea, disjectæ apothecæ, confusum est triticum, ingemuit animal, &c. Levit. 26. Si non feceritis mandata mea, dabo cœlum vobis desuper ferreum, & terram æneam, & consumetur incassum labor vester, &c. Si autem in præceptis meis ambulaveritis, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum. His & Joelis 2. rerum ubertas promittitur: Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo. & dicit: Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum & oleum, & replebimini in eis, &c. Ecclesiast. 39. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis & ferrum, sal, lac & panis similagineus, & mel & botrus uvæ, & oleum & vestimentum. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur. Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua. Et in tempore consummationis effundent virtutem,

Copiose item Deuter. 28.

tutem, & furorem ejus, qui fecit illos, confundent. Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt.

§ 25. Ex animo itaque præmonitos volo eos, qui in prædicto errore etiamnum conquiescunt, nec in aëre turbando Dei manum citra hominum cooperationem agnoscere volunt, invectaque inde damna hominum arbitrio imputant, ut resipiscant adhuc, ad quam vocem si eorum ut præfractorum occalluerit animus, in tam inextricabilem diaboli labyrinthum eos provolutum iri præsagio, unde nullum educere poterit Thesei filum, sed solius miserentis Dei filius: tam frequentes carnificinas architectabitur accumulabitque Dei & hominum hostis ut juratissimus, ita & sanguinis innoxii cædiumque impiarum sitientissimus Beelzebub. Nec dubito, quin oculis palam hæc proponet eventus: quod Deus pro ineffabili sua bonitate clementer dignetur avertere. Falsus enim malo audiri vates: sed me vestigia terrent. Exempla novi complura: quid jam alii cum magno suo malo & reipublicæ detrimento experiantur, ipsi certiores erunt testes.

§ 26. Telam contexere longam & inexplicabilem in hominum ruinam exitiumque, mille artifici non erit difficile, potissimum apud quos ex voto succedere institutum videt, ubi nimirum ob peculiare suum ex Dei assensu factum, in vitam insontem porro sæviri animadvertit: tum nervum consequutus, alia similia, vel etiam tetriora molitur, quibus in sua nassa arctius constringit, atque ex Charybdi in Scyllam propellit, quos suis strophis pronas offerre aures comperit. Hic sane sæpius connivet Deus merito, ob invictam eorum incredulitatem, qui, licet aliter Sacrarum literarum lectione, maxime ex Jobo, instituti, non tam Dei justi manum vel probantem vel castigantem agnoscunt in segetum, vinearum & pecorum perditione, quam singularem ejus misericordis benedictionem & gratiam in annonæ affluentia amplectuntur.

§ 27. Nec hic prætermittere oportuit, circiter id tempus, quo Germaniæ superioris provincias illa tempestas calamitosa afflixisset, me quoque pro rerum mearum sorte haud levem passum jacturam ex grandinis, vel potius glaciei procella, in ditione Ravesteinensi, non procul à Gravia. Ea segetes feliciter messas, & in agro per fasces quaternos conjunctim ad excitandum, ut apud nos moris est, dispositas, ita disjecit ac excussit, ut omnino trituratas eas, & agrum denuo satum dixisses: unde nec eum conferere in proxi-

unum annum, sed terram aratro solum evertere voluit villicus, ut quæ abunde nimis frumento saturata, & fœnori reddendo facta idonea fuerit. Ramos quoque simul ex arboribus quasi securi sectos, per arva sparsim disjectos fuisse ex ejus glaciei violentia vidi. Recto autem ductu, nec sparso, hic flavit spiritus, ut fere nihil aut parum infotunii utrinque senserint proximi agri.

§ 28. Atqui Virgilio ethnico, circa messem non tam miraculosa fuit visa ejusmodi turbatio aëris, Georg. 1.

Sæpe ego, cum flavis messorem induceret arvis
Agricola, & fragili jam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent, ita turbine nigro
Ferret hyems culmumque levem, stipulasque volantes.
Sæpe etiam immensum cælo venit agmen aquarum,
Et fædam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes, ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti sata læta boumque labores
Diluit, implentur fossæ, & cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus æquor.
Ipse pater media nimborum in nocte corusca
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit, fugêre feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor. ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit, ingeminant Austri & densissimus imber,
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.

§ 29. Hæc profecto syncere & singulari animi studio sibi proposita meminerint, qui ad se admonitionem pertinere candidam arbitrabuntur. Si vero plerisque indolis morosæ hominibus recalcitrare, ac in me petulanter vel serio insolescere lubet, iis quidem per me licet, dummodo adversus conscientiæ & veritatis testimonium non laborent, & Dei gloria ac reipublicæ Christianæ quies utilitasque requiratur.

§ 30. Ansam vero hujus incredulitatis pronam admodum obtulerunt rustici, fiducia in Deum viva minus confirmati: qui multifariam hoc etiam tempore secundum eorum incredulitatem vexantur à Satana, ut alias lac ademptum, alias fœtum, alias segetes,

alias

alias armentum etiam interemptum à Lamiis putent: & universam agriculturæ rationem non ad benedictionem Dei in vera fide, sed ad meras anicularum voluntates referant. Adjiciam doctissimi viri JULII SCALIGERI verba ad Cardanum: Ais, ad maleficii efficaciam conferre maleficii constantiam. Putasti cujuspiam affectum agere in alium, quam in eum cujus affectus est? Neque verum est, ab homine homini noceri posse verbis. Nam quis illa eum verba docuit? Non homo alius. Nam quis illum? Non cælestis intelligentia. Quis enim eam facere audeat authorem fascini? Ergo malus dæmon: non ut hominem faceret potentiorem, sed ut ipsum deciperet credulitate, atque socium haberet tum impietatis, tum æterni exitii. Ipse igitur agit dæmon: stultus ille ac vecors, putat suis sese vocibus agere. Li. 16. de Subtil. exer. 349.

§ 31. Porro à contrario quis forte objiciet, pluviam cieri posse carminibus in perniciem à maleficis: quum ex jure scripto constet, aliquas in salutem pluviam provocare. nam lex 4. C. de mathemat. & mal. Constantini est, qua admittit eos, qui precibus, carminibus aut medicamentis pluviam impetrare valent, aut aliquid, quod ad hominum salutem spectat, &c. Bartolus ibi: Summa & mens legis est, mea opinione, ut si quis istis artibus ad utilitatem hominum utatur, permissæ sint, ut scribit Josephus de Solomone libro 8. cap. 2. quæ alioqui vetitæ per se sunt, & maxime si in alicujus perniciem convertantur.

§ 32. Hic paucis, cum bona venia, respondeo: Christianum Imperatorem credidisse aliquam in his esse vim, haud secus atque multi alii, & quidem plerique ἄθεοι ac poëtæ. Ex quo consequitur, magnam hunc ea in re injuriam Deo fecisse, qui non piis votis & culpæ deprecationibus supplicandum, sed contestationibus impiis ac adjurationibus cogi Deum posse, ut hoc aut illud nobis donaret, arbitrabatur: quin & amplam diabolo aperuisse fenestram, quum vero Deo relicto, per Satanæ aut ministros aut ministeria quid se consequuturum consideret. Cæterum, ut semel hoc caput finiam, quid potest in hac re & causa dici dilucidius eo, quod apud Hieremiam capite 14. legitur? Nunquid sunt, inquit, in vanitatibus Gentium, qui pluere faciunt? & num cœli dabunt imbres? Annon tu es Jehova Deus noster? Te igitur expectamus. tu enim fecisti omnia hæc.

De naturalibus pharmacis somniferis, quibus interdum illuduntur Lamiæ, de earum item unguentis, & quibusdam plantis soporiferis, mentemque impense turbantibus.

CAPUT. XVII.

Naturalibus usa pharmacis quando que deluduntur à Satana Lamia.

INTERDUM Empusæ exornandæ adhibentur etiam naturalia quędam pharmaca, quibus ubi se inunxerint, confricuerintque, ita à fraudulento magistro institutæ Lamiæ, per caminum mox se evolaturas, ac per aërem longe lateque evagaturas ad tripudia, dulcissima symposia, concubitus & gratissima rerum spectacula, confidunt: quæ tamen per insomnia ipsis ingerit ille mille artifex, ubi ab inunctione somniferi omnino unguenti, in profundissimum lethargicumque somnum dilabuntur insciæ. Hæc ne somnia videantur, libuit adducere, quid solertissimus occultarum causarum indagator Johannes Baptista Porta Neapolitanus lib. 2. Magiæ naturalis, sive de miraculis rerum naturalium, scribit: Adeo dira, inquiens, cupido hominum mentes invasit, ut, quæ natura mortalium commoditati elargita est, abutantur, ut multis horum simul coacervatis componant Lamiarum unguenta: quæ quanquam ipsæ superstitionis plurimum admiscent, naturali tamen vi evenire patet intuenti. quæque ab eis acceperim referam.

Cap. 26.

Lamiarum unguenta.

§ 2. Puerorum pinguedinem aheneo vase decoquendo ex aqua capiunt, inspissando quod ex elixatione ultimum novissimumque subsidet. inde condunt, continuoque inserviunt usui: cum hac immiscent eleoselinum, aconitum, frondes populneas & fuliginem. Vel aliter sic: Sium, acorum vulgare, pentaphyllon, vespertilionis sanguinem, solanum somniferum, & oleum (etsi diversa commiscent, ab iis parum dissidebunt) simul conficiunt, partes omnes perungunt, eas antea perfricando, ut rubescant, & revocetur calor, rarumque fiat, quod erat frigore concretum. Ut relaxetur caro, aperianturque pori, adipem adjungunt, vel oleum ipsius vicem subiens, ut succorum vis intro descendat, & fiat potior vegetiorque, id esse in causa non dubium reor. Sic non illuni nocte per aëra deferri videntur ad convivia, sonos, tripudia, & formosorum juvenum concubitus, quos maxime exoptant: tanta est imaginationis vis, impressionum habitus, ut fere cerebri pars ea, quæ memorativa dicitur, hujusmodi sit plena: cumque valde sint ipsæ ad credendum naturæ pronitate faciles, sic impressiones capessunt, ut spiritus immutentur,

tentur, nil noctu diuque aliud cogitantes: & ad hoc adjuvantur, cum non vescantur nisi betis, radicibus, castaneis & leguminibus.

§ 3. Dum hæc pensiculatius perquirendo operam navarem (ancipiti enim immorabar judicio) incidit mihi in manus vetula quædam (quas à strigis avis nocturnæ similitudine Striges vocant, quæque puerulorum sanguinem è cunis absorbent) sponte pollicita brevi mihi temporis spacio allaturam responsa. Jubet omnes foras egredi, qui mecum acciti erant testes: spoliisque nudata, tota se unguento quodam valde perfricuit, nobis è portæ rimulis conspicua: sic soporiferorum vi succorum cecidit, profundoque occubuit somno. Fores ipsi patefacimus, multum vapulat: tantaque vis soporis fuit, ut sensum eriperet. Ad locum foras redimus, jam medelæ vires fatiscunt flaccescuntque. A somno sevocata, multa incipit fari deliria, se maria montesque transmeasse, falsa depromens responsa. Negamus, instat: livorem ostendimus, pertinaciter resistit magis. Hactenus Joannes Baptista. *Historia memorabilis. Strigis.*

§ 4. Lamiarum quoque unguentum propemodum simile tradit Hieronymus Cardanus, post cujus inunctionem mirabilia videri apparet. Nàm & de his, quæ non sunt, & tamen videntur, ibi sermo est. Constat pinguedine puerorum, ut dicunt, succisque apii, aconiti, pentaphylli, solani, ac fuligine. Sed tamen dormire creduntur, dum hæc vident. Spectare autem videntur theatra, viridaria, cœnas, ornatus, vestes, formosos juvenes, reges, magistratus, imo res omnes quibus delectantur, quibus etiam se frui arbitrantur. cernunt item dæmones, corvos, carceres, solitudinem, tormenta. Hæc igitur sunt violentorum insomniorum causæ. Hinc etiam illas apio victitare ait, castaneis, fabis, cepis, caulibus, phaselisque, somnos turbulentos cientibus: sic magis per somnum ferri videntur in diversas regiones, atque ibi multifariam affici, prout uniuscujusque fuerit temperies, unguento adjuvante. *De Subtil. li. 18. de admirabilibus.*

§ 5. Cui non absimile ad inducendum profundum longumque somnum, adjungam hic oleum. Rec. semin. lolii, hyoscyami, cicutæ, papaveris rubei & nigri, lactucæ, portulacæ, ana part. IV. baccarum solani somnifici part. I. ex his omnibus fiat oleum secundum artis legem, & pro qualibet uncia istius olei misceatur scrup. I. opii Thebaici. Hinc sumatur scrup. I. vel. II. & duorum dierum subsequetur somnus. Liquorem conciliantem mirifice somnum, ad guttam unam aut alteram exhibitum, lubens hic adderem: *Somniferum admirandum oleum.*

rem: sed præstat non publicari. Suam quoque hic laudem meretur succus singulari ratione suoque tempore ex hyoscyami radicibus extractus.

§ 6. Ejusmodi quædam simplicia, puta lolium, faba inversa, opium, hyoscyamus, cicuta, papaveris species, solanum furiosum somnificum, mandragora, nymphea, atque id genus reliqua, naturalium rerum peritis non omnino ignota inveniuntur, quibus intellectus vel aufertur vel turbatur: ut, qui iis utatur, loquendo, audiendo & respondendo amens videatur, vel in somnum altissimum ad dies etiam aliquot præcipitetur. At eorum usum, & aquas, vina, pulveres, trochiscos, olea, aliasque formas hinc conficiendi modum, silentio involvere malui, ne iis abutendi ansam alicui subministrasse videar. Perpetuo juvandi, & non lædendi, animum *mihi* donavit omnis boni author benignissimus.

Simplicia sensus turbantia & auferentia.

§ 7. Adjiciam hic tamen ob cautionem historias duas non inutiles, de horum soporiferorum viribus. Mulier quædam ad rem attentior, optimeque nota, sed quæ suum jam obiit diem, trituratores in multos conduxerat dies, curaratque ex lolio diligenter excreto (dourt nos vocamus) molito pinsitoque, admista secalis farina, panem apparari & coqui, ut eos minoribus sumptibus aleret. Quo quum essent pasti, in quandam levem inciderunt amentiam: cum essent aliquandiu rotati vertigine, lassi ad unum omnes in profundum longumque inciderunt somnum, ut pro labore, quem vetulæ præstare oportuisset, ipsi continuo stetterent: donec ea tandem post alterum aut tertium diem errore animadverso, victus rationem mutaret.

Amentia & somnus gravis ex lolii usu.

§ 8. Adhæc clarissimus eruditione, multijugaque rerum observatione & usu medicus, D. Reinerus Solenander, collega in eodem apud illustrissimum nostrum Principem ministerio conjunctissimus, quum Lovanii anno quadragesimonono sub Hieremia Brachelio operam medicinæ daret, vidit puerum Servatii Sasseni bibliopolæ mirandis symptomatibus correptum, ex esu forte unius baccæ solani majoris (herbam Bella donna Itali vocant) quam casu imprudens propter ætatem, ignarusque rerum, ex horto D. Gemmæ Phrysii vicini sui (qui tum eam plantam prægnantem alebat cum aliquot aliis exoticis herbis) legerat devoraratque, cerasum vel uvam forsitan existere arbitratus. Puer primum cœpit furiose agere, nec ullum parentem interstinguere, animo & corpore languere: vocatus

Solanum majus herba bella donna.

D. Bra-

D. Brachelius ad consilium & curationem, tam subita symptomata gravia miratur: statimque concepta suspicione assumpti alicujus veneni maniaci, sciscitatur, ubinam puer fuerit, quid egerit? eum in D. Gemmæ horto lusisse narrant, visumque versari circa dictam plantam, ejusque decerpere baccas. Sed priusquam hoc innotuisset, incidit puer in somnum profundum, ut excitari nequiret, is durat ad horas vigintiquatuor. Tum puer sponte evigilat, agnoscens primum patrem, deinde alios, sed stupidior: at paucis tum ex arte adhibitis remediis, probe restitutus est.

Dormienti testes execti.

§ 9. Quod autem Gallo cuidam nobili, ex Narbonensi provincia oriundo accidit, mirum magis est, eo quod & risu simul & deploratione dignum videatur. Is ex itinere captus à Turcis, & in Thraciam abductus, dynastæ cuidam donabatur, & (ut opinor) Bellerbeco, qui cis Bosphorum Thracium per Macedoniam præfectus militum dicitur. Ab hoc ille non aspere cœpit tractari more Barbaro, sed perhumaniter, eo quod gynæceo destinatus esset ob formam ac ætatem. Itaque tandem die quodam cibi ac potionis tum varietate, tum copia fuit effectum, ut in somnum triduanum incideret. Quo finito, quum experrectus mingere vellet, exectos sibi testes animadvertit: tum demum attonitus cognovit, quam diu dormisset, & cur tam laute semper ac affluenter tractaretur, atque ex quo cibi genere tam alto correptus fuerat somno. Rediit tandem ad suos, & hanc attulit causam, cur nuptiis facile carere posset.

Bellerbeous

Gemma stuporem inducens.

In Lapidario Diosc. v. 115.

Plinius. XXXVII. 7.

Vide lib. 5. ca. 12. post. Paris de put. tract. de Syndic. c. tortura. lo. 2.

§ 10. Albertus Magnus in Ægypto etiam nasci lapidem tradit, & Dioscorides, qui Memphites nuncupatur, à Memphi, magnitudine calculi, pinguis & versicolor: quo contrito, & cum aqua vinoque epoto, stupor omnium sensuum inducatur, ut nullum omnino dolorem sentias. Unde refertur à Jurisconsultis, ubi de quæstionibus agunt, ac tormentis.

De opio, beiran luc, gelotophyllide, solano furioso, theangelide, & potu dementante laicum apud Bernates.

CAP. XVIII.

Opii frequens apud Turcas & Persas usus.

HIC obiter, ob raritatem, & rei quasi miraculum, non erat prætermittendum, opii esum Turcis, & multo magis Persis, tam esse familiarem ut nihil prope familiarius: quod eo vorato se validiores esse, minusque belli pericula timere, persuasum habeant:

quemadmodum in his regionibus, ebrios quoque intrepidius se quibuscunque naufragiorum & discriminum fluctibus objicere, observamus. Quocirca, ubi exercitum colligit Turca, opio universa spoliatur terra, licet quotannis id incredibili colligatur copia ex papavere albo leviter vulnerato, postquam capita protruserit, unde lactis aliquot guttæ emanant, paulatim concrescentes. Ejus semine apud Turcas non minus terra conseritur, quam in his ditionibus tritico, præsertim Acharæ, Caracharæ, Spartadæ, Emetetindæ, & in aliis vicinis oppidis Paphlagoniæ, Cappadociæ, Ciliciæ.

Vide etiam Diosc. l. v. 60.

§ 2. Vix Turcam invenias, qui opium non redimat: etiamsi unius aspri numismatis valorem tantum possideat, ejus dimidium opio impendet, secum id tam toga quam bello collaturus. Quidam ejus esui assuetus, semel drachmam mediam innoxie vorabat: postridie vero drachmam integram idem ille deglutiit, citra ullum aliud incommmodum, quam quod velut ebrius appareret. Bellonius, qui huic nunquam assueverat, eo sumpto, nihil incommodi sensit, quam in ventriculi orificio calefactionem, levem cerebri turbationem, & somnum inquietiorem. Tritum Turcis in objicienda calumnia proverbium est, Opium comedisti: ac si alterius provinciæ homini exprobrares ebrietatem. Optimum habetur, amarum valde, gustu calidum, ut os inflammet, ad modum pilorum leoninorum colore fulvum, odore molestum & grave. In extremo refrigerandi gradu id designari, cum insigniter amaricet, inflammetque, mirum est. Masschlach vulgares Turcæ nuncupant, ophion peritiores.

Li. 3. c. 15. Observationum.

Masschlach. Ophion. Heiran luc.

§ 3. In usu quoque habent pulverem illis dictum Heiran luc: cujus circiter coclear quicunque sumpserit, nihil loquitur, at continuo ridet, admiranda se videre ratus: atque hinc suos instituit gestus, ut ingentem omnibus spectatoribus risum moveat: qui ubi ad mentem redierit, se his vel illis fuisse locis, & mira vidisse rerum spectacula, asserit. Rogati illi, pulverem cannabinum esse plerique responderunt: qui, quamquam ex Galeni doctrina, largius paulo sumptus caput feriat, vaporem sursum ob multam calefactionem mittens, citius tamen ex gelotophyllide parari suspicarer, si Turcis fuerit cognita ea planta, in Bactris & circa Borysthenem proveniens: quæ, si cum vino & myrrha bibatur, varias dicunt obversari species: ridendique finem non fieri, nisi potis ex palmeo vino pineæ nucis nucleis, pipere & melle additis; vel cum ex solano manico

Lib. 1. de aliment. Gelotophyllis.

nico vel furioso confici, quis opinetur non absurde, cujus radicem ad drachmæ unius pondus ex vino potam, excitare species vanas, imaginesque non injucundas, docet Dioscorides: sed duplicatum eum modum, ad tres usque dies mentis alienationem afferre, addit.

Solani furiosi radix imagines vanas inducit. Lib. 4. cap. 69.

§ 4. Cæterum quum ad cannabim vires pulveris Heiran huc remulerint Turcæ, forte sic ex planta conficitur, quæ Indis Bangue dicitur, cannabi haud absimilis (teste Garcia ab Horto Proregis Indiæ medico) nisi quod hujus semen cannabino minus est, nec ita candicans, ut illud: deinde hujus stolones lignosi nullo fere cortice vestiuntur, secus quam in cannabe. Ex foliis contusis, interdum & ex semine succus cogitur, mixtaque vel nuce moschata, vel caryophyllis, aut ambaro & musco exhibetur: unde in extasin quodammodo rapiuntur, qui hauserunt, atque omni sollicitudine liberantur, nonnihil ridentes. Hinc magnus Sultanus Badur jactare solet, se, quando in somnis adire Lusitaniam vellet, Brasilium, Asiam minorem, Arabiam & Persiam, pauxillum Bangue solum sumere

Bangue. Lib. 2. cap. 25. simpl. medic. Ind. *Cap. 24.*

§ 5. Huc pertinet etiam Datura Indorum planta, quæ in Malavar nascitur, flore in extremis ramis rorismarini colore, qui velut & semen injicitur à furibus in cibos eorum, quos deprædari student: mente enim videntur alienari, qui sumpserunt, & in risum solvi, magna cum libertate sinentes auferri, quæ fures volunt: duratque illa mentis alienatio horis vigintiquatuor. Nec hic alienum, quod de Indorum Tabaco, Lusitanis Peto nuncupato, Gallis Nicotiana, Herba reginæ & Herba sancta, scribit Nicolaus Monardes, Hispalensis medicus. Non quoque omittendum, quod de Theangelide, in Libano Syriæ nasci solita, traditur, ea videlicet devorata præsagire homines. At mea quidem opinione, ea vorata dementari homines potuerunt: ut ipse diabolus se in illos, ut jam apparata organa, insinuans, futura vel ambigue vel mendaciter suo more prædixerit. Potamantim itidem ad Indum fluvium inveniri narratur, eaque pota lymphari homines obversantibus miraculis.

Datura. Tabacum. Lib de simpl. med. India occid. Theangelis. Potamantis.

§ 6. Similis cujusdam potionis veneficio, laicum dementabant, velutque stupidum reddebant quatuor ordinis prædicatorum monachi Bernates, anno nono supra sesquimillesimum, ut aquam causticam sive ardentem absque sensu tolerarit. Ea Christi quatuor vulnera pedibus, manibus & corpori se imprimere simularat larvata

Bernatium monachorũ tragœdia venefica. Joan. Stumpff. XIII. 33. In Chron. Germ. Seb. Franci. Potus etiam dementantis

 Maria,

& soporiferi valde meminit Paulus Venet. de Reg. or. l. 27.

Maria, adornatus scilicet in hanc tragœdiam monachus, qui antea clavum quoque per alteram laici manum transegerat, nihilque non in D. Virginis specie persuaserat, ut illius simplicitate & amentia abuteretur, cum tribus suis fratribus religiosis figmenti consciis, ad sui instituti confirmationem. Quo nomine potionatus ille, altari quoque in D. Virginis sacello imponebatur, ubi velut catalepsi correptus, in turbæ confluentis conspectu, immobilis ad stuporem usque genibus flexis perduravit: dum interea temporis Doct. Stephanus, fabulæ hujus actor, per canalem in Christi & D. Virginis simulachris proximis mutuum colloquium mentitur. Fraude tandem detecta, artificium confessi sunt monachi quæstionibus subjecti, exustique ejusdem anni die postremo Maji. Historia sane lectu dignissima, ut hinc in reliquarum ejuscemodi imposturarum, *ad animarum* exitium, olim ab id genus hominibus constructarum, cognitionem promptius perveniatur. Similibus fortassis in suis corporibus quandoque utuntur nostræ Lamiæ.

De incubi dæmoniaci illusione, & incubo morbo naturali.

CAP. XIX.

Congressus dæmonis cum mulieribus imaginarius.

Hinc jam incuborum succuborumque larvas aggrediamur, quid in his veritatis foveatur, studiose & latius investigantes: ut non modo è vulgarium, sed & prudentium animis, semel hoc falsæ persuasionis simulachrum excutiatur. Quum itaque hujus hæresis maleficio & præstigiis delusæ dementatæque anus, à dæmone se comprimi, incubosque pati arbitrentur, hanc commixtionem, ut reliqua propemodum omnia, mere esse ex læsa mente imaginariam, vel solum qualicunque affrictu titillationem cieri, accedente rei imaginatione: nec vere congressum fieri, rationibus demonstrabimus evidentissimis: ubi prius commonuero, nostris medicis morbum quendam dici Incubum, ab incubando, quod pondus quoddam nobis dormientibus incumbere, & super nos consistere putamus, respirationem opprimens, & ob id vocem impediens: ita ut, si velimus clamare, non possimus, cum somniis horrendis & imaginationibus plurimis nos ab aliis invadi existimantes. Fit fere noctu, & à somni initio: & quæcunque epileptici interdiu vigilesque patiuntur, hæc noctu & in somno ephialtici.

Incubus.

§. 2. Plinius modo suppressiones, modo noctis ludibria, modo Fauno-

Faunorum in quiete ludibria nominavit. Arabes, inquit Avicenna albedilon & alcratum, Averroes elgadum, Azaravius alcaibum; nostri vulgo gravedinem dicunt, quasi pondus equitando (sic loquuntur) nos opprimeret: sic nostrates quoque dicunt sua lingua, Die mar rydet uns. Epilepsiam esse quidam sentiunt diminutam, quæ fit in somniis, de qua Aristoteles intellexit lib. de Somno & vigilia: ἐφιάλτης Græcis nuncupatur, id est, insultor, quasi aliquis insiliat, vim inferens, & alterum conprimens, ut non possit moveri, donec liberetur ab invasore. πνιγαλίων à suffocando Themisoni dicitur.

ἐφιάλτης. πνιγαλίων. Incubus olim quoque dæmon putabatur. Aetius libro 6. c. 12. ex Posidonio Nostrates appellant Germanice, Die mar ryden, quasi dicas, medium vel pondus superequitare.

§ 3. Quæ signa ab imminuto calore proveniunt: & quum spiritus animales existentes in cerebro, ob vapores ascendentes, à pituita & melancholia obtenebrantur, ita ut virtus opprimatur, & videatur aliquid grave sibi inferri, quod tamen revera non fit. Contingit autem potissimum resupino corpore jacente: plerunque ore ventriculi aut pituita crassa lentaque, aut ciborum concoctu difficilium copia oppresso. Quum vero sagæ sint ob sexum & ætatem utplurimum pituitosæ, & ob animi affectus melancholicæ, cur non supine cubantes, hujusmodi morbo erunt obnoxiæ; atque accedente illo sensu communi, ab immundi spiritus assidua suggestione vitiato, putabunt fatebunturque vere se passas esse, quod solum vel per somnum vel imaginatione intensa innotuit.

§ 4. Convenientem hic ex Jasone Pratensi historiam de otioso quodam sacrifico asscribendam duxi: ita narrat. Nuperrime sacrificus quidam me convenit, Domine, inquit, nisi succurras misero & afflicto, actum est, & prorsus perii: tabes me habet. Viden quam sim emaciatus, quam exanguis? vix tenui pelle contegor: succulentus esse soleo, speciosulus, & bene habitus: nunc fœdum spectrum videor, hominisque inanis imago. Quid, inquam, te cruciat, & quam affectus tui causam opinaris? Dicam, ait, intrepide, & valde admiraberis. Sub quamlibet ferme noctem ad me commeat muliercula mihi non ignota, & pectori meo illabitur, ipsa violenter comprimit, atque coarctat animæ meæ vias, ut ægre respirare queam: quin clamitare cupienti, vocis iter præcludit, ut, quanquam præ pavore nitor attollere, minime queam: nec manus ad propulsandam injuriam, nec pedes ad capessendam fugam expedire valeo: vinctum me & affixum tenet. Heus, inquam subridens, nihil admirandum prædicas (ex narratione incubum intelligebam) merum est phantasma, merum ludibrium. Nec plura

De cerebri morb. c. 26. Incubum passus sacrificus.

moratus: Phantasma (inquit) ludibrium (inquit) profecto non est: ita me Deus amet, quæ hisce oculis conspicatus sum, & quæ hisce manibus exercui, enarro. Equidem vigilans, mentisque compos, eam video coram, & invadentem accipio, conorque obluctari: sed præ languore, metu, angustia & impacta, vi nihil efficio. Hac de re horsum vorsum amens cursitavi, unumquemlibet percunctans, possetne succurrere miserabiliter pereunti. Minoritam consului, quem callidum veteratorem dicunt, ab hoc præsentaneam opem sperabam: sed spe mea frustratus sum plane, nullam is salutem attulit: tantum monebat, Deum optimum maximum, quem jam pridem præcibus fatigaram, strenue orandum, ut dignaretur infestam vexationem avertere. Adii vetulam quandam, pro fama populari, sagam atque versutam hæc ajebat, qui sub crepusculum diei statim ab excreto lotio matulam obturarem dextra caligula, & fore, ut eo ipso die malefica me inviseret. Id etsi vanum videbatur, nec parum me ab experimento absterreret religio, victus tamen impotentia & diuturni laboris tædio, tentavi. Et, per Jovem, accidit vaticinium. Veniens in domum meam, vesicæ cruciatum querebatur: nec potui ab illa aut preculis supplex, aut contentione minax impetrare, ne sub noctem ad me terrifica commearet: sed implacabilis veterem morem asservat, semelque constituit me fœdo angore conficere. Hominem hunc vix quivi ulla ratione ab insania revocare: sed à secundo tertiove congressu hilarior factus, morbum agnoscere cœpit, & sanationis spem fiduciamque concipere. Jam ad congressum imaginarium.

Hymenis membrana, qua omnes muniuntur virgines, ratione commonstrari certissime, dæmonum cum mulieribus concubitum esse vanum, mereque imaginarium.

CAP. XX.

Concubitus dæmoniaci vanitas. *Virgo religiosa apud Hollandos ob incubum præcipue exusta.*

PRIMUM hujus congressus vanitas, fucusque, apertissimis atque adeo oculatis testimoniis, ac argumento irrefutabili convincentur, si virgo hoc depravatæ imaginationis fascino agitata, ludibriaque ejusmodi perpessa, quæ à dæmonis initu corrupta creditur (qualem apud Hollandos religiosam, ex propria peractæ cum dæmone hujus spurcitiei confessione flammis adjudicatam scio) ab obstetrice perita, vel alia non indocta, femina inspiciatur, contrectetur-

turque: eam enim adhuc virginitatis zona, hymene nimirum munitam esse (si alioqui à viri concubitu fuerit libera) comperietur. Ea siquidem omnes virgines ab initio dotatas, obvinctasque à conditore Deo fuisse, contra multorum secus contendentium sententiam ostendere volui. *Hymene dotata sunt omnes virgines.*

§ 2. Primumque generale Mosis ex Dei voluntate consilium, de indiciis virginitatis indubitate cognoscendis, si de virgine matrimonio tradita, in læsæ antea pudicitiæ suspicionem maritus venerit, proponam explicaboque. *Deut. 22.* Id tale est: Si duxerit vir uxorem, accesseritque ad eam, & odisse eam cœperit, quæsieritque divortii occasiones, nomen pessimum ei objiciens, & dixerit: Uxorem hanc duxi, & ingressus ad eam, non inveni virginem, vel virginitatis signa: tollent eam pater & mater ejus, & proferent signa virginitatis puellæ ad seniores civitatis, qui sunt in porta, dicetque pater: Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat, Non inveni tuam filiam virginem: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis, apprehendentque senes urbis illius virum, &c. Quod si verum est verbum illud, & signa virginitatis in puella non fuerint inventa, ducent puellam ad ostium domus patris sui, obruentque eam cives illius civitatis lapidibus, ut moriatur. Ad hujus loci explicationem, &, ut medicis in omnibus puellis hymena non agnoscentibus satisfiat, ac meum interim prosequar institutum, breviter de eo quædam hic dicam.

§ 3. In virgineis locellis, vel κήπῳ γυναικείῳ inhæret latetque hæc tunica, castitatis conservatrix, qua primo insultu disrupta, venarum uteri orificia hic intexta, desinentiaque, sanguinem fundunt, menstruum vulgo, licet improprie, appellatum. Unde nuptis virginibus, prima concubitus nocte, ex hujus membranæ violenter ruptæ venulis sanguis promanat: cujus lituris, ut virginitatis vel virginalium notis, testibusque, tincta, quibus teguntur vel incumbunt linteamina, coram magistratu, suspicacibus, conjugesque violatæ antea pudoris zonæ falso insimulantibus maritis expandi ostendique jubet Moses. *Virginitatis signa. Mosis locus explicatur.*

§ 4. Apud Hispanos quoque admodum vulgare est sponsis, eas solutæ virginitatis lituras sanguineas in linteo à primo concubitu observare. Apud hos etiam filias pro virginibus aliquoties divendere solent quædam lucri cupidæ nimis matres, hymena inviolatum,

tum, ejusque rupti manantem sanguinem alia materie ficta imitatæ.

§ 5. Adhæc, præterquam quod in virgine quadam certissime etiam tegumentum illud solidissimum deprehenderim, idipsum quoque à pudicissimis, mihique familiaribus matronis, quæ in seipsis hoc pudicitiæ munimentum prima admissione observarunt, pudica collatione cognovi: quæ & omnes virgines eo donatas esse, ex fœminis itidem aliis, quibuscum familiariter & occulte hac de re contulissent, se intellexisse, uno quoque asseruerunt ore.

Hymen membrana alias crassior, alias validior, ut sectione opus sit, alias fragilior.

§ 6. Membrana interim alias crassiore firmioreque, quasdam tenuiore fragilioreque hic obseptas esse, minime dubium est. Plerisque etiam lascivo quopiam attritu eam divelli, lacerarive, aut putrescere quoque ex humorum affluxu, & ex morbo perrumpi constat. Exemplo id testatum facile fecerim. Verum non est *nostri instituti*, inutilem hujus argumenti contexere telam. Satis sit indicasse, imo apertas ostendisse rationes, quibus succuborum incuborumque falsitas detegitur: item Mosis locum nonnihil explicuisse: & medicis negantibus membranam hanc in omnibus virginibus, ansam subministrasse, eam oculatius observandi: cujus quidem vitiatæ prius nomine, uxorem secreto arguisse olim maritum non immerito memini.

§ 7. Si quis jam exiguo illo hymenis foramine illusus, diabolum ut multiformem, Venereæ rei ludibria posse cum virgine exercere urgeat: huic responsum volo, ut me doceat, quomodo eo virginitatis munimento inviolato, posset ex ejusmodi congressus partu progignere uterus materierum usque adeo grandium, durarum, inæqualium, asperarum acutarumque monstra, qualia Magdelenam quandam Constantiæ captam ex tali concubitu peperisse, paulo post ostendetur. (*Cap. 32.*) Enimvero si à portentosarum harum rerum procreatione puella, à partium uteri peritis introspiceretur contrectareturque, ut artis est, fraudem illusione primum phantasiæ in Veneris opere ingesta factam: deinde ut imaginarius ille congressus judicaretur verus, dolores partus à spiritu cieri, atque rerum absurdarum insensilium mortuarumque congeriem velut illius coitionis fœtum ostentari à milleartifice, evidenter constaret.

Quod

Quod filii Dei ad filias hominum ingressi sint, locus hic Mosis explicatur: quo magis congressus diabolici vanitas elucescit.

CAP. XXI.

Si quis jam præfractior, ad illam Mosis sententiam mihi obtrudendam confugiat, Quod filii Dei ad filias hominum ingressi sunt, atque hæ genuerint potentes & celebres viros: & hinc cum multis alioqui doctis viris inferre studeat, dæmones posse mulierum concubitu frui, atque generare: huic Augustini Steuchi Eugubini, Episcopi Kisami, verba hæc, quibus errorem hunc solide refellit, opponam. Illud, inquit, rejiciendum, separandumque à natura dæmonum vera, & pene inter fabulosos dæmones censendum, quod non modo è nostris quidam, sed etiam prophanæ philosophiæ professores plerique sibi persuaserunt, de filiis illis Dei, qui dicuntur apud Mosem filias hominum vidisse, accensosque in earum cupiditate, ex eis filios genuisse: qui quum dicantur Hebraice Nephilim, ab Hebræis nescio quibus, & nostris, quinetiam externe philosophis, dæmones crediti sunt, qui partem divinam atque humanam mistam habuerint. Fueruntque multi, filios illos Dei angelos suspicati: è quibus, cum multis Hebræis, Josephus in sua de Antiquit. Judaic. historia: quem tamen Zonaras historicus excusat, quasi angelos ille appellarit filios Seth, ut Deo placentes, & angelorum vitam æmulantes. Fuerunt & alii in ea opinione, ut Lactantius.

Gen. 6. *Li. 6. c. 32. de Perenn. Philosoph.* *Genes. 6.* *Nephilim.* *Li. 1. cap. 3.*

§ 2. Videturque antiquissimus error è libris Mosis non recte intellectis haustus. Siquidem perhibet Plutarchus, Pythagoram, Xenocraten, Platonem, Chrysippum, superiores Theologos sequentes credidisse, dæmones fuisse hominibus quidem robustiores, viribusque longe præcellentes, divinitatem (inquit) habentes neque synceram neque puram, sed cum animæ natura & sensu corporeo conjunctam, voluptatis & laboris capacem. Hoc etiam credidit Athenagoras philosophus Christianus, Justinus item idem philosophus, & Tertullianus, omnes ambiguitate vocabuli ducti: arbitratique, filios Dei, angelos, purosque Deos, genitos ex eis: alii dæmones, alii heroas vocantes, ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, amore illo, quo illi filii Dei in fœminas exarsissent, filiosque eximiæ virtutis & audaciæ genuissent, quod in Cratylo etiam retulit Plato. & Athenagoras in legatione scribit.

Instit. divin. 11. 15. *Heroes unde] dicti.*

§ 3. Similis quoque conditio fuit angelorum. Etenim cum omnes essent liberæ voluntatis, alii in ea, qua creati à Deo fuissent, conditione permanserunt; alii naturam suam & conditionem violaverunt. Is ergo dæmon materiæ, & formarum, quæ sunt in ea, Imperator extitit, & cæteri, qui ex his circa primum æthera versantur. Scitis autem nihil absque testimonio nos prædicare, cum nitamur dictis Prophetarum. Illi igitur à carne victi, & in concupiscentiam prolapsi: is autem neglector, & pravus circa rerum sibi creditarum curam est inventus. Ex his vero, qui in virgines exarserunt, nati sunt hi, qui Gigantes sunt appellati. Itaque angeli lapsi de cælo, circa aërem & terram, prohibiti deinceps cœlum repetere, versantur: animi quoque Gigantum circum mundum: hæc ille. Tertullianus quoque eadem sensit.

§ 4. Quæ quidam doctiores melioresque Theologi, quibus filiorum Dei notior fuit appellatio, nunquam dixissent: non Hieronymus, non Augustinus, non Gregorius Nazianzenus, non prudentissimus Chrysostomus. Nec difficile est erroris fontem agnoscere: nec durum probare, solitas Sacras literas filios Dei nuncupare dilectos illi, illumque colentes. Ut de Israële: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et in Exodo: Filius meus Israel. In Psalmo quoque clara existit differentia, cum homines sunt filii Dei & cum non sunt: *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini.* Ecce eosdem filios Dei & homines appellat: sed filios Dei, quia creati ab illo, factique velut Dii, futurique, si Deum coluerint: homines autem, quia in terrenam fragilitatem dilapsi, Regis cœlestis imagine denigrata. Tales erant illi eluvionis tempore filii Dei, bona progenies ex Seth, quæ commista cum filiabus hominum, scilicet corruptissimis fœminis, quæ sicut uxor Adam, deincepsque ferme omnes, sic maritos suos corruperunt: unde corruptiores filii nati, origo mali, sanguinis pii cum impio commistio: propterea nati bellicosi, superbi, contumeliosi. Hæc sunt veriora, à natura non abhorrentia: cum illa non absint à fabulis Poëtarum.

Filii Dei qui? Osea 11. Num. 24. Matth. 2. Psal. 81.

Filii Dei.

§ 5. Nec natura fieri potest, nec assentitur philosophia, spiritus corpore nudatos, amore fœminarum capi, aut ex eis generare potuisse. Habent enim fontem suum, & inferiores ortus, cupiditates: si desit causa, desit effectus. Ubi non sunt membra genitalia, non est amor coëundi. Ubi non est cibus & potus, non est sperma. Ubi non fuit quærenda successio & propagatio, non adhibuit natura cupidita-

Cur dæmon parere nequit.

Spiritus carnem & ossa non habet, Luc. 24.

-piditatem generandi. Sicut ſpiritus nudi ſitire aut eſurire non poſſunt: ſic Veneris libidine nequeunt inflammari. Abſurdum quoque duo eſſe genera dæmonum: tum ipſos angelos lapſos in concupiſcentiam, tum animas Gigantum. Fuerunt enim Gigantes homines, nec ex hominibus faciendi ſunt dæmones: nec caſus eorum fuit, quod exarſerint in amorem. Erunt igitur fabuloſi dæmones, tam quos libido rapuiſſet, quam generati ex eis. Tales erunt, quales Hector, Achilles, Æneas, Hercules, ex hominibus & Diis nati, apud Poëtas. Hæc Auguſtinus Steuchus.

§ 6. A cujus ſententia rationibus ac veritate comprobata, quamvis Lactantius ἐν ὑποθέσει diſcrepet, in univerſali tamen de gentilium diis, ὅλως non diſcedir. Sic enim argumentatur: Quid eſt autem tam remotum à Deo, quam id opus, quod ipſe ad propagandam ſobolem mortalibus tribuit, & quod ſine ſubſtantia corporali nullum poteſt eſſe? Dii ergo ſi ſunt immortales & æterni, quid opus eſt altero ſexu? nimirum ut generentur. Ipſa progenie quid opus eſt? cum ſucceſſione non egeant, qui futuri ſunt ſemper. Poterat hic argumentum Lucretii addere, quod ego validiſſimum exiſtimo: *Inſtit. divin. l. 2.* *Deos ac dæmones non coire.* *Lib. 1.*

——Si numina naſci
Credimus, haud quenquam fas eſt cœpiſſe Deorum,

Sequitur apud Lactantium: Ut habeat vel miniſtros, vel in quos ipſe poſſit dominari. Quid igitur opus eſt ſexu fœmineo, quum Deus, qui eſt omnipotens, ut vocatur, ſine uſu & opera fœminæ poſſit filios procreare? Nam ſi quibuſdam minutis animalibus id præſtitit, ut ſibi è foliis natos, è ſuavibus herbis ore legant: cur exiſtimet aliquis, *ipſum* Deum, niſi ex permiſtione ſexus alterius, non poſſe generare? Illos igitur quos imperiti & inſipientes tanquam Deos & nuncupant & adorant, nemo eſt tam inconſideratus, qui non intelligat fuiſſe mortales.

§ 7. At Kimchi hic dicit: Omni rei, quam Scriptura vult magnificare, ſubjicitur nomen אל ſicut & in Propheta legimus לאלהים עיר גדולה civitas magna Deo, id eſt, civitas magnificentiſſima. Aben Ezra intelligit per filios Dei, homines Deum agnoſcentes. Chryſoſtomus hunc locum explicans, docere videtur, quod non ſolum abſurdum eſt, ſed etiam impoſſibile, ut improbi angeli cum fœminis coitum exerceant, ſic inquiens: Dementia plenum eſt dicere angelos dejectos è cœlo, ut cum mulieribus rem *Homil. 22. in Geneſ.*

 habeant,

habeant, & quod incorporea illa natura corporibus copuletur. Neque enim possibile est, incorpoream naturam illam habere unquam concupiscentiam. Et paulo post: Valde insanus esset, qui comprobaret talia verba dementiæ plena, quod incorporea & spiritualis natura, corporis complexum ferat.

§ 8. Cornelius Agrippa in eo libro, quem adversus Lamiarum inquisitores inscriptum emisit, hanc Chrysostomi sententiam detorquet in illos, qui maleficas mulieres, quod se rem Veneream cum dæmonibus peregisse, fassæ sint, insectantur & puniunt. Quam quidem rem ipse, & certe merito, irridet ceu fabulosam, & à somniis ac imaginationibus delirantium anicularum enatam: quæ quum sæpe dormientes per somnia decipiantur, & interdum quoque vigilantes ex vehementis libidinis imaginatione illudantur, tamen arbitrantur ea vere sibi contigisse, quæ sola imaginatione sunt peracta. Sunt inter veteres & alii Chrysostomo astipulati, inter quos præcipuus Joannes Cassianus Chrysostomi discipulus, in cujus lib. 2. Collat. cap. 8. hæc leguntur: Nullo modo credendum est, spirituales naturas coire cum fœminis naturaliter posse: quoniam si hoc aliquando secundum literam fieri potuisset, quomodo nunc quoque vel frequenter, vel raro idipsum evenire non contingeret, & absque semine vel coitu viri aliquos nasci? similiter de mulieribus conceptum dæmonum cerneremus.

§ 9. Consimilem habet vim id, quod Philostrius Brixiensis Episcopus cap. 108. sui Catalogi adversus hæreses in hunc modum refert. Alia est hæresis, quæ de gigantibus asserit, quod angeli se miscuerint cum fœminis ante diluvium, & inde natos esse gigantes. Sed si quis putaverit angelos ita peccasse transformatos in carne, & in ea remansisse, aut ita factos carnales crediderit, is violenta ratione decernit historiam: sicuti & paganorum & poëtarum mendacia asserunt, Deos Deasque transformatas nefandi conjugia commisisse. Quod si factum est aliquando, & nunc fieri, non erit ambiguum: quod autem non factum est aliquando, nec modo fieri manifestum est. Neque ab his abhorrent, quæ Cyrillus Alexan-
Sermone 1. drijæ Episcopus in eandem fere sententiam disseruit lib. 2. Al-
Ca. 26. q. 5. legoriarum in Pentateuchum. His accedit authoritas Concilii Ancyrani, detestantis insanam opinionem quarundam veneficarum mulierum, asserentium se noctu per longa terrarum spacia ab improbis spiritibus deduci, ubi cum dæmonibus indulgent
variis

variis voluptatibus, epulis & libidinibus, &c.

Semideos, ut alios mortales, fuisse natos: nec hominem, nec perfectum animal absque coitu & semine maris ac fœminæ nasci aut concipi.

CAPUT. XXII.

Ex superioribus apparet, quam absurda sit ac prorsus indigna Christiano Fulgentii sententia, qui, quos Scriptura Nephilim, & Hebræorum theologia Issim appellat, eos & Heroas, & Semideos, & Deos Senones dictos ait, aut quia ob meriti paupertatem cœlo digni non censeantur, nec terreni tamen putentur propter gratiæ venerationem, cujusmodi olim Priapus, Hippo, Vertumnus: aut quia divinis virtutibus, & in humanum genus beneficiis in hac vita præcellentes, post exutum hunc mortalem hominem in Deorum beatorum choros translati sunt, iisdem, quibus olim in hac vita beneficiis ac virtutibus, mortalibus perpetuo providentes: aut quia arcano superum semine procreati sunt, quos ex Deorum sive dæmonum commixtione cum hominibus genitos putant, ideoque mediam quandam naturam sortitos, ut qui nec angeli nec homines sint. *Nephilim. Issim. Semidei quales crediti. Senones.*

§ 2. Etenim non apud Christianos, sed apud Ethnicos numina quædam tantum sunt terrestria, quædam cœlestia tantum, quædam media, quæ Apulejus animalia ingenio rationabilia, & animo passiva, corpore aërea, tempore æterna dicit. Antiquitas autem Medioxumos appellavit, quod velut intercessores Deos minores, hominum autem natura majores esse, & divina quædam munera nobis tanquam *unice* conferre viderentur: ut Æsculapius, Pollux, Castor, Liber, Quirinus, Atlas, & alii, quos Augustinus Steuchus nominavit. Herculem Servius communem Deum utriusque naturæ dicit, medium inter divinitatem & humanitatem. Ex Jove enim & Alcmena natus fingitur, quæ uxor erat Amphitryonis. Hinc cum per Herculem juratur, Mediusfidius jurari solet, quasi medius filius. *Medioxumi Dii.* *Hercules. Aeneid. 8. Alcmena.*

§ 3. Ut autem ex homine Deum nasci, nec divinitatis nec humanitatis patitur ratio, sive ex fœmina & viro simul, sive ex virgine tantum, quemadmodum Sibylla Erythræa dicit, *Deus ex homine non potest nasci. Festus verb. Med. Medius fidius.*

—— ὁ δυνατ' ἀνδρὸς

ἐκ μακρῶν, μάκαρ σὺ, θεὸς πεπυσμένος εἶναι

Nullum animal nisi ex utroque sexu.

sic etiam neque homo neque perfectum animal, nisi ex maris ac foeminæ congressu, vel concipi vel nasci potest. Repugnaret enim hoc non solum ipsi veritati, ac sacrosanctæ religioni nostræ, verum etiam universæ rerum naturæ. Nam profecto in hominibus cæterisque animantibus diversitas sexus & coitio & generatio nullam habent aliam rationem, nisi ut omnia genera viventium, quando sunt conditione mortalitatis obitura, mutua possint successione servari.

Dial. de Repub. 10.

L. 1. ff. solut. matr. Justin. in Nov. de nupt.

Animalia perfecta & imperfecta.

Genes. 1.

August. lib. 21. Sententiarum, Sent. 7.

Gen. 7.

§ 4. Quod si absque coitu sexus utriusque, vel quo alio modo fieri posset, iniquissimas atque ridiculas tulisset Plato leges, qui cœlibatum è sua repub. non solum exterminavit: sed iis etiam, qui non nuberent, mulctas pœnasque constituit. Atque hæc est unica naturalis nuptiarum & ratio & causa, Jureconsulti prudenter inspiciunt. Aristoteles quidem & Theophrastus animalia bifariam generari recte dixere, alia scilicet ex coitu, alia ex terra & putredine. At illa perfecta sunt, hæc autem imperfecta, de quibus hic non loquimur. Etenim Deus in principio perfecta omnia condidit, & hominem quidem & reliqua in speciem suam, hoc est, masculum & foemellam, nullo genere excepto, nec aquatili, nec volatili, nec terrestri. Nam in universali κατακλυσμῷ mundi, licet ipse postea sua virtute denuo quælibet creare potuisset, Noæ tamen ita mandat: Ex omni jumento mundo tolles septem & septem, masculum & foemellam ejus: de jumento vero immundo duo, masculum & foemellam ejus. De volucre quoque cœli septem & septem, masculum & foemellam, ad vivificandum semen super faciem universæ terræ.

Animalia nulla ex se concipere.

Bernicla, anser Scotia.

§ 5. Quare Æneas Sylvius fabulosum esse putat, anseres in Scotia vicina ex arboris fructibus in aquam decidentibus nasci, ut tradit Saxo Grammaticus: licet Guilielmus Turnerus Anglus scribat, hoc anserum genus Berniclam dictum (cujus vel nidum vel ovum nemo vidit) sine parentum opera gigni sponte, quum scilicet ad certum tempus malus navis in mari computruit aut tabulæ aut antennæ abiegnæ, inde in principio velut fungos erumpere, in quibus temporis progressu manifestæ avium figuræ cernerentur: deinde pluma vestitæ, postremo vivæ & volantes: atque id asseri, præter commune omnium gentium littoralium, Angliæ, Hyberniæ, & Scotiæ testimonium, à Gyraldo, qui multo fœlicius, quam pro suo tempore Hyberniæ historiam conscripserit. At idem ille non satis tutum esse vulgo fidem astrui, & Gyraldo ob rei raritatem non credendum subjingit. Quare is ipse, qui Anglus natione, & medicus

pro-

professione erat, Theologum Anglum consuluit; qui verum esse, quod de hujus avis prodigiosa generatione dicitur, affirmavit. Verum in rerum naturalium cognitione potius docto medico ipsi Turnero, quam Theologo fidem præstandam existimarem.

§ 6. Huc pertinet quod de volucre Ephemero tradit Aristoteles lib. 5. de Hist. anim. Hyppanis fluvius apud Cimmerium Bosphorum sub solstitio, defert veluti folliculos acinis majores, è quibus quadrupedes volucres erumpunt. Quod genus animalis in postmeridianum usque diei tempus vivit & volat: mox descendente sole marcescit & languet: deinde occidente, moritur, vita non ultra unum diem protracta: unde Ephemerum, id est diarium appellatum est. *Ephemeros avis.* *Plin. lib. 11. cap. 7. lib. 8. cap. 55. lib. 10. cap. 65.*

§ 7. At prodigiosæ hæ narrationes non semper fidem merentur. Quemadmodum nec id, quod Ovidius tradit, Channem piscem ex seipsa concipere: & quod Archelaus de leporibus, utramque vim singulis inesse, ac sine mare æque gignere: quodque Aristoteles & Alexandri milites sunt commenti, generationem murium lambendo constare, non coitu. Hyænam quoque parere sine mare, vulgus credit, Aristoteles negat. Idem de vulturum fœmellis traditum est. Oves ex terra nasci scribit Sigismundus Baro, &c. in Moschoviæ, & Scythiæ historia. Superat autem omnia hæc mendacia quod dicit Plinius, in Lusitania circa Ulyssiponem oppidum, & Tagum amnem, equas Favonio flante obversas, animalem concipere spiritum indeque partum fieri, & gigni pernicissimum, ita, sed triennium vitæ non excedere: *Plin. lib. 12. cap. 30. Origines in prin. cont. Faustum* *Plin lib. 8. cap. 42.*

Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque leves auras, & sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ:—— *Virg. 3. Geor.*

Atque hæc de animalibus brutis.

§ 8. Quæ si ratio ipsa respuit, ac sacra Scriptura refellit, quanto minus in homine concedenda? Concideret enim summum nostræ fidei fundamentum, abstrusissimumque incarnationis Christi mysterium: &, quod supra naturam operante Spiritu Dei fuit effectum, id natura sibi vendicaret. Sola enim Maria virgo & ante partum & post partum, Christum hominem & Deum sine viro & concepit & peperit, ut supra demonstratum est: nec ulli unquam hoc aut tributum fuit aut tribuetur mulieri: ne forte potentia & voluntas divina prætendatur, cum hæc mendacia passim tradi videmus: veluti Platonem ex virgine, Apollinis phantasmate oppressa na- *Nemo præter Christum ex virgine natus sine viri semine.* *Esaia 7.* *August. cont. Jud. cap. 9.* *Plato.*

Alruna. sanatum: & Gothicas, quas Alrunas vocant, & specie & ingenio spectabiles fœminas, olim Filimeri sive Idanthrysi Gothorum Regis castris egressas, ac per Asiaticæ Scythiæ solitudines oberrantes, à *Hunni,* Faunis & dæmonibus compressas, ac inde procreatos Hunnos fuisse. Se amore captos esse mentiuntur dæmones, ut amentes vicissim fœminas in officio arctius constringant, ardenter animarum perditionem depereuntes.

§ 9. Quod autem non ex mare, sed ex semetipsis concipiunt mulieres, ea est caro informis, inanima, quam molam nos vocamus. Ideo non animatur, quia non est ex duobus: licet quoque neminem *Mola mulierum. Plin. lib. 7. cap. 15. & lib. 10. cap. 64.* vidisse unquam mulierem sine viro vel molam vel ejusmodi quippiam concepisse, asserat Galenus lib. 14. de usu part. Falsissime igitur Simon magus ex virgine se natum jactabat, ut Deum se mentiretur. Falsissime Merlinus, dæmonis & virginis filius habitus, ut infra dicemus. Falsissime Servius Tullus Laris familiaris filius creditus, & reliqui omnes semidei, de quibus diximus. Nam & ipsi mor- *Plin. lib. 37. cap. 37.* tales fuerunt, & patres eorum viri, & matres fœminæ.

Commentum de Martini Lutheri ortu dæmoniaco.

CAPUT. XXIII.

In æstate anni sexagesimiquinti supra sesquimillesimum, Episcopus in celeberrimo famosi oppidi collegio, ad elevandam Martini Lutheri doctrinam, in concione publica hanc de ejus ortu enarravit historiam, quam certe lepidam atque hoc loco dignam negligi minime oportuit, ut videntes videant, & intelligentes intelligant. Diabolus in forma mercatoris & artificis gemmarii Wittembergam venit, ubi apud civem hospitio excipi cupit, quod merces suas preciosas communibus hospitiis credere minus auderet, pro beneficio interim justam pollicitus remunerationem. Cæterum ubi hospitis filiam in amplexus muneribus, blanditiis, aliisque voluptatis irritamentis pellexisset, ejus tandem concubitu fretus, brevi evanuit, nec postea apparuit usquam. Puellæ indies magis ac magis uterus intumuit. Quæ enixura tam horrenda raraque edebat indicia, ut fœtum non legitime conceptum esse, argumentis minime obscuris præsumeretur.

§. 2. Puer adolescens tantum pauco tempore in scholis promovit, ut suos coætaneos & commilitones facile vinceret, vitæ tamen ratione simulata. Inde ex patris instinctu factus monachus,

chus, vim religiosæ virgini (quemadmodum ab eruditis viris, iisdemque non paucis fertur) intulit abjecta cuculla. Romam vero profectus, ut conditionem sortiretur feliciorem, nec ex animo res cederet, incidissetque in sanctiss. patris Papæ & Cardinalium inclementiam, consilio inito cum suo patre, ut ob denegatas preces se ulcisceretur, ab eo consulitur (quod imperitam plebem seductu facilem intelligeret) ut commentariolo orationem explicaret Dominicam, quam cunctos simul Christianos novisse oportet, ut ea ratione sui instituti voto potiretur.

§ 3. Explicationem autem hanc tanto artificio & fastu contexuit, ut non modo vulgaribus, sed & eruditis plerisque, donec fucum animadverterent, commendaretur. Tragicus hic Ursus plebejorum hominum erga se studia videns, longius indies grassari cœpit, tam ore, quam calamo contra Romanæ sedis indulgentias, & quædam ejusdem instituta alia, donec redargueretur, pudefieret & convinceretur: nimisque longum foret enarrare singula: sapienti sat dictum, A doctis omnibus hic Ursus nuncupatur. Nomen ejus, quem digito commonstramus, plus satis intelligitur. Indignum etenim, ut ille in verbi Domini cathedra nuncupetur. In summa, fons est & origo universæ hæreseos, in cujus extirpationem Concilium hoc sanctum tam diu incœptum, & agitatum: nunc tandem cum utilitate non exigua absolutum esse, merito acceptum Deo ferimus.

§ 4. Historia catholica de statu religionis nostri temporis Gallice conscripta, authore S. Fontaino Theologiæ Doctore, tradit quoque probabilem esse opinionem, literarum monumentis propagatam: Margaritam videlicet Lutheri matrem ex diaboli coitu concepisse, qui aliquoties ante cum ea fuisset congressus, quam Joanni Luder matrimonii fœdere jungeretur.

§ 5. Lutheri profecto Doctrinam aliis veritatis machinis impugnare & convellere oporteret, non ejusmodi figmentis, alioqui vulgus intelliget. Siquidem crassum nimis hoc commentum est de tali dæmonis concubitu, quum ex descripta ejus vita omnibus constet, natum fuisse anno 1483. die 10. Novembris, nocte post horam undecimam, Islebiæ sub imperio Comitum Mansfeldensium, ex patre minime obscuro Joanne Luthero, viro Patricio, & hujus pudica conjuge Margarita matre: atque Martini nomen ei impositum, quod dies proximus, quo per

baptismum Ecclesiæ initiarent infans, Martino sacer esset.

Cur ex Diis ac virginibus homines nasci confictum sit, & qua ratione spiritus ac Dii cum mulieribus coeant, historiis aliquot docetur.

CAP. XXIV.

Cur sine viri coitu, multi nati fingantur.

CONFICTA autem & excogitata fuerunt illa ab hominibus & antiquitus, & nostro seculo, vel per adulationem, ad Principum ac potentum familias illustrandas ac evehendas: vel per pudorem, ad obscuritatem generis aut natalium turpitudinem tegendam: vel per timorem, ad stupra mulierum aut adulteria celanda: sicut & felicibus ex veteri proverbio, sunt trimestres partus, & ut Suetonii verbis utar, patrem Claudii Cæsaris Drusum, olim Droimum, mox Neronem prænomine, Livia, quum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit, fuitque suspicio ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est versus, τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. Vel etiam conficta fuerunt hæc per artem, ad libidinem quorundam explendam, qui plerunque sunt aut lascivi juvenes, aut ociosi sacerdotes, & formæ & varietate mulierum templa frequentantium capti. Jovem hoc pacto Danaæ misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum. Et Chærea consimilem jam olim lusisse se lusum ait, Deum sese in hominem convertisse, atque per alienas tegulas venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri. At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit. Ego homuncio id non facerem?

In vita Claudii Cæsaris.

Imber aureus Jovis. Terent. in Hecyra.

Josephus Ant. Jud. XVIII. 4.

Paulinæ probitas.

§ 2. Patebit hoc optime ex hac elegantissima Josephi historia. Circa Christi tempora etiam Romæ, in sacris Isidis, summa turpitudo deprehensa est. Erat Romæ Paulina, mulier non minus probitate morum, quam natalium claritate illustris, adhæc opulenta & formosa, ut quæ esset in ipso ætatis flore, sed inprimis ornata pudicitia. Nupta autem erat Saturnino, viro tali conjuge dignissimo. Hujus amore captus est Decius Mundus, juvenis non obscurus in equestri ordine: & quia major erat fœmina, quam quæ corrumpi posset muneribus, eo magis accendebatur amantis insania, ita ut offerret ei pro unica nocte ducenta drachmarum millia. Ac

D. Mundi amoris impotentia.

Amoris vis, ac precium.

ne sic quidem valens eam flectere, non ferens amoris impotentiam, decrevit morbum simul & vitam finire inedia. Hoc ejus propositum non fefellit Iden, libertam Mundi paternam, variis instructam, sed non probatis artibus: quæ indigne ferens obstinationem juvenis, blanda oratione conventum animare conata est, spem ei faciens, effecturam se, ut potiatur Paulinæ complexibus. Cumque ille preces ejus libenter acciperet, ait sibi opus quinquaginta tantum drachmarum millibus ad expugnandam mulieris pudicitiam. Ita refocillato juvene, & accepta, quantam petierat, pecunia, novam doli viam ingressa est, videns Paulinam non capi pecuniis. Sciens porro, eam vehementer addictam Isidis cultui, tale quiddam comminiscitur. Conventis aliquot ex ejus sacerdotibus, accepta fide silentii, & quod efficacissimum est, ostentato præmio, in præsens XXV millibus, & alteris totidem post navatam operam, indicat eis amorem juvenis, rogans, ut omnibus modis adnitorentur eum reddere voti compotem. Illi auri cupidine tacti, benigne sunt polliciti: quorum natu maximus propere se ad Paulinam contulit: & admissus impetratoque absque arbitris colloquio, venire se ait missum ab Anubide, capto ipsius forma, & jubente, ut ad se veniat. Illa libenti animo accepit nuncium: moxque jactabat se apud familiariter notas mulieres, quod dignata sit amore Anubidis: marito quoque indicat, condictam sibi cœnam & cubile Anubidis. Id eo facilius concessum est, quod cognita & probata esset viro conjugis pudicitia. Itaque in templum proficiscitur, & post cœnam instante somni tempore inclusa per sacerdotem, tenebris conciliantibus in latentem ibi Mundum incidit, totamque eam noctem obsecuta est juveni, Deo se gratificari existimans. Eo deinde abeunte, priusquam sacerdotes doli conscii surgerent, Paulina mane ad maritum reversa, congressum cum Anubide prædicat, & idem apud amicas quoque magnificis verbis exaggerat. Illis nec credere libebat, rei naturam considerantibus: nec mirari tamen non poterant, ob insignem mulieris pudicitiam. Die deinde post rem patratam tertia, Mundus adamatæ forte fortuna obvius: O factum bene Paulina, inquit, quod & ducenta illa millia mihi servasti, quæ potuisti tuis facultatibus addere, & morem nihilominus meæ voluntati gessisti. Nihil enim mea refert, quod Mundum contempsisti, quandoquidem prætextu Anubidis optata voluntate expletus

Falso religionis usu lenocinatur Isidis lenonum.

Juvenis pro Deo coit.

sum: atque his dictis abiit. At mulier tum primo deprehenso flagitio, vestem sibi lacerat: & re tota ad maritum delata, obsecrat ne tam insigne ludibrium impunitum sinat. Maritus porro Imperatori totum significat. Tiberius, postquam accuratissima inquisitione didicit omnia, sacrificos illos impostores in crucem egit: unaque Iden, inventricem hujus sceleris, cujus præcipua opera fuit in corrumpenda mulieris pudicitia: dirutoque templo, statuam Isidis jussit mergi in Tiberim. Mundum autem mitiore pœna exilii castigasse contentus est, crimen ejus in Cupidinis impotentiam referens.

Lenocinii pœna.

Eccl. hist. x I. 25.

Deorum libidines per sacerdotes exercentur.

§ 3. Eusebius non minus notabile refert Saturni adulterium. Sacerdos Saturni, Tyrannus nomine, quasi ex responso numinis, adorantibus in templo nobilibus quibusque & primariis viris, quorum sibi matronæ ad libidinem placuissent, dicebat, Saturnum præcepisse, ut uxor sua pernoctaret in templo. Tum is, qui audierat, gaudens quòd uxor sua dignatione numinis vocaretur, exornatam comptius, insuper & donariis onustam, ne vacua scilicet repudiaretur, conjugem mittebat ad templum. In conspectu omnium conclusa intrinsecus matrona. Tyrannus clausis januis, & traditis clavibus, discedebat. Deinde facto silentio per occultos meatus & subterraneos aditus, intra ipsum Saturni simulachrum patulis irrepebat cavernis. Erat autem simulachrum illud à tergo excesum, & parieti diligenter annexum. Ardentibusque intra ædem luminibus, intentæ supplicantique mulieri vocem subito per simulachrum æris concavi proferebat, ita ut pavore & gaudio infelix mulier trepidaret, quod dignam se tanti numinis putaret alloquio. Posteaquam vero, quæ libitum fuerat, vel ad consternationem majorem, vel ad libidinis incitamentum disseruisset numen impurum, arte quadam linteolis obductis, repente lumina extinguebantur universa. Tum descendens, obstupefactæ & consternatæ mulierculæ adulterii fucum prophanis commentationibus inferebat. Hæc cum per omnes miserorum matronas multo jam tempore gererentur, accidit quandam pudicæ mentis fœminam horruisse facinus, & attentius designantem cognovisse vocem Tyranni, ac domum regressam viro de fraude sceleris indicasse. Ille de injuria conjugis, immo potius sua, ardentius inflammatus, inscriptum Tyrannum ad tormenta deducit. Quo convicto atque confesso, cæcisque fraudibus revelatis,

Fucus sacerdotum in adulteriis.

latis, pudor omnis & dedecus Paganorum pervaserat domos, adulteris matribus, incestis patribus, liberis spuriis deprehensis.

§ 4. Hinc existimare possumus, ac dignoscere, quomodo matrona Romana fuerit à Marte compressa. Cujusmodi multa Valerius Max. & alii historici referunt. Fuit hæc fraus semper usitata sacrificis, ut hac de causa simulachra deorum, ipsosque deos & comedere, & bibere, & coire fingerent. Nota est historia apud Danielem, de sacerdotibus Bel septuaginta, qui, cum ea, quæ Belo proponerentur, tam constanter eum ipsum consumere affirmarent, ut sanctum Dei Prophetam in discrimen vitæ adducerent, ostium fani Regem obsignare patientes: eos tamen sub mensa occultum aditum habuisse, ac per eum cum uxoribus & liberis ad Dei pateras exhauriendas patinasque evacuandas venisse, ex vestigiis ille summa prudentia deprehendit, Regique demonstravit. Quæ sagacitas quam nostris etiam temporibus utilis, atque adeo necessaria esset, Aureliana Necromantia docet, & Christi divæque virginis apud Bernates colloquium monachorum arte confictum, de quo supra dictum est.

Sacerdotes semper pro Deo suo comedunt & coeunt. Daniel. 14.

Vide lib. 5. ca 15. infra. Lib. 3. cap. 18.

De mutua maleficarum commixtione.

CAPUT. XXV.

Quia superiori Capite satis deteximus illos Deos, qui formosissimas quasque matronas sub religionis specie in complexus suos sibi deposcebant olim: videamus jam, quinam sint dæmones, à quibus maleficæ subagitari se vulgo jactant. Quod etsi possem exemplis nostri temporis, nostrarumque partium, etiam in virginibus sanctissimæ, nostra opinione, pudicitiæ demonstrare: tamen quod odiosa sint, iis prætermissis, unum ab exteris sumemus, quo nihil esse potest ad vanitatem falsitatemque dæmoniaci coitus probandam accommodatius, nihil illustrius.

§ 2. Joannes Leo Africanus testatur, in Africa Fessæ maleficas esse, quæ videri volunt habere summam cum dæmonibus familiaritatem: dæmones autem vel rubros vel albos vel nigros appellant: atque ubi alicujus fatum eloqui volunt, certis odoribus semetipsas suffiunt & affirmant eum tum se recipere dæmonem, quem accerserunt: inde mutata voce dæmonem in se loqui fingunt. Tum, qui rei alicujus explorandæ gratia venerunt, jam magna cum reverentia sciscitantur ex illis, & tandem numerato dæmoni precio

Li. 3. descrip. Afric.

discedunt. Verum, qui sanioris sunt judicii, mulieres has Sahacat, quod Latinis Fricatrices sonat, recte appellant, quod damnando more soleant Venerem inter se exercere: dicerem honestius, si possem. Si quando formosæ mulieres eas adeant, maleficæ earum amore non secus atque adolescentes puellarum accenduntur, & in dæmonis specie rogant, ut concubitum pro mercede patiantur. Ita fit, ut dum se dæmoniorum dictis paruisse putant, rem cum maleficis habuerint.

§ 3. Neque desunt, quæ ejus rei voluptate allectæ, maleficarum consortium ambiant, & morbum fingentes, unam earum ad se vocent, vel miserum eo mittant maritum: quæ re intellecta, mulierem à dæmone quodam vexatam affirmat, eamque ob causam nullo modo liberari posse, nisi se illarum adjunxerit numero. His verbis miser ille tandem victus non modo permittit id, sed & maleficarum ordini sumptuosum parat convivium: quo absoluto, ad tympanorum strepitum mirum in modum saltare solent, deinde uxorem Diis ventisque committere. Reperiuntur tamen, qui vel minimo negocio fustibus hunc dæmonem ejiciunt. Alii dæmonio se obsessos fingentes, non alio modo maleficas illas decipiunt, quam quo illorum uxores sunt deceptæ. Sic ars eluditur arte. At vide quanta interim misero diabolo fiat injuria tam facto quam dicto, dum & id illi criminis imponunt, quod non committit: & eam voluptatem ipsæ sentiunt solæ, cujus illum participem esse prædicant.

De vanitate Seminis per succubum & incubum transfusi.

CAP. XXI.

De eodem dæmone succubo & incubo absurdum quorundam Theologorum argumentum. Volum. 10. tract. de sortil. 7. quæst. num. 14.

PECULIARE vero dæmonis prius cum viro, deinde cum muliere congressus figmentum commentantur nimis imprudenter, ac argumentantur absurde admodum plerique Theologi (ut Mallei maleficarum architecti, Henricus Institoris & Jacobus Sprenger ordinis Prædicatorum, sacræ paginæ doctores & hæreticæ pestis inquisitores, ejusdem item ordinis Petrus de Palude, atque Martinus de Arles Theologiæ Professor, ac hujus farinæ alii) eundem scilicet dæmonem viri scelerati prius succubum, effici mulieri deinde incubum: semenque viro antea ademptum, mulieris inde sinui in ipso actu instillari, atque hinc fœtum concipi, progignique.

§ 2. Quem tamen Grillandus ait non dicendum filium dæmonis, sed

nis sed ejus, cujus erat sperma: itaque affirmare communiter Theologos, S. Thomam in tract. qq. 1. parte, tit. de miraculis. q. 8. vers. ad primum. (In Augustino vero, quem citat, nihil ejusmodi reperi.) Proinde, dum ad choreas translatæ sunt uxores, Satanam alium dæmonem in forma succubi marito substernere, qui adeo bene se accommodet coire volenti, ut etiam callidissimum quemque falleret: ut ait Thomas d. titul. q. 5. Næ id ridiculum nimis videtur, quam quod multis debeat confutari argumentis.

§ 3. Hoc solummodo dicam: illam seminis ex sanguine & spiritu humano temperiem generationi aptam in ordinatis à Deo locellis, extra propria conceptacula, qualicunque præcipue translatione corrumpi & interire: propterea quod spiritus ac calor ille cordis totiusque corporis nec adsit, nec quantitate & qualitate justa sit in eo temperatus. Quamvis eam temperiem à dæmone conservari posse nugetur Thomas, tum propter motus celeritatem, tum fomenta adhibendo, quibus illa defenditur. Si enim hoc fieri posset, quam fœcunda monstrorum mater tam longo tempore extitisset humanum genus, semine ex feris vel bestiis permutato, translatoque ab incubo dæmone, & mulieris sinui infuso? En horribilem consequentiam.

§ 4. Hinc vides, quam omnino non sit credendum Alberti Scholiastæ, qui quasi per somnum sic scribit: Si semen emissum ad terram, poneretur ad matricem, possibile esset, quod conciperet: & sæpius contingere, quod in balneo, ubi vir sperma emittit, muliere præsente, ipsa tanquam in coitu concipiat, quia matrix est maxime attractiva, & semen adhuc vigens, nec exhalatione impotens, atque ideo fœtum produci posse, idque experientia comprobatum esse. Nam si semen super salviam effunderet felis, atque salviam hanc aliquis comederet, tum ex illo semine generarentur in viri ventre feles, per vomitum expellendi. Absurdiora hæc sunt, & mendaciora, quam ut longiori refutatione indigeant. *Lib. de Format. hom. ca. 1. de Gener. embryi.*

§ 5. Idem sit responsum fœminæ habitanti in vicinia Averrois, qui scribit eam jurejurando confirmasse, quod infantem conceperit semine profuso à lasciviente mastupratore, & in balneo attracto: quemadmodum & Hebræi nugantur eodem modo natum Benayram virum doctissimum & sapientissimum ex filia Hieremiæ prophetæ. Ejusdem erit fidei & illud ancillæ Reginæ Tanaquilis Ocrisiæ, *Lib. collig. ctorum.*

quæ

Livius li.1. Plin.li.36. cap.37. Servius Tullus Laris fil. & servi. Plinius x.33. Falsa de perdicibus.

quæ Tarquinio Prisco regnante, jactabat sibi repente in foco comparuisse genitale è cinere masculini sexus, seque insidentem ibi consurrexisse gravidam, & ita Servium Tullum natum, qui regno successit. Ejusdem profecto vanitatis illud Plinii de perdicibus, licet ab Aristotele videatur transcripsisse, ex lib. 5. de hist. anim. cap. 5. Neque in animali alio par opus libidinis. Si contra mares steterint fœminæ, aura ab his flante prægnantes fiunt. Hiantes autem exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntque supervolantium afflatu, sæpe voce tantum audita masculi.

De sylvanis, faunis, & Satyris.

CAP. XXVII.

De Civit. Dei, xv.23. Lib.1. quæstionum super Genesim. qu. 3.

Nec dubium est, alios mihi Augustinum hic de incubis dæmonibus objecturos, ita scribentem: Quoniam creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis, qui experti essent (de quorum fide dubitandum non est) audisse confirmant, Sylvanos & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus, & earum appetisse ac peregisse concubitum: & quosdam dæmones, quos Galli Dusios nuncupant, hanc assidue immunditiam & sentire & efficere, plures talesque asseverant, ut hoc negare impudentiæ videatur: non hic temere aliquid audeo definire, utrum aliqui spiritus, elemento aëreo corporati (nam hoc elementum etiam cum agitatur flabello, sensu corporis tactuque sentitur) possint etiam pati hanc libidinem, ut quo modo possunt, sentientibus fœminis misceantur.

§ 2. Hæc parum aut nihil facere contra nos, intelliget is, qui cum nostris rationibus supra adductis, exactius singula discusserit expenderitque. Quæ insuper rumore acceperit ille, duntaxat recenset, nec certi aliquid statuere audet. Et si demus, spiritus aliquos elemento aëreo corporatos esse: minime tamen hinc sequetur, ab aëreo corpore, cum eo, quod contemperata quatuor elementorum permixtione consistit, naturalem, vel similem ei, qui inter paria, terrena magis contemperatione imbuta contingit corpora, exerceri congressum. Aërem tales spiritus adferunt, aërem agitant, aërem verberant. In ejusmodi actu præter alia commoda organa, requiritur caro & sanguis, quibus spiritus carent. Reliqua itaque erunt ludibria à dæmone objecta, confirmataque vitiosa mulieris dementatæ phantasia. Quare præponderet hic ratio, & veritatis robur.

§ 3. De

§ 3. De Satyris illis salacibus, qui etiam obtruduntur, & eandem cum Sylvanis & Faunis rationem habent, an quoque veri fuerint dæmones, quid in Atticis scripserit Pausanias, breviter adjiciam. Equidem, ait, de Satyris quinam sint, ut aliquid certius, quam ab aliis traditum sit, cognoscerem, singula ex multis sum percunctatus. Euphemus Cartandem, vir non ignobilis, hæc mihi recensuit: se, cum in Italiam navigaret, ventorum impetu in extremas Oceani oras delatum: ibi multas esse insulas desertas, quæ ab hominibus agrestibus incoluntur: ad illas insulas appellere nautas noluisse, quoniam antea in eas appulsi, à quibus tenerentur incolis, non ignorarent: sed tunc etiam præter eorum voluntatem tempestate eo adactos. Insulas à nautis Satyrides appellari. Incolas ruffos esse, & caudas non multo equinis minores, infra clunes habere. Hos, ubi primum hospites sensissent, evestigio nulla edita voce ad navim cucurrisse: ac mulieribus, quæ in navi erant, manus injecisse. Nautas vero pavefactos, mulierem barbaram in insulam exposuisse: in quam satyri irruentes, non tantum eam, quæ natura viris exposita est partem, sed aliam quamlibet petulantissime appetivisse. *Satyrides insulæ. Satyri.*

§ 4. De satyro quoque animali hæc scribit Ant. Sabellicus: Ex Athenis Sylla per Thessaliam & Macedoniam ad mare descendit, mille & ducentis navibus ex Dyrrachio Brundusium transmissurus. Proxima est Dyrrachio Apollonia, & circa hanc Nympheum. Sacer ibi locus virenti colle ac pratis, quæ fontes multifariam irrigant. Hic sub id tempus, quo Sylla eo cum exercitu venerat, Satyrum, animal humano ore, atque ea forma, qua pingitur, somno pressum, atque ita captum, locorum accolæ ad Syllam vinctum perduxerunt. Ibi haud una voce interrogatus, quis esset, multisque variarum linguarum peritis ad hoc ipsum adhibitis, tantum vociferatus dicitur: voxque aspera ex eo profecta, inter balatum & hinnitum media. Sylla religione tactus, datis comitibus, qui eum in solitudinem deducerent, missum fieri imperavit. *Satyrus. Lib. 3. Ennead. 6.*

§ 5. Animalia etiam fuisse, quæ Satyri dicerentur, scribit Hieronymus in vita Pauli primi heremitæ: eosque locutos esse, & rationis officia peregisse. Refert quoque, Satyrum quempiam Antonium quondam allocutum fuisse, & gentilium errorem in se colendis animalibus damnasse: affirmatque unum vivum olim productum in publicum, & mox ad Constantinum principem destinatum. His addit tamen, diabolo facillimum esse Satyri imaginem & no-

men assumere. Apud Strabonem inde legimus de Satyris, Silenis, Bacchis & Tityris, quos, inquit, dæmonas quosdam deorumque ministros Cyrretas nuncupant.

Incubi illusionem infestare quandoque probas etiam matronas, cum ridiculo exemplo adulterini congressus dæmoniaci

CAP. XXVIII.

Tract. de Superstit. *Illusio incubus aliis quoque mulieribus probis accidit.*

NEC solum, inquit Martinus de Arles Theologus, apud maleficas, sed & circa alias probas mulieres accidit hæc incubi illusio. Nam ex sacerdotis cujusdam relatu accepi, hoc tempore ipsi in confessione revelatum fuisse à quadam proba muliere nupta, cui sæpe in somnis videbatur, se revera super jumenta equitare per campos cum aliis: atque ita evagando super aquam, coire hominem cum ea, & intensam in actu se persentire voluptatem: & hoc sæpe ei accidisse phantastice, illusione dæmonis, manifestum est.

§ 2. Unde Augustinus super Genes. Illa enim, quæ accidisse, ut quidam recordarentur, in quorundam animalium corporibus aut falsa facta narrarentur, aut illusionibus dæmonum, hoc in eorum animis factum est. Si enim contigit, ut quis in somnis fallaci memoria recordaretur, se aliquid fuisse, quod non fuit, aut fecisse, quod non egit: quid mirum est, si quodam justo Dei occultoque judicio sinantur dæmones in cordibus hominum tale aliquid posse? Hæc ille.

Adulterini congressus illusio diabolica.

§ 3. Delusorii exemplum adulterii his accedat, apprime ridiculum. Mercatoris cujusdam uxor circiter sex vel septem miliaria à Wittemberga, Silesiam versus, absente negotiationis causa marito, peculiarem solet admittere concubinum. Contigit itaque marito peregre agente, amasium noctu redire: & post curatam cuticulam venereamque peractam velitationem, ut videbatur, hora matutina specie picæ assumpta momento, concubinum insidere promptuario, ac concubinæ his verbis valedicere: Hic tuus fuit amasius. dictoque citius evanuisse, nec rediisse unquam. Quanquam Wittembergæ ab Ecclesiaste id acceperit insignis doctrinæ vir IOANNES LITHODIUS, medicus excellentissimus, ac collega mihi singulari necessitudine conjunctus: mihi tamen nugæ sunt.

Ioannes Lithodius, medicus.

In collat. patrum.

§ 4. Nullo ergo modo, rite credendum esse, dixit Cassianus, spiri-

ſpirituales naturas cum fœminis carnaliter coire poſſe. Nam ſi hoc aliquando poſſet fieri, quomodo nunc vel nunquam vel raro videremus, aliquos ex eorum concubitu de mulieribus abſque virili ſemine naſci: cum præſertim conſtet, eas libidinum ſordibus delectari admodum, quas proculdubio in ſemetipſas potius, quam cum hominibus exercere mallent, ſi illud ullo modo effici poſſet? Nec item immerito doctiſſimo philoſopho & medico Julio Scaligero libet cum ſtomacho excipere, quæ de dæmonum coitu Pſellus effutiit. Quare cum Jamblicho concludamus: Quæ faſcinati imaginamur, præter imaginamenta nullam habent actionis & eſſentiæ veritatem.

Li. 16. de Subtilitat. Card. Exer. 355. Lib. de Myſteriis.

Commixtionis diabolicæ figmentum comprobantes hiſtorias omnes eſſe fabuloſas.

CAPUT. XXIX.

HINC conſtat cunctas quorumcunque hiſtoricorum enarrationes, commixtionis ejuſmodi phantaſticæ & diabolicæ figmentum comprobantes, ut fabuloſas, ab omni veritate excidiſſe, optimoque jure peſſum Ire: & vel ab aliis primum fuiſſe chartis illitas, vel ex aliorum relatu à facile credulis deinde falſo tranſcriptas, & ad poſteritatem traductas: quarum aliquas, ne ſilentio eas ſepeliiſſe ſtudio videar, hoc loco dignabor.

Incuhum dæmonem approbantes hiſtoriæ omnes fabuloſæ.

§ 2. Hanc deſcribit fabulam Boëthius hiſtoricus. In Marrea regione, uti ex iis, qui fœdiſſimam rem conſpexerant, accepimus, puella natalibus altis, forma conſpicua, complurium nobilium averſata connubium, in infandam cum cacodæmone incidit conſuetudinem. Quæ, cum uterum ferret, parentum rigore coacta edere ſtupratorem; adoleſcentem mira pulchritudine frequentius ſecum noctu, interdiu nonnunquam conveniſſe: unde veniſſet, quove inde abiiſſet, neſcire ſe reſpondit. Parentes, etſi filiæ parum crederent, accuratius rem advertentes, conſilio, quis eſſet, qui puellæ expugnaſſet pudicitiam, explorandi, cognito tertio poſt die, indice ancilla, ſtupratorem adeſſe, reſeratis foribus, accenſoque tædarum ingenti numero, cubiculum ingreſſi, horrendum monſtrum, figura ſupra humanam fidem terribili, in filiæ amplexibus ſunt conſpicati. Cucurrêre ocius complures ad fœdum acciti ſpectaculum. Inter eos ſacerdos probatæ vitæ, nec ſacræ diſciplinæ ignarus, cæteris aut trepide abeuntibus, aut pavore

Lib. 8. hiſtor. Scot.

illisis terræ, quum Johannis Euangelii initium recitare orsus, ad eum locum, Verbum caro factum est, perduxisset, malus dæmon horrendo sublato clamore, cubiculi tectum secum asportans, omni supellectili incensa abiit. Fœmina periculo servata, post triduum enixa est monstrum undequaque fœdum aspectu, quale nusquam antea, ut ferunt, inter nostrates visum: quod obstetrices, ne in familiæ dedecus servaretur, extructa ingenti pyra, citissime exusserunt.

Psyches velitatio venerea cum Cupidine. Li. 5. de Asin. aur.

§ 3. Huic simile admodum est, quod de Venerea Psyches velitatione, cum formoso deo Cupidine, qui aliis venenatus serpens, & sævissima bestia dicebatur, scribit Apulejus. Quare etiam eandem veritatis opinionem jure meretur.

Lib. 8. hist. Scot.

§ 4. Ejusdem fidei historiam quoque aliam recitat idem Boëthius. Anno Christianæ salutis sexto supra octogesimum, millesimum & quadringentesimum, navigantibus è Porthea æstuario negotiationis causa in Flandriam, tanta ventorum oborta est vis, ut velis, malo, armamentisque ruptis, & navi fœde inter tumentes undas jactata, certissimam mortem cuncti expectarent. Navicularius tantam tamque insolitam aëris inclementiam eo tempore demiratus (suberat enim solstitium æstivum) quum id, non sideri, sed malorum dæmonum, qui hominibus semper sunt infesti, insidiis magnis, tribueret clamoribus: reddita est vox ex ima navi mulieris se misere incusantis, quod incubo humana sub effigie, qui cum per multos ante actos annos habuisset consuetudinem, jam tum fuisset commixta, & ab eo subacta: mari ergo celerius se tradendam, ut ipsa pereunte, quæ tanti mali imminentis causam præstitisset, cæteri Dei benignitate permanerent incolumes. Accedens ad lachrymantem fœminam, jubente naviculario, sacerdos, ejus atque cæterorum saluti consulendi causa, crimen jam palam fatentem, horrentem scelus vehementer alto pectore suspiriis indicibus, pœnitentemque facti, pie est hortatus, ne sibi deesset, cui certo cognosceret numinis favorem adesse, crimina lachrymis ac animi pœnitudine deleri: tantam miserentis Dei clementiam esse erga mortales, ut altius vel in malorum profundum lapsos, resipiscentes nonnunquam ad majorem longe, quam unquam antea habuissent gratiam, recipiat. Media pii sacerdotis adhortatione, quum multis suspiriis afflicta mulier admissum facinus deploraret, cunctis visa est atra nubes è navis sentina prosiliisse, ingentique sono, flamma, fu-

Si verum hæc sit, potuit illa incubum in somno pati imaginarium: & ut cautius omnes illuderentur, eam post à dæmone fuisse excitatam nubeculam, cum sono & fœtore certum est. Hoc item dæmoni studio fuit, ut illa innocens in mare præcipitaretur.

ma, fumo atque fœtore sese dejecisse in mare. Sedatum est inde cœlum, pacatumque mare, & negotiatores cum navi cunctis suis rebus salvis in optatum portum abière.

De Merlino, cygno naviculam aurea trahente catena; cygnea turri Clivensi, phantastica conjuge, & reliquis satanici concubitus exemplis.

CAP XXX.

IDEM Boëthius, constantem fuisse famam inquit, Merlinum ex incubi & nobilis Britannici sanguinis fœminæ concubitu genitum esse. Hinc quilibet palam videt, quantum hisce miraculis apud historiographos fidei debeatur. Ut autem rerum mendacium collatione clarius eluceat veritas, ridicula illius superstitiosæ ætatis commenta de Merlino, velut de cygno quoque, illinere ex Vincentio non pigebit.

§ 2. Ab eo narratur, Vortigernum regem consilio capto, quid ad sui tuitionem facere deberet, jussisse acciri artifices, qui turrim fortissimam extruerent. Sed cum eorum opera tellus absorberet, suasum est regi, ut hominem sine patre inquireret, cujus sanguine lapides & cementum conspergerentur, quasi eo modo stabile redderetur cementum. Inventus igitur adolescens Merlinus nomine, qui cum matre adducitur coram rege, quæ illum ex spiritu in hominis specie conceptum esse fatetur. Merlinus hic multa obscura revelavit, & futura prædixit. Aperuit enim, sub fundamento esse lacum: sub lacu duos latere dracones, quorum unus rubeus populum Britonum, alter vero albus Saxonum designaret: & uter eorum in conflictu alterum superaret, vaticinatus est: atque Aurelium Ambrosium, devicto Hengisto, & combusto Vortigerno, regnaturum. Ex Rachele item matre adhuc virgine se natum fuisse jactabat mendaciter Simon magus, ut Deum se mentiretur.

Hist. XXI. 30. *Merlini historia vel fabula.* *Clem. lib. I. Recog.*

§ 3. Ex Helinando insuper Vincentius hæc refert: In Coloniensi diœcesi famosum & immane palatium Rheni fluminis supereminet, Juvamen nuncupatum: ubi pluribus olim congregatis principibus, inopinato advenit navicula, quam collo alligatam cygnus argentea trahebat catena. Inde miles novus & incognitus omnibus exiliit, cygnusque navem reduxit. Postea uxorem duxit miles, liberosque procreavit. Tandem in eodem palatio, residens, & cygnum inspiciens adventantem cum eadem

Lib. 3. cap. 27. *Juvamen.* *Cygnus naviculam argentea trahens catena.*

navicula & catena, statim in navem se recepit, nec visus est amplius: progenies autem ejus in hunc usque diem persistit.

§ 4. Hoc exemplo, spirituum quoque fieri cum fœminis congressum, defenditur: & ex eo figmento in arce Clivensi) ubi & altissima turris vetusta conspicitur, Cygnea nuncupata, in cujus fastigio cygni simulachrum volvitur) antiquissimis tapetis intexto, originis illustrissimorum Ducum Clivensium vetustatem deducunt: quemadmodum potentissimorum regnorum & clarissimarum familiarum initia ejusmodi adornari lenociniis solent, ut divini aliquid iis inesse, citius persuaderetur. At commentum ipsum arguit vera ortus hujus illustrissimæ domus historia.

Cygnea turris Clivensis.

Obscura clariss. familiarum initia.

§ 5. Ex Gaufrido Antisiodoro ejusdem fidei miraculum, lib. 3. idem ille Vincentius scribit, narrans decanum *quendam sacerdotum*, cum sorore Ducis Burgundiæ, Regi Siciliæ Rogerio desponsata, aliquandiu in eo regno inhabitasse, qui se rem ibi comperisse admirabilem certissime affirmaret: Juvenem videlicet quendam strenuum, & natandi peritum, circa noctis crepusculum lucente luna in mari balneasse, & mulierem post se natantem crinibus apprehendisse, tanquam ex sociis aliquem, qui eum mergere vellet. Quam alloquens, ne verbum quidem extorquere potuit: quare opertam pallio, domum duxit, & tandem in uxorem solenniter accepit. Increpatus aliquando à socio, quod phantasma amplexus fuisset, expavescens, gladio extracto conjugi minitabatur, se filium, quem ex ea susceperat interfecturum, nisi ipsa loqueretur, suamque fateretur originem. Quæ, Væ, inquit, misero tibi, utilem perdis uxorem, dum me effari cogis. Tecum mansissem: ac in rem tuam esset, si injunctum mihi silentium permisisses. Nunc autem me posthac non videbis: & evestigio evanuit. Puer autem adolevit, & marinum cœpit frequentare balneum. Tandem die quodam coram multis puerum in eisdem fluctibus occurrentem rapuit phantastica illa mulier.

Cap. 26.

§ 6. Ulricus Molitor LL. Doctor, puerum hunc dæmonem fuisse in pueri forma apparentem, & matrem succubam, dæmonium scilicet, arbitratur: militem item incubum, & Merlinum ex matre delusa dæmonis artificio suppositititum. At mihi fabulæ erunt, quibus bonas horas male nimis seculo illo cæco impenderunt plerique, chartulisque phantasmata pro rebus gestis ad posteritatem transtulere.

In tract. de Lamiis & Pythonicis.

§ 7. De

§ 7. De dæmone item succuba, gratissimæ omnium formæ adolescentem infestante, memorabilem quoque ex Boëthio historiam postea comperies. Hieronymus adhæc in Vitis patrum narrat, monachum quendam à dæmone in mulieris venustissimæ forma, ad obscœnos invitatum fuisse amplexus: qui sua inclinans membra, effectus est sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Atque, ubi jam carnalem conaretur inire amplexum, illa teterrimæ vocis ululatum emittens, umbra, ut erat, tenuis & phantasma inter manus amplectentis elabitur, ipsumq; miserum cum fœdissima irrisione deserit.

§ 8. Magdalenam civis cujusdam famulam, scribit Jacobus Ruffus, nostra memoria Constantiæ fuisse compressam à dæmonio, eique tandem per pœnitentiam valedixisse ex institutione ministrorum Ecclesiæ: ac postea tantos in utero sensisse cruciatus, ut in singulas fere horas infantem se crederet enixuram: inde clavos ferreos, ligna, vitra confracta, crines, stuppam, lapides, ossa, ferrum, & hujusmodi innumera, ex matrice excrevisse. *De Concepti. homin. v. 6.*

§ 9. Mea autem est sententia, Magdalenæ phantasiam fuisse Venereæ commixtionis opinione à diabolo illusam: deinde ab eodem excitatos illos dolores, ut certius illum cum ea congressum fuisse crederetur, quod tamen falsum erat. Ut deinde conceptam augeret opinionem, subjecit sub dole res illas prodigiosas, quas in matrice non fuisse (quemadmodum ea etiam, quæ ore rejiciuntur, in imo corpore non fuere) non est, quod hic pluribus comprobem: quum eadem sit ratio. Nam quum omne semen suum simile procreet, quomodo ex semine in ea coitione fuso, tales potuerunt generari materies? Sed absurdiora sunt hæc, quam ut fusiorem requirant confutationem: sequenti quoque Libro abunde id docebitur. Enimvero, si in utero hæsissent, proculdubio hic non modo læsus, sed insigniter dilaceratus fuisset, quum essent materies duræ, asperæ, inæquales, acutæ, & quidem copiosæ. Illa quoque inspecta, modo virum non admisisset, hymen certissime apparuisset inviolatum.

Delusionis venereæ diaboli historiæ, & causa longioris tractationis hujus argumenti.

CAP. XXXI.

DELUSIONIS hujus & fallaciæ diabolicæ duo adhuc exempla adjiciam, ex illustri Philosopho Francisco Mirandula. Agnovi,

Agnovi, inquit, virum nomine Benedictum Bernam, ætatis annorum septuaginta quinque; eundemque sacerdotem ex his, quos presbyteros vocant, qui annis plus quam quadraginta cum dæmone familiari sub forma fœminę illi associato concumbebat, in forum deducebat, alloquebatur, adeo ut astantes, qui nihil videbant, eum pro fatuo haberent. Vocabat autem illam Hermelinam, quasi mulier esset.

Hermelina dæmon, amasia sacerdotis.

§ 2. Alium quoque Pinnetum, ait, nomine novi, qui ad octoginta & amplius annos pervenerat, cum dæmone alio, qui muliebri forma ei videbatur, vocabatque eum Florinæ nomine, plus quadraginta annis venereas voluptates exercuisse. Sed is, dum hæc scriberem, vivebat: alter pœnas jam dederat, confessus arcana se in sacrificio non protulisse, consecratum vero munus mulierculis ad veneficia præbuisse, pueris sanguinem exuxisse, atque alia *ejusmodi* gravia scelera: tormentorum tamen vi, ne jocum fuisse credas.

Pinneti amasia, Florina dæmon.

De varietat. 15. 18.

§ 3. Atque hæc aliaque plura (illis recitatis ait Cardanus) si vellem adjicere, absurda, viroque tam gravi profecto indigna sunt, ac vana, & ab omni ratione aliena. Primumque ex ipsius *exemplis* illum confutare licet. Nam juvenculæ illæ vel vera videbantur corpora, cum non essent, quod non solum sensibus & naturali rationi repugnat, sed etiam Servatoris authoritati. Si enim non solum visus, sed etiam tactus hoc modo decipi potest, Christi dictum *nihil* concludit adversus Thomam. Sin autem corpus fictum *illis* videbatur: quod atrocius poterat esse tormentum, quam velut damnatum à Mezętio, cum mortuo concumbere? Horret animus, mens stupet, ubi talia cogitat.

§ 4. Sed vir alioqui non imprudens, & nimium quorundam Platonicorum figmentis addictus, monachorum mendacia, vulgi famam, mulierculatum nænias fabellasque aureo asino dignas, sanctis philosophiæ sermonibus immiscuit. Eo igitur factum est, ut delectare potius Lectores atque allicere, quam serio tractare quicquam visus sit. Sed & beatus Augustinus à tam absurdis narrationibus si abstinuisset, licet forsan pauciores habiturus lectores, gravioris tamen viri opinionem assequutus fuisset apud eruditos. Si ea fuit seculi labes, ut plurimi, velut nunc de regno, sic grandioribus mendaciis decertarent: quæ ille vir sanctus pro veris accipiens, ac quasi æmulatione gentilium figmentorum, libris suis inseruit. Itaque illi tantum fidei habeo, quantum se oculis vidisse testatus est: in aliis, minime. Jam enim constat unicuique, majorem talium narratio-

rationum partem fabulosam esse. Sed unde tanta incrementa tam absurdis deliramentis, jam pene dictum est. Avaritia ipsorum, quibus inquisitio talium, jusque eas puniendi permissum est: vanitas ac stultitia delinquentium, novitatis desiderium, & ignorantia caussarum eventuumque naturalium. Hæc Cardanus.

§ 5. Meo tamen judicio Benedictus sacerdos & Pinnetus à diabolo illusi fuerunt, qui mentem utriusque ita vitiarit, in illorum phantasiam illapsus, quam imagine charæ mulieris imbuit perpetua: qua illi valde delectati, facilius in errorem induci potuere. Nam & D. Augustinus scribit, quendam tacita animi intentione, cujusdam fœminæ imaginem expendisse, ut rem sibi cum ea vigilans habere videretur.

§ 6. Risu sane excipiendum, quod in hanc rem quidam, me præsente, coram potentissimo, eodemque prudentissimo Principe narrabat, famulum scilicet diluculo nuper rus concessisse, ut equos mature domum è campis reduceret: atque in agro quandam ejusdem pagi fœminam maleficii insimulatam invenisse, supino decubitu prostratam, cui incubuisset dæmon. Ad hæc, dæmonii formam rogante Principe, respondit alter: Canis nigri. Hic ludibria ejusmodi, præstigias & vulgi opinionem false irridens Princeps: Ignorabam diabolum cani nigro similem esse, ait: alio profecto mentis acumine, quam vulgares censere solent. Nec dubito, mulierem illam tunc temporis etiamnum in lecto decubuisse, & idolum hoc rustico à Satana fuisse objectum ad sinistræ de ea conceptæ opinionis confirmationem.

§ 7. Uberior equidem fui studio, in fœdissimo ludibriosæ hujus commixtionis negotio, ut eum omnis illa sagarum turba se ea vitiari confiteatur, & unaquæque suum certo indigitet nomine amasium, si huic congressui nihil inesse veritatis obtinuero, promptius universa illa phantasmatum dæmoniacorum machina collabatur, veritas elucescat clarius, diaboli regnum eat pessum altius, & unio in populo Christiano citius renascatur, inviolatiusque conservetur. *Caussa longioris tractationis de ludibrioso diaboli concubitu.*

De mulieris dæmoniaca partu Lamiæ imputato, historia admirabilis.

CAP. XXXII.

Ob argumenti communionem, historiam, certe ut raram, ita & admirandam de commentitio partu à dæmone adornato, hic sub-

subjungam, ut inde similia diaboli ludibria penitius innotescant, fidemque sortiatur ipsa veritas.

Antonius Sucquetus.

§ 2. Antonius Sucquetus, eques auratus, per totam Flandriam notissimus, & in aula Brabantica celebris Concilii ibi privati Consiliarius, præter tres filios legitimos superstites, unum reliquit nothum, qui Brugis duxerat uxorem. Hæc paulo post nuptiales faces, à malo genio cœpit vexari misere, ita ut, ubicunque locorum esset, etiam corona honestarum matronarum cincta, è cœtu eriperetur, perque cubicula aut cœnacula, ubi erat, protraheretur, ac sæpenumero conjiceretur modo in hunc angulum, modo in alterum, etiam reluctantibus, omnique vi illam retinere conantibus, qui huic aderant. Id tamen accidit sine magna admodum læsione corporis. Persuasum omnibus erat, hoc malefica arte fieri à pellice illi invidente maritum, cujus amore devincta tenebatur: erat enim juvenis, forma non ineleganti. Verum dum variis multisque modis ita à maligno agitatur spiritu, cœpit gestare uterum: at nihilo minus aut levius vexabatur. Tandem advenit tempus, quo illi partus angustiæ obreperent, & una tantum adesset: Qua ablegata, ut obstetricem acciret, & alias, quæ in hoc officii genere operam præstare possent, visa huic intrare pellex illa, de qua modo facta est mentio, quæ ei obstetricis officium præbuit. Verum parturiens præ angustia in mentis concidit deliquium. Ubi vero ad se rediit, liberatam se sensit ab onere. At puer nusquam apparebat, mirantibus id omnibus supra modum. Accidit autem postridie, ut, dum è somno puerpera expergisceretur, reperiret infantem juxta se in lecto, fasciis involutum: cui & ubera semel atque iterum præbuit. Atqui non ita multo post, rursus illa dormiente, à latere infans abripitur, nec postea inventus est. Ajebant nescio quas schedas cum magicis notis in ostii sera repertas. Hæc mihi retulit sororius, vir profecto ut nobilitate, doctrina & pietate clarissimus, sic & fide dignissimus, qui Antonio affinitate junctus, ea à puerperæ marito illius fratre, ac conjuge fratris, aliisque, qui non raro adfuerant, audivit.

§ 3. Cæterum, ne in hoc actu tam artificiose instructo velut attonitus, κωφὸν πρόσωπον agere videar, succincte, quid hic sentiam, adjicere volui. Quod matrona hæc à dæmonio obsessa, maleficium se à pellice insonte pati crederet, accrevit vexatio primum ex abstrusa Dei voluntate permissa, machinatusque fuit diabolus gra-

viora

viora impraegnationis ludibria, uterum illius spiritu expandens, ut in falsa maleficii credulitate ipsam aliosque arctius postea, opinione foetus à pellice obstetricante surrepti devinciret, & quasi ream pellicem carnifici offerret, impietatis, sententiæ injustæ, sanguinisque innocentis sitientissimus. Propterea eos tandem partus dolores movere cœpit eo tempore opportuno, quo una solum adesset fœmina: ut ea ablegata, liberius apertiusque in forma pellicis, à cujus tanquam maleficæ conspectu matrona hæc exhorruit, obstetricis munia obire videretur. Post lypothymiam itaque, vel animi defectum à Satana (ut dolus non animadverteretur, ignorareturque non procreatum fuisse infantem) fraudulenter excitatum, à suo opere, quo antea ventrem inflavit, dæmon destitit, conciditque tumor. Quum vero puer natus esse, sed à pellice ablatus crederetur, postridie in alto somno, vel infantis reportati fasciis involuti, & à matre lactati simulachrum suave exhibuit mille artifex ille: aut vigili nonnihilque ex assidua dæmonis illusione ac agitatione adhuc stupenti, imaginarium sive surreptum alicubi tantillo tempore puerum obtulit, qui & ejusdem opera momento evanuit, vel veræ matri restitutus fuit. Fabula in eum finem à diabolo fuit instituta, ut incredulitatis impiæque opinionis fluctibus objiceret matronam, ejusdemque ancipitis fidei consortes: & ut de pellicis corio luderetur, & caute in sententiam sanguinariam, eamque iniquam induceretur magistratus. Tanta arte variam pestilentemque novit contexere telam subdolus ille textor.

Lamias solum doctorem habere vitiatam phantasiam, & ridiculas esse res quibus lædere creduntur.

CAP. XXXVI.

Cæterum, ut tandem hunc fabulæ actum finire occipiam, quemadmodum hæ Lamiæ nec longiori peregrinatione, labore aut studio, corruptæ mentis doctrinam cum Magis sceleratis conquirunt: ita nec ullos habent libros, quorum adminiculo in sua professione instituuntur promoventurve: nullas etiam præscriptas conjurationum formulas, quas sequuntur: nullum adhæc annulo incarceratum, aut crystalli soliditate obseptum dæmonem, in suum ministerium, velut plerique

Lamiarum doctor, corrupta phantasia.

Magi, circumferunt: corruptam variis imaginibus ab immundo spiritu ingestis, phantasiam solummodo doctorem venerantur & colunt: cui utplurimum propensius confisæ, misere decipiuntur, ac in perniciem ruunt. Nec quidem præter vulgarem morem quicquam peculiare ob indolis crassitiem & spirituum inhabilitatem valent: secus autem diabolus potest ob tenuitatem, subtilitatem, & longum rerum usum. Et, si sustinuero, nusquam dictarum nobis Lamiarum mentionem in universis fieri Bibliis sacris, non fortassis facile convincar. Neque etiam delusorum horum monstrorum sanationem restitutionemque prætermisisset Dei filius in terris, si eo tempore dira hæc sævisset pestis.

Ridicula res, quibus sine contactu se lædere posse existimant vesana fœmina.

§ 2. Quod vero hæc maleficium, aut, si mavis, veneficium etiam sine contactu inferre posse credantur, cum aliquo ejus excremento, cui nocere debet maleficium, cujusmodi est urina, stercus, sanguis, capillorum & unguium præsegmina, atque hæc generaliter includi membris canis, similibus aliquo modo his, quorum in homine sunt partes aut excrementa, claudique osse mortui hominis, ac in illius nomine sepeliri, alia quidem in vestibulo, alia in viis crucis formam habentibus, alia in torrentibus: cum bona venia mei olim heri & præceptoris venerandi Agrippæ, hæc mere inania esse, adeoque ridicula, cum Cardano libere assero, atque Satanæ instinctu in usum vocari: quasi aliquid hic possent res prorsus inefficaces frivolæque.

Agrippa herus & præceptor Wieri. Lib. 18. de Subtil.

§ 3. Hoc autem fit, quo à se designatum id, quod apparet malum, à dæmone constructum, vel alias Dei occulta voluntate, aut naturæ vitio natum, credant non sanæ fœminæ: potissimum, quum eas nova imbui virtute, ex inepta vel blasphema aliqua admurmuratione, aut imprecatione maligna, falsa opinentur persuasione. Sic nuper Hammonæ judex quidam Hessus, narrabat se quæsivisse è quadam celebri & famosa saga (quam tum in vinculis coërcebat, postea autem Vulcano consecratam) qua ratione quis Lamiarum maleficia evitare posset? Quisque respondit illa serio, detrita & vetustate multoque usu consumpta calciamenta custodiat: quasi vero eorum opera inferri vel etiam arceri maleficia valeant. Cui mens ita stupet, ut has non sentiat nugas?

Res viles aut pharmaca in locis semotis sepulta non posse nocere.

§ 4. Quod etiam res viles, aut noxia pharmaca alicubi recondita, ex intervallo transcensa aut prætetita, noxam inducere vel ex disjunctissimo etiam spacio, ceu nervo emissa excussaque violenter

ferri

ferri in eos, quos petunt, nonnulli arbitrentur, etiam insignes & docti viri, non mihi fit verisimile. Si enim congenita veneni virtute ejusmodi infertur virulentia, eam quoscunque vel trascendentes, vel prætereuntes ferire necesse est, quum delectus sit expers materia venenosa. Secus autem experientia & res ipsa docet. Proinde si solummodo quibus male volunt illæ vetulæ, leduntur: non veneni halitu continget noxa, sed maleficii ratione. Id porro nihil eatenus posse, jam demonstravi. Si tamen nocumentum hinc subsequi videatur, certum est ab ipso Satana, ex Dei assensu, ob hominis lædendi incredulitatem, vel etiam, ut hic probetur cum Jobo, idipsum excitari. Ille est, qui excæcat, mutilatque. Interim deliræ huic anui, quæ materiam venenosam vel qualemcunque aliam sepeliit, id, ut dixi, quod ab ipso perpetratum est, vel alias contingit, ita in mentem firmiter suggerit, persuadetque dæmon, ut à se factum esse illa credat asseratque.

§ 5. Cæterum ea diaboli ludibria utplurimum vim suam sortiri, ut dixi, ob impiam hominum credulitatem, qua in ejusmodi potentiam dæmonis consentiunt, certum est. Enimvero, si serpens sub ostii limine repositus fœcunditatem amoliri potuit, ut in Maleficarum malleo legitur: cur in illis regionibus, ubi serpentum numerus domos pervagatur, non omnes sterilescunt fœminæ? Si quoque olla in fundo putei arcis recondita, ad congressum reddere potuit impotentem quendam Comitem, ut ibidem narratur: cur non omnes, ex communi puteo aquam usurpantes, elanguere? At organa generationi destinata præpediit dæmon (id quod varie ratione naturali potest) donec ollam ex institutione mulieris dæmoniacæ concremasset male credulus Comes, tumque destitit ille dæmon libenter, quo in falsam de vetula opinionem Comitem reliquosque pertraheret.

Ephes. 2.

Prima 2. partis, q. 1. ca. 1. 6. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. ubi varia in hanc rem leguntur exempla, multis iterum superstitiosa & impia per totum sparsa librum.

Diaboli delusiones quomodo investiganda.

§ 6. Sic quoque in felium (si vera sit historia) specie in operarium insilire potuit dæmon, atque eodem tempore in operarii forma verberare matronas, ut insontes tanquam maleficii reæ, hinc tandem cum judicum periculo & animarum pernicie, ad supplicium raperentur. Nec scopa aquæ intincta à muliere, & in aëre sparsa, pluviam accit: sed dæmon, ut supra dixi, ex præcognita aëris constitutione colludens, ut illam his ludibriis dementatam, in officio arctius detineat. Eadem ratione sunt reliquæ ejus artes, dolosæque actiones, & instituta in Malleo atque alibi sparsim enarrata, exactius discutienda.

Pluviam non potest excitare Lamia.

Quæ connata sunt, non debent ad potestatem Lamiarum referri.

CAPUT. XXXIV.

Quæ occulto quibusdam connata sunt, non debent ad potestatem Lamiarum delectu habitam referri.

Si quædam forte in Africa sunt voce & lingua effascinantium familiæ (ut tradunt Isigonus, Memphodorus & Solinus) quæ si impensius pulchras casu laudaverint arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu cultuque opimos, emoriantur repente: iis ingenitam hanc esse proprietatem oportet, cujus causam postea addit Plinius. Hinc apud Italos, Hetruscos potissimum, multis seculis inolitum, adhuc perdurat hodie proverbium, ut, si quando hominem impensius laudantem aliquem audiant, statim objiciant, Di gratia non gli diate *mal d'ochio*: hoc est, precor, ne oculi malum ei concilies, vel ne visu lædas. Inde & apud nos inolevit consuetudo (quod Aristoteles probl. xx. 34. testatur) ut aliquid laudaturi præfemur, ne verba nostra nobis obsint, ut Deus id conservet.

§ 2. Si item ejusdem generis forte existunt in Triballis & Illyriis, ut Isigonus adjicit, Macedoniæ vicinis, interimantque, quos diutius intueantur, iratis potissimum oculis, in quibus singulis pupillas (authore etiam Cicerone) habeant binas, & hoc *malum* sentiant puberes: aut, si quoque inveniantur fortassis ejusdem sortis fœminæ in Scythia, quæ vocantur Bythiæ, teste Apollonide: vel in Ponto genus Thibiorum, sicut & multi alii ejusdem naturæ, authore Philarcho, qui eorum notas etiam prodit, in oculo scilicet altero geminam pupillam, in altero equi effigiem: nec eosdem posse mergi, ne veste quidem degravatos: sive quoque haud dissimile iis genus Pharmacum in Æthiopia comperiatur, ut refert Damon, quorum sudor tabem contactis corporibus afferat. Horum causam privatim reddit Plinius, naturam in quorundam toto corpore, in aliorum oculis venena genuisse, ne quid usquam mali existeret, quod in homine non esset.

Gellius IX. 4.

VII. 2.

§ 3. Atqui hæc rara, & quasi miraculo privatis quibusdam irrogata ingenitaque (quemadmodum & quibusdam contigit animalibus) nullum hic habent locum? Quippe non pro delectu & arbitrio ex fœderis cum dæmone initi virtute acquisita, quæ hic agitatur quæstio. Idem de Psyllis Africæ populis Nasamonibus conterminis, & Marsis Italiæ populis (quos à Circes filio Marso ortos ferunt) è

Gellius XVI. 11.

runt) è vulgi opinione, gratia sancti Pauli celebribus, dictum volo. Silius lib. 8.

——ac Marsica pubes,
Et cellare manu, & chelydris cantare soporem,
Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem, &c.

§ 4. Huc accenseantur effascinatrices gentes Paletheoborum, *De fascino per oculos.*
Pontum incolentes, quas Plutarchus & Pilarchus narrant, non pu- *Plutarchus*
sionibus modo, quorum habitus sit imbecillis, sed adultis etiam, qui *Symp. 5.*
solido concretiorique constant corpore, pestilentes esse, & intuitu *Gell. lib. 9.*
soloque halitu in tabem resolvere, morbosque perimentes accire, *cap. 4.*
non solum his, qui continuo adsunt, verum & hospitibus, & qui ab earum commercio alienissimi sunt. Adjiciantur & Telchines Rhodi populi, qui omnia aspectu suo in pejus commutasse leguntur. Peregrina hic quoque erit, naturalis rubentium & lipporum oculorum contagio. Nec enim ullum reperiri in humani corporis fabrica organum, quod tanta spirituum copia scateat, & ex quo eorum fulgor, unde spectantis oculus contagione inficitur, usque adeo emicet, ut de oculi pupilla, notum est. Quin Augustus Cæsar tam lucidos traditur habuisse oculos, ut in quos paulo attentius eos defixisset, hos velut ad solis fulgorem oculis connnivere cogeret. Author quoque Suetonius est, Tiberium Cæsarem expergefactum, etiam in tenebris, ut felem, vidisse. Scribit adhæc Gellius, in ultima terra, cui IX. 4.
Albaniæ nomen est, incolas in pueritia canescere, & noctu acutius quam interdiu cernere, fulgore scilicet teneram visus aciem obtundente.

§ 5. Nec est, quod hic confugiatur ad Plutarchi ἀπορροίας, id est, *Charadrii*
vaporum defluxus, eorumque potentiam, qua ignis instar proxima *virtus.*
quæque depascant, dispergantque. Nec ingenita naphtæ vis, va- *Heliodorus*
porem & scintillas alliciendi: aut nativa proprietas occulta Chara- *in histor. Aethiop.*
drii aviculæ, galguli Latinis dicti, regio morbo laborantibus pri- *lib. 3. Plutarch.*
mum conspectæ, croceos bilis vapores attrahendi, huc adducenda. *Sympos. 5.*
Connata enim ea sunt. At, de quibus hic rei versatur cardo, ea de- *12. cap. 7.*
lectu & voluntate habere creduntur. Interim putido suo quando- *Suidas in dictione*
que halitu vetulas tenellam inficere ætatem inter contrectandum, *χαραδριός.*
non inficior. Quod tamen & quilibet alius haud difficulter fecerit, *Aelian.*
cui ex faucibus tanto fœtore exhalat putrilaginis virus, tenuesque *lib. 17.*
subit & inficit spiritus. *cap. 13. Galgulus.*

Qui

Qui proprie dicendi venefici, & memorabilia veneficiorum exempla.

CAPUT. XXXV.

ATQUI jam ad Veneficos, vel, si liceret, Venenificos progrediamur, quos Græci φαρμάκους, φαρμακοποιοὺς, φαρμακεῖς, item φαρμακίδας, & φαρμακευτρίας fœminas, perniciosissimæ artis (quam Magiam veneficam, si voles, appellare licitum est) conscias, dicunt. Hos pharmacis vel venenis, ex quacunque materie, sive ex metallorum, sive ex stirpium, sive ex animantium vel excrementorum genere, vel ex corporibus mixtis, propinatis, illicitis, aut alicubi reconditis ut halitu feriant, periculosos ciere morbos cum atrocissimis symptomatibus constat. Unde scilicet alii in corporis extenuationem viriumque imbecillitatem inducuntur, quibusdam juncturarum compages dissolvuntur, cæteri varie cruciatibus excarnificantur. Nonnullos vero diuturna torqueri ægritudine: plerisque præcipitanter, quasi vitæ filo mox rupto, interdum & cum intolerabilibus doloribus vitam, præscindi videas. Quandoque tamen veneficorum nomine & alios maleficos comprehendi vulgo, non ignoro.

Enneadis IV. 4. § 2. Horrenda sunt, quæ de Veneficis scribit Antonius Sabellicus in hæc verba. Infamis inde annus sequutus, M. Claudio Marcello & T. Valerio Flacco (sive Potito, ut alii scripserunt) Consulibus, quum multi ex primoribus patrum simili morbo & *Veneficia horrenda.* eventu mortui essent: ancilla quædam ad Q. Fabium Maximum Ædilem Curulem venit, causamque ejus cladis prodituram se professa est, si fides sibi daretur, quod id indicium apud dominos haud futurum esset sibi noxæ. Fabius re ad Consules delata, à Consulibus ad Senatum, fide, consensu ordinis, indici data, patefactum est muliebri fraude eam cladem accidere: multas esse, quæ in virorum perniciem coquerent venena: ac, si secum eant, fore ut multæ veneficio occupatæ deprehenderentur. Missi, qui ancillam sequerentur. Hi quasdam medicamenta coquentes, apud alias recondita inveniunt. Quibus in forum delatis, vigintique numero matronis, apud quas id pharmaci genus fuerat deprehensum, publice accersitis, & in his Cornelia & Servilia patriciæ gentis. Quæ, quum salubria esse contenderent, à confutante indice bibere jussæ, spacio ad colloquendum sumpto, inter se loquutæ, id haurire statuunt:

statuunt: medicamento in conspectu populi epoto, ad unam interiêre. Inde ad centum septuaginta ejusdem sceleris convictæ, capitali sunt supplicio affectæ. Atrocitas rei, quia ad eam diem in nullam de veneficio unquam fuerat inquisitum, prodigii est loco habita: velut alienatis furore mentibus, id flagitium perpetrari contigisset. *Val. Max. II. 26.* *In nullam antea de veneficio inquisitum.*

§ 3. Venefica fuit Crescentii illius seditiosi Romani, eoque nomine ab Ottone tertio vili jumento facie inversa impositi, & per urbem circumvecti, tandemque ad portam suspensi uxor. Quam quum sapientia & virtute præstantissimus alioqui Imperator deperiisset, illa, quod Ottone reditum in Germaniam apparante, se conjugii spe videret excidisse, chirothecis veneno infectis, eum necavit, anno millesimo primo, 5. Calend. Februarii.

§ 4. Veneno item lento sublatus est Joannes Cimisces Orientis Imperator à Basilio quodam eunucho, cui se potentiam derogaturum fuerat interminatus. Veneno adhæc ab uxore Zoe procacissimæ & intemperantissimæ libidinis fœmina, quum Paphlagonem quendam Michaelem deperiret, extinctus Romanus Argyrus Imperator Orientis, qui priorem antea reliquerat conjugem.

§ 5. Veneficium quoque fuit, quod Casali, in urbe Salassiæ regionis Italiæ contigit circiter annum Domini millesimum quingentesimum trigesimum sextum. Conjuraverunt viri ac fœminæ, quadraginta fere numero, inter quos & carnifex erat: ut, quum pestis antea sæviisset, & jam cœpisset mitescere, unguentum conficerent, quo illitis portarum vectibus, inficerentur, qui vectes tractarent: Appararant & pulverem, quem vestibus clam inspergentes, noxam inferebant. Latuit aliquandiu dolus, sublatique multi à conjunctis sanguine vel affinitate: data etiam veneficis, ut ferebatur, pecunia hæreditatis ergo. Sed quum cujusdam Neci nomine fratrem atque unicum filium enecassent, vixque alii, quam domini ipsi domuum, aut filii perirent: simulque animadvertissent Androgynam se in domos insinuare, atque eos maximè interire, quorum ædes ingrederetur: deprehensa conjuratione, omnes exquisitissimis tormentis interempti sunt. Fassi etiam, quod in celebri cujusdam Divi pompa subselliis perunctis, universos trucidare cives decrevissent: paratasque in hunc usum fuisse suprà viginti ollas.

§ 6. Idê postea Genevæ tentarunt nonnulli, qui & pœnas dederunt. Alios etiã Mediolani vectes inunxisse constat: sed quęstionibus

subjecti, quum nihil confiterentur, nec quisquam obiisset, dimissi sunt. Bassianus Landus scribit, Patavii monachum quendam cum aliis plerisque identidem conspirasse, qui pestis tempore infecta linteamina in domos occulte conjiciebant, ut in multos derivaretur contagio: sumptum quoque ab his est supplicium.

§ 7. In nobili familia de Petrinis Bononiæ, duo erant fratres, quorum alter maritus cum numerosa prole in eisdem ædibus commorabatur matri viduæ: alter vero junior, spe consequendæ hæreditatis universæ, totam familiam è medio tollere statuit, conjecto in vini dolium arsenico. Ex cujus usu cum gravibus torquerentur symptomatibus, convocabantur medici celeberrimi, Matthæus Curtius, Joannes Maria Bettus, & Hispanus Philippaldus. Qui in veneni suspicionem mox venerunt, quod iisdem cruciatibus vicinos quoque exagitari, qui forte domum ingressi, vinum illud hauserant, intellexissent. Eorum itaque consilio vas infringitur, vinoque effuso invenitur arsenicum. Hinc curationem aggressi medici, omnes restituerunt, excepta matre vetula debili, & puero infirmo. Fuga sibi consuluit veneficus, atque ita venefici author innotuit. Facinus hoc contigit anno millesimo quingentesimo tricesimo octavo, in Augusto.

§ 8. Socrui adhæc gener quidam veneficus cantharides, extractæ cassiæ mixtas, obtulit Bononiæ. Quam vesicæ cruciamentis tam atrociter afflictam, ut etiam sanguinem largum ex vesica excreverit, felici successu curavit D. Helidæus Paduanus Foroliviensis, clarissimus & in artis operibus exercitatissimus medicus: quemadmodum recensuit D. Joannes Echtius, medicus Coloniensis ornatissimus, illius olim discipulus, qui tunc temporis ipsum sectabatur, & superiori quoque curationi interfuit.

Helidæus Paduanus Foroliviensis medicus.

§ 9. Huic quoque narrarat D. Gisbertus Horstius, medicus experientissimus, Romæ quendam hydropicum diu decubuisse, cujus uxor tandem sumptuum pertæsa, veneno illum tollere decreverat. Quare bufonis in olla usti pulverem ægroto propinat, unde ille copiosum reddit lotium. Hinc denuo eundem pulverem exhibet, ut citius illi ærumnosam sumptuosamque vitam cum præcipite commutaret morte. Qui multo uberiore exonerata per vesicam saburra aquea, convaluit præter conjugis expectationem. Nam bufo etiam discissus, & renibus impositus, hydropicorum aquas per meatum urinarium expellit. Eandem ipse Gisbertus alias sensit ca-

Bufo scissus renibus impositus.

sit calamitatem ab iis, à quibus minime decuit.

§ 10. Extat Ausonii super hac re quam lepidum epigramma:

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum:
Miscuit argenti letalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum,
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit letalis noxa salutiferæ.
Protinus & vacuos alvi petiere recessus,
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quam pia cura deûm, prodest crudelior uxor,
Et quum fata volunt, bina venena juvant.

§ 11. Quam sane hic locum quoque suum meretur illud Nasonis 1. Metamorph.

—— Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti;
Lurida terribiles miscent aconita novercæ;
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

§ 12. Venefica item erat Joanna puella, quæ anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, in Novembri, nobili & piæ matronæ Annæ à Virmont, dominæ in Well, optime de ea meritæ, bis clandestine arsenicum propinavit. Ego ad morbi, ex prioris veneni assumptione, curationem accersitus, post alia feliciter administrata, jus caponis simplex ab ægrota sorberi volui. Cui denuo, ut è medio (vellem nollem) tolleretur domina, arsenicum largius seorsum infuderat Joanna, quæ illi à cubiculis erat. Eo autem non satis juri immixto, gustu & visu maxime, ob ejus copiam, ab ægrota & me deprehensum est venenum. Necdum enim in animos antea irrepserat oblati arsenici suspicio, sed venenatum aliquid pisis ab ea comestis adhæsisse opinabamur. Inde, num destinatum gliribus perimendis pulverem alicubi occlusisset ægrota, sciscitabar: qui cum altero collatus, certiores nos redderet. Nec defuit successus. Hoc etenim modo innotuit venenum dominæ denuo exhibitum: sed prius à me & puero, veneficii adornati tum adhuc ignaris, gustatum in jusculo. Concitato autem utrinque mox vomitu, &

Venenum propinatum Annæ à Virmont. dominæ in Wello.

iis, quæ veneni vim infringerent oblatis, additoque antidoto, nullæ veneni manserunt reliquiæ. Veneficium confessa puella, morti adjudicabatur: aliorum tamen intercessione ob ætatem juvenilem, qua vix decimum quintum attigerat annum, vitæ beneficio rursus donata, carceri perpetuo mancipabatur. Unde, post menses paucos effractis cancellis, eam liberarunt milites. Ut quilibet hoc doctus exemplo, provide magis suis consuleret rebus, flagitium hoc quam brevissime commemorare libuit.

§ 13. Vidi & vetulam, quæ ob zelotypiam arsenicum marito insonti cum olusculo propinarat, unde hic cum acerbissimis interiit cruciamentis: illa autem undis publico immergebatur supplicio.

§ 14. Nuper improbam uxorem marito aliquot vicibus argentum vivum dedisse devorandum, eumque id sine ullo nocumento per alvum egessisse, narrat Georgius Agricola: mulierem vero in maleficio manifesto deprehensam, pœnas legibus dedisse.

Lib. 8 de Natura fossil.

§ 15. Exactis item his annis, quum mulier venefica Tremoniæ aliàs exhibuisset marito argentum vivum, ut eum perderet, nec ex voto negotium successisset: tandem die quodam festo, cum campanis daretur solenniter signum absoluti Missæ sacrificii, illa præcurrit ad ædes Dorpiorum, mercatorum ibi celebrium, ubi ab emente majorem solito argenti vivi quantitatem, quæsivit mercatoris famulus, in quem finem id compararet? respondet, se in medicamento quodam ad enecandos rattos & mures eo uti. Cum primum domum venit, omne illud argentum infudit olusculo conciso coctoque, quod marito apponebat: is animadvertens nondum dissolutum nec satis permixtum Mercurium, assumpto olere in forum excurrit ad Consules, qui tum (ut apud eos moris est) post celebratam Missam ante curiam moras trahebant, forte, ut fit, de republica conferentes: veneficii accusat uxorem, ostendens pharmacum edulio mixtum. Quo autem mortis genere comprehensa illa perierit, non satis novi.

Memoranda historia de Venefico famulo carnificis, ejusdemq; malefica conjuge, quæ trium virorum capita palam ferire voluit.

CAP. XXXVI.

Fœmina trium virorum voluit detruncare capita.

Hoc catalogo dignabor mulierem famosam Mechteldim nomine, malitia non inferiorem quacunque venefica, ob raritatem inauditam facinoris, in Septembri anni sexagesimi secundi supra millesimum quingentesimum, recenter instituti ad hunc modum

in oppi-

in oppido circa Mosam ad Brabantiæ limites sito, Gravia nuncupato, loco mihi natalitio. Ut ex quinq; captivis tres eodem die supplicio ob sua flagitia efficerentur, accitur ex proxima civitate Geldrorum Neomagio carnifex, qui sperans eos ex magistratus decreto suspendendos, subsequitur: mutata autem sententia, simulatque capita esse ferienda intelligeret, de imbecillitate sua apud satrapam Steinhusium conquestus est, ante annum contracta ex veneno ipsi clam propinato à suo famulo, ut in heri sui ministerium posset surrogari, quæ solet esse in dignitaribus & præclaris officiis invidia. Ne vero diutius procrastinaretur supplicium, se statim missurum ad conjugem pollicetur, quæ suum collegam Arnhemia vocaret, in sententiæ latæ exequutionem, cum eo enim se contraxisse de opera mutua, & communi lucro, asseverabat: quemadmodum plerunque fit, ut inter fideles artifices æquale redeat ex pacto emolumentum. Consensit præfectus, mittiturque Neomagium ad tortoris uxorem, ut evestigio accerseretur Arnhemia publicus ejusdem officii administer. Illa lucri cupida, aliud statuit animo, mariti scilicet defectum suis supplere viribus. Quare gladium ejusmodi postremo actui tragico destinatum, pro marito à consule impetrat, cultrorumque fabro dextrorsum exacuendum mox defert: ipsa etenim sinistra erat. Inde hora vespertina sibi capillitium clam secari jubet, & summo mane vestes viri induta, præter thoracem studio relictum, ut in laxiore indusio minus observarentur mammæ: deinde imposito capiti pileo plumis ornato, latoque illo gladio accincta, incunctanter Graviam properat. Quam satrapa videns imberbem, Arnhemiensemque ratus esse lictorem, rogabat, num in ea juvenili ætate trium simul truncare capita auderet? Hoc sibi committi debere, nec jam primum in illud se prodituram theatrum, quum eandem sæpius experta esset aleam, respondit, arreptis simul restibus quibus captivos vinciret. Ita iis tandem productis, ut mox gladio feriendas submitterent cervices, seorsum à conjuge & fratre Steinhusius præfectus admonetur, lictorem videri fœminam. Hic cùm universo comitatu ad stuporem usque consternatus, re mox cognita ex carnificis famulo, quem exacto juramento ad veritatis confessionem adegerat, reos custodiæ reddi jubet: &, nisi clam hoc fœminei sexus monstrum opera satrapæ se subduxisset, ne vel ab hominum turba in aquas proximas

Venenum carnifici à famulo propinatum.

detruderetur, vel alioqui ab aliis oppidi malitiosis fœminis trucidaretur collis, verendum erat. Reversa autem Neomagium, risu apud multos celebratur, velut tanto facinore nobilitata: maritoque mortuo, eam duxit uxorem carnifex Arnhemiensis, defuncti apud Neomagos successor. Sic utplurimum, ob functionum communem usum inter collegas matrimonia contrahi celebrariq; solent, ne in alienas familias transferātur nobilia ejusmodi officia, nec degeneret soboles.

De philtris, Hippomanes, & reliquis amatoriis quisquiliis.

CAP. XXXVII.

Huc quoque pertinet amatorium poculum aut pharmacum, Græcis φίλτρον nuncupatum, sensus vitians, iisque varias species & amores concitans furiosos. Ejus meminit Juvenalis:

Philtrum.

Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti.

Satyr. 6.

Eodē referantur & Lælii versus in Apologia 1. ab Apulejo adducti:

Philtra omnia undique eruunt, | *Radiculæ, herbæ, surculi,*
Antiphates illud quæritur, | *Aureæ ilices, bichorditæ,*
Throchisculi, ungues, teniæ, | *Hinnientium dulcedines.*

§ 2. In hoc item veneficii genere locum habet Hippomanes, caruncula haud parum famosa, caricæ magnitudine, specie orbiculata, latiuscula, colore nigro, quæ in fronte nascentis pulli equini apparet, quam edito statim partu mater lambendo abstergendoque devorat: &, si præripiatur, animum à fœtu penitus aversum habet, nec eum ad ubera admittit. Ob hoc maximam esse vim ejus ad amorem concitandum ferunt, quando in pulverem versa, cum amantis sanguine propinatur in poculis. Hinc equis innasci amoris veneficium, ait Plinius. Ejus mentionem fecere Aristoteles, Solinus, Columella, & cæteri. Item Virgilius:

Hippomanes.

——Crines effusa sacerdos,
Ter centum tonat ore deos, Herebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ:
Sparserat & latices simulatos fontis Averni,
Falcibus & messæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni.
Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.

Aristotel. de Natur. an. VI. 18. 22. & VIII. 42. Columella VI. 27. Aeneid. IV.

§ 3. Dicunt & eodem nomine virus illud lentum, quod ex equarum,

rum, libidinis œstro stimulatarum, pudendis destillat. Id à Virgilio ita describitur:

Hinc demum hippomanes vero quod nomine dicunt 3. Georg.
Pastores, lentum distillat ab inguine virus;
Hippomanes, quod sæpe malæ legêre novercæ,
Miscentes herbas, & non innoxia verba.

Et apud Tibullum:

Et quod, ubi indomitis gregibus venus afflat amores, Eleg. II. 4.
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.

Propertius lib. 4. in lenam quandam:

Consuluit striges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes fetæ semina legit equæ.

Et Ovidius Eleg. 1. 8. adversus aliam lenam:

Seu bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.

Novit Juvenalis quoque:

Hippomanes, carmenque loquor, coctumque venenum
Privigno datum.

§ 4. Nomen veneno inditum ἱππομανὲς, quod effreni equinæ cupidini similes hominibus amoris accendat faces. Hinc, Pausania & Æliano authoribus, tantam in eo novit vim Olympiæ Phormis Arcas, quod illo æri mixto & effuso, equam posuerit, abscissa cauda: huic Hippomanes incluserat, fabrica non tam accurata, ut ea falsitate tantopere ad hujus conspectum furiis excitari oportuerit equos: quos tamen ita alliciebat, tantaque agitabat insania, ut disruptis frenis in ipsam violentius, quam in vivam, insilirent equam. Neque quod ungulæ inhærentes æreæ statuæ, lubrico eliderentur lapsu, idcirco cessabat appetitio, imo ardentius multo in his ante ore adhinniebant: neque prius ab æneo potuere depelli simulachro, quam flagris & equisonum violentia abstraherentur. Est & Hippomanes, ut docet Theocritus, φυτὸν ἐστιν, id est, planta sive herba, qua gustata equi in furias aguntur: unde & nomen.

§ 5. Inter amatoria adhæc venena connumerantur, in extrema lupi cauda pilus, ejusque virga, remora pisciculus, felis cerebrum, & lacertæ, stellio cui stincus nomen. Item os de rana viridi, in formicarum acervo exesa. Sinistri etenim ossis contactu amorem, dextri vero dissidium excitari tradunt. Vel, ut alii referunt, à formicis obesa ranæ ossa conjice in aquam, quorum aliqua aquæ innatant, *Amatoria venena. Plinius. VIII. 22.*

natant, quædam subsident: hæc ligata in albo sindone, & suspensa, amorem conciliant, illis contacto homini odium paritur. Aliud experimentum simile ex hirundinum pullis. Accipiuntur ii unius fœturæ aut nidi, qui in olla conditi, in terra sepeliuntur, ut suffocati fame pereant. Post ex effossis, qui hiante rostro mortui inveniuntur, amori: qui occluso, concitando serviunt odio. Utero hyænæ sinistro lacerto quoque religato, si quis mulierem inspiciat, usui hic esse etiam perhibetur. Componuntur ea quoque interdum ex excrementis, aut animalibus è putredine genitis, aut ex connata nobis materie, quæ tamen, ut illicita merito mentem potius turbant, mutantque, quam ad amandum cogant. Sic menstrui mulierum, præsertim biliosarum & rixosarum, potus, adeo bibentes effascinare inficereque, ut lunaticos & amentes efficiat, creditur. *Habentur* & alia philtra, à mortuorum vestibus, candelis, acubus, & iis universim, quæ funerum gratia parantur, sumpta.

§ 6. Quæ eo libentius, quod nugarum plus, quam veritatis habeant, nomino. Quemadmodum nativa illa venena, nimisque efficacia silentio hic sepelire malui, doctioribus medicis ex sexto Dioscoridis de materia medica, & reliquis item Græcorum & Arabum, tum etiam quorundam recentiorum libris, atque usu quotidiano nimis cognita

Quod amatoria Pocula, Hippomanes, & quæcunque id genus alia, citius furorem inducant, quam amorem concilient.

CAPUT. XXXVIII.

PORRO philtra, Hippomanes, & quæcunque id genus alia, *in* amore vere conciliando parum aut nihil valere, sed furorem citius concitare, multorum non ignobilium virorum est sententia. Ovidius in lib. de Medicamine faciei:

Sic potius nos tanget amor, quam fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus.
Nec vos graminibus, nec misto credite succo,
Nec tentate nocens virus amantis equæ.
Nec mediæ Marsis finduntur cantibus angues,
Nec redit in fontes unda supina suos.

Item in II. de Arte amandi:

Fallitur, Æmonias si quis decurrit ad artes,

Datque, quod à teneri fronte revellit equi.
Non facient, ut vivat amor Medeides herbæ,
Mistaque cum magicis mersa venena sonis.

Id postea exemplis Medeæ & Circes comprobat:

Phasias Æsonidem, Circe tenuisset Ulyssem,
Si modo servari carmine posset amor.
Nec data profuerint pallentia philtra puellis:
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

§ 2. Hinc Eusebius Cæsariensis scribit, Lucretium poëtam amatorio poculo in tantum furorem versum, ut se tandem propria manu interemerit. Sunt qui arbitrantur, uxorem illius hujusmodi obtulisse poculum, & eam Lucillam vocatam, ex Hieronymi testimonio in Rufinum, cujus hæc sunt verba: Livia virum suum interfecit, quem nimis odit: Lucilla suum quem nimis amavit. Illa sponte miscuit aconitum: Lucilla decepta, furorem propinavit pro amoris poculo. De illo quoque extat illud Politiani in Nutrice: *Lucretius amatorio poculo interemptus.* *Livia & Lucilla venefica.*

Hic, qui philtra bibit, nimioque insanus amore,
Mox ferro occubuit, sic mentem amiserat omnem.

§ 3. Quid Stephano equiti Neapolitano acciderit, est profecto admirabile. Hic, quum poculo amatorio insanisset, teneretque oppida & nonnulla regia officia ab Alphonso Arragonum Rege tradita, fuerunt, qui ab Alphonso illa bona postularent, absurdum esse dicentes, à demente hujusmodi bona possideri. Quibus Rex respondit: Sibi inhumanissimum videri, iis se etiam substantiam auferre, quibus sors mentem & cerebrum abstulisset. Innuere autem videtur, calamitatem non esse calamitati adjungendam. *Panormit. li. 4. de Gest. Alphonsi.*

§ 4. Tradiderunt item literarum monumentis Cornelius Nepos & Plutarchus, Lucium Lucullum Imperatorem amatorio quoque poculo à Callisthene propinato, primum mente læsum fuisse, deinde interemptum. Meminit & Plinius xxv. 3. circa finem. Narrat quoque Josephus & Suetonius, C. Caligulam à Cæsonia uxore potionatum, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit. Quod commemorans Satyricus poëta, id poculum ex Hippomanes apparatum fuisse ait. *Callisthenes veneficus. L. Lucullus Imperator amatorio poculo interemptus. Antiq. Jud. xx. C. Caligula potionatus ab uxore.*

——Si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.—— *Cæsonia venefica.*

§ 5. Sed de hippomanes quod creditur, asserit quoque Aristoteles de Natur. animal. vi.11. 24. figmenta esse mulierculatum & professorum carminis incantatorii. Scribit adhæc 2. Magn. moral. Mulierem quandam viro cuipiam poculum porrexisse amatorium, ex quo is subito decidit mortuus. Mortem etiam sæpe accelerare ejusmodi philtra, tradit Hippol. Marsilius in d. l. ejusdem. §. adjectio. D. de sica. ubi est & tex. loquens de amatorio veneno, sicuti & de amatorio poculo, in l. si quis aliquid. §. qui abortionis. D. de pœnis. Extinctus & philtro Fridericus Austriacus Imperator anno tricesimo supra millesimum trecentesimum, decimatertia Januarii.

§. 6. Et quanquam Constantinus Imperatorum Christianorum primus, arte magica conciliari amorem sensisse videatur, in l. ab eo edita, C. de malefi. l. eorum. in illis verbis, Aut pudicos amicos magicis artibus ad libidinem deflexisse deteguntur: & Accursius in authent. quo. opor. epi. & clari. §. hoc autem, in verb. propter quosdam. & Albericus in rubr. de hæret. colum. 3. tamen D. Epiphanius Palæstinus Eleutheropolites lib. 1. adversus hæreses, tomo 2. in 30. sect. tradit, vanissimas esse ejusmodi amatorias incantationes, quibus scilicet fœminarum castitas impetitur, ubi nomen Christi & signaculum crucis contra opponitur: quod non contemnenda historia confirmat.

Amatoria incantationes vanissima.

§ 7. Quin & illa Siciliæ constitutio, cujus initium est, Pocula amatoria, frivolum reputat & fabulosum posse hujusmodi pocula amorem extorquere. Historiam de virgine Deo dicata, atque magica arte à juvene ad amorem sollicitata, à D. Hieronymo conscriptam in vita D. Hilarionis, lege libro 5. capite 13. Ubi paucis meam videbis adjectam sententiam. Hinc manifestum est, quas Irenæus scribit mulieres ex Marci hæresi reversas ad Ecclesiam, fuisse confessas, se à Marco ita circumventas, ut in eum vehementer exarserint, non potu amatorio attractas fuisse: sed ejus doctrina, præstigiis & illusionibus potius, aut forte ipsius forma, ut fieri solet illectas.

In Mal. malefic. part. 1. quæst. 7.

Tres ordine Abbates amatorio poculo intercepti.

§ 8. Novimus, inquit Henricus Institoris & Jacobus Sprenger Theologiæ Doctores, vetulam tres ordine Abbates, ut publica omnium fratrum in eo monasterio etiam in hodiernũ diem est opinio, non solum philtris incantasse: sed & interemisse, & quartum jam simili modo dementasse. Nec eam pudet fateri palam, se fecisse & facere.

facere, eosque à suo amore desistere nequivisse, quod tantum de ipsius stercoribus comedissent: simulque quantitatem extenso brachio commonstrat. Fatemur autem, quia nobis non erat in eam inquirendi ulciscendique facta potestas, illam adhuc superstitem esse. Hæc illi.

§ 9. Stercora vero fuisse spurcitiem veneream, quam, velut cœno immersi, toties erant experti in exercitata lascivienteque vetula meretricula monachi, ut ab ejus illecebris inescati, quasi fascino vel certius maleficio detenti, desistere & ad mentem redire nequiverint, mea profecto est sententia: hoc amatorium poculum, hæc brachii instar vorata vetuli scorti stercora. Judiciumque esto penes ejusdem conditionis viros, qui etiamnum quotidie simili maleficio illecti, in eadem palæstra strenuos exantlare labores satagunt

§ 10. Virgilius quoque circa finem Pharmaceutriæ, testatur magica carmina nihil huc facere, cum scribit:

——His ego Daphnim
Aggrediar, nihil ille Deos, nil carmina curat.

Ubi Servius id etiam annotavit. Propertius item libro 2. Eleg. 1. hujus est sententiæ, cum inquit:

Seu mihi sint tangenda novercæ pocula Phædræ,
Pocula privigno non nocitura suo.

Nam loquitur de poculis amatoriis, quibus Phædra Hippolytum privignum in amorem illicere tentavit: at nihil ea profuêre. Recte itaque admonet Ovidius secundo de Arte amandi, hoc artis magicæ genus cavendum esse:

Sit procul omne nefas: ut ameris, amabilis esto.

Et lib. 1. de Remed. amoris:

Viderit Æmoniæ si quis mala pabula terræ,
Et magicas artes posse juvare putat.

§ 11. Non inconvenientem huic loco historiam subjungere placuit ex Plutarcho. Amabat Philippus Macedonum Rex puellam quandam plebejam: facileque utriusque fortuna longe dissimilis, eam Regi obsequentem fecerat. Quod cum rescisset Olympias ejus uxor, id ægre admodum tulit, præsertim quod ferebatur ea puella amatoriis philtris sibi Philippum conciliasse. Ideoque irata, jussit illam domo extractam ad se puellam duci, eo quidem animo, ut carcere aliquo clausam, aut in longinquas regiones trans mare re- *In præcep. connubial. cap. 24.*

 legatam,

legatam, male haberet. Productam vero ante ſe cum ſpecioſam, venuſtam, ingenioſam, elegantem, & omnibus modis ac numeris amabilem vidiſſet, χαιρέτωσαν, εἶπεν ἡ Ὀλυμπιάς, αἱ διαβολαί· σὺ γὰρ ἐν σαυτῇ τὰ φάρμακα ἔχεις. Valeant, inquit Olympias, calumniæ: tu enim in teipſa veneficiorum vim habes, nec jam puellæ amplius, aut marito ſuo irata fuit. Huc facit illud Menandri apud Stobæum Florilegum cap. 65. ἔστ' ἀληθὲς φίλτρον εὐγνώμων τρόπος, τούτῳ κατακρατεῖν ἀνδρὸς εἴωθε γυνή. Ineſt verum philtrum, benigni mores, quo vincere virum ſolet mulier.

Philtra vera.

§ 12. Et profecto hæc ſunt vera amoris veneficia. Nam ſi quæ conjuges philtris aliis & amatoriis poculis utuntur, eas abominamur ac faſtidimus. Quemadmodum & Plutarchus aſſerit in eo libello, quem de Tuenda valetudine ſcripſit: ut non diſſimili ratione conſequens ſit, uxores contra viros, qui haſce res uſurpant, deteſtari. Et, ut idem Plutarchus ſcribit in Admonitionibus connubialibus, ſicut piſcatio, quæ fit medicamentis, cito quidem & facile piſcem capit, ſed eum labefactat, & menſæ minime idoneum reddit: ſic, qui amatoriis artibus carminibuſque conjuges voluptatis cauſa ſubigere conantur, cum attonitis dementibuſque & labefactatis vitam agunt. Neque enim Circem, ut ſubdit, ab ea potionati quicquam juverunt, nec ipſa ulla in re illis abutebatur, cum ſuam aſinorumque formam accepiſſent: Vlyſſem vero mente præditum, & prudenter cum ipſa verſantem, incredibili amore proſequuta eſt. Hæc ille.

§ 13. Exploſis itaque philtris & magicis vanitatibus, amorem uxorum mutuo in eas amore, in alias vero fœminas caſtimonia & quibuſcunque aliis honeſtis piiſque ſtudiis comparare nitamur. Sic lex connubialis decimaquarta doctiſſimi clariſſimique juriſconſulti Andreæ Tiraquelli manebit inviolata: Carminibus, poculis, aliiſque id genus philtris magicis, quibus creditur amor conciliari, vir & uxor penitus abſtinento. Sed mutuo inter ſe affectu, aliiſque honeſtis rationibus amorem provocanto, conſervanto, augento. Quod multa ſit philtri & magici furoris communio, nec argumentum ingratum, hic me paulo fuiſſe prolixiorem, agnoſco libenter.

De Legibus connubial.

Animantia quomodo lædant venefici.

CAP. XXXIX.

ANIMANTIA adhæc, pharmacis pabulo injectis, aut alicubi sparsis ut degustentur, vel halitu attrahantur, lædunt perimuntque venefici. Idem vel affrictu vel applicatione præstari posse, ut minime nego: ita meminisse oportet, quosdam studio lupi stercus clam in præsepibus condere, quod olfactu animadvertentia pecora, voracemque hostem verita, ob quandam antipathiam, miro exagitantur furore: ut maleficio ea torqueri, firmissime credant ignari, apud veneficii hujus artifices consilium inquirentes. Eadem ratione dicunt, caudam lupi in boum vel equorum præsepi suspensam, eos ab esu exterrere. Metu etenim ob odorem perculsi, obliviscuntur cibi esurientes: quemadmodum hominibus quoque in magnis timoribus usu venire experimur. *Veneficia periment animantia.*

§ 2. In ducatu Wirtenbergico non procul à Tubinga, carnifex veneficii non ignarus, anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto in pecoribus suæ artis specimen edidit. Enimvero quum ex pacto huic cederent morticinorum animalium coria, atque alia, quæ hinc usui esse possent, hic boves, oves & porcos in pascua ex more deductos, veneno clàm perimit, ut inde frequenti nimis pellium numero, sevi item & pinguedinis infinitis fere talentis Augustæ Vindelicorum & Argentinæ venum expositis distractisque, dives brevi evaserit. Proinde & suspicione oborta, veneficii accusatus, quæstionibusque ipsi familiaribus subditus, rem universam confitetur. Dat & pœnas forcipibus ignitis distractus in principio Augusti.

§ 3. Hùc ii quoque pertinent, qui pugiunculis jumentum certis locis confodiunt, retracta prius seorsum cute: ut, ubi ea relapsa vulnus impressum tegitur, lateret dolus, atque ea ratione mortuum periisse maleficio, judicaretur. Varium itaque est Veneficii genus, quo pecus interit: estque diversitati industriò attendendum, ne rei loco pendat supplicium insons.

§ 4. Fusius naturalia prosequi venena, non est nostri instituti: cum huc solum spectet orationis filum, ut detegantur actiones & morbi præter naturæ legem percellentes.

IIS, QUI LAMIARUM MALEFICIO AFFECTI PUTANTUR,

LIBER QUARTUS.

Quotquot vulgo Lamiarum maleficio cruciari existimantur, & quorum ita læsorum sacra meminêre Biblia, omnes à diabolo vel exerceri, vel obsessos esse.

CAP. I.

Maleficio affecti qui.



MALEFICIO affecti dicuntur, qui variis & insolitis plerunque modis, præter naturam, Dei assensione, à dæmone in suis corporibus exercentur, sive homines sunt, sive jumenta: quum ille ea alias vel subit, vel etiam non intro subit, sed utiles corporis humores exagitat & inficit, aut noxios in partes traducit principes, vel hisce venas ductusque naturales obstruit, vel instrumentorum structuram luxat, vel spiritus cerebri turbat, multifariisque imbuit formis, quos interdum quoque excitat, ut in iis hominibus virtus animalis se exerat potentius, quam in sanis: sive venenata materia, sive halitu intus aut foris conspurcat, defœdatque, ac id genus reliqua, quibus ex caussis morbi progignuntur innumeri, graves & admirandi.

§ 2. Nec interim hominum substantia & facultates ab hujus subtilis artificiosique hostis maleficio immunes liberæque permanent. Exemplum luce meridiana clarius in Jobo cernimus, cujus, diaboli studio, primum quinquaginta boum juga & quingentæ asinæ abripiuntur, puerique cæduntur: secundo, ovium septem millia cum pueris igne cœlitus demisso consumuntur: tertio, camelorum tria abducuntur millia, & famuli occumbunt: quarto, domus, ob procellas impetuosissimas à Satana excitatas, ab imis sedibus convulsæ ruina opprimitur omnis soboles. Ubi nec harum calamitatum acervo Jobum à Dei cultu transversum agere posset, quin adhuc nomen Domini ille constantius glorificaret: demum, consentiente

Job. 1. Job maleficio affectus.

Job. 2.

tiente Deo, cum ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem percutit, desormatque tam fœde direque Satanas, ut ille in sterquilinio sedens miserabiliter, saniem testa abraderet, adeo atroci excruciatus dolore, quo etiam mortem illi precaretur conjunx, nec ab amicis eum visitantibus agnosceretur. Quid aliud de eo, quam ipsum maleficio affectum fuisse, & incantatum in cunctis ad illum pertinentibus, quis dicet? Quæ hic intercessit dæmonis cooperaria malefica, quæ perversa Lamiæ malevolentia, quod execrabile veneficæ pharmacum? Quibuscunque malis rebus perficiendis satis per se potens est, & voluntate promptissimus diabolus, si divinæ majestatis tantummodo accedat permissio: cujus nutui morem gerere, velit, nolit, cogitur.

§ 3. Nabuchodonezarem Regem Babyloniorum furore percitum, & in deserta ab hominum consuetudine pulsum, fœno vescentem more bovis, figura vitiata, capillis ejus in aquilarum similitudinem crescentibus, & unguibus ejus quasi avium, mente adhæc turbata, acerbissime exagitat totum septennium diabolus. *Maleficio læsus Nabuchodonezar. Dan. 9.*

§ 4. Satanæ maleficio multis cruciabatur temporibus dæmoniacus in regione Gadarenorum: è monumentis, suo quippe domicilio egressus, nudus, ac supra modum sævus, adeo ut per illam viam transire posset nemo: neque enim catenis eum ligare poterat quisquam, propterea, quod cum sæpe compedibus constringeretur, & catenis vinciretur, iis ab illo discerptis, comminutisque, à dæmonio in deserto agebatur. Vociferabatur autem: Quid rei nobis tecum est JESU, fili Dei? Venisti huc ad cruciandum nos ante tempus. Dæmones vero rogabant, ne imperaret, ut in abyssum abirent, sed eos in porcorum procul in monte pascentium gregem demigrare permitteret. Christo hic annuente, egressi in porcorum gregem abierunt, eumque præcipitem impetu egerunt in mare, ut suffocatus interierit. Hic & porci ferme bis mille dæmonum maleficio agitati, in suam ruunt perniciem. *Dæmoniacus apud Gadarenos maleficio correptus. Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.*

§ 5. Nonne & ille, quem spiritus immundus discerpens, projiciensque in medium, qui & Christi jussu exiit, nihilque nocuit, inter maleficio correptos suum sortietur locum? *Marc. 1. Luca 4.*

§ 6. Huc referatur lunaticus, qui à puero spiritum habebat mutum, quo ubi agitaretur, lacerabatur spumans, ac dentibus stridens atque arescens: quem frequenter etiam in ignem conjecit spiritus, & in aquas, ut eum perderet: neque à Christi discipulis, ob *Matth. 17. Marc. 9. Luca 9. Maleficio læsus lunaticus.*

eorum

eorum incredulitatem, expelli potuit: puerum vero tandem ad Christum accedentem, continuo discerpebat, ut in terram prolapsus volveretur spumans: usque adeo à spiritu exeunte Christi jussu, iterum dilaniatus, ut mortuus à multis haberetur: donec manu illius arrepta, à Jesu erigeretur.

Luca 13. § 7. Nonne paria cum nostris, qui maleficium pati creduntur, sensit mulier quæ infirmitatis spiritum habuit, à Satana alligata octo & decem annis, atque ita contracta, ut omnino caput erigere non posset, vinculo isto à Christo sabbati die soluta? Habeat & is hic locum, cui lingua erat ligata à dæmone, ut loqui nequiret, Matth. 9. item, qui cæcus & mutus à diabolo factus fuerat, Matth. 12.

§ 8. Quis nisi animi plane præfracti, inficias ire audebit, si hi, quos recensui, nunc temporis spectarentur, uno sane ore acclamaturos plerosque omnes, hos perversæ alicujus vetulæ artificio ita præter naturam varie exagitatos esse, misere dementatos, contractos, lancinatos, distractosque? Atqui cujus arte, dira hac calamitate illos opprimi testatur Scriptura? Dæmonis. Cujus cooperatione, aut imperio? Nullius, sed tantummodo propriæ dæmonum voluntatis malitia, & Dei permissione ex arcano ipsius consilio, ut illi vel probarentur, vel castigarentur, emendarenturve. Nec usquam in vasto veteris & novi Testamenti volumine exemplum, ubi in affligendis corporibus alicujus Lamiæ operam usurparit, aut etiam requisierit Satan, comperies: nihil illic tamen prætermissum esse, quod hujus potentiam, actiones fraudesque ostendere queat, fatendum est.

§ 9. Neque etiam alicujus opera indiget veterator ille, abunde suo marte potens ludificare homines, eorum mentis & oculorum aciem perstringere, morbis præter naturam cruciare, ulceribus ferire, aërem multifariam turbare. Per se maleficia operari diabolum, in Malleo legitur, nec in his indigere mulieris malitiosæ consensu. Sed & sagæ perditionem quærit: unde & ipsam cooperari aliquo modo cogit. Permissu tantum illi opus est, teste Gregorio, cui voluntas semper mala. Interim tamen à se designari ejusmodi flagitia, aliosque severe torqueri, & in rebus externis fœlicem impediri successum, & quæcunque alia diaboli miracula perfici, habent persuasissimum, confitenturque delusæ quædam aniculæ.

Secunda Partis quæst. 2. cap. 7.

§ 10. Eas jam dixi, diversis de causis, à dæmone ita obsidione vallatas, earum mentem tam graviter fascino læsam, cerebrum cogitatuum

gitatuum imaginationumque organum tam ratis fraudulentisque phantasmatibus & formis ob incredulitatem implicitum, confirmatumque (quemadmodum in gravibus somnis, atque etiam melancholicis usuvenire quotidie, ostendi) ut aliud nesciant, torturisque subjectæ fateantur sua esse facinora, quæ ipsarum saltem sunt phantasia, revera autem Satanæ, Deo huc connivente. Sic aliquem crebro à se læsorum recensent numerum, quorum alios occæcatos, alios mutilatos, nonnullos hoc vel illo modo à se excarnificatos, falsa opinione dicunt. Quo nomine non tam maleficæ, quam maleficio affectæ effascinatæque appellari merentur. *Lamia maleficio affecta.*

§ II. Quotquot vero tam crudeliter & multifariam, quibuscunque etiam convulsionum generibus, morbis prodigiosis, vomitu & dejectione, præter naturam torqueri, hunc vel alium imitari sonum, vocem edere, certos mendaciter notare, denominare atque accusare homines, uti atrocis spectaculi architectos, observamus: cunctos à dæmone maligno mendacique citra alterius cooperationem agi, vexarique (nisi quandoq; venenum vel propinatum vel applicatum accessisse intelligatur) ingenue fateor, atque adeo sanctissime astruo.

De rebus monstrosis ore rejectis, quas non fuisse in corpore, multis ostenditur argumentis.

CAPUT II.

Huc spectat rerum monstrosarum per os rejectio, qua præstigiator ille quorundam sensus ita præstringit, ut eas ex corporis meditullio eductas esse, dubitare nollent. Sunt autem panni lanei rudioris laciniæ utplurimum, item clavi ferrei justæ interdum magnitudinis, eorumque fragmenta, fibulæ ferreæ & æreæ, acus, aciculæ, eæque complures numero, quandoque colligatæ, vel panno insertæ, fili involucra. Hæc à me visa sunt. Nonnunquam & ossa evomuntur, subligacula, atque reliqua id genus longe absurdiora monstra: sæpius magnitudine œsophagi etiam, quoad fieri possit, in homine vivo tensi, distractique naturalem diductionem exuperantia, quibus nec alius ab ore introrsum laxior patet meatus. Quo vel unico irrefutabili argumento facile convicero, ea dæmonis subtilitate velocitateque imperceptibili, ori ingesta, nostris adhæc oculis vel celeritate ejus victis, vel fascino delusis, vel interjecto corpore aëreo aut aliter motis eo intus vel foris vel utrinque humoribus aut spiritu caligantibus. Sic nos fallaci suo machi- *Materies ore rejectas non omnes fuisse in corpore.*

machinamento multiformiter exercet ille mille artifex.

§ 2. Quum Neomagi quidam arroganter in Paschæ feriis deglutiret ovum gallinaceum integrum, quod naturalem œsophagi expansionem superaret, illud in eo coarctatum, residere nequivit, unde quoque compressa arteria mox suffocabatur.

§ 3. Si porro instes urgeasque, ea, non ex ore solum, sed penitius è corpore rejecta esse: dic quæso, quo loco antea in corpore hæserint aut delituerint; cum nullus sit corpori reliquo cum ore meatus communis, excepto œsophago, præter arteriam asperam, *Arteria aspera. Larinx.* cujus caput larynx ex tribus componitur cartilaginibus. Ejus orificium, dum respiramus, dilatatur: cum devoramus, conprimitur utplurimum, nonnunquam exacte, ob quod ligamentis membranosis nervosisque coarctatur. Ea arteria solummodo spiritum purum & impurum, recrementitiumve efflatu inspiratuque transmittit: aut humidum quiddam, puta sanguinem, pituitam, saniem, aut pus tussi expectoratum: nihilque gravius hanc, nisi cum vitæ naufragio, etiamsi exigua admodum materies dura hàc casu aberret, tolerare, manifestum est.

§ 4. *Lapillus tussi rejectus. De Abd. cap. 24. IV. 16.* Enimvero quam graves laterum dolores, cum sicca quadam tussicula triennio cum mortis periculo prius excitarit, quam ex pectore tussi propelleretur avellanæ magnitudine lapillus, narrat Antonius Benivenius. Recitat quoque Alexander Trallianus exemplum de quodam, qui longò tempore tussi vexatus, non potuit, ne valde tussiret, liberari, quousque calculum expuisset levem, durum & renitentem: & nisi consilio usus fuisset, illum similiter iis, qui tabe laborarent, moriturum censebat. Idipsum cuidam civi Duisburgensi accidisse memini. Habet adhuc meus collega lapillum fabæ magnitudine, anno 1553 à se exemptum in hospitali Pisano, ex sinistris pulmonibus cujusdam adolescentis phthisi demortui: qui jam diu tussi vexatus, prope annos tres inceperat tabe marcescere, qua tandem interiit. Lapillus est inæqualis, asper, non admodum gravis, pallescens, atque ovalis. Hac itaque ratione strictius hoc vas, durum cartilaginosumque ab illa multa, ampla, solida, varieque conformata substantia liberum esse oportere constat.

§ 5. *Oesophagus.* Hinc per οἰσοφάγον, cibo potuiq; destinatam viam, atq; alterum oris interiorẽ meatũ, è ventriculo illa rerum miracula vomitari, si imis corporis partibus antea inhæserint, necessario sequetur. Eum autem strictiorem deinde & omnino nervosum existere, cumprimis

vero

vero ejus extremitatem, nimirum ventriculi orificium, ideoque exactissimo tactus sensu præditum esse, ac levi flatu aut halitu putrido facile affici, humore etiam acri vel acido graviter pungi, sævissimaque cieri mala, norunt medici. Plerosque enim ex flatibus in ventriculo generatis, ex pituitosis, aut alioqui vitiosis humoribus, aut ex cibis in vapores ab imbecilli calore resolutis, gravissimis videas torqueri doloribus: alios ex coacervatis crudis succis, vel etiam vitiosis aut acribus in ventriculi ore, in syncopem aut præceps animi deliquium concidere. *Orificium ventriculi nervosum, & valde sensile.* *Ventriculi dolores.*

§ 6. Quosdam etiam ex alimentorum pravitate, aut malignorum humorum qualicunque copia, ut à bile admodum corrupta, aut à pituita salsa acri, excruciat cholera morbus. In quo vomitibus & dejectionibus tanto plerunque impetu biliosa excernuntur, ut cum humoribus, multis quoque exhaustis spiritibus, vires affatim prosternantur, sitiant ægrotantes, ac sudent, tremor cordis syncopeque succedant, interdum & mors acerbissima. *Cholera morbus.*

§ 7. His exactiore lance pensiculatis, collataque gravissimorum morborum, symptomatumque exitialium causa materiali, cum ingentis, durissimæ atque adeo acutissimæ materiei; velut ferreæ, æreæ, ligneæ, osseæ præstigiosa vomitione, tum etiam expulsione rei ligneæ laneæq; ventriculo & ejus sensili apprime orificio ita noxiæ, ut suffocationem plerunque quis vereatur, si in faucium partes exquisiti admodum sensus vel pilus impegerit, nedum acicula aut acus (quas etiam cum periculosa vitæ lucta vel dispendio ignoranter subinde deglutiri cernimus:) uno profecto consensu, adeoque ore uno, ob rationis veritatisq; robur, hic asserendum atque proclamandum erit, dictam rerum ore egestarum congeriem, à præstigiatore subtili celerique dæmonio in os solum & fauces imas, nec ulterius impelli, penitiusq; impingi, quasi strangulationem minitantem: acie oculorum nostrorum interim elusa, vel spiritu optico turbato, vel ejus radiis obscuratis, ne prodantur præstigiæ. Sic simpliciores exiguæque fidei homines expeditius in suam illicit nassam veterator. Aliqui vero affecti ita, ab aliis insontibus, & se magis forte piis, ipsique Christo fidelioribus, ejusmodi sibi irrogatam injuriam, malumque inflictum, mendaci Satanæ suggestione, immo ipsius factitia voce ebuccinant: id quod meis coram accepi auribus.

§ 8. Adde, quod sæpenumero nihil doloris in stomacho, ante

acutæ, pungentis, radentisque hujus substantiæ rudioris expuitionem violentam senserint. Quum fieri nequeat, quin in ea hujusmodi rerum copia, una transversè acta, facile alicubi inhæreat, quæ suos pariat continuos postea cruciatus. Quemadmodum de muliere quadam, quæ acum æneam deglutierat, tradit Benivenius. Unde primum nihil sensit incommodi. Inde cœpit eam circa ventriculum urgere dolor satis acutus. Quo dum indies magis magisque affligeretur, plures consuluit medicos, nihil de acu vorata, quæ memoriæ penitus exciderat, referens. Variæ fuerunt hinc inde sententiæ. Alii enim ab acriore humore, alii à vento inter stomachi tunicas recluso, cæteri vero ex malo habitu excitari hoc malum putabant. Sicque annis jam decem ex una acu, urgente dolore acerbo, miserrimam illa trahebat vitam: donec acus perforato ventriculo se prodidit, prodiitque. Se acum & vidisse, & mulierem curasse, addit Benivenius.

De abditis morb. causis cap. 20. Ex acu deglutita noxa.

§ 9. Quid ego in hujusmodi casu haud ita pridem viderim, observaverim, fecerimque, paucis subjungam in illorum gratiam, qui me operæpretium præstitisse judicabunt. Mulier quædam honesta, nomine Helwicha, infantem curatura Dusseldorpii in Martio anni sexagesimiquarti supra sesquimillesimum, aciculas ore retentas duas, unam magnam, alteram minorem, forte quum pueri easdem verteretur, deglutiit: hærebantque eæ aliquot horis palmam latam sub larynge cum dolore pungente & multis angustiis. Ad quam tandem accersitus, ut nihil cibi aut potus prius offerretur mandans, quam incurvo forcipe subtili, quem sine mora adferri jubebam, num retrahi possent tentassem. Vix dum me digresso, sorbitiuncula propinatur, qua in gulæ partes inferiores paululum supra ventriculi orificium illæ deprimuntur. Ubi novo cruciatu exorto, doloreque pungitivo, revocatus, jussi cerevisiam cum butyro & pane secalino, nostratibus consueto, crassiusque inciso, exhiberi satis copiose, atque eam decubitu erecto dormire: nox etenim erat. Sic aciculas ad ventriculi sinum impelli potuisse arbitratus sum: nec enim ita infixas vomitu has partes contrahente, altiusque eo nisu impingente, reddi tuto per fauces potuisse sciebam. Hoc modo hora tertia matutina panis illius pondere ad ventriculum depressæ sunt. Inde eam secundo die alvi jusculis pinguibus, cerevisiaque butyrata. Decubitus tum imperabatur in dextram, ventre libero, pulvinaribus suppositis fœmori & brachio, ut minus impedite ex

ven-

ventriculo per pilorum ad intestina descenderent acus. Ante vesperam quum surgeret, eam corpus velut in æquilibrio conservare, nec hinc inde inflectere, ne inæquali motu alicubi in intestinorum anfractu figerentur aciculæ, sed ut erecta citra ullam corporis inflexionem moderate inambularet volui, quò cum excrementis convenientius in intestina magna siderent acus. Deinde fæces, quas primum exoneraret, studiose in vase conservari jussa, eas postero mane reddidit, iisdemque in aqua dissolutis, apparuerunt aciculæ: altera vero longa nonnihil erat incurvata. Ac licet ab his jam secura esset, tamen graviter adhuc paucos dies ægrotare videbatur, vel ex concepto metu, vel alia de causa: brevi tamen restituta. Jam ad institutum.

§ 10. Ad cujus assertionem quoque facit, quod, tametsi mox vel paulo longius à cibo subsequatur vomitus hic ludibriosus, nihil tamen cibi vel chyli appareat mixtum: quod à me diligenti inspectione observatum est. Adhæc e vestigio ab ejusmodi dura, acuta, multiformique re expulsa, qua omnino ventriculum & œsophagum lancinari, radique, si profundius, quam ex oris cavo rejiceretur, oporteat, innoxie quasi in iis locis illæsi comedunt. Hoc à me non semel circiter annum quadragesimum octavum supra millesimum quingentesimum, apud Geldrorum Arnhemiam, ubi tum stipendio publico medicabar, visum est: quo hominum hisce modis à dæmonio exercitorum adducebantur plaustra, quorum ventriculum (in quo eas res portentosas supradictas resedisse necesse est, si ex imis corporis partibus, quod omnium prope erat judicium, expellebantur) quum ante & post vomitionem summa diligentia vigilantique studio in multorum conspectu contrectarem, valideque sursum ac deorsum pugno, palma & digitis vario torquerem modo, ut, si quid grandioris, asperæ, acutæque materiæ in illo contineretur sinu, non amplius posset latêre, sed renisu in duriorem ultro citroque impellentem manus meæ, hinc etiam suam læsionem sensuræ, contrectationem se detegeret: vel nausea, ob non levem certe ejusmodi palpitationem, violenter concita rejiceretur: nihil prorsus tamen animadversum est unquam eo momento evomi, nec ullam à contentis putatis injuriam sensit ventriculus. Quod omnino fieri nequivisset, si altius, quam ex sinuoso oris hiatu prosiliisset, objecta oculis nostris ex ore materia.

Historia memorabilis de puella dæmoniaca, quæ à Lamiis cruciari dicebatur, ubi de crucis signo nonnihil agitur.

CAPUT. III.

Historia admirabilis de puella dæmoniaca.

PUELLA vero, sedecim plus minus annos nata, ea ratione à me habita contrectataque, post alicujus moræ intercapedinem facie observabatur à patre, & altero, qui his ejus moribus assueverant, vomiturire. Cujus os cum mox vigilanter & defixis oculis intueri studerem, eodem inspectionis momento instratam linguæ panni lanei rudioris nigri laciniam video: in quam digitis incunctanter injectis, appendices prodigiosarum rerum dictarum ex oris parte altiori, quo eas in ventriculo antea non latitasse ostenderem (id quod paulo ante ibidem latius persuadere conatus fueram) emulgere volui. Frequenter enim sic propulsam antea fuisse varie congestam simul materiem, narrabat parens: ostensis quoque veritatis documentis, utpote panno rudi nigro, cui aliquot acus & aciculæ infixæ, filoque convolutæ adhærebant, item clavorum ferreorum vetustorum fragmentis. At quod meis objectum dixi oculis, attriti panni nigri laciniosum rudimentum, vix sputo irrigatum erat hora etiam tertia pomeridiana, post solitum quoque prandium: quo tempore illud crudo cibo vel chylo oblitum esse oportuit, si reddidisset ventriculus. Ut autem aliquam opinionem, qua ex stomacho id projectum esse induceremur, relinqueret Satanas, Quam amarum hoc est, inquit mox post ablationem puella, voce à natura prorsus aliena, puerili & sublallante, à dæmone haud dubie elisa, teste Augustino: qui ejus lingua diabolum uti affirmat, cujus corpus intraverit.

Lib. Quæstionum. quæst. 31.

§ 2. Atrox vero paulo ante spectaculum, mereque tragicum, aliquandiu durans in hac puella ediderat tortor ille, quo puellæ os, ut prorsus obmutiret, arctissime constringi, manus atrociter convelli, oculos torve intorqueri, corpus denique totum horrendo certe cruciatu exagitari contuebamur: nec citra crucis consignationem, manus aut os aperiri posse, asserebat pater cum suo comite: à me autem, qualicunque in Deum fiducia contra dolosam diaboli hypocrisin, absque illius signi impressione tandem diducebantur, restituebanturque.

§ 3. Non

§ 3. Non quod cruci quicquam derogatum velim: sermo enim crucis potentia Dei est iis, qui salutem consequuntur. Hæc autem non in signo, sed in CHRISTI crucifixi imitatione consistit, ut nimirum ipsius vestigiis insistentes, nos ipsos abnegemus, & crucem nostram tollamus quotidie, & sequamur illum. Judæi signum quærunt: sed Paulus prædicat Christum cruci affixum. Per hunc nos corroborantem omnia possumus. In hujus nomine expulerunt dæmonia Apostoli. Non crucis signum timet diabolus, sed ipsam crucem, vel cruciatum aut punitionem. Proinde Christo oblatrat: Venisti ad cruciandum nos ante tempus? Et si quid picturis aut statuariis credendum est, nusquam cruci Christi latronum cruces affingi videmus, quarum sinistræ non terribilis insideat dæmon.

1. Cor. 1. *Sermo crucis, potentia Dei.* *1. Pet. 2.* *Matth. 16.* *Marc. 8.* *Luca 9.* *1. Corinth. 1.* *Philip. 4.* *Non crucis signum, sed ipsam crucem timet dæmon.* *Matth. 8.*

§ 4. Nec interim ignoro, Arabes philosophos crucem cœlestium fortitudinem dicere, quod eorum fortitudo per rectitudinem angulorum & radiorum resultaret: & stellæ maxime fortes essent, quando in figura cœli quatuor obtinerent cardines. Ruffinus quoque in Sacra historia narrat, crucem ab Ægyptiis sacerdotibus inter Sacras literas relatam, cujus vis portendebat salutis spem hominibus, credentibus CHRISTO Salvatori nostro. Hieronymus Demetriadem hortatur, ut crebro signaculo crucis frontem muniat, ne locum in ea exterminator Ægypti inveniat. Et ad Eustochium, de Custodia virginitatis: Ad omnem, inquit, actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem. Idem Tertullianus dixerat: Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad limina & cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem signaculo terimus. Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostulas Scripturarum, nulla legis traditio tibi prætenditur: auctrix consuetudo, confirmatrix, & fidei observatrix.

De corona milit.

§ 5. Crucis etiam signo dolos dæmonum propelli, docet Athanasius. Factum quoque per Marcellum Episcopum Apameiæ, crucis signaculum in aqua cum fide aspergenda, ad dæmonis ex Jovis templo comburendo expulsionem, qui aquæ virtutem non tulit, commemorat historia Ecclesiastica Tripart. Signum jure suggillet nemo: sed ejus abusus.

De Humanitat. verbi. De hac re quædam in vita D. Justina. *Lib. 9. cap. 34.*

abusus omnino accusandus est, maxime si, qui crucifixo & vivæ in eum fidei debetur honor, ad crucem referatur. Sed ad incœptam historiam redeamus.

§ 6. Ubi deinde curationem mali puellæ dictæ promitterem, illius puerilis vocis sono, sibi nihil rei velle mecum esse, & me astutum esse, atque, En quam callidos habet oculos, respondit. Percunctante præterea me, num hujus calamitatis authorem cognosceret? eadem lasciviente pueriliter voce respondens, honestam (meo quidem judicio) matronam eodem tempore in custodia detentam ob incantationis peractæ suspicionem insimulat. Quæ tamen postea manumissa, domum avehebatur libere, una cum matre & duabus aliis mulierculis, propter maleficii crimen illis falso intentatum, jam integrum mensem captis.

§ 7. Illud quoq; hic silentio minime prætereundem censui, puellam hanc, illas panni lacinias, fila, aciculas, acus vel clavos ore nunquam rejecisse, quam quum à dolore qualicunque, ob incredulitatem (quod à causa naturali ex abstrusa Dei voluntate dolor ortus, minus agnosceretur, sed imputaretur maleficæ, ac ad illicita confugeretur consilia) prius Amersfortum, proximum illius habitationi oppidũ, ad sacrificum vel templi custodem (ni fallor memoria) itum esset, qui aquam (consecratam opinabantur) numismatis *Snapphani* precio divẽdebat, qua propinata prodigiosus hic ciebatur vomitus.

Vnde diabolo illudendi narvus accreverit.

§ 8. Ad hæc siquidem ludibria maxime Deus connivere solet frequenter, ubi ab ipso & naturalibus mediis, in hominum usum divinitus ordinatis, contra manifestum Dei mandatum, fide Christiana postposita ad Satanam curritur, vel ejus angelos: quales hi censentur, qui hujusmodi aquam vel ex baptisterio sublatam, vel aliter impie lustratam, aut cereæ paschalis thus, aut ejusdem religionis nomine sacratas res alias, ausu vetito nefarioque, in conceptæ de maleficio opinionis iniquæ, diaboli instinctu, confirmationem, lubricæ fidei hominibus offerunt.

Deut 18. Levit. 19. 20.

Ob historiæ superioris connexum, obiter hujus puellæ, & reliquorum secuta sanatio post benedictionis formulam recitatam à fœminis eo nomine captis conjungitur.

CAP. IV.

PORRO fœminis, quarum paulo ante memini, incarceratis, ac in concilium productis, cum à Senatu Cæsareo imperaretur, ut ho-

ut hominibus plurifariam excruciatis, ob maleficii suspicionem formula benedicerent præscripta, nimirum, Benedico tibi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, in tuis bonis, sanguine & armento: eæque imperata facerent, evestigio sanabantur ægroti. Benedicebatur autem quilibet ab ea, quam sui tormenti genitricem, vel dæmonis aut ejus ministri accusatoris Pythii, custodia quoque coërciti suggestione putaret. Ne Lectorem interrupta historiæ series remoretur turbetque, ea hic paucis prosequar, quæ alioqui ad sequentis Libri argumentum pertinent. *Formula benedictionis vulgo in maleficii curatione usurpata.*

§ 2. Hic sanciebatur ille omnium ore tritus canon: Quæ ligavit, eandem quoque solvere necesse est. Quæ vero hujus sententiæ sit absurditas, hoc colliges modo. Si Lamia est, suam habere cum cacodæmone communionem & fœdus, ejusque ope alios variè crudelibus colligare torturis (quæ vulgi est opinio) eosdem quoque pro suo arbitrio, ab eo suo & Satanæ opere, cruciatibus *scilicet, solvere*, ipsius dæmonis ope, qua antea ligaverat, existimatur. Serva autem est & mancipium illius, cui se pacto & stipulatione obstrinxisse creditur: ut hanc sane nihil divinis posse verbis peculiariter efficere, certius fidas. Quibus recitatis si aliquid virium erit donandum, per fideles Ecclesiæ ministros, piæque moneta homines ea pronunciata, citius suum ex Dei nutu sortientur effectum, quam per eas, quæ Dei societati ex professo renunciasse, bellumque velut hostes indixisse judicantur. Quinimo, quicquid diabolus ligat, id Christus, ejus Apostoli ac ministri solverunt, imo ipsum à suo opere deturbarunt. Peculiare hoc Christi fuit ministerium, cujus nomine apparuit. Nec etiam ob qualemcunque incredulitatem, Satanæ vexationem inhibere, ipsumque fugare potuerunt *discipuli*: quod graviter illis à Christo exprobratur. Quid ergo in ejusmodi dæmonum vexatione & obsidio valebunt Lamiæ, Beelzebub (ut creditur) obstrictæ? *Quæ ligavit, eandem non solvere necessario.*

§ 3. Nostri Canones, ratio & usus docent, Contrariorum esse medicinam. Christus cum à dæmonio vexatum cæcum & mutum sanasset, atque à scribis & pharisæis, Beelzebub principis dæmoniorum præsidio dæmones expellere diceretur, eos confutans ait: Quomodo potest Satanas satanam ejicere? Et, si regnum adversus sese divisum fuerit, non potest stare regnum illud: &, si domus contra seipsam divisa fuerit, non potest stare domus illa: &, si Satanas insurrexerit adversus semetipsum, *Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11. In nomine dæmonis nihil boni fit.*

ac divisus est, non potest stare, sed finem habet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.

Ab impio suam non vult Deus prædicari gloriam. Psal. 49.

§ 4. Nec etiam ab impio suam gloriam, quæ in sanandis in ipsius nomine hominibus elucet, velle prædicari Deum, his divinus vates docet verbis. Impio autem dicit Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Quum odio habeas disciplinam, & verba mea post te abjicias. Os tuum addixisti malo, & lingua tua dolum concinnat. Hinc palam est, ejusmodi curatione, eas incantationis aut maleficii reas esse non posse convinci, & superiorem canonem enervem existere.

§ 5. Eleganter hic dixit Origenes: Magi nesciunt benedicere, quia dæmones nesciunt benefacere. Quod autem sanentur, non alia profecto fit ratione, quam, quum hæc corpora *Dei permissu*, ob incredulitatem exercuerit diabolus, in hac ut afflictos & astantes, & quibus inusitatum id malum innotuit, tum demum magistratum, confirmaret, non coacte, sed ultro ac suapte sponte cedit: licet se compelli simulet, quo magis fallat, illaqueetque: atque indubitatius eo modo credatur, illas mulierculas benedictionis verba recitantes, quanquam innocentes, esse tamen sagas: & alios fide vacillantes, spirantesque vindictam suis technis irretiat: ac sententiæ inconsideratæ reum magistratum, in carnificinam insontium fœminarum, & punitionem, voracesque flammas invitet. Ita enim suarum rerum pro viribus satagit, ut ab initio in veritate non stetit: quicquid loquitur & agit, mendacium est, vel falsitatis fermento conspersum: quum optima agere & loqui videtur, homicidia struit, & mendacia architectatur, ut animas illaqueet & perdat, homicida à rerum primordiis. Destitit itaque in his ægrotis à læsione, quam ipse intulit.

De materie varia ac dura, Pauli Grillandi sententia.

CAP. V.

Tractatuum volumine 10. de sortilegio.

Huc quum faciat singulare D. Pauli Grillandi, jurisconsulti clarissimi, judicium; id adscribendum duxi. Alias vidi, ait, sæpenumero, quod maleficio infecti, ubi liberationis remedium usurparant, frequenter ex ore evomerent, vel per secessum exonerarent acus, capillos, ferramenta, clavos, plumas, sulphur, lapillos, & res denique tales, quas maleficio læsum vorare potuisse, erat impossibile: non solum integras, sed nec fractas, nec minute in frusta concisas.

concissas. Unde quid mirandum videtur. Sed dic, ut quidam censuerunt, Satanam ad majorem hominum deceptionem facere dictas apparere species extraneas in resolutione facturæ, ut res miranda magis videatur: quandoquidem inspiciuntur & considerantur ea esse talis naturæ, formæ & qualitatis, ut impossibile fuerit, talia potuisse ingredi in corpus malefitio læsi per aliquam partem naturaliter: sed in rei veritate non sunt species naturales. Et quod verum sit, hinc apparet, quia illa ejiciuntur per vomitum vel secessum: atque ita inter materias illas liquidas apparent à principio, cum primum è corpore emittuntur. At si servaveris illas materies biduum aut triduum, aut dies quinque, quemadmodum ego aliàs studiose servari feci, videbis omnia ea liquefacta penitus, & ipsarum formas periisse totas. Quod si naturalia essent, profecto in sua priori sive primæva forma remanerent, nec possent per aliquos liquores aut humiditates corrumpi, maxime ferrum & lapides, propter eorum naturalem duritiem: ut manifestum est omnibus. *Dura materies vomitu ejecta liquescit.*

§ 2. Quidam alii dixerunt, dæmones, ut res miranda videatur, tunc temporis, quando maleficio affectus irritatur ad vomitum, vel ad ventris opus, velocissime & invisibiliter afferre ibi species illas sive materias, de quibus supra, veras & naturales, quas aliunde acceptas eo attulerant.

§ 3. Sed nota, licet dæmon potentia sua naturali hoc quidem posset, & tam dextro modo illas inserere in vomitu & stercore maleficio agitati, ut nullus hominum adverteret: prior tamen opinio magis mihi placet, esse scilicet apparentes species sub illis formis non naturales. Et, quod hoc verum sit, apparet ex ratione prædicta: quia communiter non durant sub illa forma, sed brevi tempore in illos resolvuntur liquores, cum quibus mixtæ prodierant: uti ego frequenter vidi, & manibus propriis contrectavi, quæ à principio, ut dixi, apparebant veræ & naturales, & retinebant in se nescio quid duri: tamen brevi tempore, ut dictum est, resolvebantur & peribant. Hæc Grillandus. Acuum quoque, ossium, capillorum, & id genus reliquorum rejectionem per os, technas esse, sentit Cardanus. *de Variet. xv. 80.*

§ 4. Alteram Grillandi sententiam magis probabilem sentio: nec enim quilibet humor in tantam concrescere potest duritiem, quale est ferrum aut æs: nec siccam constituere materiem, cujusmodi pannum laneum aut lineum experimur: nec viceversa in li-

quorem resolvi queunt substantiæ tales duræ & siccæ. Quod post dies paucos humorem solum dicat conspectum, aliarum rerum formis perditis, id equidem admitto: sed humor is est; qui antea simul cum reliquis duris aridisque quisquiliis fuit rejectus. Has autem interea temporis à dæmone, qui in hoc ludibrium illas advexit, orique inservit, rursus fuisse sublatas, non est, quod ullus dubitet. Nec etiam panni rudioris laciniam ex puellæ ore à me extractam, in humorem postea solutam memini.

Supra cap. 3.

Historiæ dæmoniacorum, qui à Lamiis affligi credebantur.

CAP. VI.

De Abditis morb. causis cap. 8.

Maleficio læsa mulier clavos & acus vomit.

Accidisse suis temporibus novum & admirandum morbi genus, tradit Antonius Benivenius. Mulier sextum decimum agens annum, ab ima ventris parte dolore exorto convellebatur manibus. Cumque in horrendum clamorem erumperet, intumescebat ilico totus venter, adeo ut uterum crederes gestasse octo menses: & voce exhausta, ubi per totum cubile hinc inde rejectans sese, & plantas interdum cervici connectens resiliebat in pedes, iterum procidens ac exiliens, isthac ipsum identidem factitabat, quoad paulatim ad se reversa, quoquo modo recrearetur. Interrogata quid egisset, penitus ignorabat. Nos vero ejusmodi morbi causas inquirentes, arbitrati sumus hoc malum ex matricis suffocatione, & vaporibus malis sursum elatis, ac subinde cor & cerebrum ferientibus, provenire. Sed quum medicamentis nihil promoveretur, ea ferocior facta, ac torvis oculis circumspiciens, tandem prorupit in vomitum, quo longiores & recurvos clavos, æneasque acus, una cum cera & capillis conglomeratis rejecit: & novissime ex jentaculo frustum tantæ magnitudinis, quale integrum nullius deglutiissent fauces. Cumque idipsum sæpius etiam vidente me factitasset, teneri eam arbitratus sum spiritu malo: qui dum hæc ageret, spectantium oculos perstringeret. Quare ecclesiasticis medicis commendata, manifestioribus deinde signis & argumentis rem comprobavit. Nam & nos eam vaticinantem audivimus, & ea prætetea agentem vidimus, quæ omnem morbi vim supergressa, humanum etiam captum excederent. Hucusq; Benivenius.

§ 2. Hæc omnia certe in corpore non fuēre, sed diaboli oculos spectatorum effascinantis, ne hujus materiæ in os impulsio animadverte-

verteretur, præstigiis & celeritate in os solum illata sunt, & tanquam vomitu mox ejecta. Id œsophagi huic materiei imparis angustia, illæsus post vomitum ventriculus, & ante vomitum, ut supra dictum est, ventriculi robur testantur: quæ profecto minime erant expectanda ex acie, & durissimæ substantiæ inæqualitate. Si ea eructavit ventriculus, quando usque adeo insensibiliter ingesta sunt, aut unde tam innoxie revomuntur, potissimum ore ventriculi ita sensili, ut vel pauco humore acri extreme affligatur?

§ 3. Meinero Clatsio, nobili in arce Bontebroeck, sita in ducatu Juliacensi, famulus erat Guilielmus nomine. Hic ante annos quatuordecim à dæmonio exagitatus, primum habebatur ægrotus, sibique ex diaboli instinctu confessionarium expetivit pastorem in Gerad Bartholomæum Panen, qui suam in curando maleficio locare solet operam: quare etiam in dæmoniacæ fabulæ scenam requisitus, non omnino κωφὸν πρόσωπον agere potuit. Huic dæmoniaco cum ad faciei etiam livorem intumesceret guttur, eumque suffocatum iri timeretur, ad orationem confugit Judith Clatsii conjunx, pia matrona, cum reliqua familia. Inde præter reliquas quisquilias ex Guilielmi ore extrahitur anterius opilionis subligaculum, silices, eorumque fragmenta, filorum sphærulæ, puellarum capillitium, acus, lacinia panni subditicii ex pueri veste, pavonis penna, quam ante octiduum ex pavonis cauda Guilielmus adhuc sanus evulserat. Rogatus mali hujus causam, respondit, circa Camphusium obviam se habuisse ignotam mulierem, quæ in faciem illi inspirasset: atque hinc, quicquid id esset calamitatis, invectum esse. Restitutus vero, negavit hoc ita accidisse: sed à dæmone inductum se fuisse, ut hæc diceret, confessus est: addens, eas prodigiosas materies non in suo fuisse corpore: sed cum una spectaretur, alteram continuo à diabolo faucibus fuisse ingestam. Aliàs nummosos sibi loculos à dæmone donatos lætabatur, eosque in lecti stramine repositos esse. Quæsiti vero; inanes sunt inventi.

Hic forte mulier agebat falso maleficii suspecta, cui iis technis notam hanc gravius inurere conatus est diabolus, ut manibus injectis illa ad supplicium raperetur.

§ 4 Non absimile est, quod in Francisci vita legitur, cum is ejusque socius turgidos invenirent loculos, Franciscus vero dæmonis præstigias, tentationesque animadverteret, eosque propter ea aversaretur, pecuniam exemptam pauperibus dari voluit ejus comes: eoque loculos consensu Francisci arripiente, in manibus serpens apparuit, mox evanescens. Postea visum est musculus animalculum ex ore dicti Guilielmi excurrere. Quare e vestigio *Fol. 24.*

sub lectum se dejecit, quæstus musculum fuga sibi excidisse: lectum vero repetens, se reperisse narravit. Sæpius inde vim sibi inferre velle videbatur, fugamque aliquoties adornare: quapropter, quum semel in porcino sterquilinio inventus, extractusque arctiori coerceretur custodia, tam firmiter ejus occludebantur oculi, ut nulla vi horum cilia possent diduci distrahive.

In illius vitam non est diabolo permissa potestas.

§ 5. Accedens tandem maxima natu filia Clatsii Gertrudis, jam annum agens undecimum, hortatur eum, ut apud Deum visus restitutionem exoraret. Ut autem pro ipso puella oraret, eandem ille rogat. Quæ Deum implorans, illius oculos inde cum magna omnium admiratione aperit. Sæpius adhæc illum diabolus admonuit, ne heram multa de Deo effutientem, vel alios audiret: à quo semel mortuo, quemadmodum frequenter in publicis audivisset concionibus, nequiret juvari. Cum etiam hic alias ancillam culinariam impudentius attrectaret, atque suo hinc nomine nuncupatus redargueretur: horrenda raucaque voce respondit, se non Guilielmum, sed Beelzebub nominari. Putasne ergo nos te verituras? ait hera: cui enim nos fidimus, re infinitis superat modis.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Psal. 8.

§ 6. Quapropter Clatsius zelo impulsus, undecimum Lucæ caput (ubi ejecti virtute Christi dæmonis muti, & Beelzebub principis dæmoniorum fit mentio) præsente familia, attente legit, ac in Christi nomine Satanam cedere jussit. Tandem energumenus hic velut in animi deliquium lapsus, sedate tota nocte jacuit ad horam usque matutinam: qua recreatus jusculo, ad parentes avehebatur sanus prius, actis hero heræque gratiis, imprecatus quoque illis Dei remunerationem ob passam jacturam. In itinere autem loco plano evertebantur bigæ, nihilque postea dæmoniacæ vexationis sensit unquam. Duxit interim uxorem, prolemque sustulit, & adhuc superest, ac vescitur aura æthera.

Ejusdem argumenti historia.

CAP. VII.

QUÆSTORIS filius Morsæ adversa nonnihil afflictus valetudine, eam credidit inductam à muliercula, cui herbarum plenum corbem in porcorum pasturam attulisset: quod gratiis actis ipsius pressisset humerum. Unde territus eo tempore puer, cœpit paulatim, etiam animo dejecto, pejus habere. Hinc trica fœminei capillitii nigri & cinerei sicca, citra alterius materiæ admixtionem, excerni visa est. Tandem admiranda magis, puta setas porco-

porcorum, pelli etiamnum inhærentes, ita siccas alvo deponebat, ut papyro conservarentur: interdum similia cum excrementis dejiciebat. His ludibriis circiter medium fatigabatur annum: quæ dein pedetentim, ut cœperunt, evanuêre. Nec dubium est, ea ob parentum & adolescentis incredulitatem fuisse permissa: quod quum hic secundum naturæ ordinem nonnihil morbo gravari conspiceretur; eum non in naturæ vitium, aut Dei voluntatem, sed in mulierculæ impressionem retulerunt. Eam itaque delusionem diabolo, quibus explicatum est modis, permisit Deus, donec fortassis resipuêre.

§ 2. Novi item cujusdam viri consularis conjugem, cujus alvus sæpenumero arenam reddere videbatur, diabolo colludente, conniventeque Deo: quod ægrota ad illicita maleficorum divinorumque auxilia confugisset, contra divinæ Majestatis edictum, impias horum hominum actiones comprobans. Cui certam polliceri opem cum Dei gratia, si imperata faceret, audebam. Morbum siquidem, quo afficiebatur, ex naturali causa ortum esse judicabam: at arenę dejectione, quod incredula ad vetitum declinasset consilium, eam à Satana ludificari, dictabat animus. Frequenter etenim hoc usu venire videmus, ut quum à naturali quis infirmetur causa, Deique (qui naturalium rerum usum docuit, atq; eum nos affectare & inquirere voluit) potentiæ diffisus, voluntatique immorigerus, ad dæmonii clientelam consulturus cum Saule accurrat voluntarie, in reprobum tradatur sensum, ludicrisque maligni objiciatur illudendus. *Arena per alvum mulieris reddita. Deut. 18. Levit. 19. 20.*

§ 3. Dordraci ad insigne D. Ewaldi, duas haud ita pridem habebat filias Joannes Theodori, quarum altera in quibuscunque suis domesticis actionibus atramentum evomere videbatur, sine ullo invaletudinis sensu, altera vero canum latratus invita imitabatur. Ad rei prodigiosæ conspectum aliquoties clam accitus eximiæ pietatis vir ex ipsius petitione, semper ad ejusdem adventum, quicquid id erat ludibrii dæmoniaci, desiit, ut nec unquam ille videret vel audiret. Novit illas optime conjunx mea altera, Henrica Holtia; mire diabolicis præstigiis ex viva fide inimica.

§ 4. Commemorat Cardanus, probum quendam rusticum & amicum, qui facilius decipi poterat, quam decipere, sic ipsi narrasse, quod morbo incognito plures laborarit annos: quo tempore excantationibus sæpius vitrum, clavos, & capillos evomuisset: & quanquam demum restitutus fuisset, tamen in eum diem, quo hæc referret, sentire se in ventre asseverabat maximam vitri confracti congeriem, *De Variet. rerum lib. 16. Vide lib. 3. ca. 14. supra.*

tiem,

riem, somnumque non levem, quasi quis saccum vitri fragmentis plenum concuteret, à quo non parum vexaretur. Tum vero singulis octodecim noctibus septima hora, etiamsi horarum numerum non observaret, totidem ictus annis octodecim, quibus jam sanatus fuerat, in corde maxima cum molestia perferre. Quis in eo organo, diaboli ludibriis ob simplicitatem apto, non videt dæmonis actus, præstigias & vexationes priores & posteriores?

Rusticus horarum ictus in corde sentiens.

De pueris dæmoniacis

CAP. XIII.

AMSTERDAMO, quod Hollandiæ emporium est maritimum, ejusmodi historia scripta est amplissimo viro D. *Hadriano* Nicolai, apud Geldros Cancellario, decimo octavo Martii anni sexagesimi sexti supra sesquimillesimum. Elapsis octo aut decem septimanis cœperunt in hac civitate horrendo modo torqueri pueri circiter triginta, veluti mania aut furore subito correpti, & in terram prostrati, cum intermissione tamen, durabatque hic cruciatus horam integram vel dimidiam. Inde surgentes, nullius prorsus meminêre tormenti aut rerum tum actarum, verum se solummodo dormiisse putabant. Consulti ibi medici ob morbum creditum naturalem, nihil effecêre. Postea, ob maleficii suspicionem, ad ejusdem curatores itum est, qui suis deprecationibus variisque aliis ejus amoliendi rationibus tandundem promovêre. Tandem quod à dæmonio obsideri crederentur, ab exorcistis non paucis rogatum est consilium, quod ignoranter multa ingenii captum & ætatem superantia effarentur pueri. Illi primum suo more legerunt, conjurarunt, & reliquam suam armaturam adversus dæmonum insultum usurparunt; verum nullo successu. Dum lectiones adhiberentur, acus plurimas vomitu rejecêre pueri, aciculas quoque, digitalia, panni lacinias, ollarum frustra, vitra, crines & id genus alia: nulla autem hinc subsequuta est integra curatio. Recurrit etenim hoc malum aliquoties, exhorrescentibus interim iis, qui astant, ob rei incredibile spectaculum. Aliorum relatu vera hæc esse scio.

§ 2. Hic paucis meam subjicere sententiam placuit, nimirum quod ad legitima non confugeretur consilia, Deum permisisse diabolo perstringere astantium oculos hujuscemodi materiebus ore projectis, quæ in corpore neutiquam fuêre, nec per arctas

puerorum fauces, nec angustum œsophagi meatum aut intro ferri aut foris propelli à dæmone potuêre. Qui tamen horrendum hoc spectaculum oculis omnium objecit in tam celebri loco, ut maleficii & incantationis non modo suspicionem inveheret & augeret, sed magis insontes mulieres ejusdem reas statueret, propterea ignis holocausto postea absumendas: ne innoxii sanguinis fusio negligeretur, atque ut maleficii credulitas impia altiores in animis mortalium radices ageret, & rumor hic ex loci celebritate longius latiusque disseminaretur. Sic non temere, sed cum multo fœnore sibi hujuscemodi tragœdiæ finem aliquem decernit veterator ille.

§ 3. Permittit vero Deus frequenter tale crucis exercitium, ut probetur fidei nostræ firmitas. Interim, ne insontibus pueris nocumentum aliquod à dæmone accederet, sedulo cavit. Sic & anno quinquagesimo quinto supra sesquimillesimum, Romæ in orphanotrophio puellæ circiter septuaginta, simul una nocte factæ sunt dæmoniacæ: unde ne quidem una post biennium fuit restituta. Cæterum genuinam mali ejuscemodi fugandi rationem circiter Quinti libri finem comperies.

Cardan. libro 14. cap. 76. de Variet. rer.

De quodam, cui vivo exectus clavus, & post mortem cultri, lignum, ferramenta.

CAPUT IX.

CÆTERUM illud, quod à Christi nativitate, anno millesimo quingentesimo tricesimonono, in quodam Eichstetensis episcopatus pago Fugenstal, accidisse perhibet multijugæ lectionis vir JOANNES LANGIUS, illustrissimorum Principum Palatinorum Rheni medicus doctissimus, omnem superaret fidem, nisi oculati spectatæ fidei testes adhuc superessent. In hoc pago Ulricus Neusesser agricola, cum crudelibus dolorum tormentis circa alterum hypochondrium conficeretur, subito clavum ferreum sub illæsa cute manu apprehendit, quem chirurgus, illic balneator, novacula exciderat. Nec tamen cessarunt dolores, sed indies magis incrudescebant. Quapropter, cum nec aliud doloris remedium fore miser, quam mortem, suspicaretur, arrepto cultello, sibi guttur abscidit. Itaque dum tertio die ad sepulchrum mortuus efferretur, aderant tum Eucharius Rosenbader ex Weissenburg, Noricorum oppido, ac Joannes ab Ettenstet balneator, qui astante magna hominum frequentia, demortui agricolæ ventriculum inciderunt, in quo lignum

Libro 1. Epist. 38.

Clavus ferreus sub illæsa cute latens & excisus.

Lignum & cultri in ventriculo inventi. teres & oblongum quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim instar serræ dentatos, ac duo ferramenta aspera repererunt, quorum singula spithamæ longitudinem excedebant: aderat & capillorum instar globi involucrum. Sed quid potissimum hic admiraberis? an, quomodo tot & tanta ferramenta in ventriculi cavitate contineri potuerint? an, qua arte sint ingesta? Certe non alia, quam dæmonis astu & dolo. Hæc Langius.

§ 2. Ulrico etiamnum superstite non ea in ventriculo hæsisse, ut nec clavum sub illæsa cute in carne ante sectioné vere impactum fuisse, ausim dicere. Enimvero illis locis ex mala intemperie, aut humorum acrium affluxu, vel flatuum copia, hujusmodi poterat provenisse dolor, qualem in iliaco & colico affectu experimur. Constanti autem opinione sinistra de maleficio jam fortassis *ægrotus*, vel astantes, vel utrique ducebantur, dæmonis, vel illius clientelæ, magis veriti voluntatem malignam, permissasque vires, quam Dei patrocinio & incomparabili potentiæ fisi. Diabolo itaque traditi sunt illudendi, ut in carnis, antea nonnihil duræ & tensæ vel à *materia*, vel flatu, vel dæmonis astu ita apparentis, sectione clavum, & in aperiendo stomacho reliqua hæc rerum monstra ingesserit, perstrictis secantium oculis; quo id, in cujus finem hanc instituerat tragœdiam, nempe incredulitatem, stabiliret. Ubi scilicet in rebus *adversis, Deo* relicto, ejusq; mediis ex gratia donatis ab eo, qui languoribus nostris vere mederi potest, perfidi; Satanam nimium in corpus hominis, Dei scilicet creaturæ, ad ipsius similitudinem formatæ, posse concedimus, extra ejus potestatem in mutanda rerum natura, aut materia aliqua duriori & acuta, certam meatuum, per quos inferri oporteret, proportionem exuperante, illęse & insensibiliter penitius ingerenda, impellendave. Oesophagum enim & fauces vel quamcunque aliam partem latius diducere & extendere nequit dęmon, quocunque suo artificio, quam ex prima creatione ferant: quemadmodum aliàs fusius ostendi. Si vero clavum ferreum ante sectionem in parte latuisse affecta urgeas, quando tam insensibiliter cedo impressus fuit, citra cutis vel carnis læsionem? quur etiam execto clavo cruciatum, ut putabatur, excitante, non desiit in altero hypochondrio dolor? Sublata enim causa tollitur effectus. Qui canon physicis est celebratissimus. Et, quæ post mortem sectione in ventriculo inventa fuêre, ea inter secandum, citra controversiam, à dæmone erant invecta. At dissidii seminarium hoc modo à diabolo spargitur, ubi eo nomine alios

ne alios maleficii irrogati reos confestim incusamus: quos adminiculo dæmonis illud machinatos esse, quanquam insontes revera existant, credere malumus.

Religiosæ virgines dæmoniacæ, quæ Lamiarum maleficio exagitari credebantur.

CAP. X.

ADMIRABILIS & horrifica fuit vexatio quarundam monialium, occlusarum Werteti in comitatu Hornensi, exercitarumque à dæmoniis. Initia autem ejusmodi dedisse pauperculam fœminam narrant, quæ in quadragesima salis libras tres (quartam vulgus nostras vocat) mutuo à virginibus acceperat, fereque duplum circa Paschæ solennitatem restituit. Hinc in dormitorio inveniebantur sphærulæ candidæ velut incrustata saccharo semina, at gustu salsæ. Quæ tamen non edebantur: nec, quomodo pervenissent eo, sciebatur. Postea eodem in loco observabatur incessus rei ingemiscentis, velut hominis ægroti. Audiebatur item quandoque vox, plerasque virgines ut surgerent, & ad ignem secum accederent, se ægrotam esse, commonefaciens. Ubi porro surrexissent, morbidam sororem invisuræ, nihil inveniebant. Si quando etiam hæ in arreptam matulam mejere tentarent, ea violenter erepta, lotio conspurcabant lectum. Aliquoties pedibus è lecto ad passus aliquot subtrahebantur, plantis pedum usque adeo subinde titillatis, ut præ nimio risu morituras se timerent. Tortura erat multiformis, aliarum carnis particulis evulsis: quarundam in adversam partem prorsus intortis tibiis, brachiis & facie: aliquibus supra hominis caput evectis, & vicissim dejectis.

Dæmoniacarum virginum Werteti occlusarum historia horrenda.

§. 2. Quædam sic excarnificatæ, licet ad dies quinquaginta duos nihil præter raparum jus citra panem sorpsissent: attamen atri liquoris, velut atramenti scriptorii multa vomitu rejiciebatur copia: quæ tam ferebatur amara & acris, ut etiam pelliculam ex ore abraderet: nec ullum effingi conditum, quo afficerentur, poterat. Cum ægrotas tunc sedatas lætasque, recreaturi circiter tredecim numero amici simul monasterium aliàs ingrederentur, illæ è mensa deorsum citra vocem & intellectum dilabebantur: nonnullæ inversis tibiis & brachiis tanquam mortuæ jacebant. Una in altum sustollebatur, &, quanquam manibus injectis obluctarentur assistentes, tamen supra eorum caput abripiebatur: eoque denuo præcipitabatur modo,

 ut habe-

ut haberetur mortua. Postea ad se tanquam è somno rediens, è nosodochio in monasterium progrediebatur illæsa. Nonnullę incedebant tibiarum extremitatibus innixæ, velut [illegible]; citra pedum usum, qui videbantur trahi tanquam ligamentis nimium laxatis, in sacculo penduli. Arbores quoque conscendebant ut feles, ab iisque proserpebant, nulla corporis immutatione.

§ 3. Contigit item, ut cœnobii præfectæ (quam matrem vocant) in ejusdem ambitu colloquenti cum generosa & insignis pietatis domina Margareta comitissa Burensi (cujus in justorum resurrectione meminerit misericordiarum pater) ex femore erueretur caro: illaque præ dolore exclamante, & in lectum deposita, vulnus partim livebat, partim nigricabat: sed curabatur.

Margareta comitissa Burensis pia.

§. 4. Accidit quoque, cum duæ ex hoc numero virgines simul considerent ridentes & exhilaratæ, mutuoque colloquerentur de fele nigra in dormitorio corbi inclusa à matrona, quam in oppido commorantem nominabant: collatione clam observata à tertia virgine sana, corbis ab hac & præfecta cum duabus aut tribus virginibus inquireretur aperireturque, unde felis exiliens aufugit. Ea hinc notata mulier, tanquam maleficii rea in carceres conjiciebatur cum septem deinde aliis, inter quas senior numerabatur matrona. Cui vicini & pauperes testimonium, eam fuisse usque adeo misericordem & in egenos profusam, ut ipsa etiam indiguerit, perhibebant. Hæc eadem quæstionibus à tortore subjecta, nullis unquam tormentis ad sceleris confessionem adigi potuit. Tandem ubi ex more victum offerret Burchgravius, se infirmiorem esse, quam ut cibum admitteret, ait: at se potum solummodo desiderare: quo à Burchgravio mox subministrato, ipsius vestem illa apprehendens, ejusque innixa femori expirabat. Alia quoque rerum miracula hic visa fuit: duravitque ea carnificina ad annos tres manifesta, quam postea celarunt.

§ 5. Eas vero virgines Satanam obsedisse, dubitandum minime: qui ludificandi occasionem sibi commode porrectam ratus ex sale à muliercula reddito, credulis virginibus maleficii opinionem injicere, & insonti fœminę insanabile inurere cauteriũ studuit. Quapropter formam sparsit granorum quasi sacchato obductorum, ut ad eorum gustationem pellicerentur virgines: salsedinem autem indidit, ut suspicionem de ea, quę salem restituerat, citius ingereret. Nec defuit eventus. Concessit porro Deus eam divexandi potestatem, ut vel tentarentur virgines, vel castigarentur, vel ob earum incredulitatem.

litatem. Lubricæ fidei notæ fuerunt, quod non ad Dei voluntatem, sed in fœminas cruciatuum causas retulerint: Hinc quoq; satanicum illud duarum virginum concilium ab astuto fuit institutum diabolo, qui mendaces earum rexit voces, ut innocenti matronæ maleficii stigma imprimeretur, carceresque, tormenta & cædes promoverentur. Si quoque felis fuerit vera, eam dæmonium haud dubie eo invexit. Atqui, ut, dæmonem assumpto felis simulachro, fuisse credam, potius inducor. Vide etiam constitutos illi præcise sedendi limites, ut ex alta illa evectione & præcipiti dejectione, etiamsi una morte videretur, nihil tamen læsionis senserit: sed velut è somno experrecta, abierit.

§ 6. Non absimile fuit, quod virginibus Brigittæ strictis legibus inauguratis, in cœnobio, non procul à Xanctis dissito, olim usu venit: Quæ miris quoque modis divexabantur, plerisque exsilientibus, nonnunquam balatum vocesque elidentibus horrendas: urgebantur & interdum ex designatis in templo sedibus, capitis velamine quandoque abrepto: fauces his etiam, ne cibum admitterent, nonnunquam præcludebantur. Perstitit varia & dira ea calamitas in plerisque ad decennium. Tragœdiæ causa imputabatur virgini, juvenis amore aliquando sauciæ, quem ea affinitate non dignarentur hujus puellæ parentes. Idcirco huic in extremo mœrore positæ, dæmon, accita juvenis illius effigie, se objicit, eam in votum illud monasticum cogens: quæ dicto audiens, se cancellis constringi patitur. Inclusa, velut furore percita, omnibus horrendum plurifariam exhibuit spectaculum: quod quidem malum velut contagio in multas proserpsit virgines: quæ ob propriam illius confessionem, ipsam universæ ejusmodi miseriæ genitricem fuisse, certo crediderunt. Ex ea deinde capta, alioque evecta, prolem bis sustulit carceris custos: ac tandem manumissam, à maleficii opinione inculpatam vixisse arbitror. Delusio fuit mere diabolica, qua illa decepta, se ea fecisse confiteretur, quæ peculiaria ipsius Satanæ erant opera. At, in quem finem ea fuerunt à Deo permissa, sequenti intelligetur libro: ubi omnibus imitanda harum virginum proponetur curatio.

Brigittæ sacræ virgines dæmoniacæ.

Ex obsessa loquebatur diabolus: sic opus diabolicum suum esse confitebatur.

§ 7. Moniales in Hessimonte Neomagi, dæmonium aliquot annos infestasse audio, quod dormitorium noctu velut cum turbine ingressum, testudine citharaque tam videbatur ludere suaviter, ut ad choreas temere induci potuissent virgines. Inde canis instar in unius N. lectum insiliebat, in quam muti peccati, quod vocant, cadebat suspicio.

Moniales Neomagi à diabolo infestata.

suspicio. Similia multa & longe graviora in eodem accidere cœnobio, vivente patre Paulo: quæ, ut ab illis celantur, ita à me aperiri minime decuit.

§ 8. Novi aliud item non ignobile collegium in Coloniensis provinciȩ limitib. ubi ante annos octo dȩmon canis forma interdiu procurrens, conscendensq; sub interiori religiosarum virginū indumento, spurcȩ velitationis indicia exteriore vestiū motu ostendere videbatur. Idem Hensbergi accidit in ducatu Juliacensi, sub felis specie.

Vexatio diabolica in monasterio Kentorpio, relata ad Lamias: de lacte glutinoso, & lac è juncis non emulgeri.

CAP. XI.

Huc pertinent nobilium aliarumque virginum in cœnobio Kentorpio prope veterem Marcam, in Marchiæ comitatu juxta Hammonem inclusarum, monstrosæ omnifariæque convulsiones, à dæmonibus excitatæ, descriptæque Lib. I. Cap. I. 2. Fœdissimum vero illæ halitum ore spirabant in ipso, & paulo post ipsum paroxysmum: qui alias semel interdiu, aliquando sæpius invadebat, aliquoties in horas aliquot multas protrahebatur. In accessione mali quædam convulsæ, intelligentes erant, audiebant, astantes etiam internoscere se pleræq; postea affirmabant. Nam in accessione propter spiritualium partium & linguæ convulsiones, loqui minus poterant. Istȩ non æque ferociter torquebantur: neq; uno modo, sed aliæ aliis mitius. Sed hoc commune prope omnibus erat, ut cum ex iis una agitaretur, cèterȩ quoq; in sejunctis etiam cubiculis correptæ, solum tumultuantis strepitū audientes, simili miserrimo modo vexarentur.

§ 2. Ut porro calamitatis hujus origo & incrementum, dehinc tragicus fabulæ actus extremus, quem solum in durissimo hoc spectaculo affectavit veteratorius ille homicida, innotescant, cautiusque aliàs maliciosis diaboli conatibus, in raris illis horrendisque vexationibus, obviam eatur, quæ ex ore unius senioris & cordatæ virginis, huic cœtui consecratæ & omnium primum tam duriter afflictæ, exceperim diligenti inquisitione, paucis bona fide narrabo.

§ 3. Hæc, Anna Lemgou dicta, quum primum ex sinistro doleret hypochondrio, epilepsiaque correpta putaretur, ad monasterium Nonhertich, inprimis religionis ergo ablegabatur, ubi ex D. Cornelii calvaria bibit: unde eam melius habuisse, falso dicebatur à monialibus. Postea ubi hæc gravius cœpisset exagitari, aliæque item

puellæ,

puellæ, ad ariolum itum est. Is opinionem ingessit, omnes ab Elsa Kamensi coctrice maleficio læsas esse. Hinc nervum sortitus diabolus, non solum eas multifariis convulsionum generibus torquere incipit, sed incitare quoque, ut se mutuo & alios morderent cæderentque: subvehere item & dejicere citra noxam, ut sicut plumæ sibi viderentur; unde etiam non suæ potestatis se esse sentirent. Si autem à percussione vel quacunque alia violentia inhiberentur, cor afficiebatur graviter. At suæ libertati relictæ, etiamsi seipsas lædere, concutere aut mordere putarent, nihil inde sentiebant mali: at in proprium sævire corpus, necessarium esse imaginabantur.

§ 4. Si quando Anna in paroxysmo loqueretur, fiebat id quasi altero inspirante & expirante: ipsa interim seipsam, dum loqueretur, intelligebat; sed finito sermone penitus menti exciderant prolata verba: verum si ab aliis illi repeterentur, tum quidem se dixisse meminerat, sed pudore suffusa tacuisse maluisset. Quandocunq; etiam orationi se dederet, eam cum attentione prosequi, aut movere huc linguam minime valuit, à maligno turbata. At si preculas suas horarias, quas vocant, sine mente obmurmuraret, tantum abest, ut tum præpediretur, quo etiam inde levius habere recrearique videretur. Nequivit insuper ulli rei vel bonæ vel malæ serio attendere, tanquam mente stupida, sine sensu, discretione & judicio. Si etiam pius aliquis suoque Deo ex animo devotus, eam alloqueretur, tum quasi à diabolo puniri videbatur. Sin vero huic aliæ loquerentur fœminæ de rebus suis ludicris, mire iis afficiebatur, levabaturque.

§ 5. Hæc deinde quum exorcisaretur, incredibilem sanguinis copiam videbatur fundere per os, unde nihil mali tunc temporis sensit. Omnibus vero illis virginibus ita à dæmonio affectis, is erat cum dolore inæqualiter serpente sensus sub pedum plantis, quasi aqua illas calida combussisset. Quanquam etiam varie torquerentur, cunctis tamen æque vigebat appetitus & nutritio. Ex junioribus mentis impotibus frequenter & multũ loquebatur dæmon: quibus se etiam forma nigra objiciebat in specie felis nigræ, vel Elsæ Kamensis, aut ejus matris vel fratris, ut ab iis omnes tam crudeliter exerceri, crederetur perperam. Ubi postremo Anna firmiter animo constituisset, non redire in monasterium, quo parentũ ductu cesserat, sed suo Deo extra illud saniori judicio pie inservire, desiit calamitas: si vero solummodo à collegii præfecta ad eam epistola mitteretur, toto horrebat corpore, quasi relapsura. Postea autem vitonu psit citra ullum ejusmodi noxæ sensum.

§ 6. Affir-

§ 6. Affirmabat adhæc, Elsam Kamensem eodem morbo, velut epileptico, quo aliæ, excruciatam fuisse, loquutamque similiter sine sensu. Quapropter eam sibi ipsi hoc malum conscivisse, ne aliis maleficium invexisse putaretur, dicebant moniales. Hinc omnes à dæmonibus afflictæ, sua tormenta nec Dei voluntati subjiciebant, nec diabolo imputabant: sed ad Elsæ Kamensis, in cœnobio coctricis, maleficas artes uno ore & consensu ex arioli indicio referebant. Quæ quidem capta, tragicum hoc spectaculum à se editum fuisse fatebatur primum venenata mixtione: moritura autem, nihil unquam virulenti à se alicui propinatum fuisse: sed quicquid esset mali, se mente & mala imprecatione effecisse confessa est. Num vero hoc ita fieri potuerit, paulo post explicabitur.

Vide lib. 6. cap. 10.

§ 7. Ab ejus & matris exustione tanquam suæ potestatis jam nervum adeptus Satanas, oppidi proximi civibus non paucis vario cruciamentorum genere insultat. E quorum numero quinque, ubi ecclesiastes in suum accivisset cubiculum, ex Sacris literis eos adversus Satanæ ludibria instructurus munitutusque: atque hi Decem præcepta, Symbolum Apostolorum, & orationem Dominicam recitassent, hinc alter alterius nomen inquirit, mutuoque indictum nimis indicat, primo Libro inter fictitia dæmonum nomina expressum: atque unus ecclesiasten irridens, in hæc erumpit verba: *Quid nunc facturi sumus? expellere nos conatur pastor?* Respondit alter: Se velle in hirco nigro equitare ad quandam mulierem, non ita sejunctè habitantem, quam etiam nominabat, se gratum illi fore hospitem jactans: ut maleficæ artis nomine redderet illam suspectiorem. Identidem se facturum alter quoque narrabat, ac eodem vectore profecturum ad aliam fœminam, nomine designatam in eundem finem. Ac uterque sedi insidens tanquam fatuus, continuo vocis indiciis ad dictas equitando videbatur ferri mulierculas, quum interim ne à loco quidem dimoveretur. Tertius adhęc quasi in globum convolutus contractusque, ad clausum cubiculi abripiebatur ostium, per quod, inopinato apertum, è gradibus decidit illæsus. In pago Howel appellato, circa Hammonem, multi quoque inde videbantur energumeni. Nec procul hinc in alia civitate similiter diris torqueri modis à dæmone interea cœperunt oppidani. Quare aliquæ fuerunt vinculis traditæ mulieres, at plures accusatæ, quemadmodum in negocio ejusmodi diabolico fieri assolet.

Damnpiaci cives Hammonenses.

Cap. 22.

§ 8. Circa idem tempus lac tenacibus filamentis ductile, dissoluti

Lac glutinosum.

luti glutini more, ex Comitatu Marcensi, ad Cancellarium Clivensem, ex accusatione cujusdam ineptæ mulieris allatum est, quæ lacti eam fuisse redditam formam incantamentis à vicinia sua asseveravit: quum ignitum titionem ollæ, in qua lac coquebatur, subditum hæc abstulisset, quo domi ignem foveret. Naturæ autem vitium, hic sagis tribuitur. Rei enim veritas sic elucescet. In lacte tres sunt substantiæ commixtæ, nimirum butyrum, caseus & serum. Si jam lac vetustate nonnihil subacescere incipiat, quod æstate citius, hyeme tardius evenire solet, & tum coquatur; mox caseus cum butyro coit concrescitque, ut ad ductilis collæ modum etiam longissime deduci extendique possit: &, si circumdistensa circumvolvatur expandaturve ligna, at tantam pervenit siccitatem, ut fragile reddatur, atque in pulverem redigi queat.

§ 9. Quod insuper Lamias è juncis lac emulgere feratur (ut hoc obiter in hac lactis mentione addam) horum substantia levis, rara, fereque exucca, id sane non admittit, adversatur ratio & ipsissima veritas. Qui ergo fit? Si ullum juncos trahenti lac appareat, hoc profecto à dæmone eo transfertur, præstigiarum fuco lamiæ oculis obducto, ut sua emulctione lac è juncis extractum credat, quod tamen delusorium est, nec rei veræ historia. Idem dictum volo, si ex alia inepta materia lac provocari asseratur. Si lacte destitui præter naturam, comperiantur vaccæ, eisdem lactis receptacula & canales impedire potest dæmon non aliter aut minus, quam dixi congressum in hominibus posse inhiberi naturalem.

È juncis lac non emulgeri.

De virginibus in Monasterio Nazareth Coloniæ à dæmone exagitatis, & alibi.

CAP. XII.

HAUD dissimilia Coloniæ passæ sunt virgines religiosæ in Nazareth monasterio occlusæ. Quibus hoc tamen accessit, quod licet annis aliquot antea varie & multifariam à diabolo vexarentur, torquerentur, convellerenturque: tamen anno sexagesimo quarto supra sesquimillesimum, præter aliud spectaculum horribili modo frequenter editum, prosternebantur sæpenumero deorsum, infima corporis parte succussata ad eum modum, qui veneri solet asscribi, oculis interim clausis. Qui postea cum pudore aperiebantur, quum velut à multo labore respirarent.

Virgines religiosæ in collegio Nazareth Coloniæ à diabolo vexatæ.

§ 2. Ansam autem huic malo dederat quædam Gertrudis, anno

ætatis suæ decimoquarto monasterio inclusa, quæ ludibria hæc sæpius dissoluto cachinno patiebatur in lecto, licet amasiũ singulis noctibus fere congredientem stola consecrata abigere conaretur: quã velitationem quum altera virgo in secundo decumbens lecto (hoc nomine adjuncta sociæ, ut tutior esset ab amasii insultu) audire videretur, tota exhorruit, ac tandem quoque diaboli hospitiũ facta, miris convulsionũ generibus distrahebatur, in paroxysmo quandoque cecutiens; ac licet mente appareret constare, varia tamen inconstantia nimis, & quæ desperationem spectarent, proferebat. Itidem & aliæ multæ. Ita pestis hæc velut contagio proserpsit, maxime quum primum ad legitima non confugeretur consilia. Dictam vero amasiam suo proco horrendas scripsisse literas, postea inventas, in inquisitione à me in eodem collegio facta, Anno 1565. 25. *Maji*, præsentibus nobilitate & prudentia clarissimo viro, D. CONSTANTINO à Lyskerken, consule dignissimo, D. JOANNE Altena, decano olim Clivensi. D. JOANNE Echtio, medicinæ doctore ornatissimo, & filio meo HENRICO philosophiæ & medicinæ, doctore, cognovi: eas autem ab illa ut energumena, nec mentis compote fuisse exaratas, non est, quod ullus dubitet.

Constantinus à Lyskerken.

§ 3. Dum hanc carnificinam adhuc exerceret diabolus, harum virginum quædam peste correptæ, interea dum ea laborarent, nihil diabolicæ vexationis sensere, ex Dei solius benignitate singulari, qui torquendi in hoc seculo limites præfigit satanæ, ultra quos ferri nequit.

§ 4. Porro calamitatis initia subministrasse videntur juvenes lascivi, qui per conjunctum sphæristerium contracta amicitia cum una aut altera, clam in monasterium conscenderunt, libidinemque explerunt. Quibus postea exclusis, quum re ipsa amplius frui eæ nequirent, ejusdem imagine mentem vitiavit, talium que motionum ignominiosum spectaculum, astantium oculis objecit Millesartifex. At quo convenienti Christianoque consilio huic tragœdiæ obviam iri possit, peculiaribus literis eo missis fuse explicui.

Puella à dæmone vexata.

§ 5. Huic albo accenseatur virgo sacra Judith nomine, quam haud ita pridem Buscìducis in collegio juxta ædem D. Joanni Baptistæ dicatam, vidi crudelissimis intorqueri à Satana convulsionibus: ejusque fauces, ne cibum admitterent, comprimi: linguam item inhiberi quandoque, ne proloqui posset: voces interim reddi & ridiculas & horrendas audivi.

§. 6. Acce-

§ 6. Accedat & cognita mihi puella, virgini nobili in cœnobio famulans, cui fidem dederat rusticus; qui deinde ad aliam animum adjecit. Quare cognita, mœrore turbari illa cœpit: ablegataque medium circiter milliare à monasterio, in eximii juvenis forma obvium habet dæmonem, qui se familiari colloquio in ejus insinuans amicitiam, omnia rustici amati secreta huic detegit, cunctosque cum altera puella habitos sermones enarrat; ut ad restim illam illiceret cogeretque: &, cum ad angustum pervenissent ponticulum, ille assumpto oleo, quod ea manibus gerebat, ut minus impedite transiret, eam juvit: invitavitque tandem, ut ad notum comitaretur locum. Quonam eo sequerer (respondit illa) ubi paludosæ tantummodo sunt aquæ? Hinc ipse evanuit, illaque perterrita in animi incidit deliquium: quare jussu dominæ, mihi familiaris, bigis in cœnobium reducebatur. Ubi velut mente turbata, multifariam sensu distrahebatur, querebaturque se etiamnum misere ab illo dæmone vexari, ipsumque aliquando per fenestram vel alio velle abripere. Nulla certe alia hujus maleficii extitit causa, quam meditabundus animi mœror, ob amoris impotentiam: quam illudendi perdendique occasionem præpropere arripuit Satanas. At puella rustico eodem postea marito freta, belle valuit.

Admirabilis historia de puella, cujus è latere culter exectus fuit.

CAPUT. XIII.

HIC minime prætermissum oportuit id, quod accidit in pago Levensteet sub Duce Brunsvicensi ubi sorori commorabatur puella nomine Margarita, Henningi Achils filia, annum agens vicesimum. Quę anno millesimo quingentesimo sexagesimosecundo, altero die Julii, nimirum divæ Virginis visitationi sacro, sororis calceos absterfura, ejus cultrum (duo autem erant in vagina conjuncti ejusdem formæ, capulis æreis incisis ornati) extrahit, seque in humiliorem sedem demittit propterea, quod viribus diuturna febri consumptis imbecillior adhuc esset.

§ 2. Præter opinionem domum ingreditur vetula, num puellam febris etiamnum fatigaret, rogans, & quomodo sese ex morbo haberet? Responsum illi ut fuit à puella, rursum extra ædes nullo verbo facto egreditur. Calceis mundatis cultrum in sinu deponit: qui quum postea studiose ab illa quæreretur, nec repertus esset, metu perculsa, dum singula vestigando diligenter & sollicite perlu-

strat, horribili specie canem nigrum sub mensa ventri incubantem animadvertit: eo abacto sperabat fore, ut amissus culter detectus, ad pristinum dominum rediret. Unde indignabundus ille, cum fremitu dentes ostentavit, simulq; se cum saltu trans ostiũ in fugam conjecit.

§ 3. Mox puellæ videbatur à capite versus dorsum defluere quiddam tanquam humoris frigidi, cui etiam accedit animi deliquium, perduratque ea velut mortua sine sensu ad diem tertium: quo tandem refici cœpit. Summo autem studio rogata, quinam hoc malum invasisset? respondet, se certo certius scire, cultrum illum, è sororis vagina à se extractum, in sui corporis latere sinistro defixum hærere: eo enim in loco se dolorem persentiscere.

§ 4. Cui licet contradicerent parentes & alii, quod eam melancholia agitari, vel diuturni morbi, jejunii, aut alterius rei molestæ fortuito casu obviæ ratione nonnihil delirare arbitrarentur: perstitit tamen usqueadeo in suis querelis, lachrymis assiduis & insomniis, ut mente caperetur, nec cibum diebus duobus sæpenumero admitteret, quanquam blande invitaretur, vel serio minisque urgeretur. Sua tamen habuit plerumque intervalla & intermissiones, ut etiam quiete decumberet, licet non tam diu, ob dolorem continuum, quo ita exercebatur, ut toto corpore incurvatam baculo inniti oportuerit.

§ 5. Auxit & hoc ejus animi dolorem, solatiumque minuit, quod quum illa in corpore cultrum defigi certissime crederet, alii tam constanter contravenirent, proponerentque ἀλλοτρίαν, & phantasiam corruptam esse judicarent, præsertim quum nullum quidem vestigium indiciumve appareret, præter quotidianos ejus luctus, qui jam circiter tres perdurarant menses. Hinc prominere occipit in sinistro latere supra lienem intra infimas duas costas spurias vomica, ovi fere gallinacei magnitudine, & lunæ instar: cujus incremento aut decessu, vel intumuit, vel resedit.

§ 6. Tum inquit illa: Hactenus fidem mihi denegastis, quod in meo corpore hæreat cultellus: at ubi visitationis Mariæ solennitas denuo apparuerit, eum in corpore figi, manifestissime intelligetis videbitisque. Sic tricesimo Junii erupit ex ulcere tanta copia puris, ut tumor nonnihil sese remiserit, & inde cuspis velut cultri apparuerit: quã puella arripere cupiens, præpeditur à parentibus, qui chirurgum ducis Henrici ex arce Wolffenbuttel eo nomine accersunt.

Puella dæmoniaca.

§ 7. Hic quarto Julii accedens, parochum rogat, ut prius puellam alloqueretur, solaretur, Dei verbo institueret, atque ipsius re-

ſponſo vigilanter attenderet, quod eam à dæmonio quandoque exagitari pleriſque omnibus videretur: & ſimul cum reſponſo illa ſubjungit, ſe libenter curationis hujus modum admiſſuram, etiamſi ſciret ſibi moriendum eſſe. Tum eodem die, Dominico ſcilicet, cultelli cuſpidem ſub coſtis prominere videns chirurgus, eum cum ſuis inſtrumentis attrahit, qui alteri conformis erat. verũ circa ferri acuti medietatẽ nonnihil abſumptus erat. Chirurgi opera hinc ulcus coaluit. Sic habet hiſtoria germanice de hoc prodigioſo opere evulgata. *Cultellus extrahitur.*

Admirandi hujus ſpectaculi explicatio.

CAP. XIIII.

QUUM admirabile hoc ſpectaculum citra ullas diaboli præſtigias vere editum fuiſſe, nec ullas admittere gloſſas aut explicationem, clamet una voce quilibet, meam hic ſimplici interpretatione ſententiam interponere non gravabor: cultrumque non fuiſſe in corpore, ſed dæmonis præſtigias & ludibria omnium oculis fuiſſe offuſa, puellamque à dæmonio obſeſſam, quoad fieri poteſt, breviter oſtendere cum Dei beneficio, ad ejus gloriam, ac dæmonis ejuſque ſequacis turbæ deluſæ contemptum, adnitar: quanquam voce Stentorea multos occlamaturos minime ignorem.

§ 2. Primum obſervari debuit, ſimplicem puellam longa exercitam fuiſſe febre, quam ex ejus diuturnitate, quartanam fuiſſe colligio, natam ex graviſſimi aterrimique humoris melancholici, qui in corpore putruit, copia. Qui ſæpenumero etiam lienem obſtruit, in eoque tumorem, duritiem & apoſtema gignit; eaque occaſione talem ſobolem quartana febris etiam non raro poſt ſe relinquit. Hoc jacto fundamento, nimirum ſexu fœmineo, ætate juvenili, & diuturni morbi tædio, reliquum ſuum opus vigilanti, indefeſſoque ſtudio ſuperſtruit & fabricatur dæmon. *Dæmonis adminicula in hoc actu præſtigioſo.* *Sexus.* *Ætas.* *Morbus longus.*

§ 3. In fœminis facilius multo, quam in viris, ætate matura & bona valetudine fidem conſequitur. Hic in opificii ſubſidium, humorem ſuis actionibus convenientiſſimum, quippe melancholicum, à quo puellæ cerebrum & corpus tantum abeſt ut expurgata forent, quo etiam eo ſumme adhuc gravarentur, aſſumpſit. Enimvero, quanto affectu in hunc ut ſuccum ἀναλογικὸν ſibi ſuiſque actionibus peculiarem ſe immergere ſolet, ejuſque adminiculo admirabilia inducere phantaſmata & imaginationes raras, ſuperiori libro ea demonſtratione oſtendi, ut repetitione minime opus eſſe judicem. *Humor melancholicus diabolo convenientiſſimus.* *Cap. 7. 8.*

crevit; ac in Dei patrocinio, Christique potestate minus fiduciæ collocatum est: maxime in illis ditionibus, ubi ex præstigiarum diabolicarũ indiciis per fas & nefas carnificinæ exerceri non desinunt.

§ 11. Si forte objiciatur, ferrum ita in carne fuisse exesum: respondeo, dæmonem cultrum è puellæ sinu exemptum, in terram vel in liquorem salsum inseruisse; aut alibi ea dexteritate reposuisse, ut in medio ferrum exederetur toto anno, quo absoluto fabulæ catastrophen addere statuerat. Consideretur quoque locus ferri exesus, qui digitos fere duos latos à cuspide distat, & tanta quoque exesionis deorsum est magnitudo. Quum vero cuspide in carnẽ, ac ulceris maligna putredine hæserit, quî fit, quod cuspis ab acri pure illæsa, & reliqua pars ferri, quæ in ventris vacuo hæserit, fuerit erosa?

§ 12. Vel si voles, ferrum cum parte absumpta in carne *defixum* fuisse: respondeo, id fieri nequivisse, nisi secundum longitudinem deorsum cultellus in musculis hæsisset. Quod si factum defendas, ego vicissim hac ratione nego, quod manu situs ille potuisset extrinsecus contrectari, quinimo visu dijudicari. Adhæc, ferrum totum carni insertum simul & fere æqualiter ab acri humore arrodi debuit. Quum vero in medio saltem acies exesa fuerit, alibi quam in corpore exesionem fuisse factam sequitur: & diaboli illusione operationeque translatum cultrum, & in sterquilinium, aut alium liquorem salsum, aut acrem, aut putrem immissũ eousq; ut materia rodens aciei medietatem solummodo attigerit. Haud dubie cautius hunc fucum instituisset, si has ejus actiones ea solertia excussum iri prævidisset.

§ 13. Quod insuper in rei veræ gestæ assertionem obtrudatur, eam baculo innixam perquam curva inclinatione ingredi oportuisse: hinc quilibet rerum naturalium peritus luculenter intelligit, cultrum in corpore nõ hæsisse, qui ex qualicunque inclinatione vel deorsum vel antorsum, vel versus utrumque latus graves cruciatus excitasset, vulnerassetque: nec alia corporis constitutione, quam erecta, habuisset mitius puella.

§ 14. Si adhuc urgeas historiæ veritatem, quæso, ubinam toto anno illa cultri longitudo delitescere, aut firmiter hærere valuit? Si in sinistri lateris musculis: hoc tactui & oculis, ut dixi, apparuisset. Nec in liene recondi tanto tempore, tamque innoxie potuit, multo minus extra musculos introrsum in ventris cavitate: sic enim in imas partes concidisset, cum multo vitæ discrimine. Hæc siquidem fuit cultri longitudo & forma: * * *

§ 15. Cæte-

§ 15. Cæterum puellam à dæmonio obsessam fuisse, non est, quod ullus ambigat: quemadmodum plerique, etiam peritiores, coram attestati sunt. Argumento esse debent multa ejus verba & actiones. Quod sæpius mente caperetur, cibum & potũ ad dies aliquot rejiceret: amici cum ea blande, serio, & minis agerent, nec tamẽ promoverẽt. Quod ipsa itidem vaticinaretur, prædiceretque tribus mensibus, palam fore in visitationis Mariæ festo, cultellum in corpore figi. Quis certũ hunc diem norat, indicaratve? Naturali profecto ratione ab ea imperita puella stupidaque præsciri poterat minime. Has ergo voces haud dubie ex ea edidit diabolus, qui circa illum diem abscessum perruptum iri judicarat, & commodam eam amplexus ansam, suas simul præstigias objicere statuerat. Erupit autem sanies tricesimo Junii, quo cuspidem prius ostendit præstigiator: inde visitationis feriæ agebantur secundo Julii, & quarto cultrum extraxit chirurgus. Sic in exacta sua ratiocinatione fallitur quoque mendax sæpe vates. *In diei prædicti certitudine fallitur diabolus.*

Ridiculus modus res duras in corpus ingerendi.

CAP. XV.

PORRO modum quendam ineptum futilemque, quo ejusmodi materies duræ in corpus ope diaboli à Lamiis ingeruntur, describit Doctor quidam in libello Germanico, qui Jacobi domini in Lichtenberg nomine, prædicatur circumferturque. Ejusdem insuper fuisse sententiæ, à me non nisi lucidissimis rationibus explosæ, Theophrastum Paracelsum, non est, quod ęgre ferant plerique religiosi nimis ejus admiratores. Hanc item rationem fuisse amplexum Ludovicum Millichium, virum alioqui pium & eruditum, in lib. Germanico, Magicus dæmon inscripto, miror. Ab his asseritur, corporis poros à diabolo extendi, per eosque inseri stramen, setas porcinas, assulas, corium, præsegmina, fila, piscium & fruticum spinas, & quascunque materies acutas; deinde poros occludi, ut, quandocunque volet architectus, reconditæ res rursus extrahi queant. Subjungit doctor ille has similitudines: Quemadmodum, ubi quis sub aqua lapidem recondit, nec eo ibi relicto manuque retracta, quomodo eo devenerit lapis, scitur: sic quoq; naturali ratione vaginę poros absq; lęsione penetrat, ferrumque liquefacit fulminis radius. Non dissimili modo in hisce delusionibus fit, quę magis noxia stigmata vulneraq; inferunt. Hæc ejus verba.

§ 2. Rationes has admodum esse jejunas, quilibet rerum naturalium cognitione leviter tinctus, intelliget haud difficulter. Siquidem poros illos natura ex prima creatione strictissimos, à dæmone eousq;

distrahi innoxie posse, ut stamina, coria vel cultros transmitterent: deinde conciderent, emitterentq; suo tempore ad Satanæ arbitriū libidinemq; conservatā tot diebus vel mensibus substantiā, prorsus ἀδύνατον esse, nec ullo modo fieri posse, quilibet sanus mecum fateri debet.

§ 3. Pori enim corporis à conditore tam anguste ab initio constricti sunt, ut præter tenuissimum liquorem, velut sudorem vel vaporem, crassius aut solidius nihil transmittant: quemadmodum etiam in duris crassisque lapidibus, maxime cotibus, & lignis observamus: quorum pori quidem liquorem transmittunt, at nihil durum aut solidum sine incisione fractioneve. Talia quidem phantasia facile imaginatur; at in actum non item deducuntur.

Similitudo absona.

§ 4. Similitudo, de lapide in aquam manu demisso, profecto multum absona existit: ridiculumque est, conferre hominis corpus solidum compactumque, cum humida, tenui & fluitante aqua, omnium capaci, quæ naves, & quodcunque voles, natura admittit. Sic nec igneus ille subtilissimus radius vaginæ poros pervadens, quicquā habet similitudinis cum crassa & dura re, quam in corpus humanum per poros illæse intrudi contendunt adversarii. Nisi demonstrationis vanitatem quilibet palam cerneret, in confutando prolixiorem me ostenderē: probationes vero non dissimiles sparsim in illo Doctoris libello sunt obviæ.

In corporibus reperiuntur quædam naturaliter, quæ ad maleficia quandoque referuntur.

CAPUT XVI.

Varia apostematum contenta, apud Galenum 11. ad Glauc. & 14. Met. & Celsum. v. 6.

INTERIM naturali etiam ratione in steatomatum & atheromatum, aliorumque apostematum sinibus, carne exesa, ex viscosis & putridis humoribus ac fibris calore coquente exiccatis, materias lapidibus, tophis, arenis, urceolorum testis, lignis, carbonibus, capillis & amureæ similes nasci, incantationibus ab imperitis ascriptas, scimus ex Galeno, Cornelio Celso, & observatione quotidiana. In steatomate lapis avellanæ magnitudine nuper genitus, angulosus, rotundus, spadiceus. Curavit alias noster collega in Lucensium Burgo matronam provectioris ætatis, uxorem Hieronymi Luchesini patricii Lucensis, ab abscessu, quem diu sustinuerat supra claviculam sinistram? Ex eo aliquot dies aperto extraxit, præter crassioris puris multam copiam, quiddam tenax ac lentum; quod, cum non facile posset divelli, eluebatur diligenter: elotum tam simile erat napso lini madenti, ut vix persuaderetur ægrotæ & astantibus, excrementū esse toto genere præter naturam ex viscida materia, calore & mali diuturnitate concre-

tum?

tum. Omnes siquidem maleficium esse, arbitrati penitus maluissent.

§ 2. Nonne in morbo articulari plerisque à pituita cruda, resiccata, crasso terrestrique humore indissolubiliter impacto, resolutis partibus tenuioribus, tophos, Græcis πώρους, velut calcem, in juncturis enasci videmus? Quam etiam exemptam materiem, paulatim excipit alia? In cerebro repertus lapis magnitudine & forma mori? In tonsillarum faucium abscessu, calculus gypseus simillimus tophis, qui intra digitorum articulos chyragra affectis increscere solent: Sub lingua lapillus arefactæ & excorticatæ lauri baccæ similitudinem habens, colore spadiceus & justæ gravitatis.

Tophi in juncturis.

Joan. Kentmanus de Calcul. in homin. nati.

§ 3. In Imperatoris Maximiliani secundi corde secto inventi sunt tres lapilli quantitate pisorum; unus interim major altero, colore rubiginoso: frequenter vero cordis palpitatione gravi afficiebatur, dum viveret. In pulmone calculi plures asperi tribulorum modo ad siliquarum magnitudinem latuere, aliquando & faba majuscula non minores, lati, tuberosi, cinerei, subduri. Qui post longam frequentemque tussim ex thorace violenter calculum expectorarunt, supra recensuimus. In panniculo item epar cingente, lapilli aliquo numero inventi sunt lethales, & grandes, ex ipso epate excisi. In jecoris substantia concreti lapides, etiam ad magnitudinem dimidiati fere ovi columbini, unus totus angulosus, colore livido, ex phlegmate & humore melancholico coagulatus: alius in eodem amygdalæ nucis magnitudine visus. In venis partis cavæ hepatis, priusquam in communem illum caudicem portæ desinunt, inventi lapilli eas obstruentes distendentesque, foris nigri, intus flav, in hydropico: cujus & meatus, ex fellis folliculo in intestinum desinens, lapide ejusmodi infartus erat.

Ant. Benivenius de Abdit. cap. 3. 18. 24. 94. Calculi ex thorace expulsi, inventi etiam in epate, fellis folliculo, matrice, & reliq.

§ 4. In vesica fellis simul conspecti, in uno viginti duo, quasi sublutei, magnitudine dissimili, quorum minimi pisis minutis, maximi fabis exiguis responderunt, omnes quinque, septem, octo, aut plurium erant angulorum. Hinc & alius porraceo colore, quantitate unius articuli digiti fuit excisus. Alius durus hæmatiti lapidi non dissimilis, in cysti fellis Georgii Bohemi regis visus. Minoris formę superioris apparuerunt plures in eodem folliculo Christiani regis Daniæ. Major in ea vesicula repertus fuit in Friderico tertio, duce Saxoniæ, cognomine Prudente, forma quadrangulari, articuli magnitudinē, colore ferè prassino. In hoc bilis receptaculo nisi in alio centum & viginti tres, quorum unus instar medii ovi gallinacei grandiusculus, latior quam rotundior, digitum crassus, multisque tuberculis asper, ut tophus

phus levis & luteus. Quinimo senex quidam decrepitus ad iram mirè proclivis, post obitum sine felle & folliculo inventus est: in hujus autem loco ingens apparuit calculus. Fuerunt &, qui, post diuturnum icterum oborto alvi profluvio, innumeros calculos instar pisi aut hordei granorum, per anum emiserunt. Conspiciuntur etiam sæpe in bubulo felle lapides, magnæ juglandis quantitate, rufo colore. Ex intestinis varii quandoque excernuntur; repertus & ovi quantitate. Ex uteri acetabulis duos memini excisos.

§ 5. Observavit Montespessuli anno 1572. filius meus Galenus Medicinę Doctor, in cadavere puellę cujusdam hydropicę, quam secuit, duos spithamæ longitudinis vermes, quorum unus meatum vesiculæ bilis duodeno insertum occupabat, alter in ipsummet hepar (ex defectu credo alimenti) progressus, gibbum jecoris obsidebat, capite ambientem viscus illud membranam attingente. Idemmet vidit Patavii nobilem Germanum, qui ab exercitio plures tussiendo rejiciebat calculos instar pisi, molles adhuc & friabiles.

§ 6. Aperta mulier in scholis medicorum Lutetiæ, lapidem habens in utero, in cranio anteriore, & quæ sine liene inventa est. De tophaceis calculis in utero natis, vide Aëtium lib. 16. cap. 100. At ab eadem causa in his partibus, qua in renibus vel vesica, generari potuerunt, ea coctionis specie, quam ὄπτησιν dicunt, nimirum ab humore crasso, viscido, terreo, & calore igneo: quandoque vero & naturali, sed non analogo materiæ, humorem hunc adassante, cogente, & in lapidem indurante, qui interdum variæ & admirabilis invenitur formæ, potissimum quum & vasorum accedat aptitudo.

Loc. affect. VI. 9. Pili & animalcula cum urinis excreta.

§ 7. Galenus se pilos mejendo excretos vidisse narrat, & cum ex colore, tum ex mole credidisse dicentibus eos ex crassa lentaque materia, quam calor calefecit exsiccavitque, in venis consistere, & se longitudinis ipsorum caussam ignorare. In lotiis quoque eorum, qui lue venerea infecti sunt, multoties innatare videntur minuta animalcula formicis affinia, aut iis præsertim, qui æstivis mensibus in aqua cœlesti volutari conspiciuntur.

Anatom. II. 22. Calculi mulierum.

§ 8. Tradit Alexander Benedictus, mulieres calculis minus affici in vesica, pręterquam calculis setarum, veluti quibusdam capillamentis, qui non sine diro cruciatu innascuntur ex mucosa materia. Additque, aliquibus quædam in vesica concrescere, quæ nihilo à conchiliis specie differunt. Simile quiddam se vidisse in nobili quadam domina adhuc superstite, indicavit excellentissimus medicus Joannes Ewichius.

chius, quæ cum longo tempore renum calculo afflicta fuisset (nulla enim quantumvis eruditorum medicorum ope juvari potuit:) post aliquot annos, primum quidem aliquandiu lanam tenuem, nonnunquam involutam, interdum fila longa, alba, duplicata, instar eorum, quibus utuntur vestiarii, & quod fidem superat sæpe cum nodo, ac si ad usum consuendi aptata fuissent, per urinam excrevit.

§ 9. Deinde vero, quæ res etiam aliquantulum temporis duravit, arctius compactam, velut ochra commixtam non tam lanam, quam membranam lanosam, quali integunt sese illi vermiculi, qui ex Seribus insulis, ad nos adferuntur, cum lotio reddidit. Postremo non raro, præter reliqua, pilos longitudine unius digiti, partim utrinque albos, in medio nigros: partim contra principio nigros, cætera albos: præterea acutos in una parte tanquã extremitate, obtusiores in altera quasi profunditate ac radice (etsi radice carere oportuit) fortiusculos, durabiles. Atque ejusmodi materiæ tantum non miraculosæ ipsa secum plenam portavit arculam, & pluribus videndam exhibuit, ejusque partem *Ewichio* donavit. Sed mea sententia, si res has monstrosas in renibus vel vesica non genuerit natura, mejenti ægrotæ dubio procul eas subjecisse dæmonem, ob incredulitatem, certum est; maxime, si illi suspicio fuerit ingesta de maleficio.

§ 10. Cum Pisis experientissimum medicum & chirurgum D. Gabrielem Fallopium præceptorem sectaretur collega noster, simulque accessissent quendam mercatorum internuncium natione Lucensé, cujus uxor valetudinaria, colicis subinde doloribus laborabat, tum vero iisdem torquebatur gravissimè: post alterum aut tertium curationis diem, à multis remediis ex arte adhibitis, tandem præter omnium expectationem dejecit pilam, vel tophum potius non admodum gravem, magnitudine majorem paulo columbæ ovo, à cujus rejectione paulatim desiit dolor, pristinaque rediit valetudo. Hæc reliquis demirantibus affirmabat Fallopius, idem alias nobilissimo medico Frisimelicæ doloribus colicis vexato, & cuidam tertio accidisse. Hanc vero pilam, quæ pepererit materia, eadem aperta vel fracta certius dijudicari potuisset. Illud autem naturæ genimen haud difficulter prodet præcedentis sequentisq; narrationis qualiscunque explicatio.

§ 11. Pilas item magnas nigras, instar pugni, æqualiter orbiculatas, sine sutura, pilis parvis mollibus arctissime infartas, ex boum juniorum sanorum lanienæ destinatorum, ventriculo & intestinis exemptas, aliquot annis penes me habui. Incantatione ingestas has, exclamarent

multi: genitarũ tamen harum pilarũ causam investigare naturalẽ libet.

Pilæ in bovis ventriculo unde natæ.

§ 12. Vituli adhuc lacte viventes materno, si quando alimonia destituti, vel alioqui petulca ætate insolescentes, ad parentem vel aliam accurrunt vaccam, ejus sutas vel quæcunque contigerint ore locum hirtum, maxime posteriorum coxarum, tam exugunt avide, ut etiam depilem reddant. pilique valido crebroque suctu in ventriculum attracti, & frequenti motu saltuque lascivo paulatim conglomerati, plerunque lacte vel chylo obvolvuntur, aut pituitoso succo lento: Qui temporis successu tenacior redditus, membranæ induit faciem: quemadmodum substantia limosa albida statim à sectione visa est primum obducta hæc pilarum pellicula. Quæ deinde exiccata pedetentim, corio tincto etiã nigricie assimilabatur, qua una in parte cultro nonnihil excisa, ejusmodi uniformes pili molles (quales in illis dictis pecorum locis inveniri cernimus) admodũ compacti apparuerunt.

§ 13. Citius huic sententiæ astipulabuntur fidemque habebunt, quicunque veterinariæ rei assuevêre, & jumentorum educationem attentius observarunt. Ita nihil omnino rationi derogatũ volo, si quando ea in rerum miraculis vel manifesto adesse, aut occulte foveri videatur. Verum quæ præter naturæ ordinem & rationis cognitæ modum à mille artifice Satana, dolo & præstigiis, ut non credentes in suam illiciat nassam, nemine vere, licet quidem phantastice cooperante, effinguntur, & incantamenta putantur (quorum nomine frequenter incusantur puniunturque innocentes) propono, quo veritas à mendacio secreta cognoscatur, & dæmonis ludibria penitius nota negligantur, atque sanguini innoxio posthac parcatur: æquiorique sententia accusatores, peculiaria diaboli mancipia (divinos alii vocant, mihi vero erunt malefici) conversa male inolitæ consuetudinis fori forma exibilentur.

§ 14. Servat quoq; alius apud se ejusmodi pilam levem admodũ, ovi magni quantitate, sed orbicularem, Pilis extractam ex colo intestino juvencæ bubulæ. Hæc pomo citrio vel aurantio tam erat similis, ut, si eo fuisset colore (erat autem nigro) visu solo discerni non potuisset. Arbitrabantur quidam tum, ex integro aurantio deglutito eam ita in ventre induruisse. Sed arbitrarium hoc & ridiculum? Cultro autem vix ægre cortice una in parte inciso & detracto, inventa fuit tomenti nigrioris congeries, & suffarcinata, vel potius tota concreta ex pilis. Hujus pilæ meminisse videtur Plinius in hæc verba: Et in juvencarum secundo ventre pilæ rotunditate nigricans tophus reperitur, nullo pon-

lo pondere: singulare (ut putant) remedium ægre parientibus, si tellurem non attigerit. Inepte autem tophū appellat, si de nostra loquatur pila. Ille siquidem inter lapides numeratur foraminulentos: hæc vero pila ex pilis compacta, nihil habet vel lapideum, vel arenosum, vel foraminulentum; sed est circumquaque spissisima & solidissima.

§ 15. Nec minus admirabile Aristomenis Messenii cor, quod Athenienses, ob eximiam calliditatem exectum, pilis refertum invenerunt, cum eum aliquoties captum, & astutia elapsum cepissent. *Val. Max. cap. 8.*

§ 16. In Majo anni millesimi quingentesimi sexagesimi secundi, mulier juvenis N. Coloniæ prope ædem D. Antonio sacram, puellum ad sextum mensem lactans, enixa est animal fibrosum ad crucę magnę longitudinem, dum reptando sese extenderet ductaretque, unguiculis prominentibus, dorso glabro, ventre albicante, capite corneo nigroque, oculis gagatæ lapidi similibus, ore hiulco lampetræ modo aërem inspirante. Sub initium cervicis tres visebantur aculei, aut verius unci utrinque asperi, quibus quæcunque vellet, amplectebatur, seseque attollebat. Prodiit vero absque humore, aut humidi alicujus mistura ex locis muliebribus ante septimam matutinam, dum forte calceum prona indueret. Vixit autem hoc animal in tertium diem lacte nutritum. Mortuum à chirurgo inciditur, præsente D. Bernhardo Cronenburgio medico excellentissimo, qui ad hujus miraculi inspectionem vocarat D. Joannem Echtium & Hubertum Fabrum medicos, mihique postea ab casus raritatem communicavit.

§ 17. Anno 1549. commemorantur in Ungaria circa Thaysæ flumen inventi homines, in quorum corporibus absolutæ lutræ & lacertæ essent inventę. Num verisimile videatur, aliorum esto judicium licet non ignorem, vermes prodigiosos ex causa naturali quandoque in hominum finibus ingigni. De qua etiam puella suspicio spargeretur falsa, serpentem stomacho inhærere, cruciamenta excitare, & subinde ad fauces conscendere, hæc sub mea fuit cura, belleque jam habet. *Lutra & lacerta in corporibus inventa.*

§ 18. Contigit & ante annos quinque, ut retulerunt fide digni, in insula prope Masecum, rusticum quendam post continuum ventris dolorem, & sumptam aliquando adversus id mali theriacam, vermem excrevisse octo pedum longitudine, & digiti unius, quasi cornuto ore, non admodum dissimili anatis rostro. Sæpius item visuntur variæ formæ lumbrici ore rejici. *Vermis longitudine octo pedum.*

§ 19. Rerum adhæc miracula alia huc facientia Alexander describit lib. 3. Anatom. in hæc verba: Acies scalpelli fracta, dum venam *Cap. 9. Acies scalpelli.*

nam

chalybeam per venas tortuosas ascendisse, non mihi fit verisimile. Cuspis ferrea in thorace relicta, quæ juxta alvum post biennium excidit.

nam imprudens chirurgus cuidam incaute secaret, meatus penetravit diversos, postque aurem constitit, ubi continuis fere punctionibus sentiebatur: qua molestia sæpe à nobis levari voluit.

§ 20. Supra fidem est, quod ipsi cum in Creta essemus, vidimus. Rusticus in quodam tumultu seditioso, sagitta circa dorsum impacta vulneratus fuit: evulsa sagitta, ferrum in thorace relinquebatur, ac vulnus, perquisita frustra cuspide ferrea, chirurgus sanavit. At post biennium per inferna ea excidit: quæ miraculi gratia, barbaræ figuræ duorum digitorum latitudinis ostentabatur. Secundum enim diaphragma prius mucrone penetravit, ubi pars carnosior est: deinde secundũ intestina delapsa, juxta alvũ sensim podicem secuit, viamq; sibi ad exitum fecit semiexesa: qua de re magna medicorum fuit concertatio.

§ 21. Idem Anat. 11. Qui venarum mesentericarum *orificia* inter intestina ampliora putant in vivente, quæ in cadavere delitescant, longe decipiuntur: arbitrantur enim, ciborum frusta per easdem fibras tenuissimas attrahi posse: putantque, virginem ætate nostra Venetiis, dum hæc conderemus, quę crinalem acum quatuor digitorum longitudine, quam inter dentes dormitura continebat, incauteq; in somno deglutierat, per urinam post menses decem maximis emisisse cruciatibus: quoniam in vesica collectis viscosis humoribus, lapis circum acum coaluerat, gallinacei ovi magnitudine: & à venis mesentericis acum prius haustam fuisse contendunt.

Acus deglutita, cum lotio excreta.

§ 22. Obiter hic adjiciam, acus illius per urinam redditæ exemplum, plurimos dissectionis ignaros commovisse, qui eam per venas mesaraicas à stomacho ad jecur, ac per venam majorem ad renum angustias, inde ad vesicam penetrasse, falso arbitrantur, ora fibrarum in viventibus patentiora esse ad acum suscipiendam putantes. Acus enim sua acie paulatim, multoque tempore, per intestina penetravit (siquidem viam sibi facit, quod à natura propellitur) hinc per vesicam, qua parte carnosa est, inde per urinarium meatum excerni potuit. Ad eundem censeatur modum, de sagittæ ferrea cuspide, quæ biennium naturæ ductu commodas secuit partes: quod & aliis mirabilibus facile comprobavero exemplis.

A dæmoniacis sæpe falli medicos doctissimos.

CAPUT XVII.

Tuella à dæmone abscissa.

HUJUSMODI porro dęmonis actionibus sępius vel peritissimos, & in artis operibus exercitatissimos circumveniri medicos deprehendimus. Exemplum erit memorabile, quod haud ita pridem, cum

cum melancholia puellam viginti annorum affici, judicaret clarissimus medicus, noctesque ea insomnes circiter undecim transegisset, hic ex arte pilulas de cynoglossa somnum conciliaturas offerret: quarum una devorata, digito alterum ægrota occludens oculum: Vide, inquit, quam nunc dormiam. Mox, à dæmone eam obsidione subjugatam, nec perperam, asserit medicus: à quo se irrideri animadvertit. Cum vero hinc hominum cogitatus dæmonium perspicere arbitraretur, quod nulli, se eas ad somnum exhibiturum pilulas, aperuisset (id quod tamen Satanæ puellam obsidenti innotuisse, docuit ironica illa, de somno ex pilula exigua deglutita genito, objectio) inquam ego: Medicum ad obsessæ curationem accitum fuisse noverat dęmon: quare omni ejus instituto, curandi hanc modo, & medicamentorum pręparatione vigilanter observata, ut spiritus est, eas somno provocando destinatas fuisse pilululas, ex ratione naturali prompte intellexit: quo nomine captata occasione, medicum illudere ridereque, illi non fuit difficile. Nec hominum cogitationes novisse dæmonem, tradit quoque Augustinus.

Medicus irridetur à dæmoniaca

Cogitationes hominum ignorat dæmon.

§ 2. In ea etiam puella, horrenda convulsionum attrocium facies, crepitantibus quoque juncturarum compagibus, aliquando conspiciebatur. Ad aquæ lustralis aspersionem mire etiam videbatur exhorrescere. Hunc fucum quum alias detegere conaretur Melanchthon, dæmoniacum accessit, quem lustralis aquæ aspersione mirandum in modum exerceri exagitarique intellexerat, aquam vero simplicem sub pallio clam contulit. Injecta itaque à quodam lustrali aqua, suos cruciatus confestim mire ostendit dęmonium. Hinc ex sua pura aqua eundē aspersit Melanchthon, cujus injectione non minus affici videbatur energumenus. Proinde is se diabolum fefellisse aliquando narrare solet, qui antea ipsius actiones, & cujus esset animi, minus observarat.

De diffinit. eccles. dogmat.

§ 3. Recenset Langius historiam de quadam muliere, quæ, cum Bononiæ rei medicæ operam ille navaret, circa pudenda ulcere sanioso, meliceride scilicet, laborabat: simulatq; vero spem consolidationis maxime læto chirurgo ostentaret, tum repente novus ἰχὼρ, humor melli simillimus ubertim erumpebat, donec dæmon, quo obsidebatur, deprecationibus divinis expelleretur: tum eadem nocte, nullo relicto cicatricis vestigio, ulcus sua sponte consolidabatur.

Epist. medic. 1. 38.

§ 4. In hac muliere, quam obsidione constrinxerat dæmon, sua ipsum ostentasse ludibria, & ulceris illius speciem, certum est: atque allato illitoque humore melli simillimo, chirurgi oculos fascino delu-

fuisse, ut hic ex ulcere ἰχῶρα promanasse crediderit: quem à dæmone invectum fuisse in ulceris consolidati vestigium, vel in ulcus phantasticum, ipsa momento peracta, dæmonii secessu, testatur curatio.

De abditis rerum causis li. 2.
A mali esu quidam factus dæmoniacus.

§ 5. Narrat præterea insignis philosophus & medicus Joannes Fernelius, quod, quum non ita dudum quidam per æstus, nocte vehementer sitiret, è somno surgens, potu non invento, obvium malum forte prehendit: id mandens, fauces sibi quasi manu præcludi strangularique sensit: simulque à subeunte dæmone jam obsessus, visus est in tenebris videre, se à prægrandi nigerrimoque cane vorari: quę postea, restitutus integræ menti, ordine recensuit. Hunc non pauci, ex pulsu, ex calore & scabritie linguæ febricitare, ex vigiliis & mentis perturbatione, simpliciter delirare judicabant. Alios ejusdem ordinis viros doctissimos novi, qui eas symptomatum larvas conspicati, aliorumque relatui fidentes, venenum morbi causam esse censuerint, frustraque propinarent antidota, & cauteria imprimerent.

Equestris ordinis quidam dæmoniacus.

§ 6. Tradit adhæc Fernelius, juvenem alium equestris familiæ, paucis ante annis, corporis concussione, & quasi convulsione, ex temporum intervallis laborasse, qua nunc solum sinistrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum unicum, aliàs crus alterum, aliàs utrumque, aliàs corporis truncum tanta celeritate exagitaret, ut vix à ministris quatuor, decumbens cohiberetur. Caput autem inconcussum jacebat, lingua & locutio libera, mens sana, omnesque sensus integri, vel in convulsionis ferocia. Decies ut minimum quotidie corripiebatur: in intervallis sanus, sed labore confractus. Vera epilepsia judicari poterat, si mentis sensuumque læsio accessisset.

§ 7. Peritissimi quique adhibiti medici, convulsionem epilepsiæ finitimam, à maligno venenatoque vapore, spinæ dorsi impacto, censuerunt: è quo vapor in eos nervos emanaret, qui à spina in artus quoquoversum, non autem in cerebrum disseminantur. Hæc credita causa ut summoveretur, clysteres imperantur frequentes, purgationes generis omnis & validæ, cucurbitulæ infiguntur nervorum initiis, fotus, unctiones, emplastra primum, quæ discuterent, dein, quæ roborarent, venenatamq; malignitatē obtererent. His parū proficientibus, sudores proliciuntur balneis, ęstuariis, & Guajacinę ebeni decocto. Quę nihilo magis profuerunt, quoniam omnes longe aberamus à cognitione veri.

§ 8. Nam mense tertio primum deprehensus dęmon quidam, totius mali author, voce insuetisq; verbis ac sententiis, tum Latinis, tum Græcis (quanquam ignarus linguę Gręcę laborans esset) se prodens.

Is mul-

Is multa medicorum secreta detegebat, ridens, quod eos magno periculo circumvenisset, quodque irritis pharmacis corpus hoc pene jugulassent. Quoties laborantem pater invisebat, is procul à conspectu inclamabat, Appellentem hunc arcete, & ab ingressione propulsate, aut torquem è cervice detrahite: ex hoc enim, ut Gallorum torquatis equitibus in more est, divi Michaelis imago propendebat.

D. Michaelis imaginem se formidare simulat dæmonium.

§ 9. Ad hanc Fernelii narrationem, velut parenthesi interjecta, respondeo: hunc dæmonem se Michaelis imaginem usqueadeo vereri simulasse, ut astantes falleret evidentius. Quasi vero hic ullius exhorrescat simulachrum, qui ne quidem ipsum Christum, expressam Dei imaginem timuit, quem aggredi, assumere atque tentare ausus est: Paulum, vas electionis, colaphis cædere: Jobum justum affligere: Evam in innocentia constitutam, vafro affatu fallere.

Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. 2 Cor. 12. Job. 1. 2. Gen. 3.

§ 10. Interrogatus hic (prosequitur ita Fernelius) quis esset, aut quo modo, & qua hæc potestate moliretur? dixit, multa intus esse domicilia, in quibus se recondit, & in quiete ad alios commigrare: se in hoc corpus injectum à quodam cujus nomen nō efferret: à pedibus ingressū in Regia, & à pedibus egressurū, cū præstitutus dies adventarit.

Confutatio illius, quod se in corpus à quodam injectum proxime dixerit diabolus, idque prorsus à nemine fieri posse: inefficaces item esse imprecationes malitiosas: & de parentum imprecationibus

CAP. XVIII.

Se in corpus injectum à quodam (mea quidem sententia) mendacii parens fingit, libenterque fatetur, non coacte: licet ceremoniis & execrationibus se compelli simulet, ut alios ludat, à Deo avocet, sinistram de innocente opinionem injiciat, atque authorem injecti dæmonis, mox hunc, de quo illis volitet suspicio, perverse opinentur: ita rerum suarum sategisse arbitratur, si hac quoque ratione hominum divellat animos, cædesque struat, sceleratus generis humani hostis.

Dæmones nemo alicui imprecando potest immittere.

§ 2. Enimvero ut ne dæmoni quidem licitum est, corpora aut hominum aut bestiarum ingredi, pro sua libidine aut arbitrio: sic nulli vetulæ, nulli obstetrici (quæ corrupta multorum est opinio) nec ulli homini, quantumvis maligno, aut scelerato diaboli mancipio, concessum est, corporibus dæmonas imprecando immittere. Aliàs Satanæ potentiā exuperaret hominis virtus maligna, si homo pro corrupta sua voluntate hic posset, quod dæmoni denegatum scimus: quum hunc nihil omnino aut intus aut extra posse, citra peculiarem Dei assensum, ex

S. literarum traditione manifestũ sit: quo suffragante, in procinctu stat spiritus ille nequã, opinione celerius; corpus ingrediens; vel collidens.

§ 3. Hæc unica est ejus voluntas, spes & expectatio. Dei nutum observat, & calculum expetit, non vero maliciosam ullius hominis imprecationem. Quæ si tantillum haberet momenti, vix homo in rerum natura sup eresset, qui non vel dæmonum myriadibus infarciretur, vel ab iis auferretur, vel peste tolleretur, vel lue Gallica, aut Jobis ulceribus fœdissimis conspurcatus lugeret: Ita domos, compita, vicos & urbes, his diris & imprecationibus personare ubilibet audias, ut nec parentes liberis, nec liberi parentibus parcant, imo seipsos levi de causa pleriq; devoveant horribiliter, sitq; ejusmodi execrabilis salutatio conjugi à marito plerunq; etiã hora matutina expectanda, & e diverso.

Malum imprecandi consuetudo vulgaris.

§ 4. Sæpenumero ira perciti nonnulli, usque adeo his assuescunt votis, ut in habitum ea degenerent: & pro decoro tandem habeatur, atque orationis lenocinio, si in familiari colloquio, vel amica salutatione, vel risu jucundo, horrendæ ejusmodi concrepent voces: quas tamen nullum sortiri effectum in alium, palam cernimus. Tantum illæ maledici hominis, olim rationem reddituri, nisi pœnitudine convertatur, diræ lædunt animam.

§ 5. Atqui potius, si quid imprecationes valere quis urgeat, omnibus erit indubitate ęterna salus expectanda: cum nemo sit, cui non aliquis salutem precetur perpetuam: quæ precatio ex Dei voluntate fit, quemadmodum ex Satanæ impulsu illa maligna. Si quandoque ex malitiosa parentum in filios imprecatione, sinister aliquis eventus sit visus, nihil contra nos facit, ob peculiarem ingenitamque parentum cum filiis sympathiam, cujus nomine, exemplum quandoque horrendum, proponere solet Deus.

§ 6. Sic haud ita pridem circa initium anni 1575. quidam non obscuri nominis, Regi Hispaniarum apud Geldros militans, quum è familia nobili honestam duxisset conjugem [quam & durius tractabat] intelligeretque tandem ipsam uterum ferre, indignanter, velut sinistre precatus, ait ille: Tu infernalem gestas dæmonem, quem gladio confodiam. Non longe post filiolum genuit dimidia corporis inferioris parte bene formata, verum superior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro, ut satyrus, auribus longis velut canis venatorius, in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata reddebantur sanguinea. Non immerito itaque Plato, nihil parentis imprecatione filiis censet periculosius.

Imprecatio parentum exemplum horrendum.

Lib. 7. de Leg.

fius. Contra vero accidit piis: quemadmodum in Jacobo, Isaaco, ejusque liberis, item Tobia & ejus filio apparuit. Gen. 27. 49. Tobia 5.

Dæmoniacarum imprecationum punitarum exempla.

CAP. XIX.

SPECTACULA interim non vulgaria subinde oculis nostris à Deo proponuntur, ut iis territi, inveteratam male imprecandi, vel etiam temere jurandi, & sæpe falso, consuetudinem declinaremus. Sic fertur, militem pedestrem ante paucos annos iter per Marchiam fecisse: ac nummosos loculos cuidam suæ hospitæ, apud quam decubuit ægrotus, custodiendos tradidisse. Post dies paucos restitutus, pecuniam reposcit ab hospita, quæ jam cum marito eam esse retinendam statuerat. Se itaque eam habere negat, injuriarum alterum accusans. Iratus pedes, hospitam vicissim infidelitatis insimulat. Quo audito, conjugem purgat hospes, peditemque ex ædibus deturbat. Hic rei indignitate permotus, extractum ensem in ostium infligit inconsiderate. Vim suæ domui fieri ab hoc homine, proclamat hospes. Quare à magistratu in carcerem conjicitur: agitaturque sententia, ob illatam vim, illum gladio feriendum. Jam extremus dies judicialis præ foribus erat, ipsique captivo moriendum esse, in carcere nunciat dæmon: at, si se ipsi dedere vellet, ut nihil sit periculi; se facturum pollicetur. In innocentia se mori malle, respondet captivus, quam ea ratione liberari. Proposita denuo periculi immensitate, ubi se aërem verberare, & nihil proficere animadvertit dæmon, gratis suam illi defert operam, qua apud adversarios vindicaretur: consulitque, Quando judicio sisteris, tuam in negocio forensi prætendes inscitiam, præsertim in dicendo: ea propter tibi patronum, quem advocatum dicunt, concedi orabis: atque me non procul stante pileo cyaneo plumis insignito, postulabis causæ defensorem. Annuit captivus, ac postridie in judicium productus, cognita magistratus accusatione & instituto, rogat sibi in extrema illa necessitate permitti patronum: qui conceditur. Multa disputat hic doctor Juris versutissimus, & argute defendit, falso accusatum esse & condemnari peditem: hospitem enim illi pecunia spoliato vim intulisse, ostendit: rem omnem ordine, quo gesta est, & ubi seposita conservaretur pecunia, aperiens. Hospite vero audacius inficiante, & se diabolo devovente, imprecanteque aliquoties, ut ab eo sustolleretur, si pecuniam haberet: destitit tandem à defensione causæ LL. doctor pileolo cyaneo ornatus, ac hospitem abreptum per forum in aërem avehit, ut ubi manserit, nemo cognoverit unquam. *A diabolo aufertur hospes ob imprecationem malitiosam.*

§ 2. Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, in Megalopolicis finibus, non procul à Wildstadia, in Pentecostes feriis, plebem cerevisiæ poculis indulsisse scribitur: cui mulier intererat, quæ sæpenumero diabolum suis immiscebat juramentis, qui spectantibus omnibus, eam per ostium in aërem altius sustulit: reliqui perterriti insequuntur visum, quo veheretur fœmina, cernuntque eam extra pagum in aëre aliquandiu pendulam, inde redditam in agro præcipitem compererunt mortuam.

Testes carmine non adimi, & concubitus impotentiam etiam à dæmone modo naturali invehi.

CAP. XX.

ILLORUM insuper sensus à dæmone obtundi, & oculorum aciem perstringi censeo, qui carmine sibi testiculas totave pudenda auferri existimant: quibus quum aliquandiu orbati videantur, in integrum postea restituuntur. Hic Satanæ potentia & arte, nervi testium pudendorumque ad suam convelli originem queunt. Sic & plerunque in deploratis morbis videmus fieri, malæque notæ argumentum dicit esse Hippocrates. Testiculi pudendaque retracta, vehementes dolores atque lethale periculum significant. Intermoritur enim facultas vitalis, & nervi versus originem retrahuntur.

Testes carmine non adimi.

Progn. 11. 10.

§ 2. In dæmonis vero operibus minime illud vitæ naufragium hic pertimescendum: nec naturalis ea perpetuo subest causa: ille etenim ad tempus fascino objecto deludit, vel dolosa nervorum retractione fallit. Ita fit, quod postea, ubi ad vetita consilia sic affectos adegerit, impietatisque reos effecerit, libenter ab opere desistat, coactus minime: licet se compelli simulet, ut superstitionis studia confirmet, aliosque iisdem arctius irretiat. Si enim hæc membra vere adempta fuêre, quando hoc factum est, & quibus mediis? num citra sanguinis effusionem, partium læsionem & vulnerationem, omni adempto sensu id fieri potuit, & vel momento sanari?

§ 3. Et si hoc quoque, licet ἀδύνατον, demus: unde quæso contigit, restitutio, si prorsus ea à corpore avulsa, & proinde alimento & vitali fomite destituta, tanto tempore mortua, putredinique obnoxia fuêre? Num Satanæ est, & angelorum ejus, nova creare: aut, ablatis omnino partibus vitali virtute destitutis, redintegrare pro suo arbitrio vitam, ac veluti colla eas agglutinare, aut sua potentia genuino affigere loco: quemadmodũ à Christo aurem Malchi, à Petro abscissam, indubitanter credimus restitutam? Minime gentium. Antea auditum est, nihil

Luca 22.

est, nihil plane dæmonem posse condere: explicatumque, quid illi ἀμίμητον, vel inimitabile.

§ 4. Cæterum vere, non profecto imaginarie auferebantur testes, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio in Junio, cuidã monacho Hermanno Wolfratgen Everfeldensi, custodi templi in monasterio Cruciferorum Dusseldorpii. *Testes monacho sano valentique excisi.* Hic, ubi societatis actionisque Venereæ cum muliere nupta insimularetur à monachis, qui ea quoque frui dicebantur, & hinc sententiam ex actione adversus se instituenda coram Generali, velut carnificinam graviter timeret, morbum fingit, nimirum rupturam in umbilico. Quocirca accitur M. Engelbertus Holter Everfeldensis, illustrissimi nostri Principis chirurgus, malum hoc curaturus. Huic, detecto figmento, animi morbum insinuat Hermannus, meditaturque quibus rationibus collegarum manus pœnamque evitare possit. Hinc convenitur, ut Priori à chirurgo persuaderetur, rupturam illam non posse restitui, nisi ægrotus apud se Everfeldi aliquamdiu decumberet. Interea vero temporis uterque illi testis clam execaretur: atque hac cautela se in juventute fuisse castratum, & propterea impotentem, falsoque accusari, quandocunque eo nomine, judicio coram Generali sisteretur, convincere posset monachus. Inducitur Prior ab Engelberto, ut secum ille transigat de mercede duodecim modiorum vulgarium secalis, post umbilici rupti (ut Priori persuasum fuerat) curationem solvenda. Inde Hermanno bene valenti utrumque testem illæsum clam domi eximit Engelbertus, solviturque ex pacto secale. Facinus hoc non semel cum jactantia narrari à chirurgo audivi, sed flagello certe dignum. Excussa tandem quoque cuculla post annos aliquot, duxit adhuc uxorem hic monachus, cui illa aliquamdiu post renunciavit valedixitque.

§ 5. Sic quidam, nomine Joannes ab Essen, ab illustrissimo Clivensi duce, numerata certa pecunia, castrandi jumenta & pecora in Marchiæ comitatu potestatem pro se solo impetrarat. Hic ubi quendã familiarius conjunctiusque sua frui filia animadverteret, ira incitatus, eam manu injecta evestigio in cubiculum abripit, violenterque uterum eidem, quemadmodum pecori solet, execat, conceptionique porro inidoneam sanat. Hujus facinoris ergo centenorum aliquot dalerorum mulcta à Principe punitur, nec quidem immerito.

§ 6. Alia profecto ratione usus est Methodius, si Zonaras fidem meretur tomo tertio Annalium. Qui de stupro accusatus, purgat sese monstratis virilibus exiccatis. Interrogatus autem de causa, narrat se,

quum

quum Romæ fuisset, nimio Veneris æstu concitatum, orasse Petrum & Paulum, ut sibi, ne de castitate periclitaretur, succurrerent: ac noctu eos comparuisse, & attrectatis pudendis, omnem libidinis appetentiam sustulisse.

Impotentia concubitus quomodo effici potest. § 7. Adhæc, quod incantamentis quidam vinciri putentur, ut concubitus omnino impotentes, quasi evirati, reddantur: hoc naturali occasione variis de causis usuvenire potest, vitiatis impeditisve vel natura, vel ex accidente congressus organis, quæ etiam propinato pharmaco labefactari queunt. Unde legem de frigidis & maleficiatis, & ad libidinis usum ineptis, tulerunt Theologi. *Decretal. Greg. 9. tit. 15.* Propterea non semper erit incantationi imputandum illud vitium, nec statim suspicione aggravandus insons. A dæmone tamen, ut quidem genituræ instrumenta posse concubitui inidonea reddi, fateor: ita quoque *spurcissimæ* anus maligna voluntate & insulsa imprecatione id effici posse, constanter nego: quanquam illa, iniqua à dæmone persuasione inducta, secus aliquando credat.

§ 8. Eodem authore, aliàs cum certa fœmina congressus, *sæpe* eidem homini permitti, relictis ejus organis liberis, potest: alias cum altera vicissim, præpeditis venereæ actionis instrumentis, inhiberi, ubi nullo alterius adminiculo illi opus est. Sic in Italia, & cumprimis Romæ, viros se quoque impotentes reddere arbitrantur *nobilissima* ac eadem putidissima scorta, si anterius subligaculi ligamen *furtive* alicui subtractum colligent: eo etiam reddito, ab ea impotentia se rursus eundem liberare autumant. Idem de lupi virga in alicujus nomine ligata vel soluta creditur. Si quis item malevolus, cubiculi in quo sponsus cum sua sponsa decumbit, ostium solum pulset, inclametque infigens januæ cultrum, ac sponsus respondet, deinde abrupta, cultri cuspide, atque in ligno relicta, is qui adornat maleficium, discedat tacitus, sponsum ea nocte nihil posse in re venerea, fertur. At nugæ sunt.

§ 9. Quidam narrat, quendam conterraneum suum, virum nobilem, jurasse ligatum se fuisse, ne cum mulieribus congrederetur: ac restitutum dexteritate quadam, qua hic alterius persuasionem confirmabat, adducens ei librum Cleopatræ, quem de fœminarum informanda speciositate fecerat: legensque locum, ubi eo modo ligari corpus totum inungi jubet corvino felle, mixto cum sesamelæo, & ita juvari? Hoc audito, confisus ille Libri verbis, id fecit, citoque augmentato libidinis æstu restitutus est. Quemadmodum impia credulitate

tate quis læditur: sic & levari eadem, credibile est, usuque observatur.

§ 10. De ludicro incuborum & succuborum cum hominibus congressu, prolixe superiori Libro, ubi sagarum discutiuntur ponderanturque actus, egisse mihi videor.

De ligaturis variis.

CAPUT XXI.

Hic leviter velut in Catalogum reducantur, multiplicis ligationis deliria: quemadmodum ligatio in amorem vel in odium, in ægritudines & sanitates, & similia: item ligatio furum & latronum, ne in aliquo loco furari possint: ligatio mercatorum, ut in designato loco emere vel vendere nequeant: ligatio exercitus, qui limites aliquos transgredi prohibeatur: ligatio navium, ne ulla vi ventorum, etiam infinitis velis vento obversis, portum egredi valeant: item ligatio molendini, ne ullo impetu volvi queat: ligatio cisternæ vel fontis, qua aquæ extractio inhibetur: ligatio agri, ne progerminet: ligatio alicujus loci, ne quid in eo possit extrui: ligatio ignis, ut in certo loco accendi nequeat, nec aliquid combustibile, admoto etiam igne vehementissimo ardeat: item ligatio fulgurum & tempestatum, ne noceant: ligatio canum, qua vetatur latratus: ligatio avium & ferarum, qua volatus & fuga præpediuntur: atque id genus reliqua, fidem profecto exuperantia, quæ partim ficta sunt: partim, si eventus ejusmodi spectentur, non impiis imputandi hi erunt ligationibus, sed ad causas naturales, impiam credulitatem, dæmonis collusionem, vel ad occultam Dei voluntatem referendi. Quomodo autem sanguis, ne fluat, ligetur, & morbi, modo non dissimili, coerceantur, vide libro sequenti cap. 8. *Ligatura varia.*

§ 2. Cum alias in Gallicano Lucensium, sub Apennino versaretur cum amico noster collega, de via audiebantur acclamationes rustici, vulpem voce persequentis: ubi illi suspicerent, ecce, ad montis latus ascendit ocissime vulpes, gallina præpingui onerata. Ibi collegæ nostri comes, Quid, inquit, auferam illi prædam? Ac mox verso non admodum prægrandi lapide, forte in via obvio, vulpem firmat, quæ deposito onere substitit. Accurrit ille, fugienteque vulpe, prædam aufert. Deinde sola lapidis versione se id effecisse narrat, quem ablata præda semper ponderosiorem esse oporteret: videbatur tamen in ipsa lapidis eversione aliquot immurmurare verba. Cum redirent in Gallicanum, rusticus, cui erepta erat gallina, eam repetit: alter reddere recusat. Vocatur inde in jus, & ablatæ gallinæ accusatur: qui id quidem non inficiatur, sed se eam optimo sortitum esse jure, quippe è vulpis

faucibus ereptam, defendit. Tandem ventilata aliquandiu causa, sententiam pronunciat judex, ut gallinam simul coquerent, eaque unanimes cum aliquot bonis amicis fruerentur.

§ 3. Joannes Sohetius Eburo lepidi ingenii medicus, quum alias disputaretur de ligationibus, narrabat se aliquoties observasse à matre, quando sub intempestam noctem non redirent ad præsepia boves, nec errabunda jumenta invenirentur, matrem tum arreptam securim obviam vel quodvis aliud ferramentum, projecisse per fenestras, addendo, Ecce pignus pro his aut illis: nam hac ratione, *illa* à lupis aut id genus feris illæsa superesse credebat. Quibus annumeretur conscripta ab Olao historia magi Gilberti nomine, apud Ostrogothos, ut immobilis maneret, ligati in specu à præceptore Catillo, cui ille insultare solet.

Lib. 3. hist. Sept. c. 20. Ligatus in specu Gilbertus.

§ 4. Habent & Turcæ suum modum, quo invitos retrahunt. Nomen servi in schedula scriptum suspenditur in tabernaculo vel domicilio servi: deinde diris verbis & imprecationibus illius caput impetunt; hinc vi dæmoniaca, putat fugitivus sibi in itinere vel leones vel dracones occurrere, vel mare vel flumina contra se exundare, vel cum tenebris nigrescere, iisque terriculamentis repulsus, ad herum redit. Sic Baal Zephon idolum, observabat retinebatque servas ex Ægypto profugas.

§ 5. Porro variarum ejusmodi ligationum opinio, perficitur per maleficia, collyria, unguenta, potiones seu philtra, certas designatas materies: per alligationes, suspensiones: per sortes item imaginationes, & animi excessus: per imagines, characteres, annulos, lumina, sonos, numeros: per imprecationes, invocationes, conjurationes, sacrificia, consecrationes, vota, nomina, verba, perque varia observationum & superstitionum deliramenta.

§ 6. His autem nugis commiscere solent, si quæ ex Sacris literis instituto accommodari possint: quemadmodum in serpentum adjuratione, maledictionem serpentis in paradiso terrestri commemorant: item serpentis erectionem in deserto, apte admodum, si diis placet: insuper versum illum, Super aspidem & basiliscum ambulabis, &c. Superstitio etiam hic plurimum valet, translato ritu aliquo Sacramentali ad id, quod vincire vel impedire statuunt. Se quoque ligari simulant dæmones: at certe non aliis vinculis, quam quæ ipsi tradiderunt, mendaciis scilicet, sacrilegiis, adeoque vanis atque obscœnis rebus, ut eas referre pudor sit. At Hildegardis sententia hoc finiam caput: In effica-

Gen. 3.

Num. 21.

Psal. 20.

In efficacia ligaturæ alligata est perversitas nequitiæ diaboli, ut à zelo furoris Dei non mereatur solvi, quia nunquam illum recta cogitantem vidit: sic neque eum aspiciunt, qui Deum fideliter timent. *Lib. 2. Visione 1.*

Homines nullius rei potentia in bestias transformari nequire. Explicatio fabularum de Vlyssis & Diomedis sociis, atq; Arcadibus transmutatis.

CAPUT. XXII.

PLEROSQUE etiam sagarum maleficio in bestias converti, voluit credula superstitiosaque vetustas. Sic quoque Demarchum commemorat Plinius, degustatis pueri immolati in sacrificio extis, in lupum se convertisse (merito vorax dicatur lupus, qui hominis exta vorat) & Circe poculo socios Vlyssis in illo errore diuturno fertur mutasse in feras, ut est apud Virgilium: *In bestias non transformari homines maleficio.*

Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis *7. Aeneid.*
Induerat Circe in vultus & terga ferarum. Item Ecloga 8.
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipsa dedit Mæris: nascuntur plurima Ponto.
His ergo sæpe lupum fieri, & se condere sylvis
Mærim, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

§ 2. Huc facit Boëtii carmen: *Consol. phil. lib. IV.*

Vela Naricii ducis,
Et vagas pelago rates,
Eurus appulit insulæ:
Pulchra qua residens dea,
Solis edita semine,
Miscet hospitibus novis
Tacta carmine pocula.
Quos ut in varios modos
Vertit herbipotens manus,
Hunc apri facies tegit,
Ille Marmaricus leo
Dente crescit & unguibus:
Hic lupis nuper additus,
Flere dum parat, ululat:
Ille tigris ut Indica,
Tecta mitis obambulat.
Sed licet variis malis
Numen Arcadis alitis,
Obsitum miserans ducem
Peste solverit hospitis:
Jam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant.
Jam sues Cerealia
Glande pabula verterant,
Et nihil manet integrum
Voce & corpore perditis.
Sola mens stabilis, super
Monstra, quæ patitur, gemit.
O' levem nimium manum,
Nec potentia gramina,
Membra quæ valeant, licet
Corda vertere non valent.
Intus est hominum vigor
Arte conditus abdita.

Hæc venena potentius
Detrahunt hominem sibi,
Dira quæ penitus meant,
Nec nocentia corpori,
Mentis vulnere sæviunt.

In dialog. de Asino.

§ 3. Hisce figmentis, & Apuleji in Asinum versi fabulæ, ascribatur Luciani metamorphosis: qui in Thessaliam profectus, ut magicas artes disceret, in hospitium forte divertit, ubi mulier se unguento illinens, in corvum mutabatur. Lucianus eodem linimento se volens inungere, in aliud errore incidit, quo unctus vertitur in asinum. Inductus autem in theatrum variis conspersum herbis, ex ancillæ institutione per rosatum esum restituitur.

§ 4. Herbis & venenis non sunt vires attribuendæ, quæ nec ad manifestas qualitates, nec ad totam illarum substantiam referuntur. His vero rationibus, homines ab illis non transformari *in bestias*, notum est: carminibus itaque eam imprimi illis efficaciam, sequitur. Augustini hic audiatur sententia: Si dixerimus, ea non esse credenda, inquit, non desunt etiam nunc, qui ejusmodi quædam vel certissima audisse, vel etiam expertos se esse asseverent. Nam & nos cum *essemus* in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, ubi mulieres stabularias his malis artibus imbutas, in caseo dare solere dicebant, quibus vellent seu possent viatoribus, unde in jumenta ilico verterentur, & necessaria quæque portarent, postque perfuncta opera, iterum ad se redirent: nec tamen in eis mentem fieri bestialem, *sed* rationalem humanamque servari: sicut Apulejus in libris, quos Aurei asini titulo inscripsit, sibi ipsi accidisse, ut veneno accepto, humano animo permanente, asinus fieret, aut indicavit, aut finxit. Hæc vel falsa sunt: vel tam inusitata, ut merito non credantur.

De Civ. Dei lib. 18. cap. 18.

Libro 3. & 4. ubi se à Fotide maga in asinum versum, & quid tum egerit, describit. At mera sunt nuga, ut etiam . qua in reliquis illis leguntur libris. Cap. 26.

§ 5. Et libro de spiritu & anima: Dicit humana opinio, quod quadam arte mulierum & potestate dæmonum, homines converti possint in lupos & jumenta, & quæque necessaria portare, & post peracta opera iterum ad se redire, nec fieri in eis mentem bestialem, sed rationalem humanamque servari. Hoc sic intelligendum est, quoniam dæmones naturas non creant: sed tale aliquid facere possunt, ut videantur esse, quod non sunt.

Libro 18. cap. 18. & libro de Spiritu & anima. cap. 28.

§ 6. Deinde, proximo etiam capite de Civitate Dei citato, subjungit: Non itaque solum animum, sed nec corpus quidem, ulla ratione crediderim, dæmonum arte vel potestate, in membra vel lineamenta bestialia, veraciter posse converti: sed phantasticum hominis (quod etiam cogitando, sive etiam somniando per rerum innumerabilium genera

nera variatur, & quum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit, sopitis aut oppressis corporeis hominis sensibus) ad aliorum sensum, nescio quo ineffabili modo, figura corporea posse perduci, ita ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, sed multo gravius atque vehementius, quam somno, suis sensibus obseratis. Phantasticum autem illud veluti corporatum, in alicujus animalis effigie, appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri posset in somnis, & portare onera: quæ onera, si vera sunt corpora, portantur à dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falsa cernentibus.

§ 7. Nam quidam, nomine Præstantius, patri suo contigisse indicabat, ut venenum illud per caseum in domo sua sumeret, & jaceret in lecto suo quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. Post aliquot autem dies eum velut evigilasse dicebat, & quasi somnia narrasse, quæ passus est: caballum se scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ dicitur Retica, quoniam ad Retia deportabatur: quod ita, ut narravit, factum fuisse compertum est, quæ tamen ei somnia sua videbantur.

Præstantii pater in longo altoque somno se equum putabat factum.

§ 8. Indicavit & alius, se domi suæ, per noctem, antequam requiesceret, vidisse venientem ad se quendam philosophũ sibi notissimum, sibique exposuisse nonnulla Platonica, quæ antea rogatus exponere noluisset. Et quum ab eodem philosopho quæsitum fuisset, cur in domo ejus fecerit, quod in domo sua petenti negaverat? Non feci, inquit, sed me fecisse somniavi. Ac per hoc alteri, per imaginem phantastica, mexhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somnis. Hæc ad nos non quibuscunque, qualibus credere putaremus indignum, sed eis referentibus pervenerunt, quos nobis non existimaremus fuisse mentitos.

§ 9. Proinde quod homines dicuntur, mandatumque est literis, à diis, vel potius à dæmonibus, Arcades in lupos solere converti, & quod carminibus Circe socios mutavit Vlyssis, secundum istum modum mihi videtur fieri potuisse, quem dixi, si tamen factum est. Diomedeas autem volucres, quandoquidem genus earum, per successionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subtractis credo fuisse suppositas: sicut cerva pro Iphigenia regis Agamemnonis filia. Neque enim dæmonibus, judicio Dei permissis, hujusmodi præstigiæ difficiles esse possunt. Sed quia illa virgo postea

viva reperta est, suppositam pro illa cervam fuisse, facile cognitum est. Socii vero Diomedis, quia nusquam subito comparuerunt, & postea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos ultoribus angelis malis: & pro eis, aves occulte ex aliis locis, ubi est hoc genus avium, ad ea loca perductę sunt, ac repente suppositę, ideo creduntur esse conversi.

§ 10. Quod autem Diomedis in templum aquam rostris afferunt & aspergunt, & quod blandiuntur Graecigenis, atque alienigenas persequuntur, mirandum non est fieri dæmonum instinctu, quorum interest, id est, ad quos persuadere pertinet, deum factum esse Diomedem, ad decipiendos homines, ut falsos deos, cum veri Dei injuria, multos colant: & hominibus mortuis, qui nec, quum viverent, vere vixerunt, templis, altaribus, sacrificiis, sacerdotibus (quæ omnia quum recta sunt, non nisi uni Deo vivo & vero debentur) *inserviant.* Hactenus Augustinus.

§ 11. Nisi vero altius dormientem Præstantii patrem observassent, ipse omnino ratus fuisset & narrasset ea revera à se gesta fuisse, quæ tantummodo per somnum cognoverat, atque ita veritatis opinionem apud multos sortitus fuisset rumor falsus. Sed mera sunt somnia & phantasmata: cui opinioni suffragatur D. Thomas, in quæstione de Miraculis. Pagano quoque & infideli deteriorem esse, indicant Decreta, qui credit posse fieri, aliquam creaturam, aut in melius deteriusve transmutari, aut in aliam speciem vel similitudinem transformari, quam ab ipso omnium Creatore.

2. Parte 26. q. 5. episc.

§ 12. Socios porro Vlyssis in bestias versos, & Diomedis comites in aves, atque Arcades stagnum quoddam transgressos in lupos commutatos, fabulosa esse, & poëtarum commenta, multi credunt cum Plinio: qui scribit, homines in lupos verti, rursumque sibi restitui, fabulosum esse, confidenter existimari debere, aut credere omnia, quæ fabulosa tot seculis credimus. Inde subjungit: Mirum est, quo procedat Græca credulitas. Nullum tam impudens est mendacium, ut teste careat. Hinc illud de Diomedis sociis ideo confictum à poëtis tradit, quoniam aves Diomedeæ, à Juba cataractæ dictæ, in solo totius orbis loco videntur in insula, ubi tumulus & delubrum Diomedis extant, contra Apuliæ oram, fulicarum similes. Et quoniam advenas barbaros clangore infestant, Græcis tantum adulantur, miro discrimine, velut generi Diomedis hoc tribuentes: ædemque eam quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt, atque purificant: unde origo fabulæ, Diomedis socios in earum effigies mutatos.

VIII. 22.

X. 44. De Diomedis & Vlyssis sociis, atque Arcadibus in aves & feras conversis, fabularum explicatio.

Sunt

Sunt, qui ea ad mores referant: nimirum quod Arcades luporum more vivebant, ut homines voraces & immanes, crudis vescentes carnibus, & forte humanis. Idem de mutatione sociorum Vlyssis, jumentis assimilatorum, ob pravitatem morum, intelligi potest: quemadmodum quoque de Nabuchodonezare Babylonis rege converso legitur. *Dan. 4.* Sic & quum Diomedes ex patria pulsus in Italiam venit, atque ejus socii in aves conversi dicantur, eos piratas factos, & paulatim interfectos esse, significatum fuit.

§ 13. Cæterum de Circes potentia & ejusmodi transformatione ita obiter Xenophon, de factis & dictis Socratis: Socrates tam parce cibo utebatur, ut jucunde comederet, atque ad illum ita paratus ibat, ut pro epulis esset ipsi cupiditas comedendi. Potus vero omnis erat illi gratus, propterea quod nunquam bibebat, nisi sitiret. Si quando autem in convivium convocatus voluisset ire, à quo difficillimum plurimis cavere est, præterquam deceat saturari, facillime ipse ab illo cavebat. Qui vero hoc facere nequibant, his consulebat abstinere ab illis, quæ persuadent, non famescendo comedere, neque sitiendo bibere: hæc enim esse ajebat, quæ ventribus capitibus atque animis noceant. Arbitrari autem, jocando dicebat, idcirco sues homines effici à Circe, quoniam multis talibus illos nutriebat: Vlyssem vero partim Mercurii consilio, partim abstinentia sua, suem factum non fuisse. Hujuscemodi de his, serio simul ac joco dicebat.

De ΛΥΚΑΝΘΡΩΠΙΑ *Morbo, quo se in lupos converti credunt homines.*

CAP. XXIII.

LITERARUM monumentis tradit Guilielmus Brabantinus in sua historia, virum prudentem diaboli arte eo perductum fuisse, ut aliquibus anni temporibus non secus sciverit, quam se rapacem esse lupum, qui per loca sylvestria & specus oberraret, ac maxime pueros persequeretur, & eum sæpe velut amentem per nemora vagari inventum fuisse: qui tandem Dei gratia ad mentem rediit. *Vide lib. 3. cap. 10. lib. 6. cap. 12. hujus operis.*

§ 2. Adhæc patavii lupus sibi videbatur agricola, anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo: multosq; in agris insiliit, trucidavitque. *Iob. Fincel. lib. 2. miracul.* Tandem non sine multa difficultate captus, confidenter asseveravit se verum esse lupum, discrimen solum existere in pelle cum pilis inversa. Quapropter quidam omnem exuti humanitatem, vereque lupi truces voracesque, tibias & ejus brachia gladio feriunt amputantque, veritatem rei exploraturi: cognita vero hominis innocentia, eum chirurgis tradunt curandũ, sed post dies non multos expiravit.

§ 3. Hos

Chatrab. Avicen. lib. I. 3. fen. I. tract. 4. c. 21. Tipula. λυκανθρωπία. Paul. Ægin. Eta. III. 16. Aëtius VI. II. Melancholia lupina. Insania lupina. λυκάων. κυνανθρωπία.

§ 3. Hos ea melancholiæ specie exagitatos fuisse, dubium est minime, quæ Arabibus chatrab dicitur, derivato nomine à bestiola, quæ irrequieto motu super aquas, modo huc, modo illuc, absque ordine vagatur. Latini, ut quidam volunt, tipulam id insectum vocant, in palustribus locis frequens: λυκανθρωπίαν, id est, hominis in lupum conversionem vocant Græci: quidam melancholiam quoque lupinam appellant ex Marcello, item insaniam lupinam: plerique λυκάονα, alii κυνανθρωπίαν. Eo malo correpti, ex atræ bilis fuligine se in lupos, vel etiam canes credunt mutatos. Quapropter domo egrediuntur, potissimum noctu, in cunctis lupos imitati, aut canes.

§ 4. Hi pallent, oculique iis sunt concavi & sicci: crasse imbecilliterque vident, linguam habent siccissimam, valde sitiunt, os saliva caret. Tibiæ his sunt ita ulceratæ, ut curari nequeant, propter frequentes offensiones, & canum morsiones. Curantur hi sanguinis missione usque ad animi deliquium, victu boni succi, balneis dulcibus, sero lactis, hiera ex colocynthide, Ruffi, aut Archigenis, aut Justi, theriaca, & reliquis melancholiæ utilibus. Caput his ante accessionem irrigatur soporiferis, nares opio inunguntur: quandoque & somniferum medicamentum propinari oportet.

Lib. I. Metamorph.

§ 5. Hoc naturæ vitium & humanæ mentis alienationem, fabulæ apud Ovidium subministrasse occasionem verisimile est, de *Lycaone* Arcadiæ rege, quem à Jove in lupum ob sua scelera mutatũ finxit. Interim atrę bilis morbi, lycanthropię dicti, adjungit notas, quemadmodum ridicula poëtarũ commenta naturales, sępe solent habere causas:

Territus ipse fugit, nactusque silentia ruris,
Exululat, frustraque loqui conatur, &c.

Avic. li. 3. fen. I. Tract. 4. cap. 29. Sigebertus in Chron.

Plerosque etiam atra bile vitiatos, se leones esse, vel dæmones, vel aves, imaginari, annotavit Avicenna. Neuri adhæc Scythiæ populi ejus erant persuasionis, quod se in lupos verterent, ut vult Herodotus: sic & Bajanus filius Simeonis, qui Bulgaribus imperabat, arte magica efficere credebatur, ut, quoties vellet, lupus vel quælibet fera videretur fieri.

Part. 2. caus. 26. q. 5. epist.

§ 6. Plinius & Edovardus scribunt, cerebrum ursi devoratum ingignere imaginationes, quasi in ursum quis transmutatus sit. Id nostro hoc seculo cuidam Hispano nobili oblatum fuisse edendum traditur, qui per deserta & montes vagabatur, se in ursum esse conversum phantasia vitiata ratus. Atqui dæmonem aut ullam creaturam, nihil posse condere, vel revera immutare, rationibus, & ex Decretis abunde de-

de demonstratum est: & evidentissime constat ex eorum, qui hæc fuerunt passi ludibria, confessione, quam lib. 6. cap. II. descriptam, qualicunque explicatione sum interpretatus.

De naturali sexus humani mutatione.

CAP. XXIV.

CÆTERUM, quæ mihi forassis hic obtrudere conabuntur alii naturæ miracula, ipse referam. Plinius: Ex fœminis, inquit, mutari in mares, non est fabulosum. Invenimus in Annalibus, Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Casini puerum factũ ex virgine, sub parentibus, jussuque haruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit, visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam virilitatemque provenisse uxoremque duxisse. Ejusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum: subditque, Ipse in Africa vidi mutatum marem nuptiarum die L. Cossitium civem Tisdritanum. Livius lib. 4. secund. bell. Punic. tradit, Q. Fabio Maximo & M. Claudio Marcello Coss. virum ex muliere Spoleti factum. Hippocrates autem scribit, Phaethusæ cuipiam Pythei uxori corpus virile, & in universum hirsutum & pilosum fuisse redditum, barbamque eam emisisse, vocem item asperam fuisse effectam: quod ipsũ etiã Namysiæ Gorgyppi uxori in Thaso evenisse, subjungit.

Natura miracula in sexus immutatione. *Lib. 7. cap. 4.* *Gellius lib. 9. cap. 4.* *VI. Epidem. VIII. 45.*

§ 2. Ut autẽ huic naturæ miraculo firmior detur fides, quid ætate nostra contigerit Neapoli, regnante Ferdinando primo, audi, Ludovicus Guarna Salernitanus civis quinque habuit filias, quarum natu majoribus duabus, alteri Franciscæ, alteri Carolæ nomen erat: quibus, postea quam ad quintum-decimũ pervenerunt annum, in marium morem virilia erupêre membra, mutatoq; habitu pro maribus habiti sunt, Franciscus & Carolus nuncupati. Item Ebuli sub eodem rege, puellæ, quæ jam quatuor annos viro promissa sponsæ nomen habuerat, qua nocte primum viro tradita cum eo concubuit, genitalia membra prodierunt, domumque reversa, in judicio dotem reposcit, in virorum numero postea habita.

Fulgos. lib. 1. cap. 6.

§ 3. Præterea amatus Lusitanus conscribit historiam ejusdem argumenti, his verbis: in oppido Esguerra, novem leucis à Conymbrica, nobili apud Lusitanos civitate, puella quædam genere nobilis erat, cui nomen (si recte memini) Maria Pacheca: quæ cum ad ætatem pervenisset, in qua mulieres primũ menstrua emittere solent, vice mensium, priapum usque ad id tempus intus latitantem extra ejecit. Et sic ex fœmina factus est masculus: & virili toga indutus, ac sacra aqua

Centur. 2. consult. curat. 39.

respersus, Manuel fuit vocatus. Qui ad Indos perveniens, & dives ac clarus factus, postea ad suos rediit, & uxorem duxit. Sed an liberos genuerit, non satis compertum habeo. Conscii tamen sumus, imberbem, hunc semper mansisse. Hactenus ille.

§ 4. Quæ eo à me adducuntur studio, ut probem, non solum hanc sexus permutationem & verissimam esse, & naturalium rationum basi inniti: sed etiam fœminas solum transire in masculos, saltem adversus inanem Ausonii assertionem, qui duorum exemplorum auctoritate, etiam tueri conatus est conversionis hujus oppositionem. Verum ubi caussa incredibilis istius effectus fuerit cognita & perspecta, illico consequutionis necessitas alterius falsitatem deteget.

§ 5. Quæ ut investigatione acquiratur, duo ponenda sunt fundamenta, demonstrationi naturæ prorsus convenientia. *Primum est*, post animantis productionem, virtutem conformatricem non esse otiosam: alterum, particulæ alicujus prerogativo jure dotatas mulieres: hujus præsentia subministrabit generationi materiam, illius confessio efficientis actionem. Quæ si vera sunt, ut profecto sunt, oportebit circa pudendum muliebre latitare aliquod membrum, priapi figuræ persimile: quia ex Physicæ speculationis certitudine constat, operationem naturæ non exerceri in subjecto quolibet, sed idoneo & prædisposito: quemadmodum etiam vis conformatrix, animante *jam edito* in lucem, non procreat de novo partes ob materiæ convenientis & reliquarũ occasionũ defectum, sed imperfectas adimplere facile potest.

§ 6. Proinde his ita constitutis, sciendum est, ejusmodi particulam reperiri in *κόλπῳ γυναικείῳ*, quæ cunctis mentulæ virilis conditionibus prorsus respondet, adeo ut prædita sit ligamentis, nervis, venis, arteriis, musculis, præputio, glande, ne quid omnino desideretur. Ejus exquisita observatio hactenus fere fuit neglecta, ob pinguedinis velamen, à recentioribus: at ab Avicenna describitur sub nomine Albathara, vel Albandar: & à Ruffo Ephesio *κλειτορὶς* vocatur, unde obscœnum verbum *κλειτορίζειν*, vel *κλειτοριάζειν* derivatur: nec non Nympha, Myrton, [illegible]. Atque exigua hæc caruncula, paulatim mollis augmentatione exurgit tandem in priapum, omnibus suis numeris absolutum.

Lib. 3. fen 21. Tract. 4. cap. 23. Albathara. Albandar. Kliteris. Nympha. Myrtun.

§ 7. Quod contingit præcipue aut menstruæ expurgationis initio, aut connubii tempore: quoniam in eo, Naturæ impetus incrementum molitur: in hoc vero, propter primi coitus vehementiam, effringuntur particulæ istius carceres, quibus exonerata virtus formativa dein elaborat, in promptiori expulsione. Ita etiam fit, quod tunc corpus & hir-

& hirsutius evadat propter mensium suppressionem, & robustius ob sexus virilis successionem. Hoc autem membro quum saltem mulier dotetur (unde omnes fœminæ licet actu tales sint, potentia tamen masculos nominarim) necessario elicitur, hunc mutationis ordinem progredi tantum à sexu fœmineo ad masculum, non è converso: quia natura semper addit, nunquam demit: semper expellit, nunquam reprimit: semper movetur versus dignius, nunquam indignius. Itaque Ausonio vanitatis crimen adstringo, quod Beneventi puerum quempiam repente virginem factum refert:

Nec satis antiquum, quod Campano in Benevento.
Unus ephebrorum virgo repente fuit.

§ 8. Poëtas ejuscemodi fabulas excogitasse, vel inde liquet, quod fingunt Tiresiam vatem Thebanum, cujus supra meminimus, cum coeuntes angues baculo percussisset, mutatum in fœminam fuisse, postque annos undecim, iterum cæsis à se anguibus, virilem naturam recepisse. Horum item miraculorum meminêre Sabellicus & Pontanus. *Sabell. lib 9. cap. 8 de Ostentis.* Sed quod abstrusa naturę operatione contigit, atq; in ea metamorphosi, & quidem solius sexus, continuo perdurat, nullum hic meretur locum, ubi tantummodo de fictis momentaneisque dæmonum formis & præstigiis, quoad fieri potest, explicandis agitur.

Quod pleriq; putantur dæmoniaci, qui melancholia agitantur, & è diverso,

CAP. XXV.

De melancholicorum imaginatione depravata, & subsequentibus eorum interdum deliris ridiculisque actionibus: nonnunquam etiam gravibus, seriis, horrendisque operibus, supra lib. 3. cap. 7. satis multa dixi, ut repetitione minus opus sit. Hinc tales vel fatui vel à dæmonibus obsessi sæpe judicantur, quemadmodum quoque energumeni vicissim melancholici interdum dicuntur. Exquisitum itaque desideratur hic judicium, ut inter utrosq; discernatur affectus: qui plerunque etiam complicantur. Humori etenim melancholico, uti materiæ suis ludibriis consentaneæ, diabolus se, ut antea memini, insinuat libentissime: propterea & perquam apposite, melancholiam esse diaboli balneum, dixit D. Hieronymus. Non tamen à dæmoniis cuncti exercentur melancholici: at contra fere fit, ut omnes dęmoniaci ob acerbos cruciatus affectusque graves, reddantur melancholici. *Balneum diaboli, melancholia.*

§ 2. Mulier quædam Budericiæ, singulis annis ejusmodi melancholia, vel potius mania agitabatur, ut septimanas aliquot multas noctu circa sepulchra in cœmiteriis degeret: excurreret etiam subinde

in plateas, effringens hujus januas, & illius fenestras perrumpens, interdiu aufugeret ad loca secretiora & sylvestria. Et quia is paroxysmus maxime incideret circa diem festum Paschæ, hoc est, tempus vernum, huic morbo ex humorum motu aptum: credebatur tum temporis à vulgo illam à spiritu exagitari maligno. Vide item historiam dæmoniacæ, quæ melancholia infestari putabatur, supra cap. 17.

Ficti obsidii diabolici historiæ memorabiles duæ: alterum autem ad incantamenta relatum

CAP. XXVI.

Obsidii dæmoniaci figmentum.

IN hac eorum, qui à dæmonum maleficio exagitantur, historica serie, non extra institutum fuerit, recensuisse naturale, rarumque tamen, diabolicæ obsidionis figmentum, à me olim Neomagi apud Geldros visum, in quodam mendico, nomine Justo. Hic, ut justa occasione pecuniam emendicaret largiorem, ante templi fores decubuit, dæmonii in se dominium simulans. Nam perpetua inquietudine exiliebat concidebatque jacenti venter: interdum & fugam minacem, insultum violentum, & torvam faciei inversioné fingebat. Custodes latus utrinque claudebant, ejus conjunx & scortum: quæ prosilienti renixæ, ferramentis appositis eum coërcendum mentiebantur: interea oratione mendicorum rhetorica oppidò instructæ, strenuam navabant operam, ut eleemosynam à populo die Dominico mane hunc adeunte locum, elicerent uberiorem.

Mendicus Justus ficti dæmoniacus.

§ 2. Tandem in dolosi machinamenti opinionem venit magistratus. Adhibiti lictores, qui à cœmiterio discedenti, sub prandio, quo tempore ab hominum frequentia hic tutus est locus, manus injicerent. Nam hic ejusmodi apprehendisse hominem, erat religio, nefasque ducebatur, ob profanationem loci scil. sacri. Postremo tamen, cognito latrocinio quater perpetrato, abreptus, in vinculis artem confessus est, qua ventrem, ut pro suo nutu exundaret subito, relabereturque continuo vortice, coegisset. Prius obice altius podici indito, & multo butyro simul devorato, quo antea obliniebantur præmuniebanturque ventriculus & intestina adversus vim hydrargyri deleteriam, argentum vivum deglutiebat, quod suo pondere ex ventriculo per pylorũ in intestina ferebatur, ubi ob pessulum ostio obditum, præcisa erat exitus via.

Hydrargyrum valde humidum & tenuium partium.

§ 3. Quare, quum vehementer id humidum sit, & tenuium valde partium, ac cognata mobilitate inquietissimum, quanquam à calore naturali excitatum, non tamen ob intestinorum butyro inunctorum anfractus evaporare (etiamsi ea fuisset caloris vehementia) potuit. Hinc ciebatur

ciebatur valida illa ventris perturbatio, & jactus inæqualis, quam augebat vehemens & voluntaria ventris succussatio, illæsis interim ob præsumptum butyri antidotum partibus interioribus. Stipe autem collecta, & arbitris semotis, inquietum dæmonem, captivum quippe Mercurium, extracto pessulo liberabat Hunc tragœdum decimo post editum hoc spectaculum die, propter latrocinium, Germanica punitione imponi rotæ vidi: ex qua horis duabus post descendit, eodem tamen repositus die, strangulatusque.

§ 4. Ad hunc numerum referatur impostura, vere commenticiis ligaturis ascribenda, cujusdam Joannis Patris nomine, Germanis Hans Vatter, nati in pago Mellinge, medium miliare dissito à Duringorum Wymaria. Hic professione bubulcus, triennium per celebres aliquot Germaniæ civitates vagatus est, simulans se ipsis D. Joannis feriis, hora matutina, quum boum curam gereret, à Nicolao Gottel, postea ob sua flagitia Wymariæ exusto, incantatum, pane assumpto cyaneo ex sextuplici sanguine confecto, nimirum infantis nondum baptismo initiati, & ab eo occisi, serpentis, bufonis, echini, vulpis ac lupi, ut duodecim annis atrociter à diabolo divexaretur. Hoc Nicolaum in carceribus confessum fuisse asseverabat. *Joannis Patris commenta. Ligatura ficta.*

§ 5. Hinc dæmonem excruciasse ipsum multifariam ait, ac tam stricte momento colligare manus sæpe in tergo, vinculis ex pilis equinis & sericeis laciniis intortis, ut nisi mox eorum incisione laxarentur, sanguinis subsequeretur eruptio. Coarctabatur enim singulari artificio ligaturę nodus inexplicabilis. Ac antea præ angore sanguinè è sinistra aure atque ore frequenter effluere querebatur. Et inter reliqua, semel Mansfeldiæ in aëre evectum se, & valido vento Halam ultra muros translatum, ibique catenis argenteis colligatum fuisse narrabat. Item Bornæ, ubi in turre inclusus fuerat, ut nonnihil à diaboli torturis leniretur, atque ab ejus laqueis tutus conservaretur, per foramen angustum crassi fornicis à diabolo perrupti, se indusio solummodo tectum, à dæmone extractum fuisse, atque in vastam traductum solitudinem: sed quomodo, se nescire: atque ibi tres noctes sine ulla cibatione humana peregisse.

§ 6. Addidit quoque, se catenis ferreis crebro à dæmone constrictum fuisse circum corpus, pedes, & collum: ac semel ita in patibulo ad hoc spectaculum à Satana ex ingentibus lignis constructo, in quodam horreo alligatum fuisse. Admiranda quoque phantasmata, apparitiones & spectra annexuit, nec omnia enarrare brevibus se posse inquit:

quit: sed cuncta ordine, velut seriem historicam, conscripta esse, tandemq; per typographiam lucem visura, ut mundo innotesceret, quanta crudelitate plurifariam à dæmonio excrucietur dilanieturque. Nec prætermisit suum in orando, concionibus sacris audiendis, & communicatione Sacramenti corporis & sanguinis Domini singulis quatuor septimanis, studium zelumque. Ad resipiscentiam quoque ut populum hortaretur, se impelli affirmabat.

§ 7. Post diutinam hujus tragœdiæ ostentationem, Norimbergam tandem venit, ubi iisdem usus technis, à prudenti & circumspecto Senatu observari cum vigilanti sagacitate industriaque, semotis custodibus solitis, jubebatur: & licet primùm abitionem urgeret, desperationem deinde simularet, & nescio quæ non comminisceretur ad artis suæ fucum: eo tamen ad extremum redactus est, ut se nunquam à diabolo ligatum fuisse, sed sibi ipsi laqueos à se paratos, celeriter semotis arbitris injecisse, ubi item eorum materiem suffuratus fuisset, fateretur. Vinciendi etiam specimen ostendebat libere: & suctu sanguinem ex gingivis extractum fuisse narrabat, quem quoque manu quàm ocissime in aurem seorsum instillabat.

§ 8. Reliqua item enarrata miracula, mera fuisse mendacia fassus est, universamque huc spectasse fabulam, ut inde rem faceret. Quapropter ob facilem, nec extortam confessionem, sententiam mitigavit, reumque publico palo in spectaculum & irrisionem, ad horæ dimidium alligatum, exilio punivit amplissimus eximiæ prudentiæ, judicii, virtutis atque authoritatis ordo Senatorius, 9. Maii, anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo. Id vero diabolicæ vexationis per incantamenta figmentum, tanquam rem veram, alius antea epistola typis excusa præmature evulgavit, tecto dolo falsus.

Magistratus Norimbergensis prudentia summa.

§ 9. Ejusmodi certe dexteritate varia sæpenumero nimis imponitur hominibus. Sic Eunus Syrus fanatico furore simulato servos, quasi Numinum imperio, ad bellum concitavit, idque ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipaverat, leviter inspirans, flammam inter verba fundebat, quo miraculo sexaginta amplius millium hominum coëgit exercitum, oppida vastavit, & Romanorum prætorum castra vicit.

Ejusdem simulatæ obsessionis juvantibus sacrificis historiæ.

CAPUT. XXVII.

Puella Werlensis epileptica, putatur dæmoniaca.

Eodem anno, nimirum sexagesimo-secundo, in Martio, Dusseldorpium venit puella quædam Werlensis, circiter annos viginti nata, bene

benehabita,sed vultu torva. Hæc,ut mendicandi solennior esset occasio, literis munita testantibus,eam à dæmonio obsessam,ad D. Hubertum Ardennatem profectioné instituerat,ut ibi à Satanæ jugo solveretur. Cum patruo & conductitio homine comité etiam habebat monachum, annum prope trigesimum agentem. In collo,tanquam amuletũ contra diaboli scilicet impetum, dependebat stola ecclesiastica. Ab eximiæ pietatis & doctrinæ viris ornatissimis, ecclesiaste suo, & medicis collegis meis conjunctissimis (qui bona fide rem omnem mihi exposuerunt, tum enim aberam) quicquid id esset negocii, solertissime inquiri voluit Princeps noster illustrissimus, quibusvis imposturis non tam faciles, ob non vulgares ingenii dotes, offerens aures. Quantum itaque ex ægrotæ & aliorum relatu conjicere illi poterant, epileptica putabatur. At monachum comitari, quod ob ecclesiastici viri præsentiam, minus à dæmonio impeteretur, dicebat: tandemque eo adacta est, ut illum in eodem secum decumbere noctu lecto fateretur, non autem à suis exuviis prorsus nudatum, sed qui indusio adhuc tectus esset. Quum vero hora quadam matutina è somno excita, patruum atque alterum custodem vestitos in lecto secum conquievisse observaret (fortassis vespere præcedenti,potu adeo consopita,ut minorem horum concubitorum habuerit rationem) se alias eos pedibus è lecto expulsuram minitabatur, si redirent: at nullam patiebatur repulsam monachus. Rogata etiam, quomodo aliæ monachi lupæ aut concubinæ (quas duas illum Werlæ reliquisse non negabat) ipsius peregrinationem ferrent? Ægerrime, respondit. Monacho quoque jactanti, se tribus verbis horribile in ea posse spectaculum excitare, quum à collegis meis permitteretur, ut quicquid ad hanc rem valeret, ostendere non gravaretur, nihil omnino potuit.

§ 2. Maubusæ in Hannoniæ finibus hujusmodi contigit facinus, mihi narratum à viro, cui fidere quis possit, & qui modo mihi affinitate junctus est, doctus & pius, totiusque actus spectator. Nam tum forte diversabatur apud urbis illius præpositum, suum consanguineum, qué salutandi gratia convenerat. Ibi subsistens præ foribus, vidit undique populum confluere, & velut agmine facto ad templum concurrere. Rogabat, quid rei esset? Tum illi quidam, Obsessum à dæmone quendam ajebat ibi exorcisari. Quod ut videret, accessit. Ingressus templum, vidit sacrificum quendam peragentem sacrum, & dæmoniacum altari proximum, qui aspectu horridulo & turbato sedebat tacitu. Hunc sacrificus ille per finitimas undique regiones circumduxerat, subindre-

Obsessionis diabolicæ commentum punitum.

subinde exorcismis tentans dæmonium ejicere. Is dum pronunciaturus Euangelium, se in illud latus, ubi erat dæmoniacus, contulisset, & ad Euangelii locum pervenisset, Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis: tum dæmoniacus, quasi horum sermonum impatiens, sese concutere, agitare, & altum clamare incœpit. Perlecto Euangelio subticuit, donec finita missa, sacrificus illum suis aggrederetur exorcismis, qui quidem & ridiculi fuerunt, & stolidi ac inepti. Subinde inculcabat illud, Maledicte diabole, dic maledicte diabole. At dæmoniacus ad pauca respondebat. Tandem exorcista: Dic, *inquit*, maledicte diabole, quidnam est omnium tibi inimicissimum, maximeque contrarium? Subticuit aliquandiu, ac tergiversabatur dæmoniacus. Exorcista vero acriter urgebat atque instabat: tandem dæmoniacus veluti victus, clamat, Aqua lustralis. Tum eâ aquâ crateram *argenteam* implevit exorcista, ac ori dæmoniaci admotam coëgit illum exhaurire: qui torquere se, & sic grunnire plane cœpit, ut porci solent, dum cultrum jugulo infigit lanio: ac paulo post, totus intumuit, *gutture* potissimum, ita ut supra naturam id contingere quivis *dixisset*. Hinc exorcista veluti præsentissimum alexiterium ad expellendum dæmonem, illius gutturi applicuit D. Gundulæ reliquias, theca argentea reconditas. Tum ille agitare sese, & intorquere, sicque clamare cœpit, ut Stentora illum dixisses vincere, vel quantum Gradivus Homerus: ut inquit ille. Deinde quasi victus, ad interrogata respondebat omnia: verum, quæ sciscitabatur exorcista, talia erant, ut vel ad aliquorum contumeliam, vel vindictam producta viderentur: certe stolida erant, indigna, minimeque ferenda. Altero die denuo subjectus est exorcismis dæmoniacus: sed, ut accessit hic meus affinis, ilico destitit exorcista. Audierat (ni fallor) hunc cum præfecto, & nescio quo alio prudente, è sene habuisse sermonem de hoc dæmoniaco & in hanc incidisse illos suspicionem, ut omnia ista ficte agi & fraudulenter crederent. Unde huic obviam veniens ait, idque Latine, quo videlicet perspecta esset illius eruditio, & Latini sermonis lepor: ait inquã, Ipse est extra: hominẽ à dæmone liberatũ innuens. Postridie urbem reliquit. Non ita multo post detecta re, palam fuisse imposturas, patuit: quare tandem uterque meritas ob tantũ flagitium dedit pœnas.

Marci 16.

Ejusdem argumenti elegans historia.

CAPUT XXVIII.

Historia festiva figmenti femella dæmoniacæ.

ALIUD diabolicæ obsessionis & exorcismi figmentum legitur in libello Gallico ante triennium Parisiis edito, inscriptoque Narratio-

rationes mundi fortuitæ, narratione 32. In pago cuidam arci proximo inter Delphinatus & Sabaudiæ montes, qui à rudiori plebe incolitur, sacrificus magis bigis agendis quam parochiæ administrandæ aptus, in pastorem eligitur, quod lectionis scientia tantummodo reliquos præcellere rusticos videretur. Et quum ex recepto more nihil fere in pagis illis citra pastoris cognitionem perficiatur, hic pedetentim apud omnes illius pagi fœminas factus est compater. Quibus quum ea occasione uteretur familiariter, una tamen Lisetta nomine, à curatore magis habebatur in deliciis.

§ 2. Hujus maritus, qui in bello Gallico victum fodiendo aliàs quæritasset, & jam ad easdem decrevisset redire operas, cœpit nonnihil angi ob nimiam parochi cum uxore familiaritatem, eique omnium sacrificorum consuetudine interdixit. Mœrore itaque offusus pastor bonus, aliud captat ex tempore consilium: mittitque secreto anum maleficam, cum sua commatre, quam vocant, consulturam, quibus modis ad consuetam amoris velitationem reverti tuto possent. In ejusmodi comœdiæ actu exercitata apprime vetula, Lisettæ aures hoc blando demulcet affatu: Mea filia, te animi admodum esse anxiam comperio: eisdemque doloribus conficitur tuus compater, propterea quod legitimum suum amorem præpediri videat. Compatior & ego quidem, quod juvencula eandem olim sim experta aleam, & duram perpessa sortem: nihilominus rebus afflictis remedium inventu facile, si prudentiam quis provide adhibeat. Auderesne fingere te à dæmonio obsessam? Helas! mea mater, respondet juvencula, personam hanc non inscite induerem, si ea ratione profici posse spes affulgeret: quandoquidem in mentem redit, vicinam nostram, me puero, simili vulnere sauciam, quotiescunque cum aliis puellis illi obviam eram, belle & artificiose cruciamentum hoc simulasse.

§ 3. A' sortilega hac deinde accuratius instructa Lisetta, ante templum audita missa intorquere oculos, contrahere manus, spuma defœdare os, & lupi ejulatum edere incipit. Accurrens mox vulgus stolidum, præcipiti & novo hoc malo attonitum, eam à dæmonio agitari censuit. Miser maritus non ita procul ob zelotypiam sedulo eam observans, haud leviter turbatus, illam domum reducit, ubi consolatum vicini confluunt. Sic ille ob gravem torturam, qua oppressam inopinato arbitrabatur conjugem, suspicionis non immerito conceptæ oblitus, recta ad parochi ædes, velut mentis impos, properat oratum, ut suis exorcismis tam maliciosum ex uxore spiritum exturbare dignaretur.

§ 4. Dominus Mauricius, quanta poterat dexteritate sese continens, mire exclamat, lugetque insperatum hujus ægræ infortunium, inquiens: Ha ha ha, mi compater, morositas in uxorem nimia, & suspicio ob causam non satis justam, probum maritum certe decet minime: siquidem eo nomine, in sensus communis errorem, quandoque etiam dilabuntur matronæ inculpatissimæ. Inde arrepta stola atque organis conjurationi idoneis, ægrotam libere adit, atque post suffragia infinita occulto murmure deblaterata, interrogat spiritum, quisnam esset? Lisetta probe instituta à vetula, voce rauca submissaque respondet: Ego patris hujus juvenculæ spiritus sum, ut hanc pœnitentiam decem annis, ex uno corpore in aliud transgressus, agerem, condemnatus. Maritus præsens ubi intellexit soceri esse spiritum, non sine lachrymis in has evestigio erumpit preces: Mi pater, per Deum te oro, ut exeas, nec amplius torqueas misellam filiam. Respondet spiritus: Hinc equidem egrediar, sed in te commutato hospitio rursus commigrabo, ubi designatum pœnitentiæ tempus absolvam. Sabaudus hic horribili ea sententia territus, usqueadeo exhorruit, ut incunctanter stola parochi arrepta cinxerit collum, exclamans: Mi compater, mi amice, aliquemne modum nosti, quo gravis illa sententia mutari queat, per preces, jejunia, eleemosynas, vel alia pietatis officia?

§ 5. Tum Lisetta videns ex voto succedere institutum & fucum, voce ait fictitia: Amice pauperior es, quam ut, qualia conveniunt evitandæ huic pœnitentiæ bona conferre valeas: sed horum loco quadraginta invisere templa, & in quolibet orationes fundere attentas oportet, quibus apud Deum offensarum remissionem impetres: alioqui ordinationem cœlestem evasurus neutiquam. Hæc pœnitentia marito ea ratione imperabatur à Lisetta, ut propter templorum distantiam in ea peregrinatione, temporis satis furori spiritus extinguendo donaretur. Ut autem voti compos minus impedite redderetur, spiritus voce fictitia sermonem prosequitur, cum homine expostulans, quod iniqua suspicione suum aggravârit compatrem, virum scilicet sanctum, cujus preces quoque Deo apprime forent gratæ: eo nomine uxoris curam huic compatri esse commendandam, interea dum religionis ergo peregre illum agere oporteret, studiose hortatus est. Miser hic Joannes, à purgatorii pœnis se facile absolutum ratus, in genua ante parochum provolvitur, ut ignoscat, obsecrans. Remissione haud gravatim exorata, ne deterius quid illi contingeret, religiosam ilico exequitur peregrinationem. Interim commissæ sibi Lisettæ, qua potuit

vigi-

vigilantia, fidelem nocte dieque præstitit operam D. Mauricius, ut profligato hoc spiritu, alter ejus loco successerit, cujus paulatim in vivi infantis imaginem adolescentis, patrem se esse post absolutum pœnitentiæ tempus, credebat maritus vere cuculus.

§ 6. Ridicula hæc capita finiam experimento hic non inidoneo, insulso tamen, epileptici, lunatici & dæmoniaci, ex Joanne Anglico desumpto: Dicatur in aure hominis affecti: Recede dæmon, vel exi, quia Essimolei tibi præcipiunt. Si sit dæmoniacus, redditur mox similis mortuo ad horam fere: cumque ubi surrexerit, de quacunque re interrogaveris, tibi respondebit. Sin vero, hoc audito nomine, non ceciderit, ipsum epilepticum esse scito. In multis etenim non dissimiles sunt epilepticus, & lunaticus, & dæmoniacus.

De iis, qui veneficium patiuntur.

CAPUT. XXIX.

CÆTERUM, si qui veneno oblato, vel illito, vel ejus vapore attracto, à veneficis infecti sunt, judicium esto penes medicos. Qui hic inter venena (quorum vis cæca & delitescens vario symptomatum cruciatu fatigat) & inter morbos ex illis natos (quæ non tantum manifestis qualitatibus, sed totius etiam substantiæ dissidio, vitæ nostræ primordia demoliri constat) atque inter morbos alios vulgares, raros, occultos, naturales tamen, secundum peculiares quorumcunque notas, discernent. Siquidem venenati, pro pharmaci hausti vel applicati, qualitatibus apertis, vel occulta totius substantiæ proprietate, multifariam afficiuntur: ut stomachi, alvi, intestinorum, jecoris, renum & vesicæ cruciatibus graviter exerceantur, ut singultiant, erodantur, contremiscant, refrigerentur, obmutescant, convellantur, pulsus difficilis fiat, veternus premat, vertigo obversetur, caligent sensus, sanguis erumpat: ut item strangulentur, siti aut febre conflictentur, ægre lotium reddant, torminibus vexentur, nausea premantur, crebro vomant, frequens animi deliquium ex nimia cordis angustia sentiant, dysenteria flaccescant, rubescant, tabe putreant, livore suggillentur, pallescant, desipiant, stertant, viribus deficiant. Imo ex tarantulæ morsu alii perpetuo rident, alii plorant, alii clamitant, alii dormiunt, alii vigiliis afficiuntur, plerosq; vomitationes torquent, nonnulli saltant, sunt qui sudant, alii tremebundi fiunt, quidam pavoribus infestantur: alii alia patiuntur incommoda, & phreneticis, lymphaticis ac maniacis assimilantur: & mirum, quod auditis continuo musicis instrumentis tripudiantes, donec veneni vis insensibiliter

Veneficio infecti.

Dioscor. li. 6. in Proœmio.

Tarantulæ morsus symptomata & curatio.

ter per cutis meatus & per sudorem discutiatur, liberentur.

§ 2. Venena autem, eorumque tam generalia quam privata indicia, præter reliquos, non minus diligenter & exacte, quam etiam docte, descripsit Dioscorides: nec segnem in eo opere explicando exornandoque præstitit operam, solertissimus simplicium investigator Matthiolus. Inter ea vero, quæ intro assumuntur, multo præsentius ac atrocius, quam quæ foris adhibentur, offendunt. Nam quæcunque contactu lædunt, hebetiora, minusque efficacia sunt: neque in solo spiritu vel in aëre, verum in humore quodam promovente, vires sortiuntur.

Li. 6. de Materia med.

Venena intra assumpta.

Contactu lædentia.

§ 3. Porro quod halitu ferit venenum, omnium præsentissimum & efficacissimum est, nec humoris nec crassioris materiæ tanquam vehiculi indigum, ut in nos agat commigretque. Enimvero tenuissimum quum sit, spiritu attractum, ocissime per pulmones in cor, viscus vitæ primarium, & in arterias propagatur, in universum denique corpus prorepens: primumque spiritus, deinde humores, postremo ipsam partium substantiam viciat. Morbi, teste Hippocrate, qui à corpore membrorum validissimo proficiscuntur, gravissimi sunt: atque si, ubi cœperunt, permanserint, necesse est validissimo membrorum laborante, totum corpus affici. Interim meminisse oportet, ex putredine longius grassata, vel alia abditiore ex causa, virus etiam in nobis provenire gignique posse. Hanc quæstionem veteres disputasse, docet Galenus: rationibusque apertissimis collegisse, eosdem affectus fieri & à lethalis veneni haustu, & à corruptione, quæ à corpore scaturire potest.

Halitu ferientia.

2. de Nat. hum.

De Loc. affect. 6.

§ 4. Huc pertinent eorum notæ, quos φαρμακεία læsit: ubi scilicet philtra ad amorẽ ciendũ porriguntur, esu haurienda, vel potu. Sic in vita Marci Antonii Plutarchus de eodẽ refert, quod magicis carminibus & amatoriis poculis devincta mens, amissa libertate propria, in Cleopatræ vultu hærebat infixa, longe redeundi quam vincendi cupidior.

Pecudes Quandoque venenis tolli, sed utplurimum peste.

CAP. XXX.

Veneno adhæc propinato, vel ita collocato, ut halitu lædat, jumenta perniciose affligi quandoque, inficiatur nemo: sed ea numerosa, sæpius ad internecionem, gravissima prosterni peste his peculiari, homines non infestante, item præcipitibus aliis morbis in suo quæque genere, partim hominibus quoque familiaribus, partim plerisque pecoribus propriis, subito tolli, ab optimis agriculturæ & veterinariæ artis vel mulomedicinæ scriptoribus tam veteribus quam recentioribus

Pecudum venenatio.

Testes animantium.

tioribus memoriæ proditum est: qui tamen morbi à vulgaris ingenii hominibus, ne alios nominem, maleficia frequenter creduntur.

§. 2. Sæpenumero id contuemur, & superioribus annis contigisse meminimus, ut solos jugularit boves pestilentia quædam. Irrepit etiam, quæ sues,& quæ oves, alia quæ gallinas interimat. Pecudes ferasque tollentem pulchre describit Virgilius: 3. Georg.

Hic quondam morbo cæli miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumni incanduit æstu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

Discrimen verò paulo antè expresserat:

Quàm multæ pecorum pestes, nec singula morbi
Corpora corripiunt.

§ 3. Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, medicinam faciente in Lucensium balneis collega meo, narrabat Franciscus de Pergula, ejus loci Lucensium nomine vicarius, ibi circa pagum Menabiam, supra balnea, in fine Maji, morbum quendam invasisse pecora tam pestilentem, ut statim correpta, tumescentia conciderent mortua: rusticos vero, cum id animadvertissent, quædam subitò affecta, è vestigio mactasse: in quibus id erat observatum, ut, si horum infectorum sanguis nudum contingeret hominis corpus, anthraces procrearet, qui (quod mirum videbatur) non patefacti, erant innoxii: aperti autem, & confestim cauterio non notati, latissime serpebant, & aliquibus mortis erant causa. Caro pecorum recens læsorum & mactatorum cocta comestaque, nihil inferebat incommodi: at jus carnis, lethale potanti deprehensum est.

§ 4. Therionarca in Cappadocia & Mysia nascente, omnes feras torpescere, quibus fuerit admota, nec nisi hyęnæ urinæ aspersu recreari, tradidêre veteres.

§ 5. Pestem etiam pecorum, quemadmodum & frugum sterilitatem, interdum à divina voluntate ob populi flagitia provenire, observatu necesse est. Sic ob Pharaonis duritiem pestis grassatur in pecus, ulcera in homines & jumenta, grando item in universa Ægypto. Et Ioëlis 1: Dissipata sunt horrea, disjectæ apothecæ, confusum est triticum, ingemuit animal, mugierunt greges armenti, quia non sunt pascua eis, sed & greges pecorum disperierunt Et Aggæi 1: Ponite corda vestra super vias vestras, dicit Dominus. Seminastis multum, & collegistis parum: comedistis, & non estis saturati: bibistis, & non

Pestis pecorum & frugum sterilitas accidit sæpe ob nostra peccata. *Exod 7.*

estis inebriati. Et infra: Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & ego exufflavi illud. Propter hoc, inquit, super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem: & terræ prohibitum est, ne daret germen suum: & vocavi siccitatem super terram, &
Deut. 28. super montes, triticum, vinum, oleum, & quæcunque progignit humus, & super homines, jumenta, & omnem manuum vestrarum laborem. Et cap. 2: Percussi vos vento urente, & aurigine, atque omnia manuum vestrarum opera, & non fuit, qui ad me converteretur. Item Levit. 26: Si non feceritis mandata mea, dabo cœlum vobis desuper ferreum, & terram æneam, & consumetur incassum labor vester, immittamque in vos bestiam agri, quæ orbos vos faciet, atque exterminabit pecora vestra, & imminuet vos. Si autem in præceptis meis ambulaveritis, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum. Porro resipiscentibus vicissim hæc ubertatis fit promissio, Ioëlis 2: Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo, & dicit: Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum & oleum, & replebimini in eis: & non dabo vos ultra opprobrium in gentibus.

§ 6. Eam vero rerum suarum jacturam impatienter quidam tolerantes, non cum Iobo eam Deo acceptum ferunt: verum ad divinos & ariolos, sacrificos, diabolicarum actionum patronos, quasi à Lamia, Satanæ adminiculo, ad eam devenerint stragem jumenta, confluunt. Qui inde ementitis votis, & quacunque possunt fallaci persuasione, hos damno & incredulitate bis miseros homines, in malitiosæ opinionis semel conceptæ præjudicio obfirmant: adhibita etiam non solum superstitiosa, sed & impia curatione, quam Libro sequenti explicabo. Ubi quoque ostendetur, quod stercore lupi in præsepibus posito, jumentorum maleficium aliquando fingitur. At quo modo in anima-
Cap. 16. lium ventriculis ex pilis, justæ quantitatis pilæ increverint, paulo ante dictum est.

Matth. 8. Marci 5. Luc. 8. In vita Hilarionis eremitæ. § 7. Gadarenorum porci, Satanæ maleficio adacti, in mare præcipites lati perierunt: ut Scriptura docet. Docuisse quoque senem Hilarionem, tradit Hieronymus, diabolum hominum caussa etiam jumenta corripere: & tanto eorum ardere odio, ut non solum ipsos, sed & ea quæ ipsorum essent, cuperet interire: atque hujus rei proposuisse exemplum, quod antequam beatum Iobum tentare permitteretur, omnem ejus substantiam interfecerit.

CURA-


CURATIO EORUM, QUI LAMIARUM MALEFICIO AFFICI, VEL DÆMONIS OBSIDIONE SUBIGI CREDUNTUR.

LIBER QUINTUS.

Vbi eadem opera, ob argumenti communionem, curationes à maleficio diabolico non alienæ interseruntur: & ligaturarum, characterum, annulorum, periaptorum & effigierum tam in sanando, quam in lædendo, sive claustris aperiendis, sive furibus investigandis & similibus, vanitas ostenditur.

De curatione præservante ab hoc mali genere.

CAPUT. I.



CVRATIONIS ratio hic partim erit προφυλακτική, exoptatissima medicationis pars, ut à fascino & incantationũ ludibriis quis præservetur: partim etiam θεραπευτική, ut ii, quos jam maleficio collisos credimus, rite legitimoque restituantur ordine. Atque erit illa aliquomodo communis, ex Sacrarum literarum fontibus deprompta: non autem magica vel superstitiosa, tantopere à multis desiderata excultaque.

§ 2. Quum vero, quicquid hactenus rerum monstrosarum in hanc relatum est historiam, diaboli sint artes, opera, ludificationes, larvæ & spectra: contra hunc nos circumquaque validis aggeribus, præsidiisq; infallibilibus cõmuniti est operæprecium. Atqui spiritus quum sit, spirituali accingamur armatura: quam ex divina Pauli exhortatione cognoscere, atq; universis complecti nervis docet, qui ita hortatur: Quod superest, fratres mei, sitis fortes per Dominum, perq; potentiam roboris illius. Induite totam Dei armaturam, ut adversus diaboli assultus consistere possitis. Quoniam non est nobis lucta adversus sanguinẽ & carnẽ, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales astutias in coelestibus. Quapropter assumite universam Dei armaturam, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State igitur, lumbis circumcinctis baltheo per veritatem, & induti thorace justitiæ, & calceati pedibus, ut parati sitis ad Euangelium pacis: super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia jacula mali illius ignita extinguere: galeamq;

Curatio adversus diaboli conatus præservans.

Ephes. 6.

1 Thessal. 5.

Armatura Dei.

Gladius spiritus. salutis accipite,& gladium spiritus,qui est verbum Dei, in omni deprecatione & obsecratione,orantes in omni tempore, in spiritu,& ad hoc ipsum vigilantes cum omni sedulitate. Petrus item fideliter admonet:
1. Pet. 5. Sobrii estote, vigilate, quoniam adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem devoret. Cui resistite solidi in
Ephes. 2. fide, scientes easdem afflictiones vestræ, quæ in mundo est, fraternitati consummari. Hic enim agit in incredulis.

§ 3. Hic & salubertima Tertulliani exhortatio suum habebit locum, qui nos velut Jobum, fortissimum Dei athletam, adversus tentationum insultus pugnare voluit: item serico vestiri probitatis, purpura pudicitiæ, chlamyde patientiæ. In animum quoque inducendum suadet cuncta, quæ dæmon ad nostræ integritatis eversionem machinatur, in gloriam constantis casura: & ejus machinamenta *in hunc* finem à Deo permissa esse, ut, qua constantia perferre adversa velimus, experiatur: quemadmodum apud Hieremiam prophetam quoque legimus: Dominus exercituum justi probator est.

§ 4. D. Maximus in lib. de Charitate, dæmones nos *infringere* interficereque jubet: atque illud haud dubie perfici, quandò cum præceptorum Dei observatione affectus in nobis effervescentes vincimus: hoc vero, quum prorsus affectibus carentes, illis universam calumniandi occasionem præscindimus, cum propheta dicentes: Vade homicida, Dominus mecum est, bellator fortis: tu cades, & delebe-ris apud me in æternum.

§ 5. Olympiodorus cap. 10. in Ecclesiasticæ historiæ interpretatione, omnes sensuum aditus occludendos censet sic, ut neque per oculorum illecebras, neque per aurium pruriginem, neque per nocentis linguæ petulantiam dæmon admittatur: hoc enim signaculum contra dæmones absolutissimum habeatur. Quidam duobus in pugnam progrediendum armis monent: precatione quidem pura, quæ in cœlum subvehat affectus: & scientia vera, quæ salutaribus opinionibus communiat intellectum, & suggerat quid sit orandum, ut ardenter oremus non hæsitantes.

§ 6. D. Antonius ita suos confrates adversus dæmonum insultus munit: Magna, inquiens, dilectissimi adversum dæmones arma sunt, vita sincera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto, pertimescit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & præcipue purum erga

Christum

Christum amorem. Novit teterrimus Coluber ex præcepto Domini, sub justorum se jacere vestigiis, qui ait: Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Hic porro præclara longaque oratione contra quascunque dæmonum præstigias vexationesque suos instruit.

§ 7. Recte Hermes Trismegistus tradit, unam & solam custodiam hominum à dæmonum astu, esse pietatem. Pium enim hominem nec dæmon malus, nec fatum tenet. Et quemadmodum vera fides mirabilia adversus diabolum ejusque potentiam in credentibus operatur: sic & falsa credulitas, Deo permittente, eventus cooperante diabolo inauspicatos interdum gignit, vel potius demeretur. Cum Davide ergo confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.

Lactant. de Orig. err. l. 2. ca. 16.

Psal. 117.

§ 8. Omnium itaque primum, tanquam rei caput, desideratur, ut in vera doctrina & genuino Dei cultu instituti, nos totos resignemus, tradamusque ipsius voluntati, fide viva & spe indubitata, nos illi curæ esse, sub ipsius patrocinio & tutela securos degere, ipsius primum gratia progenitos esse, singularique nos consectante misericordia servari, vere confisos, Christum in hoc nobis natum, & filium nobis datum, qui peccata nostra super humeros suos in ligno pertulit: & per potentiam Patris, à morte suscitatus, mortem vicit & Satanæ imperium demolitus est, ut hic jam inde irrito conatu suas nobis machinetur insidias, si sepulti una cum Christo per baptismum in mortem, & peccatis mortui, in novitate vitæ ambulemus, justiciæque vivamus. Si etenim Christo insiti, in illum atque Patrem ejus credimus, illius mandata observamus, vestigiis insistimus, abnegato dæmone, omnibusque ejus consiliis, universa denique impietate, opera spiritus sectantes, fructusque fidei edentes, in charitate non ficta erga Deum & proximum, id mansuetudine, benignitate, lenitate, temperantia, continentia, castitate, sensuum cohibitione, constanti cujuscunque adversitatis, jacturæ & injuriæ tolerantia, vitæ demum innocentia, puris manibus extensis orationi assiduæ intenti, peccati inquinamentum ut veneni perniciosissimi perditissimique halitum, internecionis periculo repente nos objicientem, declinantes: maleficorum profecto minas haud difficulter cavebimus, vel negligemus, vel tolerabimus.

Esaja 9.
Joan. 3.
1. Pet. 2.
Rom. 6.
1. Pet. 2.
Galat. 5.

§ 9. Si vero quis peccaverit, inquit Joannes, advocatum habemus apud Patrem, JESUM CHRISTUM justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam *1. Joan. 2*

pro totius mundi. Et per hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si jussa illius observamus. Qui dicit, Novi eum: & praecepta ejus non servat, mendax est, & veritas in eo non est. Qui vero servat sermonem ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est. Per hoc scimus, quod in ipso simus. Qui dicit se in eo manere, debet sicut ille ambulavit, &
1. Joan. 3. ipse ambulare. Qui committit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. Ad hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. In hoc manifestati sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis, qui non facit justiciam, non est ex Deo: & qui non diligit fratrem suum. Hinc Paulus, in Christo Jesu neque circumcisionem, neque praeputium valere asserit: sed fidem, quae per dilectionem operatur. Cu-
Galat. 5. 6. jus fidei loco novam creaturam, sequenti capite ad Galatas, locat: &
1. Corinth. 7 observationem mandatorum Dei, ad Corinthios, supponit.

§ 10. Unde satis liquet, de qua hic fide loquar: quam amplecti, cuique firmiter insistere oporteat. Non simplicem formulae fidei praescriptae enarrationem propono, quam & facile pronunciaret diabolus: non etiam ore jactatam ab iis, quorum cor à Christo procul est, quae consopita, mortua, sterilisque delitescit, nusquam se prodens, velut infoecunda arbor exscindenda, ignique mandanda: sed hanc ur-
Matth. 3. geo, quae totum innovat hominem, virtute viva se in Christi membris
Vera fides. exerens, fructificans, efficax potentia Dei ad salutem habenti, sacra salvationis nostrae anchora, prora & puppis, petra contra quamcun-
Matth. 16. que Satanae tempestatem impetumque immobilis. In qua quicquid superstruitur, inviolatum perdurat. Imo adversus quam ne quidem inferi portae praevalent.

De Civ. Dei XVIII. 18. § 11. Augustini hic audiatur consilium: De ista tota daemonum ludificatione, ait, nos quid dicamus, qui haec legent, fortassis expectant: quid Christiani agere debeant, quando inter idola gentium mi-
Hier. 51. racula fieri asseruntur. Et quid dicemus, nisi de medio Babylonis esse fugiendum? Quod praeceptum Propheticum ita spiritualiter intelligitur, ut de hujus seculi civitate, quae profecto & angelorum & hominum societas impiorum est, fidei passibus, quae per dilectionem operatur, in Deum vivum proficiendo fugiamus. Quanto quippe in haec ima potestatem daemonum majorem videmus, tanto tenacius mediatori est inhaerendum, per quem de imis ad summa conscendimus. Item de utilitate credendi cap. 22. Vera pietate homines Dei, aëream potestatem inimicam contrariamque pietati, exorcizando ejiciunt, non placando: omnes tentationes adversitatesque ejus vincunt orando,

non

non ipsam, sed suum Deum adversus ipsam. Non enim aliquem vincit aut subjugat, nisi societate peccati. In ejus ergo nomine vincitur, qui hominem assumpsit, egitque sine peccato, ut in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est, per mediatorē Dei & hominum, hominem Christum Jesum, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo.

§ 12. Cyprianus ad Fortunatum, de exhortatione martyrii: Adversarius, inquit, vetus est, & hostis antiquus, cum quo prælium gerimus. Sex millia annorum plene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat: omnia jam genera tentandi, & artes atque insidias dejiciendi, usu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum Christi militem invenerit, si rudem, si non sollicitū ac toto corde vigilantē, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitū. Si quis vero Dominica præcepta custodiens, & fortiter Christo adhærens, contra eum steterit, vincatur necesse est: quia Christus, quem confitetur, invictus est.

§ 13. Docet & Ansbertus pie admodum, quomodo sit adversus diabolum pugnandum: Si quærimus, quæ sunt arma Ecclesiæ, quod prælium contra bestiam, invenimus fidem & innocentiam. Gladio enim bis acuto, id est, duobus testamentis, & duobus charitatis præceptis, contra lupos agni utuntur: dumque falsa audiunt, vera prædicant: dum tormenta excipiunt, fidem proferunt. Hinc proinde victores existunt, etiam cum moriuntur. Item Bernhardus: Vis non terreri à tam terrifico monstro, vis securus post mortem ambulare super aspidem istam? Cave, ne interim post eam ambules, cave ne imiteris, & non erit, quod paveas in futuro.

Lib. 5. cap. 11. Apocalyp.

Sermon. 13. in Psalm. Qui habitat. & Sermon. de S. Andrea.

§ 14. Huic fundamento firmiter insistentes, tantum abest, ut ulla unquam ratione, Satanæ artibus sive astutiis à vera in Deum viventem fiducia dimoveri possint, ut etiam variis ac multiplicibus illius conatibus & insultibus impetiri, exercitati, ac velut aurum in fornace examinati, indies seipsis sanctiores justioresque evadant. Quare dæmonibus imbecillitatem in eos, quos divina non destituisset gratia, exprobrare solet D. Antonius, in assiduis suis adversus illos luctis: & eos expavescere vere credentes, asserit Petrus apud Clementem. Item justissimo Dei judicio, in hujusmodi cogitationum vanitate languentibus, labores & afflictiones pro remedio conferri, idem Clemens tradit, postea subjiciens: Dæmonem, nisi quis voluntatibus ejus se sponte subdiderit, potestatem adversus hominem non habere, ut vincat scilicet. Vitæ igitur emendatione, & attenta assiduaque oratione ad

Dæmones expavescunt verè credentes.

Lib. 4. Recog.

Matth. 15. Christum confugiendum est, exemplo Chananeæ mulieris. Hæc, Chrysostomo authore, non ivit ad divinos, non quæsivit ligaturas, non defectionis reas mulieres: sed omnia reliquit tentamenta diabolica, & venit ad Jesum. Si enim volumus Deum sententiam mutare suam, nostram in meliorem mutemus vitam. Rite hic hortatur Jesus Sirach: Cap. 17. Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Revertere ad Dominum, & avertere ab injusticia tua, & nimis odito execrationem, & cognosce justicias & judicia Dei, & sta in sorte propositionis & orationis altissimi Dei. Non demoreris in errore impiorum. Nec minus pie quam prudenter, in tribulatione inimicorum consulit Josaphat rex Juda: 2. Paral. Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te Deus.

§ 15. Hic suum habeat locum Psalmus Davidis 90. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse me liberabit de laqueo venantium, & à verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. Scuto circundabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris ab incursu & dæmonio meridiano, &c.

§ 16. Saluberrimum insuper adversus dæmonum machinamenta consilium, in conscripta hac præservationis lege, subjungam ex Chrysostomo bis verbis: Hæc nostra salus est, hæ spirituales divitiæ, hæc securitas, si sic nosipsos quotidie munimus, & per lectionem & per auditum & per spirituale verbum. Poterimus enim sic etiam ipsi invicti fieri, & maligni dæmonis technas eludere, cœlestiaque regna assequi, gratia & misericordia Domini nostri Jesu Christi. Item: Sicut sine calceamentis vel vestimentis vestrûm nemo in forum descendere vellet, ita sine Dei verbo nunquam in forum prodeas. Sed quum es januæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum: Abrenuncio tibi Satana, & conjungor tibi Christe. Ne unquam absque hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime: sic enim non tantum homo obvius, verum nec ipse diabolus te quicquam lædere poterit, cum his te cernens armis ubique apparentem. Et hæc teipsum jam hinc doce, ut cum signum ceperis, sis miles paratus, & contra diabolum trophæum erigens, justiciæ coronam capias, quam nos assequi contingat gratia & beni-

(Margin: Homil. 11. in cap. 2. Genes. — Homil. 21. de Ornatu mulierum.)

& benignitate Domini nostri JESU CHRISTI, per quem & cum quo Patri gloria, simul & Spiritui sancto potestas & honor, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Quomodo ab ecclesiarum pastoribus in maleficio curando seducatur populus.

CAP. II.

AD hujus fundamenti jacti perpendiculum, si recto filo superstruerent ecclesiarum pastores, obstructis quibuscunque adulterinæ doctrinæ impietatisque fenestris, saluberrima præcautione subditis prospectum consultumque foret contra dæmonis artes, præstigias & ludibria: quibus non usqueadeo temere illaquearentur incauti, quemadmodum quotidie cum animarum jactura usuvenire cernimus, non modo pastorum (quorum intererat, munusque postulabat præcavere) negligentia: sed eorum instinctu, consilio, perversa doctrina, fallacique operatione, qua imperitum vulgus in rebus afflictis, morbis subitis, longis, cognitis, incognitis, ex causa naturali vel præter naturam, mox ad inquisitionem illicitæ opis illectant. Imo eam sæpenumero iidem promissa certa salute ostentare, venalemque prostituere non erubescunt: homines plane inepti, rudes & indocti, sacræ medicinæ (quam ne à limine quidem salutarunt) cognitionem nefande mentientes (de iis saltem hic loquor, non de viris bonis, pietatisque nomine spectatis) ut vel hac suspensa hedera, veluti specioso pallio, actiones suas tegant fraudulentas: potissimum quum professione sint viri scilicet ecclesiastici, sacerdotes vel monachi, de quibus, ut gregis exemplaribus doctoribusque, in sinistram tantummodo impegisse suspicionem nefas ducitur.

Quidam pastores ecclesiarum magi.

§ 2. Sed fortassis hanc artis quasi per manus traditæ prærogativam, jure sibi vendicant hæreditario hi magi: quod Ægyptiorum sacerdotes (à quibus Pythagoras, Empedocles, Democritus & Plato magiam didicerunt.) quo quisque remedio sanitati restitutus esset, id simul conscriptum, Memphis in Hephæstio, Vulcani & Isidis sacrario, deponebant: quemadmodum & Græcorum sacerdotes magiæ antistites, suas observationes in adytis templorum Apollinis & Æsculapii in Pergamo etiam repositas custodiebant, quas velut Æsculapii oraculo edocti sacerdotes, ægrotis communicabant, à quibus summa cum fiducia ea acceptari solent.

Galeni lib. 5. de Comp. medic. sec. gen. & li. 6. Epidem. Herod. lib. 2.

§ 3. Sancta extat in horum impudentiam, eximii Hippocratis, quanquam religione ethnici, sententia: qua non argute tantum, sed

De Morbo sacro. Vide lib. 2. cap. 19. supra.

& pie hos redarguit, & impietatis insimulat: Qui, inquiens, lustrationibus & magicis incantamentis morborum affectiones depellere se jactant, hi victus indigi, verba eorum ad dæmonium referunt, ut quiddam se amplius scire vulgo ostentent, & homines decipiant. Expiant enim morbo correptos, sanguine & sceleribus inquinatos, injustos & intoxicatos, ac expiamenta alia sub terram defodiunt, alia in mare projiciunt: alia ad montes desertos, ne quis ea contrectet, asportant. At Deus, ait, qui maxima & sceleratissima peccata purgat, nostra est liberatio.

Pontifices Romani plerique infames magi.

§ 4. Nec eo impudentiæ illos arbitror dilapsuros in liberioris incantationum usus defensionem, ut mihi obtrudere audeant, plerosque Romanos pontifices magiam infamem edoctos, eam quæstuose voluptuarieque exercuisse: cujusmodi erat Sylvester secundus, qui (teste Platina & Nauclero) eo artificio pontificatum adeptus est: quemadmodum & anno 1032, Benedictus nonus, ante Theophylactus dictus, postea ob maleficia Maledictus nuncupatus: item Joannes vicesimus & Joannes vicesimus-primus (authore Bennone cardinale) qui Laurentio, Joanne Gratiano & Hildebrando, cardinalibus, incantamentorum consciis, ut & Malfitano & Gerardo Brazuto familiariter usi traduntur. Nam à Sylvestro secundo ad Gregorium septimum, magum eximium (qui, ut Benno refert, quando volebat, manicas discutiebat suas, unde ignis in scintillarum modum dissiliit, iis miraculis velut sanctitatis signo simplicium oculos ludificans) omnes pontifices fuisse incantatores, scribitur in eorum Vitis. Ubi ejus farinæ exempla execrabilia, quibus mulieres in amorem pellicerent, dæmonum sacrificiis in sylvis & montibus dediti, leguntur. Quæ silentio sepelire malui, ne hominum, in eo dignitatis fastigio collocatorum flagitia veneficiaque commemorasse, in reprehensionem rapiatur. Licet etiam pauci tales fortassis extitere, quemadmodum & inter episcopos Albertus Bremensis, Guilelmus Roschildensis, Vulstavus Vigorniensis: majorem tamen numerum à malis artibus fuisse liberum nulli in dubium venit.

§ 5. Non est itaque quod hoc pallio se tegant, aut aliud prætexant hi nostri recentiores malefici. Hoc tamen deplorandū, quod nusquā ullum genus hominum comperies tam iniquum impunitumque, atque horum plerosque, qui ubi in aliqua calamitate corporis vel animo, rebus perditis, vel quacunque alia adversitate, in consilium à simplicioribus vocantur, neutiquam eos admonent, hæc à Deo vel immitti, vel permitti,

1. Pet. 4.

permitti, ut tanquam in igne probentur: & propterea ad Deum unicum afflictorum patronum confugiendum, ac divina & à Deo in nostrum usum justo ordine instituta auxilia rite inquirenda: verum impietatis incredulitatisque viam sternunt, ore impudentissimo ac mendacissimo, ad maleficium vel incantationem, vicinæ alicujus matronæ quicquid id est mali referentes, fictasque quasdam notas, quibus mali genitrix dignoscatur, insinuantes, næ sacrilegi perditionis authores. Odii certe plusquam Vatiniani seminarium hoc, frequenter inter proximos quosque uti pestilentissimum, ita & durantissimum, ut non modo integræ viciniæ admodum antea pacatæ, hac arte gravibus conturbentur dissidiis, cædibusque divexentur, sed & pagorum atq; urbium avita societate unitarum compages disrumpantur, ac inusta familiis calumniarum stigmata, in longam propagentur posteritatem. Ejus sectæ novi sacrificum, qui (designatum numerum exprimere propemodum pudet) trecentas sagas in oppido minus amplo aut populoso, ubi jam dego, quod forte ingrediebatur ille, alias ipsi incognitum, commorari, mendaciter fingere non erubuit.

§ 6. Quemadmodum ea ratione Satanæ regnum accrescit confirmaturque: ita Christo summa fit contumelia injuriaque, ac ejus Ecclesiæ immedicabilia infliguntur vulnera ab illis, quorum studio ex professo sanari eam sauciam luxatamque magis decuit. De ejus familiæ hominibus manifesto Paulus, veluti digito commonstrans, suo vaticinatur Timotheo in hæc verba: Spiritus certo loquitur, quod in posterioribus temporibus descissent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis, quos Deus creavit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, &c. Rectissime igitur à Basilio scribitur: Qui incantatorem audit, illumque observat, quacunque pressus est necessitate, tametsi verbo dicat in Deum se fidere, re tamen ipsa ex futilibus vanisque rebus auxilium sibi asciscit. Nam justo verum auxilium Deus est. Augustinus: Qui sine Salvatore salutem vult habere, & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed æger; non prudens, sed stultus, in ægritudine laborabit, & in cæcitate noxia stultus & demens permanebit. Ac proinde omnis inquisitio, & omnis curatio, quæ à magicis expetitur artibus, mors potius est dicenda, quam vita. Paulus per Dei spiritum ita loquitur: Digni sunt morte, non solum, qui mala faciunt, verum etiam

1. Tim. 4.

qui

qui mala facientibus consentiunt. Ejusdem igitur impietatis reus est, & eisdem pœnis obnoxius apud Deum, & qui artem exercet magicam, & qui ex ea remedium petit.

§ 7. Ejuscemodi hominum genus profecto impurum impiumque videtur notari in epistola, quæ legitur à Beelzebub prælatis & rectoribus Ecclesiarũ tansmissa, in authore vetere libelli de tribulationibus & signis ruinæ Ecclesiæ, ubi duos præfixit tractatus, in quorum parte secunda cap. 11. circa finem hæc invenitur epistola: Beelzebub princeps dæmoniorum & dux tenebrarum cum satellitibus suis, omnesque Tartareæ potestates, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, præpositis, presbyteris, cæterisque Ecclesiarum rectoribus, suis charissimis amicis, nunc & in ævum Tartareas salutes, & inviolatæ societatis fœdera quæ dissolvi non possint in æternum. Magna fiducia *nobis est* in amicitia vestra, amicì charissimi, multum de vobis gratulamur, quia sentitis optime nobiscum, & quæ nostra sunt, diligenter quæritis & procuratis, ubique tuendo atque fovendo quicquid ad jus nostrum pertinere cognoscitis. Sciatis ergo, Universitati nostræ *vos multum* esse acceptos, multaque gratiarum actione studia vestra prosequimur, eo quod infinitæ multitudines animarum per ministerium vestrum, vitæ exemplum, atque negligentiam faciendi in populis opus Dei, à via veritatis abductæ & relictæ, quotìdie nobis *captivæ adducuntur*: unde & regni nostri potentia magnifice roboratur. Perseverate ergo tanquam fideles & intimi nostri in amicitia nostra per opus, quod cœpistis ac tenetis: quia profecto parati sumus pro his omnibus rependere vobis retributionem condignam & mercedem congruam in inferioribus inferni. Valete, & salus nostra sit vobiscum in æternum.

Epistola Beelzebub.

Quibus rebus in dæmoniaci mali curatione decipiant Magi ecclesiastici.

CAP. III.

Sacrilegi hujus seculi magi.

PRÆTER mendacem illam persuasionem, qua vulgo nimis credulo hi malefici imponunt, ut se aliquid scire præter doctorum hominum cognitionem in hoc inscitiæ theatro illi *αἰαλφάζοντες*, imperitì & impii venditent, suis hinc inde emendicatis blasphemis exorcismis, se mendaciorum unicum authorem in speculo vel urnæ aqua, incantationis conscii imaginem præ se ferentem cogere, qui rei veritatem tanquam irrefutabilis testis detegat, profitentur. Nec minus blasphemiarum, multifariis crucibus sæpenumero scelerata manu consignatis ornatarum, inter miserorum hominum curationem effundere audent, mente reprobi, cum Janne Jambre olim pœnas daturi, nisi maturè resipiscant.

§ 2. Hic

§ 2. Hic suam sortitur vim aqua, extra primam Dei consecrationem benedicta, vel sæpius inspersa, vel propinata: sal item exorcismo expiatus, cereæ Paschalis eadem vi consecratæ particula, vel ejusdem thus, candelarum in die Purificationis contra pavidum (si diis placet) dæmonem lustratarum incensus: ramorum & frondium in die Palmarum sacratorum, item herbarum in feriis D. Joannis Baptistæ ante ædes suspensarum, vel in solennitate assumptionis D. Virginis in templo aspergine lustralis aquæ, solenni ex more, virtute ex alto adversus Satanæ potentiã majore, quam in prima Dei creatione indutarum suffumigia, & nescio, quæ non ejusdem religionis ostenta, quibus in admirationem imprudentes illiciant, stuporemque incutiant.

§ 3. Scribit in hanc sententiam Martinus de Arles, Theologiæ professor: Multi ejus sunt sententiæ, ut quando campanæ ipso die D. Joannis, vel pridie D. Agathæ pulsantur, non solum profligare Lemures, sed & Lamias, ne hinc inde vehi queant, aut etiam nocere, credant. Idem in eodem tractatu: Quod præstigiosi & pythones & necromantici sunt isti, ad quos quotidie populus stultus & insipiens concurrit, ut futura cognoscat, vel perdita restituantur: quibus fiunt, ut vulgo fertur, dæmonum apparitiones in vitris vel annulis, ubi veniunt invocati ad vocata prædicenda, vel ablata manifestanda: &, ut dicitur, isti arioli semper miscere conantur sacra inter suas superstitiones: ut, qui ad eos concurrunt, simplices hi attestantur. Nam & infelices ipsi eodem die, quo similia nefanda perpetrare non verentur, sacrificium eucharistiæ celebrare infeliciter audent. *Tract. de superstit. num. 8. 9. & 14.*

§ 4. Quod Magister Joannes Nider in suo præceptorio ostendit, dicens: Malefici instrumenta suæ malitiæ per Ecclesiæ sacramenta, vel per alia divina contingi volunt: ut filum trahendo per chrisma sanctum, imaginem terream sub pala altaris ad tempus ponendo, & similia faciendo. Nam eucharistiæ sacramento (ut fertur) utuntur in suis maleficiis, & plurima talia committunt, immiscentes res sanctas suis superstitionibus. Sed ex instinctu dæmonis ista fiunt triplici de causa, ut recitat idem doctor. Primo, ut non solum homines talium occasione perfidi fiant, sed etiam sacrilegi, divina quantum in eis est contaminando, ut magis creatorem suum offendant, & intimius animas proprias contaminent, & plures in peccata ruere faciant. Secundo, ut Deus graviter ab hominibus offensus, secundum beati Augustini sententiam, dæmoni majorem potestatem in hominibus malis tribuat: cui Deus concedit iratus, quod denegaret propitius. Tertio, ut sic sub

specie boni apparentis, plures simplices facilius decipiant, qui tacta divinis rebus & orationibus à Deo putant aliquid numinis obtinuisse, ubi solum graviora erant commissa peccata. Hæc ille. In aliis autem superstitionibus, quæ fiunt ab istis ruralibus, etsi dæmones non expresse invocentur, interserunt tamen se actibus & superstitionibus, ut hominum decipiantur mentes. Hactenus theologus ille.

§ 5. Et 2. q. 8: Episcopi à diabolo captivi tenentur, qui relicto Creatore, à diabolo auxilium quærunt. Et post: Attende, ubi maleficium occulto Dei judicio permittitur, non ad magos & necromanticos & sortilegos est recurrendum, pro solutione & remedio, ut hac nostra tempestate, ad quosdam nefandos sacerdotes, passim isti vulgares concurrere non verentur: sed ad Deum, per humilem confessionem & devotam orationem: ut habetur 33. q. 1. cap. ult. Nec facienda mala, ut eveniant bona. Plura ibidem. Idem postea: Quare autem ad prædictos necromanticos sacrilegos & divinos nullus dedebet concurrere. Ultra hæc enim quod peccant mortaliter, & participes efficiuntur culpæ & damnationis ipsorum, ratio est: quia ipsi, etsi Deo permittente, aliquando vera dicunt: eorum tamen testimonio non est utendum, quia sæpius fallunt & mentiuntur. Patet, quoniam in spiritu veritatis, falsitas non est: in spiritu autem mendacii, plurimæ quoque sunt veritates, ut unica latente falsitate *decipiat*, ut dicit Gerson de Probatione spirituum: Hac ratione, inquiens, prohibuerunt à testimonio veritatis, quam fatebantur, Christus dæmoniacos, & Paulus Pythonissam.

Actor. 16. In sermone de auguriis. § 6. Hic Augustinus: Fratres, ait, nostis me supplicasse frequentius, ut consuetudines paganorum & maleficorum minime servare deberetis, &c. ergo apud Deum me absolvo, dum iterum atque iterum admoneo & contestor, ut nullus ex vobis divinatores aut sortilegos requirat, nec eos de qualibet re, aut causa, aut infirmitate interroget. Nam qui ad hos consultum accedunt, eos fidem abnegare, probant Theologi ex Augustino, 27. q. 7. non observabitis. Ubi enumeratis multis superstitionibus sic concludit: Qui hanc & quascunque observationes, aut facta, aut auguria observat, aut attendit, aut consentit observantibus, aut talibus credit, aut ad domum eorum vadit, aut in domum suam introducit, aut interrogat, sciat se fidem Christianam aut baptismum prævaricasse: & ut paganum & apostatam & Dei inimicum, iram Dei in æternum graviter incurrere: nisi Ecclesiastica pœnitentia emendatus, Deo reconcilietur.

Sacræ scripturæ & nominum Dei abusus execrabilis, in curationibus morborum magicis, & quibusdam aliis actibus.

CAPUT. IIII.

HUC, ut *ἑταίρα* suis fucata coloribus, multorumq́ demereatur animos, atque in sui amorem emendicato lenocinio, alios caute illiciat, verba Scripturæ sacræ pura, vel instituto immixta, item Dei nomina, velint nolint, contorquentur. Verum quam convenienter, judicent illi, qui penitius mysticum Dei verbum, ejus essentiam ac vivam vim intelligunt. Sed hunc verbi Dei abusum prorsus detestabilem, & hanc sacratissimi Dei nominis profanationem, scelus horribile dicendam esse merito, fateamur necesse est.

§ 2. Nec profecto mendacium auditur impudentius, atque in Deum contumeliosius, quam ex prolata Scripturæ sententia, aut nomine Dei, pronunciato contra designatum à Deo Scripturæ ordinem, & sacratissimi nominis usum, & rebus quibuscunque vel ludicris vel seriis, aut contra morbos, novam exilire vim effectricem, qua id obtineamus, quod proposuimus. Cujusmodi hæc sacrosancta, de Christi ossibus à Judæis non confringendis, existit prophetia: Os non comminuetis ex eo. Si quis hæc verba proferens, dentes contingat, dum Missa peragitur, dentium dolorem sedari credunt. Alius ante febris accessionem manus cum ægroto lavat, secreto ad febris sanationem Psalmum illum enarrans, Exaltabo te Deus meus rex. Est, qui laborantis prehensa manu dicat: Æque facilis tibi febris hæc sit, atque Mariæ virgini, Christi partus. Contra eandem: Recipe tres panes Missales: in uno scribe, Qualis est Pater, talis est vita: in altero, Qualis est Filius, talis est sanctus: in tertio, Qualis est Spiritus, tale est remedium. Hæ tres hostiæ sic inscriptæ, dandæ sunt febricitanti, ut eas singulis trium continuorum dierum vesperis devoret: sed ea conditione, ne iis devoratis quicquam cibi aut potus eodem die sumat. Jubetur quoque singulis vesperis quindecies recitare orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, ad gloriam & laudem sanctæ & individuæ Trinitatis. Aliud adversus eandem: Duc ægrotum, feria sexta, ante solis ortum versus Orientem, qui expansis ad solem manibus stabit, deinde hæc verba dicito: Hodie dies illa est, qua Dominus Deus ad crucem accessit: sed sicut crux nunquam amplius ad eum veniet, ita nunquam amplius veniat ad te tam æstus quam frigus: In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † sancti. Deinde recitato novies ternas orationes Dominicas, & ternas salutationes Angelicas.

Exod. 12. Joan. 19.
Contra dentium dolorem.
Adversus febrem.
Psal. 144.

gelicas. Hæc ut efficacia sint, non uno die, sed tribus continuis diebus perficienda sunt.

Cardanus de Subt. lib. 18 Ad sanguinem sistendum. Vide & cap. 8. proxim.

§ 3. Sunt qui ad sanguinem restringendum accipiunt, aquæ frigidæ cyathum, cui instillant profluentis sanguinis guttas tres, & inter unamquamque legunt orationem Dominicam, & Angelicam salutationem. Hinc patienti propinant, rogando; Quis te juvabit? Respondetur: Sancta Maria. Tum subditur: Sancta Maria hunc fluentem sanguinem firma. Inscribunt alii laborantis fronti sanguine effuso, Consummatum est. Sunt, qui in sanguine sistendo hæc recitant: *Sanguis mane in te, sicut fecit Christus in se: Sanguis mane in tua vena, sicut Christus in sua pœna: Sanguis mane fixus, sicut Christus quando fuit crucifixus. Ter repete. Item: † In sanguine Adæ orta est mors: † in sanguine Christi redempta est mors; † in eodem sanguine Christi præcipio tibi † ô sanguis, ut fluxum tuum cohibeas. Aliud: De latere ejus exivit sanguis & aqua.* Item, ex quacunque corporis parte profluentem sanguinem cohibere nituntur his verbis: *Christus natus est in Bethlehem, & passus in Hierusalem, sanguis illi turbatus est: dico tibi per Dei virtutem, & omnium sanctorum auxilium, ut consistas, quemadmodum Jordanus, in quo sanctus Joannes Dominum nostrum* Jesum *Christum baptizabat, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Tene innominatum digitum in vulnere, & fac cum eo tres cruces super vulnus, dic quinquies Pater noster & Ave Maria, & semel Symbolum, in sanctorum quinque vulnerum honorem.

Joan. 19

De Subtil. exerc. 112.

§ 4. Hic insignis philosophus Julius Scaliger ad Cardanum scribit: Declarasti, præcantantis fidem magnopere conferre ad efficaciam præcantationis, in tuis Antilogiis: exire à fascinatricis animo facultatem, atque aërem immutare, cujus corruptione, veneficæ spei finem illa consequatur. Quod si verba tua sanguinem sistunt ex incisa vena profluentem, nulla cum eorum robore magnetis potentia comparari mereatur. Haud minor, prope dixerim, impietas in alia ratione.

§ 5. Ut à quibuscunque malis & peste, conservarentur Hispani atque Itali, dum in Belgis bellum faciunt, anno supra millesimum sexagesimo octavo, hac forma & verbis, ex authoritate Pontificis Romani, se tutos fore, eorum quidam gloriabantur: *† Crucem pro nobis subiit: † & stans in illa sitiit* Jesus, *sacratis manibus, clavis ferreis & pedibus perfossis,* Jesus Jesus Jesus: *Domine libera nos ab hoc malo & ab hac peste.* Inde ter recitatur Pater noster, & ter Ave Maria. Iisdem vexilla & arma nescio quibus ceremoniis & exorcismis

eodem.

eodem anno palam in templo adversus hostes consectabantur: sed cujus successus prærogativa, quandoque historiarum hujus belli veritatem testaturam, non dubito. Vexillum primarium Margaritæ, quæ diabolum vicisse fertur; nomen sortitum esse audio. Equo item Vice-regis in sacello suum fuisse locum, ubi celebraretur Missa. Continebat & dux exercitus vexillum in manu, quamdiu sollennibus ritibus idipsum, uti campanæ solent, baptizaretur. Ornabat & hunc actum effigies D. Virginis Mariæ cum filiolo in eodem volans, & duæ complicatæ manus ad stipulantium morem.

§ 6. Narrat Benivenius, ariolum duobus digitis vulneri militis superpositis, & carminibus nescio quibus insusurratis, telum in dextram partem immissum, ossique sinistræ scapulæ infixum, redire ex osse jussisse. Unde, scribit, etsi absque ægroti noxa, non tamen sine utriusque animæ dispendio miles curatus est. Facile fuit dæmoni, ad magi murmur colludenti, telum extrahere, ut magis alios suis fraudulentis perniciosisque actionibus sibi devinciret. Gratis autem hujus mysterii donum à me accipe. En, dicito tribus vicibus, flexis genibus: Oremus præceptis salutaribus moniti, & cum Pater noster & Ave Maria, cum signo † miles Hebræus impietate motus percussit Dominum Jesum Christum. † Domine Jesu Christe, precor te † per illud ferrum † per illam hastam † per illum sanguinem † & per illā aquam, ut foras extrahas illud ferrū † in nomine Patris† & Filii† & Spiritus sancti, Amen†. *Ad teli extractionem.*

§ 7. Vidi haud ita pridem apud magnæ authoritatis virum nobilem, librum conscriptum execrabilem, flammis dignissimum, plenum exorcismis, frequenti crucis consignatione, & ex sancta Scriptura formulis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti finitis, contra equorum non modo morbos quoslibet, sed & quæcunque eorum impedimenta: ut, si vel calceus equo ferreus in itinere excidisset, statim precatione ejusmodi recitata, illæsus ungula, ad stabulum progredi crederetur, etiam longissime dissitum.

§ 8. Contra vermes equum infestantes, tribus diebus ante solis ortum, quę sequuntur, dicito & facito, super equo: In nomine Pa† tris, & Fi† lii, & Spiritus† sancti, exorciso te vermem per Deum Pa† trem, & Fi† lium, & Spiritum † sanctum, ut nec carnem, nec sanguinem, nec ossa hujus equi edas aut bibas, & ut fias tanta patientia, quantus fuit sanctus Job, ac tanta bonitate, quantus fuit sanctus Joannes, quum baptizaret Dominum nostrum in Jordane, in nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † sancti. Recita deinde ter orationem Dominicam *Contra equorum vermes.*

& salutationem Angelicam, in dextram equi autem, ad gloriam sanctæ Trinitatis: Dom † inus, Fil † ius, Spi † ritus, Ma † ria.

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane!

Ne vinum invertatur. § 9. Ut vinum eo anno non pervertatur, vasi inscribit Aphricanus: Gustate & videte, quod bonus est Dominus.

Psal. 33. *Serpentum conjuratio.* § 10. Hac impietatis formula serpentes quoque conjurantur. † Adjuro te serpens hac hora, per quinque sacra vulnera, ut hoc loco consistas, nec movearis, tam certo, quam Deum ex virgine pura natum esse constat. † Exorcizo te serpens in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. † Impero tibi serpens per dominam nostram Divam Mariam, ut mihi obsequaris, quemadmodum cera igni, & ignis aquæ, ut nec mihi, nec ulli Christiano noceas, tam certo, quam Deus ex immaculata virgine natus est. † Proinde te elevo † in nomine *Patris &* Filii & Spiritus sancti. Eli lass eiter eli lass eitter eli lass eitter. Te vermem ad me accedere oportet, quemadmodum ad Judæos Deus noster accessit: te vermem à me discedere oportet, velut à Judæis *discessit* Deus noster.

§ 11. Interim scelera hæc, & blasphemiæ exterminandæ, suos habent & admiratores, & cultores: & à quibus impune exercentur, novi. Atqui vix hæc merentur, ut Cabalistarum commentis assimilentur, qui decem Dei veri nominibus, & angelorum, quorum in sacris Bibliis fit mentio, ea quæ magnifice pollicentur (quemadmodum & illi nefandæ impietatis patroni, diabolo operante, & Deo ob præfractam eorum incredulitatem connivente, plerunque conficiunt) peragere se asseverant. Horum Cabala ligaturis & nefariis magiæ magis scatet fœtetque: de quibus etiam librum conscripsit Costa ben Luca apud Hebræos.

Li. 8. Recogn. § 12. Vere hic Clemens ait: Usque ad hoc res denique accessit, ut, cum verbo Dei fugentur dæmones, per quod esse providentiam declaratur, invenerit ars magica ad infidelitatẽ confirmandam, quomodo etiam hoc ex contrariis imitetur. Sic serpentum venena mitigare carminibus inventum, & verbo ac potestati Dei contrarias inducere sanitates. Angelis quoque Dei contraria reperit magica ars ministeria, animarum suscitationes, contra hæc & figmenta dæmonũ ponens.

Serpentes à Nigritis fascinari scribit Aloysius Cadamustus in Navig. cap. 28.

Homil. 21. de Mulier. ornatu. § 13. Chrysostomus ad seductos ligaturis & incantamentis ob immixtum Dei nomen: Non ligaturas (inquit) tantum, sed etiam excantamenta tibi conducis, vetulas ebrias & titubantes domum ducens. Nec confunderis, nec erubescis, post tantam ad hæc trepidans

discipli-

disciplinam: &, quod gravius est errore, quando hæc admonemus & dissuademus, putantes se excusari, dicunt: Christianam esse hanc mulierem excantantem, nihilque aliud loqui quam Dei nomen. Propterea enim magis eam odi & aversare, quod Dei nomine ad contumeliam utitur, dum se dicens esse Christianam, gentilium opera facit: etenim & dæmones Dei nomen fatebantur, sed tamen erant dæmones, Christoque ita loquebantur: Novimus te, quoniam es sanctus Dei: & tamen ipsos increpavit, & ejecit. Propterea obnixe oro, ut vos ab hac fallacia puros conservetis; & tanquam baculum, Dei verbum habeatis. Condemnat item eos, qui in ægritudinibus suorum infantiũ, relicto Christi auxilio, & medicæ artis remediis, confugiunt ad fascinatrices mulierculas futiles, adversus quas sic docet: Christus ejicitur, & inducitur temulenta & nugatrix anus, mysterium crucis conculcatur, & seductio diaboli tripudiat. Quid vero & alia ridicula commemorem? cinerem, salem, fuliginem, & rursus vetulam in medium productam? revera ridiculum & dedecus. Et oculus quisque, inquit, puerum fascinavit. Quousque Sathanica ista? quomodo non ridebunt nos Græci, quando illis dicimus, magnam esse crucis virtutem; quum videant nos istis egere, quæ ipsi derident? Nonne Deus medicos dedit, & pharmaca?

Luca 4.

Homil. 8. epist. ad Colos.

Magici modi furis investigandi, lædendæ sagæ, & malefiçii amolienti cum blasphemo divini nominis & sacræ Scripturæ abusu.

CAP. V.

Investigandi furis modus dæmoniacus.

Non alienum ab hoc argumento modum investigandi furis interseram, quem sic experiendum quidam præscribunt. Conversus ad Orientem, in crystallo crucem facito cum oleo olivæ: & sub cruce scribatur, Sancta Helena. Inde puer castus, ex legitimo thoro natus, annorum decem vel circiter, capiat manu dextra crystallum. A cujus tergo tu genibus flexis provolutus, ter summa cum veneratione hanc recitabis orationem: Deprecor te domina sancta Helena, mater regis Constantini, quæ crucem Domini nostri JESU CHRISTI invenisti, per illam sanctissimam devotionem & inventionem crucis, & per illam sanctissimam crucem, per illud gaudium, quod habuisti, quando illam sanctissimam crucem invenisti, & per illam dilectionem, quam erga filium tuum regem Constantinum habuisti, & per illa summa bona, quibus frueris perpetuo, ut commonstres in hoc crystallo quicquid peto & scire cupio, Amen. Et cum angelum in crystallo videbit puer, rogabis quæcunque volueris, & respondebit angelus. Hoc autem facies

De Rer. XVI. 91. cies in solis ortu, cum jam emerserit, & aër serenus clarusque extiterit.

§ 2. Irridere ejusmodi commenta (inquit Cardanus) semper consueveram, quanquam hoc ipsum experimentum à multis probaretur, haberetúrque secreti loco. Verum contigit, ut puer quidam contubernalis ac sciolus affirmaret, se vidisse in phialæ collo furem, de quo interrogabatur, qui in imum descendisset, nec amplius apparuisse, idemque alios duos spectasse: in adventu item ipsius, quasi fulgur illuxisse, ac manum capiti imaginem admovisse, capitiumque ante retraxisse. Erat autem phiala vitrea, nitidaque, aqua sacrata plena, in linteo expiato collocata. Linteum vero erat instratum scamno, tres candelæ cereæ accensæ & lustratæ: super os phialæ, duo olivę folia transverse in crucis formam imposita. Perbrevis accedebat conjuratio: Angele sancte, angele candide, per tuam sanctitatem, meamque virginitatem, ostende mihi furem. Et hæc super os phialæ obmurmurant: prius vero precationem Dominicam, & salutationem Angelicam, singuli genibus flexis proferunt ter, ac singulis vicibus ungue pollicis crucem super phiala signant. Soli astant in obscuro. Videbant integrum hominem, pallium habentem, capite prono, calvum, ascendentem descendentemque in phialæ collo, non aliter quam solent atomi in sole. Visus est autem ferme ad octavam horæ partem. Totum hoc spectaculum ad tres horas perduravit: nihilominus, ut author rei ait, fur non est deprehensus, neque inventi calices duo argentei, qui perierant. Referunt, eum qui sustulit, si rite hæc peragantur, aliquid pati, dum peraguntur. Hæc dum ille narraret, experiundi talia incessit cupido, adfuitque occasio.

§ 3. Mulier quædam contubernalis, desiderio videndi quædam capta, advocat aliam mulierem admodum ejuscemodi rerum peritam: adornant sacrificium, tres puellæ (ut referebant ipsæ) viderunt multa: ego tunc temporis aberam. Denuo mulierem advoco, paratur sacrificium: folia olivæ non intererant, nulla precatio Dominica, nulla salutatio Angelica, sed tentoriolum solum undique conclusum aditur. Adest & ipsa fœmina, quæ non solum videbat, sed & puellæ: non in phialæ collo, sed in cono illo, qui super ejus fundo consistit: non in aqua, sed vitro: non perfectas imagines, sed quasi partem solum superiorem: non magnas effigies, sed non minores minimi digiti ungue: non descendentes è superiore parte, sed ex imo quasi coni vacuo ascendentes, videre se referebant puellæ, puerque ille de quo jam antea dictum est, qui & fratrem tunc in Hispaniis degentem con-

spicere

ſpicere ſe aſſerebat, puellæ alios ſibi cognatos: mira res, ſeu fabula. Cum ab initio filium magæ cernerent (is erat puer & monachus) illiuſque aſpectu delectarentur, rogabant eam, ut dimitteret; negavit ſe facturam, quod interim ipſius filius torqueretur.

§ 4. Referebat aliquando Joſephus Niger, harum rerum maxime peritus, dæmonem pueris ſe ſub forma Chriſti oſtendiſſe, petiiſſeque, ut adoraretur: quod cum polliceretur quidam ſe facturum, ea conditione, ſi dæmon ejus cogitationes aperiret: inde iratus hic evanuit. Spectabant præterea in phialæ collo quid rubens, quod quaſi in extrema erat aquæ ſuperficie (nam phialæ aqua, tantum ad collum uſq;, aut paulo altius conſurgebat) hoc ſaga angelum, cum navicula textoria in manu, eſſe dicebat: puellæ illius faciem in vacuo ſe videre ajebant, tanquam puereli: puer, ſolum brachium cum navicula. Hic, ut referebant, perpetuo circumfertur ac videtur: nam reliquæ imagines ſtatim abeunt. Unde anus illa imperare videbatur, ut pueris ludi magiſtri, unamque imaginem ſtatim poſt aliam evocare. Cumque ipſa aliis commonſtraret, ſciſcitatus ſum, quo modo ipſa, quæ jam filios quinque pepererat, ſpectaret, quæ ego non viderem? ſe facturam reſpondit, ut conſpicerem: verum opus eſſe feſto D. Joannis Baptiſtæ, aut Natalis Domini, ait.

§ 5. Jam in foribus erat id feſtum, accedo media nocte, docet arcana: ea erant ſex verba, quæ multiplici ſenſu explicari poterant, ſed [meo judicio] in Chriſti contemptum potius maximum, quam gloriam. Velut, Jeſus tranſit, ſignificare poteſt, quod moriatur, quod tranſeat per viam, & quod finem habeat. Qui ſenſus videtur verior eſſe, cum ſubjiciat, Ego ſum: deinde, Angele ſancte, & reliqua. Deprehendi meras eſſe fabulas, nec quicquam illam ſcire præter nugas. Cum enim bullas in aquæ margine excitaſſet, neſcio qua arte; ut margaritæ mihi viderentur, volebat. Forſitan conſtanti illa ſua intrepidaque opinione puerulos, alioqui faciles, in ſuam trahit ſententiam: atque ita ſe videre fatentur, quæ minime vident. Etenim puellas, de quibus dixi, tandem eo adegi, ut nihil ſe vidiſſe faterentur: cum multæ, ne videantur corruptæ, ſe videre ſimulent. Hucuſque Cardanus.

§ 6. Ut in hoc actu blaſphemus nominis Dei & Sacrarum literarum abuſus evidentius innoteſcat, exempla prodendi furis vel ſagæ, ex ſacrifici libro clam à me ſubtracta, annectam. Accede fluentem aquam: inde collectos tot numero lapillos, quot ſunt de quibus furtum commiſſum ſuſpicaris, domum confer, & igneſcant. Hinc ſub li- *Ut fur deprehendatur.*

 mine

mine sepeliantur, per quod ingredi consueverunt homines, & triduum relinquantur: Postea ante solis ortũ eximantur: deinde scutella cum aqua imponatur circulo, transversa obliquaque mixtim cruce insignito, cui inscriptum est, Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. Scutella adhæc cruce signata, & formula conjurationis per Christi passionem, mortem & resurrectionem adhibita (quam propter impie curiosos celo) in aquam singuli lapilli in cujusque suspecti nomine conjiciantur: & ubi ad rei lapillum fuerit ventum, tum calculus tanquam ignitum ferrum, fervorem concitat. Ut insontem gravet, fraudetque, ejusmodi fingere ebulitionem, diabolo non est difficile.

Quomodo furi oculus excutiatur. § 7. Ex oculo excusso sic fur cognoscetur. Primum leguntur septem Psalmi, cum Letania: deinde formidabilis subsequitur oratio ad Deum Patrem & Christum, item exorcismus in furem: hinc in medio ad oculi similitudinem vestigio figuræ circularis nominibus barbaris notatæ, figitur clavus æneus triangularis, conditionibus certis consecratus, incuititurque malleo cypressino, & dicitur: Justus es Domine, & justa judicia tua. Tum fur ex clamore prodetur. *Psal. 118.*

Impius modus lædendi furis, saga & inimici. § 8. Si furem, sagam, inimicum secus lædere voles, & malum colli: ante solis exortum, die sabbathi, ramum avellanæ anniculum abscindes, sic dicens: Ego te ramum hujus æstatis reseco, in illius nomine, quem cædere aut mutilare institui. Inde in mensa sternatur tegumentum, additis his verbis: † In nomine Patris † & Filii † & Spiritus sancti †. Ter hæc & sequentia recitentur, & in cute, droch, myrroch: esenaroth † betu † basoch † ass † maaroth. postea dic: Sancta trinitas puni hunc, qui id mali designarit, atque hoc aufer per magnam justitiam tuam, † eson elion † emaris ales age: in tegumentum incute. Blasphemiam vides.

Ut res furto sublata restituatur, anathema magicum.

Cap. VI.

Anathema hoc S. Adalberti magicum potius ob divini nominis & sacræ Scripturę abusum, quam Christianum, hic ea adjicio ratione, ut occulta ejusmodi actionum plerisque religiosis hominibus usitatarum impietas oculis omnium magis eluceat. Cautionem tamen lucri inde fraudulenter eliciendi nomine adhibent, ut nemo scilicet præsumat anathematizare anathema hujus sancti sine licentia prælatorum sancti Adalberti & Diœcesani loci, sub pœna anathematis prædicti, &c. ut ipsi loquuntur. Illud autem tale est: *Anathema S. Adalberti magicum.*

§ 2. Ex authoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus

sancti,

sancti, & sanctæ Mariæ virginis matris Domini nostri JESU Christi, & sanctorum angelorum & archangelorum, & sancti Michaëlis, & sancti Joannis Baptistæ, & ex vice beati Petri apostoli & aliorum apostolorum, & sancti Stephani & omnium martyrum, sancti Sylvestri & sancti Adalberti & omnium Confessorum, & sanctæ Alegundis & sanctarum virginum & omnium sanctorum, qui sunt in cœlo & in terra, quibus data est potestas ligandi atque solvendi: excommunicamus, damnamus, maledicimus vinculo anathematis, & à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ segregamus illos fures, sacrilegos, seu raptores, operarios, consiliarios, coadjutores, coadjutrices, qui hoc furtum sive malum perpetraverunt, sive sibi inde aliquid usurpaverunt: sit pars eorum cum Dathan & Abiran, quos terra propter eorum peccata & superbiam deglutivit: sit etiam pars illorum cum Juda traditore, qui Dominum pretio vendidit, Amen: & cum Pontio Pilato, & cum eis, qui dixerunt Domino Deo, recede à nobis, viarum tuarum scientiam volumus: fiant filii eorum orphani: sint maledicti in civitate, maledicti in agro, in campo, maledicti in sylva: sint maledicti in domibus, in horreis, in lectulis, in cubiculis: maledicti in curia, in via, villa: maledicti in curia, in via, villa: maledicti in castro, mal. in flumine, mal. in ecclesia, in cœmiterio, in tribunalibus judicii: mal. in foro, in bello, morando, loquendo: mal. tacendo, maled. manducando, vigilando, dormiendo, bibendo: mal. palpando, mal. sedendo, jacendo: maled. stando, mal. in otio, in omni tempore: mal. in toto corpore, in tota anima, & in quinque sensibus corporis: mal. in omni loco: mal. fructus ventris eorum; mal. fructus terræ eorum; mal. sint omnia, quæ eorum sunt: maledictum caput eorum, ora, nares, nasus, labia eorum, fauces eorum, dentes eorum, oculi, pupillæ eorum, cerebrum, palatum, linguæ eorum, guttura, pectora, corda, venter, jecur, viscera omnia, stomachus: mal. splen, umbilicus, vesica: mal. crura, tibia: mal. pedes, pedicæ eorum: mal. colla, mal. scapulæ, maled. dorsa eorum, mal. brachia, mal. cubitus, mal. manus eorum, digitus: mal. ungues in manibus & in pedibus: mal. costa, genitura, genua: mal. caro eorum; mal. ossa eorum, mal. sanguis eorum; mal. pelles corporis eorum; mal. sit medulla in ossibus eorum; maled. sit superior pars à capite usque ad plantas eorum: quicquid interest, totum maledicatur, scilicet quinque sensus sui, visus, auditus, gustus, odoratus & tactus. Et maledicatur in sancta cruce, & in Christi passione, & cum quinque vulneribus Christi, & cum effusione sanguinis Christi, & cum lacte virgi-

Anatema horrendum.

virginis Mariæ. Adjuro te Lucifer cum omnibus satellitibus tuis, *a* cum Patre & Filio & Spiritu sancto, & cum humanitate & nativitate Christi, & cum virtute omnium sanctorum, *b* ut nullam habeas requiem, diebus neque noctibus, donec perducas eos ad interitum, sive mergantur in fluminibus, sive suspendantur, vel devorentur à bestiis, sive comburantur, sive interficiantur ab inimicis, & odio habeantur ab omnibus viventibus. Et sicut Dominus beato Petro apostolo & ejus successoribus, *c* quorum vices tenemus, & nobis, quamvis indignis, potestatem contulit, ut, quodcunque ligaremus in terris, ligaretur & in cælis: & quodcunque solveremus in terris, solveretur & in cœlis: sic illis, si emendare noluerint, cœlum claudimus, & terram ad sepeliendum negamus, sed sepeliantur in pascuis asinorum. Insuper, sit terra maledicta, in qua sit sepultura eorũ, pereant in futuro *judicio*, conversationem cum Christianis non habeant, neque corpus Domini, quum in mortis articulo sunt, suscipiant: fiant tanquam pulvis ante faciem venti: & sicut Lucifer abjectus est de cœlo, & sicut Adam & Eva de Paradiso expulsi sunt, sic expellantur de quotidiana *luce*. *Item* consociati sint cum illis, quibus Dominus dicit in die *judicii*: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: ubi vermis non morietur, nec ignis extinguetur. Et sicut candela de manibus meis ejecta extinguitur, sic opera eorum & animæ eorum in fœtore barathri extinguentur, nisi reddant, quod furati sunt, intra certum terminum. Amen dicant omnes. Postea cantabitur, Media vita in morte sumus, &c.

Verè indignis.

Matth. 25.

a Præter universam hujus impietatis farraginem, en quam convenienter hic conjungatur, Lucifer ejusque satellitium cum Patre, Filio & Spiritu sancto, &c. Quam profecto hic exclamare lubet, Quæ communio Christo cum Belial? *2 Cor. 6.*

b Hinc constat (si quid valent imprecationes) theologicum anathema, mortalibus quæcunque infortunia, morbos & inquietem ciere, non Lamias, quæ utplurimum nec legere, nec ejusmodi conjurationum portenta ob extremam fere ætatem, fœmineum sexum, & nimis gravem ingenii stuporem fingere, multo minus usurpare norunt.

c Tam impium hoc esse anathema sentio, ut publici edicti anathemate, ejus etiam nomen exulare deceret. Dabo tibi claves regni cœlorum, Petro prædixit Christus, doctrinam scilicet cœlestem, cujus potentia, quicquid ligaret, ligatum foret, &c. Non blasphemorum ejusmodi anathematum fulmina concessit, multo minus mandavit. *Matth. 16.*

§. 3. Alii:

§ 3. Alii quidam viri Ecclesiasticis eodem fere modo, hoc est, tanquam magico incantamento usi sunt Psalmo 108. secundum vulgarem distributionem, certa persuasione ducti, contra quemcunque ardua hæc & dura pronunciassent solum. verba, illum protinus vel interiturum, vel, ut longissime, annum supervivere non posse. Verum alio prorsus spectat hic Psalmus, querelis, lachrymis, & suspiriis potissimum adversus ejusmodi scribas & pharisæos plenus, cujus & genuinam sententiam sine negocio capies, si eum personæ Christi applicueris, graviter expostulantis de Juda proditore, & Judæorum sanguinem innocentis sitientium crudelitate. Ipsa Davidis verba asscribo, ut quantam vim sæpe patiatur sacratissimus ille sermo, nemo non intelligat.

§ 4. Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Loquuti sunt adversus me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala, pro bonis, & odium, pro dilectione mea: Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris ejus: Cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant *Ioan. 17.* dies ejus pauci, & episcopatum ejus accipiat alter. Fiant filii ejus or- *Act. 1.* phani, & uxor ejus vidua. Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus. Non sit illi adjutor, nec sit, qui misereatur pupillis ejus. Fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus. In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur. Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum, pro eo, quod non est recordatus facere misericordiam. Et persequutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Et induit maledictionem, sicut vestimentum, & intravit, sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus. Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut zona, qua semper præcingitur. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala adversus animam meam. Et tu Domine Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua. Libera me, quia egenus & pauper ego sum, & cor meum conturbatum est intra me.

Sicut umbra, quum declinat, ablatus sum, & excussus sum sicut locustæ. Genua mea infirmata sunt à jejunio, & caro mea immutata est propter oleum. Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita sua. Adjuva me Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam. Et sciant, quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam. Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur, servus autem tuus lætabitur. Induantur, qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur sicut diploide, confusione sua. Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum. Qui astitit à dextris pauperis, ut salvam faceret à persequentibus animam meam.

§ 5. Adversus universam nimisque inolitam pluribus in locis apud religiosos, anathematis consueti impietatem, hoc sacrum *divini* Chrysostomi consilium ex sermone de Anathemate, cunctis amplectendum propono: Ea propter vos oro, inquit, ne vobis verba hæc mente excidant. Dogmata impia, & quæ ab hæreticis profecta, arguere & anathematizare oportet: hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.

De sacrilego, itemq; genuino verbi Dei usu & impio sanandi maleficii modo.

CAP. VII.

PORRO, quodnam sacrilegium gravius existimaveris, quam omni propriæ salutis memoria pertinaciter excussa, tam scelerate venerabili Dei nomine abuti, & sacrosancto ejus verbo vim inferre, & rapere intorqueteque ad dæmonii præstigias in Dei contumeliam tegendas, quod ex arcano Patris æterni sinu humani generis amore, unicus Dei Filius CHRISTUS JESUS deprompsit, promulgavitque miserorum & perditorum hominum causa: ut hi, cum essent lapsu primorum parentum à Deo separati, omnique gratia excidissent, ex hoc se in gratiam repositos discerent, haberentque certa & expressa divinæ erga se voluntatis testimonia, quibus se in veris animorum consternationibus, & ancipitibus distractorum sensuum fluctibus erigerent & erudirent? ut prolixius docet Peucerus in suo de Divinationibus commentario.

Verbi Dei genuinus usus.

§ 2. De genuino sacræ Scripturæ usu sic Timotheo scribit Paulus: Omnis Scriptura divinitius inspirata, est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justicia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Item Romanis: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Ad

2 Tim. 3.

Rom. 1.

ti. Ad Hebræos 4. Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrantior quovis gladio utrinque incidente, ac pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagumque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Ad hos usus, nimirum ad renovandam hominum corruptam naturam, traditum est Dei verbum. Hoc præstat fide apprehensum in cordibus credentium, cooperante Spiritu sancto, qui per verbum efficax est: Non, ut mentitur diabolus, à sceleratis & impiis ipsius ministris ore solum prolatum, alias exerit vires, quam quo destinatum ab initio fuit.

§ 3. Cumque pronunciet Dei lex: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: non enim insontem habebit Deus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui in vanum: certissimum est, & irrefragabiliter verum, eos omnes, qui ejusmodi incantationum Scripturæ sanctæ fuco velatarum ritibus & modis utuntur, atrocissimas manere pœnas. Quare, si quis effectus sub horum verborum pallio, vel vere vel fascino videatur consequi, dæmonis esse opus ne dubites. Nihil aut accedit, aut decedit virtuti verborum, ab impiis his hominibus pronunciatorum. Confirmat hæc Augustinus, dicens: Verum est, fratres charissimi, quia permittit hoc Deus diabolo, ad probandum Christianum: ut cum interdum per illa sacrilegia, aliqua remedia, in illa infirmitate percipere, & aliquid verum potuerint agnoscere, facilius diabolo credant. Sed qui totam religionem Christianam desiderat custodire, oportet ut hæc omnia tota animi virtute contemnat.

Deut. 5.

Sermon. 241. de Tempore.

§ 4. Memorandum fallacis curationis maleficii dæmoniaci, cum certa benedictionis formula exemplum, ob historiæ continuatum tenorem, superiori Libro conscriptum invenies. Cui obiter adjiciatur alter modus superstitione priorem vincens, atque ex sacrifici libro exscriptus, ut hinc de reliquis ejusmodi sanationibus præjudicium concipiatur. Accipe tres olei violacei mensuras: & consistens contra solem, ante ejus ortum, exprime nomen hominis læsi, & matris ejus, & angelos gloriæ, qui stant in gradu sexto, septem diebus, ter in die. Septimo autem collocetur ille nudus sub sole, & oleo universa inungatur caro: Hinc coram sole fide suffumigetur myrrha, olibano, & præcipuis aromatibus. Deinde istos honoris angelos inscribe in argenti lamina, quæ cum aromatum incenso suffita, in collo suspendetur. Vicesima die mensis hoc fiet cum successu, ut maleficio affectus curetur.

Cap. 4.

Sacrilegus curationis maleficii modus.

Magicæ & superstitiosæ morborum curationes, adhibitis quandoque carminibus, plerunque verbis ignotis: & quod tota verborum virtus ab harmonia cælesti non pendeat.

CAP. VIII.

HUc pertinent superstitionum & verborum ignotorum, quibus utrum bene aut male preceris ignoras, monstra: haud dubie à malis inventa hominibus, & pro libidine excogitata, quæ cum Dei contumelia, in sacrosanctæ nostræ medicinæ conspurcationem calumniamque furtim irrepsere. Cujusmodi hi usurpantur rhythmi contra epilesiam:

Curationes magicæ superstitiosæ & impiæ.

Caspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum:
Hæc tria, qui secum portabit nomina regum,
Solvitur à morbo Christi pietate caduco.

§ 2. Item, arrepta ægroti manu, in auribus immurmuretur: Adjuro te per Solem & Lunam, & hodiernum Euangelium à Deo traditum D. Huberto, Egidio, Cornelio & Joanni, ut surgas, nec in terram relabaris, in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, Amen.

Ad strumas.

§ 3. Ita antiquitas credebat, verbascum cum sua radice tusum, vino aspersum, folioque involutum, & in cinere calefactum, strumisque impositum, eas abigere, si hoc fecisset virgo jejuna jejuno, & manu tangens supino dixisset: Negat Apollo pestem posse crescere, quam nuda virgo restinguat. Atque ter hic despuendum putabat.

Ad sanguinis fluxum. Vide cap. 4. ante.

§ 4. Adhæc, ut sanguinis fluxus inhibeatur, in usu est: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Chunrat cara satire confirma consana imabolite. Item: Sepa † sepaga † sepagoga † sta sanguis, Consummatũ, in nomine Patris † podendi † & Filii † pandera † & Spiritus sancti † pandorica † pax tecum, Amen. Addam, quod carmine apud Homerum, sauciato Vlyssi sistere sanguinem potuit Autolyci filius. Serpentina perviam portata fugere serpentes, bufones, lacertas, & quicquid venenosi in via fuerit, creditur. Quod hac ratione quoque experiuntur: fit in terra circulus trina circuitione, iis verbis, In nomine Patris an † & Filii elion † & Spiritus sancti tedion † Pater noster. Hinc ter dicitur: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, trina circuitione. Tunc in circulo, quicquid id fuerit, alligatũ apparet. Quã hic non immeritò exclamare lubet: Quæ communio luci cum tenebris, aut quæ concordia Christo cum Belial?

Plin. lib. 28. cap. 2.
Contra serpentes.
1. Corint 6.

§ 5. Theophrasto ischiadicos sanat carmen: Catoni luxata membra cantio hæc, Danata, daries, dardaries, astararies, & reliqua. Est qui

qui contra arthritidem, manu sua arbusculam juniorem inserit, precu-
lis simul fusis eodem in loco: tamque diu morbum exulare credit, quam illa vivis radicibus germinet: ubi vero interierit, recurrere malum: sed tum ad hujus amuleti repetitionem redeundum. Si duo maleficio læsi, mutuo se graviter prosequantur odio, in pane missali hæc inscribantur verba: Abrac amon filon. & offeratur utrique edendus panis: hinc perpetuus utriusque subsequetur amor.

§ 6. Contra canis rabidi morsum, pani inscribitur: Irioni khirioti essera khuder fere. inde voratur. Vel hoc scriptum in papiro, aut pane, homini sive cani in os inseritur: O rex gloriæ Jesu Christe, veni cum pace in nomine Patris † max in nomine Filii † max in nomine Spiritus sancti † prax Caspar prax Melchior Balthasar † prax † max † Deus ym ax †. Non infimæ sortis nobilem cognovi, simili curationis ratione celebrem, qui pomi particulæ inscribit, Hax pax max Deus adimax, atque edendam illam venenato à cane rabido porrigit. Voces autem corruptæ sunt ex ignoratione linguæ Latinæ & literarum, ubi forte is nobilis in schedula Germanica comperit ad ejusmodi curationem has valere voces, hoc † po † mo † Deus adjuvet †, cum crucibus interstinctas, uti fere in similibus superstitionum mysteriis fit, cruces ex affinitate, x literam esse ratus, hax pax max Deus adimax, legit, & in pomo exaravit. A singulis autem medium stuferum Brabanticum postulare eum audio. Qua pecunia congesta, sacellum prope arcem suam extruxit, missis aliquot ea impietatis mercede redemptis cohonestatum, uti fertur. Ut vero huic mysterio ponderis aliquid accederet, ad maximum natu ex sobole, velut jure hereditario, propagari eam curationis efficaciam, nec ad alios posse derivari, temere credulis persuadetur. Similibus diabolicarum vocum portentis contra dentium dolorem utuntur, Galbes galbat galdes galdat. Ridiculũ quoq; hoc scriptũ appenditur: Strigiles falcesq; dentatę, dentium dolorem persanate. *Canis rabidi curatio magica.*

§ 7. Adversus febrem quotidianam, pomi tribus particulis seorsum inscribitur, uni, Increatus pater: alteri, Immensus pater: tertiæ, Æternus pater: easdem jejunus tribus diebus edat. Si minus successerit, in pane missali scribitur: O febrem omni laude colendam: in altero, O languorem sanitati & gaudiis ascribendum: in tertio, Pax † max † fax †. eundem ægrotus vorat jejunus. Si nec hic modus juverit, denuo in pane dicto toties pingatur: Pater pax † adonay † filius vita † sabaoth † Spiritus sanctus † tetragrammaton †. quem tribus diebus, ut supra, mane absumat. Quidam ad febrem omnis generis inter-

mittentem, virgas duas parallelas verborum vi mediis partibus committit, ipsoque contactu vincit crucis effigie, quam collo subnectit. Sic quidem multos levat, sed qui fere gravius recidant. Contra febres, thoraci lignum rotundum applicant Turcæ, deinde illud alio simili ligno percutiunt, nescio quid submurmurantes. In collo schedulam contra easdem suspendebant quidam superstitiosi monachi, jubentes singulis accessionibus quasdam effundere preces, & post tertiam accessionem bene sperare. Quis non animadvertit fucum?

§ 8. Inprimis plurimum valet confidentia, nec in principio consilium quæritur: deinde in acutis, jam morbo adulto, vix fieri potest, quin post tot paroxysmos mutetur morbus. Si Dei aut dæmonis virtute ob scriptum evenit sanitas, cur non evestigio ea sequitur? Exaratas item has voces, Gibel got gabet, rostro pulli imponunt: *inde* stilo præacuto huic caput recta in medio pertundunt, pullusque exilit ac vivit, maxime in æstate. Ea autem delitescit causa, quod pulli caput cerebrumque osse utrinque dividitur: inter quod in medio distinctum, stilus, qua facile potest, penetrat: nec quicquam, illæso *cerebro*, vitæ decedit. Verbis porro eam inesse vim existimat vulgus, earum rerum imperitum. Atqui ab illis, si virtus ea promanat, cur transfixo hœdi sive hominis aut canis capite, non idem contingit? His adde illud Constantini, in piscium captura: Jao Sabaoth. Carminibus adhæc, equos apud Nigritas strenuiores & in bello tutiores reddi, docet Aloysius Cadamustus. Jure itaque optimo Galenus, quanquam ethnicus, Chariachirum & Bamachium derisit: ipsisque Dioscoridem prætulit, qui non imprecationibus & verbis superstitiosis, velut illi, tradiderit medicinam.

In navigat. cap. 32. Li. 6. Simpl.

§ 9. Nec profecto hic in nostratium mulierculàrum gratiam prætermitti oportuit, erucarum è brassicis abigendarum amuletum, in Ducatu Montensi rhytmis Germanicis usurpatum in hanc sententiam: Vobis dilectis erucis, tam conveniat hic autumnalis esus, quam Mariæ placuerit, ubi bibebatur edebaturque, nec Christi mentio erat, in Dei nomine, Amen. Ibidem observatum, Si virga ex vicinia domus adulteri vel scabini probi collecta, in horto incutiantur brassicæ, erucis oppletæ, evanescunt, potissimum si recta vel transverse ingrediatur percussor: si vero circumeat, in brassicis permanent erucæ.

Nullæ voces cum imaginibus cœli conveniunt.

§ 10. Illud porro omnem superat stultitiam, quod quasdam voces cum imaginibus quibusdam cœli convenire, plerique autument: & verba quæpiam cum solennitate prolata, mutare sensus hominum

& bru-

& brutorum: hinc in speculo consecrato videri imagines, hinc moveri fœminas in amorem, hinc mutari elementa, terram varie affici, ignem ab ustione cessare, morbos curari. O' delirium incomparabile! Quænam vis hæc quæso, unde derivata, ubi recepta? Si etenim pendet ab harmonia cœlesti tota verborum virtus, ut Alchindus contendit: cur non ipsa per sese operari id potest, cum sit causa superior? Dicet fortasse, cœlum media & proxima causa, hoc est, verbis agere.

Fuse de iis contra Alchindum disputat. Joan. Franc. Picus libro 7. cap. 6. de Praenot. superstitiosa adversus magiam.

§ 11. At hoc doceat, in sonone, aut in voce, an in verbis exterioribus operandi vis recipiatur. Prior enim natura sonus quam vox, & vox quam verba: hæc enim ex illa, illa vero ex alio conficiuntur, cum verba vocem & sonum includant, & in definitione vocis contineatur sonus. Sine voce sonus esse potest, quia natura prior: pari ratione sine verbis vox: sine voce autem & sono verba non sunt. Si igitur vis in sono recipitur, & qua sonus movet elementa, omni sono etiam inanimatorum corporum poterit ea virtus communicari: quare nec voce, nec verbis opus erit. Si autem in voce, cum ea plerisque etiam animantibus, præterquam homini, competat, idipsum poterit à brutis etiam fieri. Si vero in humanis verbis tantum recipi dixeris, rogo, unde accipiatur vis, in primane syllaba, aut mediis, an ultima? Si in syllaba, jam non in verbis, ea vero mox perit. Eadem in aliis erit ratio. Quare colligitur, nullo modo verbis inesse hanc posse virtutem cœlitus operantem.

§ 12. Ut hic mihi proclivius deferantur calculi à piis collecti, sacratissima Chrysostomi authoritate monstrosa hæc capita truncabo finiamque. Verba, ait, sacerdotis ore proferuntur, Dei autem virtute consecrantur & gratia: & magici susurri si quid habent efficaciæ, id occultæ virtutis habent à certa fiducia in diabolum. Nulla vero inest iis verbis efficacia: sed qui iis fidunt, hos ob impiam confidentiã sæpe illudi à Satana sinit justissimus Deus. Hic & in sequentibus proxime capitibus, ad Leonis Suavii characteristica satis responsũ esse arbitror.

De magica sanatione per periapta, characteres, effigies, annulos vel sigilla.

CAPUT. IX.

HIC periapta tum magica, tum ex Sacris maxime literis furtim tracta, suum habent locum, quibus contra dæmonum studia, incantationes & maleficia, homines quoq; dementantur. Quemadmodum, cum primum Euangelii Joannis caput, minutissimis literis in schedula pictum, & Missæ recitatione consecratum, collo alligatur, mirum contra incantamenta & diaboli machinationes creditur esse amule-

Periaptorum vanitas.

tum. At si chartula hæc alicujus habebitur efficaciæ, prærogativam certe singularem adversus Satanæ molimina obtinebunt illi, qui sacram Scripturam ex professo in manibus vel manicis continuo circumferunt. Sed ea nisi animis sit irradicata nostris, ubi velut à fomite vitali in actum excitetur, mortua permanet litera, etiamsi millies suspendatur, alligetur, portetur, affricetur, obmurmuretur, inscribatur, sigillis aut annulis imprimatur, bibatur, edatur, vel etiam voretur.

Verbum Dei non mortua est litera, sed spiritus & vita. Joan. 6.

§ 2. Confirmat hæc Chrysostomus: Quidam, inquiens, sacerdotes aliquam Euangelii partem scriptam circum collum portant. Sed dic sacerdos insipiens, nonne quotidie Euangelium in Ecclesia legitur & auditur ab omnibus? cui ergo in auribus posita Euangelia nihil prosunt, quomodo possunt circa collum suspensa servare? Deinde ubi est virtus Euangelii? in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis: si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa.

Homil. 43. in cap. Matth. 23.

§ 3. Ejusdem est sententia: Quando in gravem lapso morbum, aliqui incantamentis succurrendum esse consulunt, alii *rebus collo alligandis*, alii aliter: & tu constanti animo, quicquid *id est*, ob Dei timorem sustines, patique fortiter malis, quam eorum aliquid sectari. Hoc te martyri facit proximum. Hac ratione docet Athanasius quoque, dæmones plurimum formidare verba Psal. 68, si quis ea attente ex animo oret. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant à facie ejus, qui oderunt eum. Sicut propellitur fumus, tu propelles eos: & sicut liquescit cera à facie ignis, sic pereant impii à facie Dei, & reliqua. Hac etiam oratione Satanam abegisse D. Antonium in acerbissimo illo certamine adversus dæmonum turbas, testatur idem. Alias & illud Psalmistæ occinebat: Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

In Lib. de Variis quæst.

In Vita D. Antonii.

§ 4. Periapta, Agnus Dei, nuncupata consecrat Romanus Pontifex adversus noxios dæmones, quascunque eorundem machinationes: quod palam est ex 1. de Ceremoniis Romanæ Ecclesiæ, sect. 7. cap. 3. de consecrat. Agnus Dei. Ubi post ejusmodi consecrationē hęc subduntur. Legimus Urbanum quintum Pontificem maximum misisse ad Imperatorem Græcorum, tres Agnus Dei, cum versibus infrascriptis:

Balsamus & munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit, & omne malignum

Peccatum

Peccatum frangit, ut Christi sanguis & angit,
Pregnans servatur, simul & partus liberatur,
Dona refert dignis, virtutem destruet ignis,
Portatus mundè de fluctibus eripit undæ.

§ 5. Minus insuper momenti habebunt manu effícti characteres, effigies, annuli vel sigilla, hac illave figura delineata, sculptave, vel imaginibus ad certos cœli positus hoc momento, & illo loco insignita. Atqui ut nulla astrorum vis in ea, quæ manibus conficiuntur, operâ imprimitur: ita, etiamsi infinitæ divinis notis, nominibus, aut Scripturæ sanctæ verbis ornentur, substantiis nihil ex figuris quibuscunque, veræ virtutis vel accedit vel decedit: quibus singulis mirandas peculiaresque vires certarum actionum effectrices ab initio Deus indidit. Nec enim jam nova ibi instituitur qualitatum mixtura: non materiæ, ex prima ordinatione, convenienti qualitatum temperamento indutæ, nova & essentialis forma infunditur: sed corpori antea conformato, sua materia & forma, ~~quibus existit~~, conservantur, suaque adornato temperie, arte duntaxat nova affingitur species: ad quam nihil sidera, nihil eo tempore existentes in aëre qualitates conferunt. *Characterum, effigierum, annulorum & sigillorum nugæ.*

§ 6. Immo, ut semel dicam quod res est, universam hanc commentitiarum specierum congeriem, vanam esse, & inefficacem, non pudet libere profiteri: etiamsi hic mihi offundent Thebit philosophum, & magiæ antistitem, annulos conficiendi modum docentem, quibus animum exhilarari, hostes, cacodæmones & morbos arceri, miraculaque edi mentiuntur. Cujusmodi annulorum commenta Eudemum philosophum quoque fabricatum esse tradunt. Objicient & Albertum sui semper similem, & horum annulorum sigillorumque à veritate sæpenumero divaricantem fabrum. Accedet quoque Marsilius Ficinus, doctissimus alioqui philosophus, & plerique alii. Nec Gygis Lydorum regis annulus menti excidat, ut magica annulorum cathenâ ornatius prodeat Lamia, Menippi Lycii sponsa. Cujus digito, ne comitiali morbo correpta cadat, à philosopho redarguta, annulus applicetur argenteus, hoc modo intus notatus: † habi † haber hebr †. atque hinc breviola, quæ vocant, contra febres à quodam nebulone quæstore ficta, offerantur: *Plato lib. 2. de Rep. Lib. 2. Mineral. Tract. cap. 1. & 3. Marsilium Ficinum hoc nomine notat Jo. Fr. Picus. VII. 6. Philostr. lib. 3. Breviola contra febres.*

Ananisapta ferit mortem, quæ lædere quærit.
Est mala mors capta, dum dicitur ananisapta.
Ananisapta Dei, jam miserere mei.


§ 7. Per nuptialem vero annulum sponsus mingat, ut ab impo-

potentia veneris & fascino solvatur, authore Nicolao & Guilielmo Varignana medicis, & Petro Argelate chirurgo. Si amorem quis dissolvi velit, in amantis calceo stercus amatæ collocetur, odorque perceptus amorem infringet. Causam ejus virtutis, profecto nimis manifestam, non est quod ad occultam proprietatem torqueas.

Magica curatio maleficii.

C A P. X.

Vanissimum curandi maleficii mysterium, ex ineptorum delusorumque hominũ archivis erutum, piis cordatisque ea ratione hic aperio, ut videant intelligantque, quantum sit in rebus inane, ubi sigilla, characteres, numeros, voces & conjurationem penitius consideraverint, sed ad populum phaleras. Ejusmodi commentis dementare & fallere hactenus voluêre maleferiati homines. Hora & die Jovis, Jove potente & dominante, accipitur lamina Jovialis, & insculpitur sequens tabula,



Luna crescente, dicendo: O tu Jupiter planetarum major, fortuna dulcis

dulcis & mitis, ô damasses, mahadis, Camas, Jadas, Dichidos, Offididus, Canores, conjuro te per eum qui te creavit, ordinavit & posuit, ubi suæ placuit voluntati, ut sis mihi in hoc opere adjutor, quò virtute istius laminæ omnia maleficia solvantur, gestanti conferat lucrum, gratiam & amorem, pacem & concordiam hominum, Oomitetoro Zedelay Troppines Zozin Agare Bitelbault, Vitelvault Yton, per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem, Amen. His ter dictis, suffumigatur lamina mastiche, olibano & ligno aloes, & custoditur in panno serico citrini coloris, vel portatur. Cum per hanc quis operari volet & maleficia solvere, lamina hęc in igne ponitur, dicendo: O vos spiritus Jovis, amoris & dilectionis, me facite amabilem & complacabilem ad placendum omnibus, yeseraye date potestatem, ut sicut hæc lamina calefit igne, ita etiam, &c. inde extrahitur Lamina; & in vino extinguitur, dicendo: Sicut hæc lamina extinguitur in vino, ita extinguatur omne maleficium, &c. ubi hoc gustaverit & biberit, Joth, he, vau, het, fiat fiat fiat amen. Apertius singula explicare nolui, ob curiosos ejusmodi impietatum imitatores, quibus omnem errorum viam præcludere malui. Galeno nostro hîc fidem demus, dicenti: Substantia est, quæ suspenditur, non voces barbaræ, ut quidam præstigiatorum facere assolent. *De simpl. fac. 2.*

De characteribus, imaginibus, figuris, exorcismis, rebusque illicitis, quibus thesaurus inquiritur, claustra aperiuntur, capillitio suspenduntur maleficæ, objiciunturque reliqua diaboli ludibria.

CAP. XI.

THESAURUM porro sic inquirunt hi magi. Virga avellanæ tribus signata crucibus conjuratur, non modo superstitiose, sed & impie ac blaspheme. Adduntur characteres cum barbaris nominibus, & in fodiendo leguntur Psalmi, de Profundis: missa, Misereatur nostri: Requiem, Pater noster, Ave Maria, & Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, Amen. A' porta inferi, Credo videre, &c. Expectate Dominum, Requiem æternam, cum oratione certa. Et, si fodiendi tempus neglexeris, à diabolo tollitur thesaurus. *Magicus thesaurum inquirendi modus.*

§ 2. Ut claustra aperiantur, in particula cereæ baptismo designatæ flores volubilis imprimuntur, ligantúrque in anteriore indusii parte: ac ubi reserare voles, ter inflabis, dicesque hæc verba: Arato hoc partiko hoc maratarikin, tuo nomine aperio hoc claustrum, quod infringere cogor, quemadmodum inferna constringis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen. *Diabolica claustrorum apertio.*

§ 3. Æthio-

Plin. lib. 24. cap 4. § 3. Æthiopidis etiam herbæ tactu clausa omnia aperiri, quibusdam simul admurmuratis cantilenis, traditur. Eodem referendum, quod cuidam ad laqueum damnato Venetiis, omnes patefactæ fuerint fores, disjectis seris, una tantum admota herba, signaculis quibusdam decantata. At, si vis ea inest herbis, quorsum admurmurantur cantilenæ, aut adhibentur signacula? Vel, si virtutem hanc obtineant cantilenæ & signacula, cur advocantur herbæ? Si simul conjuncta hanc efficaciam sortiri dicas, meram esse superstitionem, contra objicio. Rerum alioqui naturalium miraculis ut nihil derogatum volo, ita ejusmodi cantiunculis & signaculis nil penitus retribuendum esse, ingenue affirmo. Quum autem herbæ illæ non operentur, nisi cantionibus & signaculis applicatis, consequens est, iis etiam nihil ejusdem virtutis adesse. Si effectum subsequi respondes: contingit is profecto dæmonis opera hic colludentis, ratione cantilenæ vel signaculi, ut ejusmodi ludibriis incautos alliget strictius, cautiusque fallat, nec ullo modo juvet. *Lib. 24. cap. 2.* Dicam hic cum Plinio, non satius fuisset Æmilianum Scipionem Carthaginis portas herba patefacere, quam machinis claustra per tot annos quærere? Quid & tam gravibus se onerant sumptibus, nostri Christiani principes, in effringendis oppidorum portis, tanto ponderosorum globorum infernalis pulveris potentia excussorum numero? quum etiam apud Acherontem investigare erubescerent neutiquam, si quid hic in talem usum posse acquiri judicarent?

§ 4. Pro defensione, figura cum creta in terra notatur, & miræ affinguntur nugæ, recitanturque Psalmi, & Orationes, nec non Missæ actus adhibetur, & in arbore clavus figitur ferreus.

§ 5. Ut mille hominibus vel equis cinctus quis appareat, anniculus salicis ramus, unico inflictu abscissus usurpatur cum exorcismo, barbarorum nominum recitatione, & characteribus absurdis.

Imagines damnosa. § 6. Damnum alicui inferre se credunt hi male sani, si imaginem conficiant in ejus nomine, quem læsum cupiunt, ex cera virginea nova, sub cujus axilla dextra hirundinis cor locetur, & hepar sub sinistra. Item, collo appenditur filo novo effigies, quæ acu nova in membro lædendo figitur, recitatione verborum, quæ ob curiosos studio prætermittenda censui. Ea ex ære quandoque apparatur, cujus membra ad diriorem deformationem invertuntur, ut pes manus loco formetur, & pedis vicissim locum subeat manus, faciesque invertatur. Ad atrocius malum similis imago adornatur in hominis forma, in cujus capite nomen certum scribitur, & in costis ea nomina, Alif cafeil zaza hit mel

meltat

meltat leviatan leutatace: ea in sepulchro defoditur. In eundem usum, ut ipsi vocant, in Martis dominio, parantur duæ imagines, una cerea, altera ex hominis mortui terra: & ferrum, quo homo necatus fuit, traditur alteri imagini, ut alterius necandi simulachri caput transfigat. In utraque duo inscribuntur nomina, & characteres seorsum peculiares: & certo altera reconditur loco.

§ 7. In mulieris amore conciliando, conficitur in hora Veneris imago, ex cera virginea in amatæ nomine: cui character imprimitur, & circa ignem calefit: & inter agendum, cujusdam angeli memoria in mentem repat. Non absimile monstrum fingitur, ut quis tibi in omnibus obsequatur.

§ 8. Ut tandem capillitio suspendatur nostra hæc malefica, & hujus nugatorii actus scena tragicum sortiatur exitum, apparatur effigies ex terra capitis mortui hominis, in alterius nomine baptisanda, cui nomen cum charactere inscribitur: hinc osse putido suffitur, & inverso ordine leguntur Psalmi, Domine Dominus noster, Dominus illuminatio mea, Domine exaudi orationem meam, Deus laudem meam ne tacueris, &c. Deinde duobus diverse locis ea sepelitur. *Imago, ut capillis suspendatur malefica.*

§ 9. Ut periaptorum, characterum, figurarum, annulorum, imaginum, reliquorumque id genus prodigiorum vanitas ubique explodenda, omnium obtutui lucidissime pateat, formulas has sacrifico surreptas supprimere nolui, quo de cæteris ejusmodi hominum ludibriis facilius pronuncietur sententia: quibus si vel veritatis momentum inesse levi solum cogitatu suspicatus fuissem, eas hauddubie evestigio, cui debentur, consecratas excepisset Vulcanus.

Quibus verbis stupor ac taciturnitas in tormentis & quæstionibus induci & solvi creditur.

CAP. XII.

INVENIUNTUR, qui, cum scelus aliquod capitale admiserint, vel antequam subjiciantur quæstioni, vel interea dum torquentur, quorundam aut scriptura, aut prolatione verborum consequi sibi videntur, ut & tacere possint, & nihil omnino sentire. Id quod tam firmiter sibi persuasum habent, ut fuerint, qui hac fiducia ultro se tum carceri, tum quæstioni obtulerint. A diabolo enim, cujus interest scelera non puniri, sed indies accumulari, confirmantur in malo, nec solum organis vocis obstructis impediuntur, ne loqui possint, verum gravi etiam somno opprimuntur, ut nec audiant interrogata, nec tormenta sentiant. Interim tamen his illi penduli verbis ac versibus, sane perquã [illegible] utuntur: *Quomodo tormenta quidam non sentiant.* *Verba stuporem & taciturnitatem inducentia.*

Imparibus meritis tria pendet corpora ramis,
Dismas & Gestas in media est divina potestas:
Dismas damnatur, Gestas ad astra levatur.

Psal. 44. Sunt, qui verba Prophetæ eructent: Eructavit cor meum verbum bonum, veritatem nunquam dicam regi. Alii autem hac prece se muniunt: Quemadmodum lac beatæ gloriosæ Mariæ virginis, fuit dulce & suave Domino nostro Jesu Christo, ita hæc tortura sive chorda sit dulcis & suavis brachiis & membris meis. Alii vero saltem hæc proferunt: Jesus autem transiens, per medium illorum ibat. *Lucæ 4.* Os autem non comminuetis ex eo. *Joan. 19.*

§ 2. Et tamen contrarium videmus eventum. Licet enim ἀιδητίκων ita dæmon occupet, ut nihil sentiant: ossa tamen illis comminuuntur & confringuntur. Qua etiam ratione probari posset, eorum verborum nullam esse vim: quin ridicula potius esse, quam credibilia, quæ jam proposuimus. *Diabolus cur non semper linguam & sensus impediat.* Enimvero nec diabolo quidem esse permissum, ut efficiat aliquid ejusmodi, interea dum iis ut superstitiose utuntur flagitiosi, propter duas mihi causas videtur. Primo, quod, cum omnis potestas à Deo sit, diabolus nec ipsi, nec legitimis ipsius actionibus possit resistere, ut nocentes publicæ eripiat justitiæ: sicut docet D. Augustinus, & Thomas Aquinas. *Rom. 13. De civit. Dei lib. 10. Thom. q. 5. prima partis tract.* Secundo, quod impunitas scelerum Deo non placeat, & malefaciendi licentia minime permittatur: alioquin institutus ordo & justitia Dei sibi invicem repugnarent.

§ 3. Sed tamen hominum impietate sic merente, sæpius hæc accidisse fateor. *qq. tit. de miracul. de Senten. excomm. c. ut fama. l. ita vulnerat 9. D. ad l. Aq. Tractat de quæst. & tort. q. 4. num 14.* Testatur enim clarissimus Jurisconsultus Paulus Grillandus, se bis id & vidisse, & in facto comperisse, his verbis, Primo Pisis, dum essem assessor magnifici Domini Capitanei illius civitatis: deinde Romæ, dum essem auditor criminalium causarum reverendiss. domini Auditoris Cameræ, ubi quidam fur sagacissimus, & duplicis militiæ reus, contra quem erant examinati quindecim testes, super diversis indiciis magni furti 137 ducatorum aureorum, habens notitiam, quod curia præfati Domini Auditoris procedebat contra ipsum, antequam personaliter compareret, accepit nonnulla sortilegia contra torturam: *Tormenta nil curans fur.* quibus expertis iterum atque iterum videns, quod sufficiebant ad parangonem, quadam die, dum ego essem in ædibus turris novæ, ad examinandum quosdam alios reos, ille sponte veniens accessit ad me, & se constituit in carceribus ipsis, dicens, quod ultro venerat ad purgandum indicia, & notam infamiæ sibi illatæ. Contra quem tamen necesse fuit devenire ad torturam, tot indiciis contra ipsum laborantibus.

In qua

In qua dum erat elevatus, dormiebat capite clivo, ac si jaceret in lecto, absque ulla penitus lamentatione, aut clamore: & ad tractus chordæ erat tanquam statua marmorea. Qui, dum elevabatur à principio, dicebat quædam verba submissa voce, deinde silebat ut dormiens. Statim ego suspicatus fui, ne gestaret aliquod sortilegium sive facturam maleficam penes se, aut ex illis verbis captaret aliquod suffragium. Perquisivi igitur quam diligenter per omnes partes corporis sui, demumque reperi in capite, sub scuffia scilicet inter crines, quandam parvam schedulam hæc verba continentem, videlicet: † JESUS autem transiens † per medium illorum ibat † os non comminuetis ex eo † cum crucibus ita signatis. Quam illico abstuli ab eo. Qui licet illa sic ablata satis conquereretur, nihilominus iterum positus ad torturam, & elevatus iterum, illud idem sicut ante faciebat, & in principio ipsius elevationis nonnulla verba submissa voce dicebat, quæ percipere nunquam potui, nec quicquam confessus est. Demum mutatis tormentis, sub tormento taxilli subjectus fuit, & similiter spernendo dolores, nihil unquam confessus est: sed in sua negativa semper audacius convaluit, adeo quod necesse mihi fuit eo instante, ab inquisitione eundem absolvere. Similis casus occurrit Hippolyto de Marsiliis, dum erat officialis ducis Mediolani.

Nihil sentiens doloris.

Hippolyt. de Marsil. in l. repeti. col. 4. ff. de quæst. Aliud exemplum.

§ 4. Iterum ait Grillandus: Necdum est annus elapsus, quod audivi alium Romæ positum ad torturam, & repetitis vicibus graviter cruciatum, qui verba de lacte Mariæ virginis submissa voce proferebat, & nullum dolorem pati, sed cuncta spernere videbatur: & dormiebat sicut alius in tortura: ac quanquam à tribus judicibus, præsente procuratore fiscali, examinatus esset, nulla tamen unquam ab eo confessio extorqueri potuit, licet correus & criminis socius id fateretur expresse, & illum in socium nominaret: cujus processum vidi, illumque cognovi.

Exemplum mulieris.

§ 5. Aliud exemplum, quod similiter in facto accidit mihi Romæ, cujusdam maleficæ mulieris, quæ antequam elevaretur in tortura, verba quædam submissa voce dicebat: deinde elevata silebat penitus velut mortua, & nigrior apparebat in vultu carbone extincto, oculos extra caput valde tremendos, more illorum qui strangulantur, emittens, & nihil penitus loquebatur neque boni neque mali. Ultima autē hæc historiola minime nostro obstat instituto. Nam si ex lamiis nostris illa fuit malefica, quid mirum, si diabolus linguam ei faucesque præcluserit, ne scilicet illa suam innocentiā probaret, & dæmonis ludibria detegeret.

 § 6. Su-

Carnificis pertinacia. § 6. Superioribus vero exemplis simile nuper habuimus Antwerpiæ, in carnifice ejus urbis Gelenio, natione Gallo: quem cum innumera, eaque notiora flagitia commisisse nemo non sciret, adigi tamen nullo tormentorum genere, quamvis immani, potuit, ut ea confiteretur, in tantam statim *ἀναισθησίαν* ac sensuum pene omnium alienationem incidebat. De qua cum prudentissimus Senatus Medicos ordinarios consuluisset, ejusmodi stuporem non nisi pharmacis quibusdam somniferis induci posse deprehendit: cujusmodi supra, Libro tertio capite decimo-septimo, descripsimus. Vel etiam alia ratione eam torturæ tolerantiam, ut immensos nimirum ille cruciatus perferret, Deus permittere potuit, vel quo iisdem ad resipiscentiam tandem cogeretur, vel ut reprobus acerbiores dignasque extremè pœnas lueret. Siquidem gladio tandem cæsus est, citra ullum pœnitentis *animi indicium* ebrius, qui multis retro annis, se hominum utriusque sexus innumerorum sanguine inebriarat, quos multifario supplicii genere ob fidei confessionem, vita spoliarat.

Tractat. de quaest. & torr. q. 4. num. 16. An verbis dissolvatur taciturnitas & stupor. Psal. 44. & 118. Psal. 50. Psal. 7. Psal. 9.

§ 7. Nonnulli tamen, ait Grillandus, dixerunt, quod *adversus istas* conjurationes & maleficia taciturnitatis reperiuntur remedia quædam, quæ diversis precibus conficiuntur. Ex quibus dicunt, quod omnes ligaturæ & maleficia hujusmodi dissolvuntur, & reus gravissima tormenta & cruciatus patitur in corpore: & inter alia solent dicere verba illa prophetæ: Eructavit cor meum verbum bonum, *dicam* cuncta opera mea regi: &, Dominus labia mea aperiat, & os meum annunciabit veritatem: &, Confundatur nequitia peccatoris, perdes omnes, qui loquuntur mendacium: &, Contere brachia iniqui rei, & lingua maligna subvertetur. Ex quibus verbis, precibus & exorcismis, dicunt maleficia ipsa resolvi, & reum mirabiliter cruciari. *Vide* Paridem de Puteo, in Tractatu de Syndicatu, c. tortura. lo. 3. fol. 113. & Sylvestr. Prior in Tract. de Strig. demonst. mirand. lib. 4. cap. 5. Super quibus tamen cogita, ait ille, quia de virtute ipsorum remediorum possem quicquam certi attestari, ex quo illa nunquam expertus fui, nec per alium experiri hactenus vidi.

§. 8. Ego vero, licet & D. Grillandus, & mille alii oculis id vidissent suis, tamen virtute verborum, sive prolatorum, sive pictorum, sive sculptorum, fieri posse nunquam credam. Enimvero fur ille etiam schedula spoliatus, nihil adhuc, crudelius licet distractus, confitebatur: nec submurmurata verba insensilem habitum inducere, satis superque à me ostensum est. Quare vel somnifica re assumpta, aut à diabolo,

bolo, quicum antea pepigisse animo tales, eiq; se devovisse, & etiam traditos esse necesse est, insensibilitate illata id fieri sentio, quum dæmoniacos complures Libro quarto à me enarratos, variisque cruciatibus à diabolo exercitos, nihil eorum sensisse, sed postea velut è somno surrexisse, commonstraverim. Statuendum itaque, si quid tale eveniat, id dæmonis arti potius tribuendum esse, qui ut spiritus, cerebri humores turbat, soporem movet, nervorum originem obstruit, sensum tollit & stuporem inducit, chartulis vel verbis in eum finem admissis, ut eorum apparatui quippiam inesse virium consideretur, atque interea reliquus Satanæ dolus lateret. Cap. 10. 11. 12.

§ 9. Idem dictum volo ad torturam vetulæ Brugensis, quæ tum habitu, tum victu, tum incessu, tum moribus, tum fucata sanctimoniæ specie ab omnibus observabatur, habebatur in precio & plurimi fiebat, veluti vera Christi apostola, quod multarum matronarum liberos quasi miraculose curaret, gibbos liberaret, crura tibiasque ilico restitueret, idque non arte, aut externo medicamine adhibito: verum qualiscunque pietatis aliquo exercitio adjuncto, nempe ut uno, duobus, aut tribus diebus jejunarent, panis solius & aquæ usu: vel ter legerent orationem Dominicam, aut inviserent Mariam Ardenburgensem, aut S. Arnoldum Audenburgensem, aut S. Jacobum, aut S. Hubertum Ardennatem: vel ut missam unam aut alteram religiose audirent, aut aliquot preculas persolverent ægri. Hisce rebus ex præscripto rite expletis, ab incommodis postea liberabantur ægri, propter confidentiæ insignis de mulierculæ potentia conceptæ prærogativam. Exigebat etenim prius, ut, se posse, firmiter crederetur. Atqui extorta tandem doli confessione, licet aliquandiu torturæ & quæstiones frustra fuissent adhibitæ, exilio à prudenti Senatu puniebatur. Historiam integram leges in Rerum criminalium praxi cap. 37. de quæstione sive tortura, Jodoci Damhouderii Brugensis.

§ 10. Quidam Jacobus nomine, mihi non ignotus & familiaris, torturæ ex magistratus decreto subjiciendus anno MDLXXIIX, se ad insensibilitatem premunire volens, prius opium vorat, sed justæ quantitatis ignarus, cum multa præcordiorum angustia, sopore tandem oppressus gravi, expirat. Schedulam apud ipsum mortuum inventam, & propria illius manu scriptam, qua opii drachmas tres sibi è pharmacopolio adferri jusserat, vidi, legi, & characterem agnovi: quod certe dolenter refero.

§ 11. Insensibilitatem doloris & cruciatuum quoque inducere,

teste Aarone & Hermete, lapidem Memphitem à civitate Memphis dictum, si tritus & aquæ mixtus propinetur ei, qui quæstionibus erit subjiciendus, asserere Albertum Magnum eadem fide, qua plura alia, hic prætermitti non oportuit. Vide & circa finem capitis 16. lib. 3. & cap. 7. lib. 6. sequentis.

Figurato nullam inesse vim ratione figuræ.

CAP. XIII.

HINC liquet, quantum fidei sit adhibendum fuco dæmoniaco, ab Hieronymo in vita D. Hilarionis eremitæ descripto. Ejusdem, inquit Ille, Gazensis emporii oppido, virginem Dei vicinus juvenis deperibat: qui, cum frequenter tactu, jocis, nutibus, sibilis, & cæteris hujusmodi, quæ solent morituræ virginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphim, ut confesso vulnere suo, magicis artibus rediret armatus ad virginem. Igitur post annum doctus ab Æsculapii vatibus, non remediantis animas, sed perdentis, venit præsumptum animo stuprum gestiens: & subter limen domus puellę, tormenta quædam verborum, & portentosas figuras sculptas in æris Cyprii lamina, defodit. Illico insanire virgo, & amictu capitis abjecto, rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis. Magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Perducta ergo à parentibus ad monasterium, seni traditur, ululante statim & cõfitente dæmone: Vim sustinui, invitus sum abductus: quam bene Memphis somniis homines deludebam? O cruces, ô tormenta, quæ patior. Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit. Tunc senex: Grandis, ait, fortitudo tua, qui licio & lamina strictus teneris. Dic, quare ausus es ingredi puellam Dei? Ut servarem, inquit, eam virginem. Tu servares, proditor castitatis? Cur non potius in eum, qui te mittebat, es ingressus? Ut quid, respondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum, amoris dæmonem? Noluit autem sanctus, antequam purgaret virginem vel adolescentem, signa jubere perquiri, ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni ejus accommodasse fidem: asserens fallaces esse dæmones, & ad simulandum esse callidos. Magis autem, reddita sanitate, increpuit virginem; Cur fecisset talia, per quæ dæmon intrare potuisset? Hucusque Hieronymus.

Dæmonis mendacium, ut illis quisquiliis se detineri persuaderetur aliis.

§ 2. Sed puellam magis obsedisse amorem mentiens dæmonium, quam amorem, mea est sententia. Nec verborum aut figurarum in lamina incisarum potentia id contigit: sed quod diabolo occasionem submini-

subministrasset, quemadmodum exprobrat Hilario, eam exercendi facta illi fuit potestas. Qui ad ejusmodi magicas curationes in morbis confugiunt, severe redarguuntur à Basilio in explicat. Psal. 45. Parvus, inquit, filius incidit in morbum, tu mox incantatorem requiris, vel supervacaneos variosque characteres vel figuras aut literas puerorum innocentium collo suspendis, &c.

§ 3. D. Thomas quoque credit, annulos, vel quicquid est figurarum ex arte, nihil operari ratione illius figuræ: neque ex illa figura majorem vim recipere à corporibus cœlestibus, quam non sic figuratum: quoniam, quæ ex arte fiunt, non sequuntur materiam, neque formam. Identidem & de verbis prolatis sentit: quoniam verba nihil immutant, nisi auditum. Verissime ergo, imagines ex ære, plumbo, auro, cera alba, rubra, vel alia materia baptisatas vel adjuratas, consecratas, imo potius execratas, per magorum artes & sub certis diebus, virtutes obtinere mirabiles, in ejusmodi artium libris recitatas, errorem esse scribit Martinus de Arles theologus. *In libell. de Occultis natura operib.* *Figuratis nulla inest vis ratione figuræ.* *Lib. de Superstit.*

§ 4. Et Porphyrii opinionem de talibus construendis imaginibus, fuisse falsam, comprobat D. Thomas Augustini testimonio, libro 10. de Civitate Dei. Verum quidem est, res naturales, formas suas & virtutes consequi ex corporibus cœlestibus: sed imagines artificiales nullam ab arte virtutem imbibere, aut aliam essequi vim queunt, nisi quam ratione materiæ obtinent. Figura autem, non est alterandi vel actionis principium. Ideo nec alius virtutis causam habet aurum ejus imaginis, quam aliud alterius figuræ aurum. Atqui si alium consequi effectum appareat, fit is dæmonum operatione, homines ludificantium, secundum Augustinum. Tales itaque imagines astronomicæ vim adipiscuntur per dæmonem. Cujus signum est, quod illis imaginibus quosdam imprimi characteres oportet, cum naturali virtute eæ operentur nihil. In hoc tamen à magicis simulachris discrepant astrologica, quod in magicorum compositione fiunt expressæ quædam dæmonum invocationes, unde ejusmodi effigies ad expressa pertinent pacta cum dæmonibus inita. At in astronomicarum factura, tacitum existit cum dæmonibus fœdus, per quosdam characteres & figuras ab ipsis dæmonibus inventas, ad quorum characterum impressionem, facientibus suffragantur dæmones. Hactenus ille. *Thomas Aq in libro contra gentes, de Fato. de Operib. naturæ occultis, & præcipuè in 2. parte Summæ theologicæ.*

§ 5. Scitè igitur à Cardano, philosopho & medico, scribitur: Licet sigillis vim non levem tribuant, ut Solis, ad magistratus, honores & gratiam cum principibus, Jovis, ad divitias & amicos, Veneris, ad volupta- *Lib. 18. de Subtil.*

luptates, Martis, ad audaciam, Mercurii, ad solertiam, Saturni, ad laborum patientiam, Lunæ, ad populi favorem: non ignoro lapides prodesse, figuram autem nihil. Idem, ubi magicæ stultitiæ maximi in ea arte Artephii placita enarravit, ac non solum dolosos, sed etiam mente captos fuisse magos monstrarit: prodigiosos inde planetarum characteres, item annulos terrificis planetarum notis insignitos, & sigilla monstrosis eorum formis munita delineat, mox subjungens: Hi sunt characteres dolosa mente excogitati, quorum virtutem nullam esse certum est. Nam quid his characteribus cum planetis ipsis rotundis commune est? At hæc nomina putes aut Arabica aut Chaldæa, aut Hebræa aut Græca. Quod si etiam essent, quid plus eis inesset virtutis quam Latinis? Igitur figmenta mera esse oportet, nulliusque virtutis: quam si contendas obtinere, non nisi dæmonum pacto fieri potest. Quis etenim talia invenire valuit, nisi dæmonum persuasionibus? At jam dæmones nihil docere constat. Dicent, autem, formas esse in Nona sphæra, quæ in India videntur. Ita siquidem malus ille Aponensis finxit. Sed concedatur: quis vero postmodum docuit, *hunc* characterem Solis esse, illum Saturni? Hinc clare liquet, *delirantium* hominum hæc pura fuisse commenta. Plura inde magorum deliramenta ordine ex Artephio ibidem recitantur.

Lib. 16. ca. 90. de Varietate. Similia apud Agrippam de Occul. philos. l. 33. & III. 29. 30. 31.

§ 6. Si contendant magi, se rebus naturalibus uti, characteribus, figuris, herbis & verbis, publica alioqui dæmonum commercia abominati: hinc refellentur, quum sit apud Aristotelem & omnes naturales philosophos compertissimum, activas virtutes non posse figuris inesse, uti nec literis vel quibuscunque characteribus, cum nihil aliud sint, quam compositio & ordo, excogitatus ab artifice seu pingente seu fingente: præterea & materiales imagines ultra suam speciem & formam operari non posse, testatissimum est, multo minus admirabiles supra naturæ legem producere effectus. Signa vero si dicantur, ea quum divinitus instituta non sint, quin potius rejecta, & à natura abhorrentia, restat, ut plus quam superstitiosa sint, & à dæmone inventa, vel palam fabricante, vel clam in male credulorum phantasiam suggerente. Somnia item sunt, quod figuras & characteres in elementali materia impressos parere radios fingat Alchindus Arabs, quibus motiones in rebus aliis excitentur, quum illi quatenus ex arte fiunt, nullo modo causarum superiorum influxus commoveant.

§ 7. His adde Porphyrii deliramenta, quibus figuras à diis maximopere amari, eosque in sacrata imagine contineri imaginatur:

contra

contra Aristotelem, atque etiam Theologos, qui characterum, herbarum, aut etiam verborum vi, separatas mentes supra hominem in aliqua materia coerceri posse negabunt. Si quem characterum juvabit varietas, si quid dignitati vel vetustati eorum tribuendum quis contendat, in μικροκόσμῳ hominis lineamenta, notas & multiformem characterem collimet, adeoque ipsum cœlum, terram, & omnia quæ in eis sunt, vigilanti inspectione consideret, inveniet profecto, quod contemplatu & admiratione sit dignissimum. Quapropter otiosa, patrocinante veritate, prodigiosorum hujusmodi figmentorum permanebit fabrica.

§ 8. Porro sacra verba ea pollere virtute, si denuo eo confugiatur, ut notatis solis literarum figuris tam mirabiles progignantur effectus, comminisci, certe impium est. Euangelii efficacia, non in exaratis characteribus, huic figuræ vel illi annulo, sigillo aut imagini applicatis, verum in virtute mystica, ad salutem credenti, consistit. Verbum Euangelii in corde juxta viam satum, auditum, & non intellectum, rapit malus ille: auditum autem, protinusque cum gaudio exceptum, radicem, ut in petra satum, non habens, continuo evanescit: auditum item, & cura hujus seculi suffocatum, ut semen inter spinas injectum, infœcundum manet, inefficaxque: sed auditum & intellectum, firmaque fide apprehensum, efficax est, hominemque in novam commutat creaturam, & mentes consolatur afflictas, adversus dæmonis insultus communiens, ardentique invocatione in Christi nomine inflammans, exorante quæcunque petuntur: non autem hoc præstat chartis illitum verbum, aut cuicunque materiæ impressum insculptumve, vel collo alligatum, sive superliminari impositum, aut subtus limen in terra sepultum. Tantum enim abest, ut intuitu pictarum aut incisarum insculptarumve Scripturæ sacræ vocum aut sententiarum, quacunque sint expressæ forma, terreatur, fugetur aut vinciatur diabolus, ut etiam ipse eandem probe calleat, nec allegare erubescat, quo fallat cautius: quemadmodum cum Christum tentatione impeteret, fecisse legitur. Bona autem conscientia, viva fide, ex vera Dei agnitione & Spiritus sancti inspiratione prognata, atque verbi Dei potentia prosternitur ille, profligaturque. Hinc ligaturas omnes & remedia, quæ medicorum condemnat schola, jure optimo quoque Augustinus rejicit.

Rom. 1. 1. Cor. 4. Matth. 13. Marc. 4. Luc. 4. 8. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. Psal. 90. Lib 2. de doct. Christ.

Formula curandi maleficii superstitiosa. Item alter modus futilis pellendi dæmonis.

CAP. XIV.

NON inconvenientem curandi maleficii modum mere superstitiosum, quanquam mysterii loco habitum, hic asscribam, ut evidentius quorundam hominum eluceat impia credulitas. Hunc insignis doctrinæ, integritatis atque usus vir D. Joannes Echtius, ἰατρὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, pro suo candore, communicavit: quod cum non approbaret, sed risui una mecum exponendum arbitraretur: à matre autem ægrotæ nactus erat, quæ studiose religioseque omnibus observatis, filiam curatam, si diis placet, affirmabat. Historia, cui annectitur curatio, sic habet: Clarissimi jurisconsulti N. filia, annos nata circiter tredecim, monialis (quam vocant) monasterii non procul à Susato siti, maleficio laborare credebatur. Nam venter tumidior erat, ut hydropicam quis judicasset: & cum lotio calculos excernere videbatur, qui vera erant fragmenta lateritia inæqualia, magnitudinis avellanæ nucis, & minora, præcedente summo dolore. Adhæc, alterum crus habebat luxatum. Quocirca, quum extrema metuerent moniales, & puellæ parentes, ea Coloniam deferebatur, accersebanturque duo celeberrimi ejus urbis medici, D. Joannes Echtius, & Hubertus Faber. Qui, re ad exactam artis trutinam vocata pensiculataque, dæmonis opus foveri judicarunt.

Jo. Echtius medicus.

Superstitiosa dæmoniacæ virginis curatio.

§ 2. Ad puellæ itaque curationem adhibebatur quidam ariolus vetulus, nomine Abrahamus, qui hanc sanandi formulam parentibus præscripsit. Omnium primo sacra administretur synaxis. Deinde potionis sequentis cyathus parvus plenus, vel vitreus, matutina hora & vespertina puellæ maleficio affectæ propinabitur. Recipe Rhabarbari electi drach. I. radices enulæ, artemisiam rubram vulgo dictam, centaurium minus, mentam aquaticam. Hæc simul, præter artemisiam, in olla nova indentur, & in honore sanctorum trium nominum ebullient in vino albo: artemisia autem in aquæ pinta, quam hic vocamus, unciarum duodecim pondere æquivalente decoquetur. Item pauperi alicui homini pio commendabitur recitatio orationis Dominicæ & salutationis Angelicæ, quinquies separatim repetenda: prima, in nomine puellæ maleficio læsæ, quod Christus in hortum duceretur: secunda, quod Christus aquam & sanguinem sudarit: tertia, quod CHRISTUS JESUS condemnabatur, quarta, quod JESUS citra culpam in crucem conjiciebatur: quinta, ob Christi passionem, quod in cruce expiraret,

Rhabarbarum quidem bilem vacuat, sed quorsum hoc cum reliquis plantis pellendo dæmonio conferet?

piraret, ut sagam convertere, & illatum malum amoliri dignetur JESUS. Præscripto modo hominem simplicem in genua provolutum, attentione summa orare oportet: deinde octo diebus continuis Missam audire ægrotam, & consistere, ubi recitatur Euangelium: atque in cibo & potu aquam lustralem, salemque expiatum miscere.

§ 3. Alia quædam puella exagitata aliquandiu à dæmonio, ejus inspiratione ita liberabatur, ut itinere satis longo & recto singulis fere passibus in genua procumberet Marcodurum usque, nusquam è via communi trita deflectens, etiamsi fovea, aquæ, lutum vel excrementa essent obvia, in iis quoque genibus devolvi oportuit. At in ara sacra D. Annæ (ad quam frequentissimus ibi religionis ergo concursus) missa celebrata, liberationis indicium iri ostensum pollicebatur dæmon. Proinde circa puellam sub missæ actione se conspexisse umbram candidam, ait sacrificus: quam quoque puella se observasse, tanquam certissimam liberationis notam, asseruit. En dæmonis fucum, quo εἰδωλομανίαν stabiliat. *Obsessa curatio futilis.*

§ 4. Domum à lemuribus turbatam, Theophrasti Paracelsi assecl æ vindicant liberantque, suspensis in quatuor domus angulis membranis virgineis, quas vocant, quibus inscriptum est: Omnis spiritus laudet Dominum: vel, Mosen habent & prophetas: vel, Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus. Si eodem modo suæ artis statuunt principia, quo hanc commentati sunt curationem, dæmonesque fugare conantur, non est, quod veterem medicinam, eversum iri metuamus. Absurde enim prima hæc sacri Vatis sententia in chartulis suspensa, ad dæmones exturbandos usurpatur. Nam omnis spiritus, hoc est, quicquid spiritu & vita fruitur, laudet Dominum: non autem ab impio, multo minus à diabolo, laudem suam celebrari vult Deus. Quomodo etiam instituto respondeant illa verba Abrahæ, diviti epuloni reddita, Mosen habent & prophetas, ipsi judicent. Si tertiam urgeant sententiam, ad Caput nonum hujus Libri, de Periaptorum virtute, eos relego. *Paracelsistica dæmonum profligatio. Psal. 150. Luca 16. Psal. 64.*

Maleficæ curationes chirurgi.

CAP. XV.

AD insignis malitiæ chirurgum, qui multos annos toleratur apud Geldros, quandoque etiam Coloniæ, anno supra sesquimillesimum sexagesimo septimo in æstate, apud impeditioris linguæ nobilem in ducatu Montensi, quem quoque fefellit, promotum, quum forte poculis ibidem indulgeret, accessit ejusdem nobilis minister, proximæ *Chirurgus sceleratus.*

 arcis

arcis præfectus, nomine Elbertus, calantica ægrotorum more tectus ut medica ejus opera, sic persuasus, uteretur. Hîc mox vittam linteam ex capite abjici jubet medicaster, atque ut secum cyathos exhauri at hortatur ægrum. Quod quum hic aversaretur, sibique à medicis, vino ut parce uteretur, imperatum assereret: respondit iste, sibi alias occultiores esse curandi rationes, quas nescirent reliqui medici. Id ideo tentatum, ut à bene poto, nec satis ob id prudente, liberaliorem curationis suæ mercedem pacisceretur, ejusque dimidium, quod ei moris est, ante auferret. Hinc seorsum cum ægroto secedit, morbi magnitudinem proponit, causamque esse maleficium, in universam deinde ejus familiam atque pecora proserpturum sævissime, nisi obviam iretur, perfrictissima fronte mendaciter imperito homini persuadet. Tandem ubi de ampla curationis mercede transactum esset, diligenter porro industrieque inquirit, num quem domi inter familiam aleret, cui fidi queat? respondit ægrotus, se famulum & filiam habere. Impostor, quot annorum esset filia, rogat: ait pater, Viginti: inquit impostor: Satis est, hæc erit nostro instituto & actionibus *non inidonea*. Inde jubet utrunque parentem ad filiæ pedes procidere suppliciter, & obnixe orare, ut in cunctis medico obsequeretur, dictoque audientem se exhiberet, alioqui non rite consuli posse patris valetudini: cujus uterque cupientissimus ad filiæ genua provolvitur, supplexque ex nebulonis istius præscripto obsecrat & obtestatur. Tum mandat, ut pilum tam suum quam uxoris, item filiæ, necnon omnium, quos domi aleret, hominum, ut & brutorum, abscissum, filiæ traderet, sibi in arcem, ubi ægrotus degeret, certa atque constituta hora deferendum. Hac fabulæ epithesi industrie ad hunc modum instituta, ad reliquos actus progreditur. Nam quum illa ad præscriptam horam, dicto obediens, ut patris sanitati consuleret, advenisset, in conclave seorsum ducitur: ubi longa simulanter habita occulta oratione, librum, qui in mensa erat, aperit, duosque cultros decussatim transversos in eo ponit, multo cum murmure, diris item conjurationibus, fictis his illisque characteribus: tandem & circulum in terra ducit, in quem & alterum cultrum à se adjurationibus execratum, à puella configi jubet: tum interpositis aliquot non intellectis susurroque prolatis verbis, alterum cultrum, ut ante factum erat, defigendum tradit: deinde puellæ metu consternatæ offulam quandam offert edendam, illique refragant eam perfrigidam (sic enim illa narravit postea) in os inserit: qua accepta, ita perturbari visa est, sive metu seu alia occasione, ut sibi non satis

satis constaret. Hinc pectus nudari jussit, sicque mammillis diu popismo seu palpo tractatis, supinam inclinari detecto ventre voluit. Qua in re ubi puella pudica se difficilem præberet, atque hic Tragicus comœdus patris exitium certissime subsequuturum, ipsamque in idem & gravius malum lapsuram, nisi morem gereret, minitaretur, necessarioque hic mutuam carnis contrectationem requiri persuaderet, in sinum prolapsus, pudoris mox zonam solvit, castitatisque munimentum perrupit. Altero die eodem curationis modo observato, secundum fabulæ actum simul cum juvencula absolvit. Tentavit idem & tertio, sed solum bis ipsum suam satiasse libidinem, illa fassa est postea. Interea & medicamenta ægroto exhibuit singulis diebus tam crudelia, ut præsentem hic præ nimio cruciatu timeret mortem, ob idque lecto affigeretur continuo, quum ante inceptam curationem, quasi nihil incommodi pateretur, obambularet. Nec quidem immerito, quod mercurium præcipitatum huic fuisse propinatum, à prudentioribus & forte actionum medicastri consciis judicaretur. In iis suis tormentis & carnificina hunc quandoque suppliciter, licet venire detrectantem, advocat, lenimenque torturæ quærit: tandem & dilectissimam filiam rogat, quid ipsa animadverteret consilii, & quem speraret successum ex curationis modo. Quam ubi pudore suffusam, ac in lachrymas pronam, vix quicquam respondere observaret, doloris causam extorquet. Illa rem omnem ordine patri explicat, & catastrophe dolum detegit, se etiam menstruam fluxionem ex eo congressu passam fuisse queritur, hymenis venarum ejusmodi insultu ruptarum imperita. Ex lamentabili patris relatu hæc ad me pervenere. O verum maleficium! ô facinus horrendum, flagitium & scelus morte etiam crudelissima expiandum! Nec alio à me teterrimum hoc factum promulgari quis arbitretur, quam ut in similibus casibus, alieno damno quilibet cautior, non tam faciles aures & obvias manus præbeat cuicunque, sanitatem tanta impudentia arrogantiaque pollicitanti, & mercede iniqua stipulanti. Interim actor hic suos habet, qui ipsum mirentur, prædicent, promoveantque, etsi quoque lippis & tonsoribus innotuerit, eum licet provectioris ætatis, alteram duxisse uxorem, superstite etiamnum priore. Sed in eam mentis caliginem dilabi, proh dolor, hos, qui alio iniquius commissi gladii potestatem torquent, est quod gemitibus assiduis,

quum peccatorum nostrorum amplitudo sic mereatur, conquetamur.

§ 2. Cuidam nobili extreme decumbenti, contra febrem adhibuisse eundem chirurgum sequentem curationem, mihi referebatur, quum ad eundem deploratum postea accerserer. Tres ille radiculæ partes huic obtulerat, singulas semel mordendas, ad primam inquiens, Utinam Christus non esset natus: ad alteram, Utinam mortem non obiisset: ad tertiam, Utinam non surrexisset. Deinde illis collo appensis, jubet eum bono esse animo, si illæ perirent: qui enim eas tolleret, hunc simul febrem ablaturum pollicebatur. Sic non multo post, empyemate, meo quidem judicio, interiit.

§ 3. Usurpatus & is modus, Jesus Christus † qui natus est, liberet te N. ab hac infirmitate †: Jesus Christus, qui mortuus est † liberet te N. ab hac infirmitate †: Jesus Christus, qui resurrexit † liberet te N. ab hac infirmitate. Inde quinquies oratio Dominica & Salutatio Angelica recitentur quotidie.

§ 4. Ejusdem ordinis fuit is medicaster, qui apud Xantos Cliviæ, cuidam juveni ex tympanite tumescenti, nuper persuasit, seniorẽ viperam cum duobus rubris colli circulis, & duas juniores in ventre exundante foveri ex maleficio: & quum exactius observaretur, dum hunc curat, ne à vehementibus purgationibus, simul excrementis viperas mortuas miscere fraudulenter posset, tandem ægrotum partus dolores passurum fingit, ac proinde se oportere partibus pudibundis occulte manus admoliri: cui respondet mater ægroti, admonita prius, suis manibus se effecturam, quicquid in eam rem desideraretur. Sic desiit impostor, & post dies quatuordecim moritur æger, qui à quodam chirurgo eam ob causam secabatur, ut cunctis hujus nebulonis innotesceret dolus, quemadmodum & contigit: hinc incunctanter alio avolavit funesta hæc & infausta strix.

Dæmones non aliter sanare morbos, quam à læsione ab illis invecta cessando.

CAP. XVI.

Fortalitium fidei lib. 5. de Bello dæmonum.

Si jam objiciatur felix curationum harum magicarum successus: respondeo, In vita sancti Bartholomæi legi, dæmonem curasse morbos: atque hoc fecisse non sanando, sed à læsione, quam ipse invexit, cessando, ut tradit Abdias episcopus Babyloniæ, libro octavo Certamin. apostol. in hæc verba: In idolo Astaroth apud Indos dæmon erat, qui se curare languidos, & cæcos, quos ipse lædebat, illuminare fateretur. Erant enim sine Deo vero homines illi: & necesse erat, ut à Deo falso ludificarentur, qui ejusmodi arte illudit, verum

Deum non agnoscentes. His concitat dolores, morbos, damna, pericula, datque responsa, ut ipsi sacrificent: & quum à se invecta removet, tanquam ab ipso sanentur, existimant omnes, nimirum stolidi: ille autem non sanando subvenit, sed à læsione cessando. Itaque cum lædere desinit, curasse putatur. Et post: Ipse diabolus arte reddit homines ægrotos, iisque suadet venerari idola: & ut sibi eorum animas devinciat, ab eorum vexatione desistit, ubi lapidi aut metallo dixerint, Tu es Deus meus.

§ 2. Et post ex Bartholomæi mandato fatetur dæmon, primo carnem hominum à se lædi, verum in animas nullam sibi concessam esse potestatem, nisi sacrificaverint. Deinde subdit: At ubi pro corporis sui salute nobis sacra fecerint, ab afflictione desinimus, quod tum in illorum animabus dominari inchoamus. Cum itaque à læsione quiescimus, eos curare videmur, & velut dii colimur, dæmones interim existentes. Pulchre id à Tertulliano etiam docetur his verbis: Habent de incolatu aëris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium, cœlestes sapere paraturas, ut & pluvias, quas jam sentiunt, repromittant dæmones, benefici plane & circa curas valetudinum: lædunt enim primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria, postquam desinunt lædere, & curasse creduntur. *In Apolog. cap. 22.*

§ 3. Adjungam quod in hanc sententiam Tatianus Assyrius, Iustini discipulus, qui claruit circiter annum centesimum septuagesimum, contra Græcos differat: Nullus affectus, inquiens, per occultam alterius rei dissensionem tollitur, nec ægrotus aliquis curatur amuletis, ut pelliculis appensis. Dæmonum istæ aggressiones sunt: & qui ægrotat, vel amat, vel odit, vel appetit ultionem, istos sibi auxiliatores asciscunt. Utuntur autem dæmones hoc artificii modo. Quemadmodum figuræ literarum, & versus, qui inde conscribuntur, non per se possunt indicare, quod scribitur: sed hæc sibi cogitationum suarum signa homines constituerunt, ex certa ipsorum conjunctione, ita ut ordo literarum definitus est, rem intelligentes: sic etiam variæ radices, & nervorum & ossium adhibitio, non sua natura aliquid efficiunt, sed tanquam elementaris institutio sunt improbitatis dæmonum, qui ad quid singula valere debeant, præscripserunt. Ubi vero ab hominibus usurpari viderint ministerium vel curationem ipsorum, superveniunt, & eos ad servitutem redigunt. Et post; Non sanant dæmones, sed dolo capiunt homines.

§ 4. Et recte Justinus ille maxima dignus admiratione, dæmones latro-

latronibus similes esse docuit. Siquidem ut illi viros aliquos capere solent, deinde pacta mercede familiaribus eos restituere: sic etiam, qui à vobis existimantur dii, quorundam hominum membris se insinuantes, deinde per somnum suam in illis gloriam fabricantes, in publicum prodire jubent: & in conspectu omnium, postquam desideratis ex mundo rebus se expleverunt, ab ægris avolant, & morbum suo dolo productum obliterantes, pristinæ valetudini homines reddunt. Testatur & D. Hieronymus, licet virtute magica possunt aliqua fieri miracula, ut illa, quæ pertinent ad curiositatem tantum, & vanitatem (Sicut Simon magus fingebat statuas ambulare, loqui, ridere, & similia) ea tamen, quæ sunt salubria, ut existunt curatio languidorum, illuminatio cæcorum, & hujusmodi, non posse artibus magicis sive à dæmonibus effici.

§ 5. Eleganter breviterque hoc dæmonis studium ac medelam expressit Cyprianus De idolorum vanitate, ubi post longam de Auguriis & Aruspiciis disputationem subjungit: Hi spiritus maligni afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt: falsa veris semper involvunt. Nam & fallunt & falluntur, vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam corporibus occulta mentis terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, ut ad cultum sui cogant. Et mox: Hæc est de illis medela cum ipsorum cessat injuria. Nec aliud his studium est, quam à Deo homines avocare, & ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis avertere: & quum ipsi sint pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerunt errore participes.

§ 6. Hinc Augustinus, & legitur 26. q. ultima, admoneant: Admoneant fideles sacerdotes populos suos, ut noverint, magicas artes incantationesque, quibuslibet infirmitatibus hominum nihil remedii posse conferre, non animalibus languentibus claudicantibusve, vel etiam moribundis quicquam mederi: sed hæc sunt laqueus & insidiæ antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur, & si quis hæc exercuerit clericus, degradetur, laicus anathematizetur. Idem fere in libro de Civitate Dei legitur: & 26. q. 2. qui sine. ubi mortem potius esse dicendam ejusmodi curationem, quam vitam, docetur. Idem: Valent dæmones affligere, quoscunque Deus propter peccatum, eorum tyrannidi subjecit. Isychius lib. 6. comment. in cap. 19. Levit. Pessimum est magis adhærere, quia dæmonum

morum inimicorum nobis & pestilentium nomina dicunt. Qui etsi ad breve tempus, ut in errorem mittant, videntur operari aliquid quod ad corporalem sanitatem vile & parvum, quale etiam imperiti medici operari possunt: veruntamen nec hoc ut boni, neque ut bene volentes hominibus operantur, sed in servitutem illos redigere, & à Deo separare cupientes.

§ 7. Ad curationum harum dæmoniacarum cognitionem facit, quod Sabellicus scribit: Talis, inquiens, Circensium ludorum fuit pompa, quos tum instaurari contigit, quod quidam è plebe homo T. Latinus, sive Tyberius Atinius, ut alii scribunt, à Jove erat monitus, ut consulibus nunciaret, non placuisse sibi proximorum Circensium præsultorem: instare urbi periculum ingens, nisi darent operam, ut sibi ludi ex integro fierent. Id ille imperium quum forte detrectasset, veritus ne, si fidem non fecisset, pro ludibrio abiret in ora hominum: ita accidit, ut paucis diebus, quibus species illa fuerat homini noctu oblata, filium nulla evidentiore morbi causa amiserit. At tum iterum simili oraculo interrogatus, an satis magnam haberet spreti numinis mercedem? Cæterum, quum rem adhuc in occulto haberet, subita est corporis debilitate afflictus. Tum demum propinquorum consilio usus, lectica primo in forum ad consules, mox per illos in curiam delatus, ubi, quæ per quietem fuerat jussus dicere, ordine exposuit. Miraculo accidisse ajunt, ut in pedes erectus, domum incolumis abierit. Sed malorum dæmonum aliquis Atinio in somnis affuit, qui futurum intelligens, ut paucis diebus ille filium amitteret, ipseque aliquanto brevius gravi esset morbo defuncturus: ubi scilicet à se affligi desiisset, hanc fallendi ansam nactus, ut Romanum pop. in majores adhuc tenebras conjiceret, ridiculum illud ludorum schema oculis cæcæ multitudinis offudit. Ennead. 6. lib. 9.

Fictam esse dæmonum Sanationem, & eam quandoque à Deo permitti ob imprudentium credulitatem, admodum sæpe efficacem.

CAP. XVII.

ITAQUE liquet, fictam saltem simulatamque curationem quandoque exhibere dæmonem, à cruciamento, cujus ipse author extitit, desistendo libenter, cujus rei admiratione faciles hominum mentes illaqueet, sibique infidelitate subjuget spiritus in diffidentiæ filiis efficax: hoc unum cum primis annitens, ut hi, quos defraudarit, eum divino cultu & honore dignentur. Vel Deū, ob contumacem hominum Ephes. 2.

 incré-

incredulitatem, plerunque aliqua permittere credimus, ut videntes non videant, & audientes non audiant, nec intelligant. Vel quo modo ex confidentia in medicum, medicamentis plus accrescere interdum virium conspicimus: sic ex fide superstitiose adhibita ejusmodi incantationum verbis, quanquam ex Scriptura frequenter furto satisque inconcinne subtractis, aliquid singularis energiæ accedere, non temere quis credat. Quod nec Galenum latuit, illum plures curare affirmantem, in quem plures confidunt. Tantum habet ponderis, intensa sanationis imaginatio. Quare Pomponatius dicere non veretur, in sanatione acquisita ex veneratione ossium Divis ascriptorum, si essent ossa canis, & tanta & talis de eis haberetur imaginatio, non minus subsequeretur sanitas. Multa siquidem corpora veneratione dignamur sæpe in terris, quorum animæ patiuntur in inferno, authore Augustino.

1. Prognost. 2.
Lib. de Incantament. cap. 12.
Imaginatio intensa sanationis efficax.

§ 2. Ex majorum historiis recentique patrum nostrorum memoria, repetunt plerique exempla, asseruntque non paucos ad sola vota sanctis, nescio qua credulitate & religione facta, aut ex cantactu contuituve ossium (non dicam thecarum) quæ de quorundam cadaveribus collecta ac reservata ferebantur, recuperasse amissam virium integritatem, sanitatis restitutione εἰδωλομανίαν stabiliente, universi cultus impii authore unico diabolo. Imo inde natam pervasisse in animos hominum opinionem, auctamque ætate & roboratam inveterasse ajunt: ut plus valere, longeque validius obortas corpori ægritudines evellere atque extirpare, sola vota statuis delata, quam remedia censerentur. Eam inolevisse consuetudinem addunt, ut, si quid adversi accideret, non divina desiderarentur auxilia, sed in subsidium illi invocarentur sancti, quos talibus præsidere ac dominari malis persuasum erat: neglectum ea ratione fuisse Deum, contemptuique & pro nihilo habitam medicorum operam, preces quoque Deo ad cœlestium mandatorum præscriptum deferendas, directas fuisse ad sanctos, aut ad statuas: vim item medicatricem, divinitus remediis in natura ordinatis inditam, votis fuisse tributam.

Constantis credulitatis potentia.

§ 3. Quantum autem valeat constans credulitas apud vulgus, prope innotuit. Credulitatem requirit superstitio, quemadmodum fidem vera religio. Tantum potest obfirmata credulitas, ut etiam miracula operari credatur in opinionibus & actionibus falsis. Quilibet enim in sua religione, etiam falsa, modo firmissime credat veram, spiritum suum ea ipsa credulitatis ratione elevat, donec assimiletur spiri-

tibus illis, qui ejusdem religionis duces sunt & principes: eaque videatur operari, quæ natura & ratio non discernunt. Hæsitatio vero & diffidentia, institutum opus non modo in superstitione, sed etiam in vera religione infirmant: & effectum quæsitum, licet multo usu confirmatum, enervant. Quomodo autem superstitio imitetur religionem, exempla ostendunt, inquit Agrippa: videlicet, quando excommunicantur vermes & locustæ, ne frugibus noceant: quando baptizantur campanæ & imagines, & ejusmodi plura. Sed quia prisci illi magi, & qui ejus artis authores apud veteres extiterunt, fuerunt Chaldæi, Ægyptii, Assyrii, Persæ & Arabes, quorum religio omnis perversa erat, & idolorum cultu inquinata: cavendum nobis summopere est, ne permittamus illorum errores supra nostræ religionis Christianæ puram veritatem dominari. Blasphemum enim hoc esset, & βδέλυγμα. *De Occult. Philosoph. libro 3. cap. 4.*

Historiis non illepidis ostenditur, quantum in magicis curationibus valeat temeraria credulitas.

CAP XVIII.

CÆTERUM quid temeraria illa valeat credulitas, exemplis ostendam ridiculis: & prius non illepidum, à viro Ecclesiastico, non infimi nominis Theologo, accepi. Narrabat is, ad mulierculam quandam oculorum lippitudine aliquandiu laborantem, casu nebulonem divertisse, qui sanationem oculorum certissimam pollicitus, suspensa in ipsius collo schedula, tam cavit stricte, ne ea auferretur aut aperiretur aut legeretur, ut nihil hinc prorsus expectandum juvamenti asseruerit, si aliquo hîc modo delinqueretur. Mulier in multam erectam spem confidens, à lachrymis se quoque continuit, quibus antea oculorum accrescebat vitium: atque hac ratione paulatim convaluit. Demum ob adeptam sanitatem schedula negligenter habita decidit: ejusque cui hactenus unice fidebat, animadversa dein jactura, redeunt lachrymæ, malumque recrudescit. Schedulæ interim ab alio inventæ, reseratæ & lectæ, inscripta Germanico idiomate hæc ajebat fuisse verba: *Der Teuffel cratze dir die augen auss, vnd scheisse dir in die löcher.* Quod si verbum verbo reddatur, sonat: Diabolus eruat tibi oculos, ac eorum foramina suo stercore impleat. Si horum aliqua fuisset virtus verborum, evulsi periissent oculi, cavitatibus dæmonis excrementis rursus infartis. Non omnino absimile, Plinio referente, videtur illud Marci Servilii Noviani principis civitatis, qui in metu lippitudinis, priusquam eam ipsam nominaret, aliusve ei prædiceret, chartam duabus Græcis literis P & A inscriptam, circumligatam lino, subnectebat collo.

Idem ferè legitur in Libro Germanico de ludicris & striis. cap. 427.

Schedula ridicula collo appensa.

Chartula inanis collo subnexa. § 2. Sic cuidam puellæ terrificio furore interdum à dæmonio agitatæ, chartulam corio tectam, antea quidem in altari Missæ recitatione sacratam scilicet, suspendit ecclesiasticæ professionis vir, sanationem pollicitus: ea tamen cautione adhibita, ut in officio & rei fiducia retineretur puella: si schedula neglectui habita periret, eam ad pristinum relapsuram. Idcirco de custodienda vigilanter chartula, singularis omnibus incumbebat cura & studium. Tandem conjunx mea Judith ad villicum nostrum divertit, è quo ubi miserabilem puellæ casum cognovisset, illam continuo voluit accersiri. Atque hic illa studiose pieque admonita ab uxore, ac rectius instituta, ut nimirum fiducia in Deum afflictorum patronum concepta, dæmonis negligat ludibria, sacrilegumque sacrifici consiliũ contemnat, eam mensa apparata cibo quoque refici jubet, simulque à collo periapton aufert. Quare perculsi territique procul fugiunt spectatores, relicta cum puella in domo conjuge sola, una cum Sophia filia, veriti, ne ob suæ anchoræ sacræ jacturam, cui hucusque nixa puella minus angebatur, tanquam in portu subsistens, mox exiliret furore percita, insultuque violento assistentes suo impeteret more. Interea admonitioni acquiescens, apposito fruitur victu, citra ullam animi turbati notam, hilaris: ac, ne unquam amplius transversam à viva in Deum fiducia se avocari sineret, erudita, optime inde, nostra quidem sententia, habuit. Corio autem conciso, implicata aliquoties chartula inerat sublutea, plana, sine characteribus: quam confestim Vulcano consecravit, præsente puella, uxor.

§ 3. Huc accedat & aliud de obsesso quodam exemplum. Is, dum per sacrificum mire φλαῦλον, plerisque conjurationibus & exorcismorum fulminibus impeteretur adeo, ut jamjam prorsus videretur abigendus dæmon: eoque cunctante, supra verticem energumeni tandem adhibita fuisset particula S. Crucis, in theca sive loculo contectæ, ut vulgus opinabatur: sic demum insudantem vehementer exorcistam affatur dæmon: Tametsi non nesciam vanam atque impiam esse vestram de vero crucis ligno, in quo pependit Christus, confidentiam, quum revera fragmentum sit è patibulo sectum, nihilominus pertinax ista opinio vestra ac confirmata omnium fides facit, ut affectibus vestris obsequens, nunc hinc cedam, deseramq; hoc hospitium.

§ 4. Fallacem, captiosam & periculosam hujusmodi esse sanationem, nemo non videt. Ludit sepenumero sub rerum harum ludicrarum specie diabolus: & hoc exequitur, quod machinatores illi

malefici

malefici persequuntur, ut videlicet omnis vis ab ejuscemodi figmento proficisci credatur. Recte itaque Rabi Moses ille Ægyptius, mendaces & stultos esse affirmat, qui soli figuræ, soli scripturæ, solis lineamentis, solis denique vocibus aëre fracto natis, tantam miraculorum vim & potestatem tribuant. Nec têmere Antoninum Caracallam imperatorem eos condemnare statuisse, tradit Ælius Spartianus, qui contra tertianas & quartanas febres périapta gestarent: quæ quoque à Luciano lepide irridentur. *Perplexor. 1. 70.* *In Dial. philosoph.*

§ 5. Similes quoque curationum modos, ut superstitiosos, rejicit Augustinus his verbis: Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola, pertinens vel ad colendam, sicut Deum; creaturam, partemve ullam creaturæ: vel ad consultationes, vel pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata: qualia sunt molimina magicarum artium, quæ quidem commemorare potius, quam docere solent poëtæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, aruspicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis aut ligandis: in quibus omnibus ars dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. Unde hæc cuncta vitanda sunt Christiano, & omni penitus execratione repudianda atque damnanda. Item Serm. de Temp. 215. Etsi adhuc videritis aliquos aut ad fontes, aut ad arbores vota reddere, sortilegos etiam & divinos vel præcantatores inquirere, phylacteria etiam diabolica & characteres, aut herbas vel succos sibi aut suis appendere, durissime tanta eorum peccata increpantes dicite: quia, quicunque fecerit hoc malum, perdit Baptismi sacramentum. Identidem Serm. 241. de Tempore. *de Doctrin. Christ. 11. 20. & 27. q. 2. c. illud.*

§ 6. Hic negligi minime oportuit indusium illud, necessitatis nuncupatum, Germanis *Nothembd*, tantopere à proavis celebratum, quo induebantur, ut in bellis à quocunque telorum vel sphærularum bombardicarum ictu & armorum injuriis liberi perdurarent, & quodvis aliud corporis incommodum declinarent securi. Eo quoque usæ sunt parturientes, ut citius tutiusque fœtum deponerent. Hinc nomen sortitum est, quod in necessitate usurparetur, & suum præstaret auxilium. Hoc autem solenni modo adornabatur. In una eademque nocte feriarum Natalis Christi, filum ex lino in nomine diaboli à junioribus *Indusium necessitatis. Nothembd.*

notæ castitatis puellis neri texique, & indusium consui debuit. *In pectore* vero duo assuebantur capita, in quorum dextro longa propendebat barba, & velut galea erat imposita: sinistrum autem horridum & corona ornatum, regis illius magni Beelzebub fuisse diceres: latus utriusque muniebatur cruce. Longitudine à collo medium hominem contegit indusium cum manicis. Id apud eximiæ nobilitatis virum vidi, cui à patruo milite strenuo cesserat, qui eo muniri solet, plurimum huic fisus: quemadmodum plerique etiam Cæsares, aliique principes & magnifici consuevêre. Hæc autem plus quam superstitiosa, Sathanæ doctrinam crasse nimis redolent.

Quod eximii medici alligationibus, characteribus, carminibusque usi sint: & de Homerica medicatione, ac Vespasiani miraculo.

CAP. XIX.

INTERIM excellentissimos quosdam medicos, qui non parum fidei his apposuêre nugis, hic graviter impegisse non ignoro. Ex horum numero est, doctissimus alioqui, Alexander Trallianus, *qui Herculis erecti leonem suffocantis*, & in lapide medico *insculpti imaginem* annulo aureo inclusam & gestatam, colicis mederi *affirmat*: sic & calculosis, podagricis & febricitantibus consuluit non solum alligationum, sed & characterum & carminis usum. Galenum quoque ab iis, quæ evidenter apparent, persuasum temporis processu, adducit, vim iis inesse sentientem (in tractatu de Homerica medicatione) quam tamen antea negaverat. Inscriptionis autem ea extitit causa, quod Homerus suppressum verbis sanguinem, & mysteriis sanatos morbos tradiderit. Nec Aëtium, hærentes in gula & tonsillis spinas & officula carmine superstitioso excantare, puduit. Telum carmine ex thorace retractum, supra ex Benivenio commemoravi. Marcellus etiam passim inculcat carmina: his quoque usus est Octavianus in Euporistis, Item Q. Serenus, qui verbum, Abracadabra, chartæ figura à se tradita inscriptum, appensumque ex collo, à febribus, maximeque ab hemitritæo liberare docet. Gordonius itidem, & plerique alii superstitionibus addictiores medici recentiores, licet primarii, carmina habuêre familiaria, ut etiam ad sanguinis profluvia, ad comitiales accessiones, ad partus difficultatem, ad febres intermittentes & erraticas, ad lumbricos, vulnera, fistulas, luxationes, hernias, & nescio ad quæ non, haud pauca invenerint.

Lib. 10. ca. 1. circa finem. l. 9. ca. 4. & li. 11. in fine. lib. 11. cap. 9. Hunc non omine taxat Joannes Gerson. Annulorum, alligationum, characterum, & carminum usus apud medicos. Homerica medicatio. Cap. 4.

§ 2. Quorum experientiam (inquit Augerius Ferrerius) cum ob oculos positam, & tot illustrium virorum authoritate confirmatam vide-

Libro 2. method. cap. 11. de Homerica med.

videris, quid facies? Nam iis, quæ sensibus exposita sunt, contravenire, sani hominis non est: doctorũ vero experimenta infirmare, temerarium. Tu vero, dices, qui hæc inculcas, quid sentis? Dicam libere. Neque enim superstitiosus homo sum, neque fabularum amans, sed veritatis studiosus: in quam cum toto animo ac studio omni incumberem, prodigiosas quoque has curationes attingere volui, ne qua parte in artis operibus deficerem. Deprehendi itaque, curationis hujus eventum non è characteribus, non ex carmine promanare: sed tanta est vis animi nostri, ut, si quid honesti sibi persuaserit, atque in ea persuasione firmiter perseveravit, idipsum, quod concepit, agat, & potenter operetur: modo alterius, in quem agit, animum non habeat repugnantem, neque diffidentem. Nam, si etiam fidentem & coadjuvantem hubuerit, citius, quod intenditur, perficietur: si neque fidentem neque diffidentem, nihilominus vis animi agentis operabitur. Id in dentium doloribus, in quibus frequentissima hæc est medicatio, aperte videre licet. Nam præcantator ita movet non reluctantis ægroti animum, ut dolor illo submurmurante, vel cum characteribus agente, sensim extinguatur. Quod miraculo non caret. At, si forte æger diffidat, aut plane ridiculum existimet remedium, aut circunstantes habeat, qui fidem elevent, & remedium coram illo contemnant, præcantanti nulla vis erit, quia persuasioni suæ repugnantem habet alterius animum.

§ 3. Hic illud interseram, quod cuidam puellæ nobili dolorem dentis à nobili viro carmine lenitum meminerim. Sed illam redargutam ob impium curationis modum admissum, facti pœnituit: quare recurrit dolor, qui tamen postea evanuit sponte. Qui vero citra fidem ac persuasionem ad incantandum accesserit, operam suam ludet: nisi forte tam stupidum alterius nanciscatur animum, qui simulatione se decipi non sentiat. Non sunt ergo carmina, non sunt characteres, qui talia possunt: sed vis animi confidentis, & cum patiente concordis: ut doctissime à Poëta dictum sit:

Nos habitat, non tartara, sed nec sidera cœli:
Spiritus, in nobis qui viget, illa facit.

§ 4. Verum confidentia illa ac firma persuasio comparatur indoctis animis per opinionem, quam de characteribus & sacris verbis conceperunt. Doctis & rerum intelligentiam habentibus, nihil opus est externis: sed cognita vi animi, per eam miracula edere possunt, qualia de Apollonio refert Philostratus, cum ab externis mundanis-

que

que negociis in animi secessum se recepisset. Indoctus ergo animus, hoc est, suæ potestatis & naturæ inscius, per externa illa confirmatus, morbos curare poterit. Doctus vero, & sibi constans, solo verbo sanabit: aut, ut simul indoctum animum afficiat, externa quoque assumet, non solum, quæ vulgo prolata dicuntur, verum etiam alia quoque à se inventa, vel quæcunque illi ad manum aut in mentem prompte venerint. Hactenus ille.

§ 5. Hanc autem Ferrerii sententiam, ejusmodi nimirum effectus ex constanti & firma operantis persuasione consequi, modo patientis animus non reluctetur, erudite confutat ornatissimus vir D. Thomas Erastus in parte prima disputat. de nova Paracelsi medicina.

§ 6. Ut porro intelligatur manifestius, in illis, quæ præter naturæ ordinem adhibentur, curationibus, dæmonium sæpe operari & colludere in hominum exitium, verba Antonii Sabellici hic adferam. Mirum, inquit, quantum præstigiorum, ipsius principis & aliorum oculis offuderunt mali dæmones, per id tempus, quo Vespasianus Alexandriæ fuerit. Nam & Basilides libertus, qui aberat, visus est illi sacrificanti ministrare, ut regum nomen futuro imperio omen fecerit: & mox paulo illum pro tribunali sedentem, duo è plebe viri adierunt, opem sibi orantes à Serapide demonstratam: hic oculis captus, ille debili crure, per quietem se monitos dicere, fore ut cæco dies illucesceret, si ipsius oculos sputo Vespasianus inunxisset: alterque firmior fieret, si calce contingeretur. Quum vix fides rei esset, nec res ullo modo successura crederetur, ne experiri quidem à principio Vespasianus ausus est. Cæterum amicis hortantibus, utrunque pro concione tentavit: nec defuit eventus. Verebatur scilicet dæmon ille, quem sub Serapidis nomine colebat Ægyptus, errorum mater, ne piorum ecclesia recens ibi constituta, ex vetusto illo ipsum exturbaret domicilio: prævidítque futurum, ut duo ægri, uterque sua defuncturus esset clade: impulitque proinde ambos, ut à Vespasiano opem implorarent, ut, quum eventus secutus esset, ejus favore, qui erat rerum potiturus, oraculi majestas augeretur, nec ex ipso Imperii fastigio ad veræ lucis fulgorem animum intenderet.

Ennead. 9. lib. 3.

Vespasiani miraculum.

§ 7. Finiam hæc capita sententia hac memorabili, quæ 2. Decret. legitur: Semper diabolus sub velaminibus latens, prodit se; dum ea confingit, quæ hærent personis, per quas fallere nititur. Si autem quilibet opponit & dicit: Quomodo eveniunt illa, quæ illi divini prædicunt futura: aut quomodo possunt ægris præbere medelam, aut

Cap. 26. q. 5. episcopi.

sanis

sanis immittere ægritudinem, si aliquid propriæ virtutis aut potestatis non habeant? hoc à nobis accipiat responsum. Quod ideo quisquam non debet eis credere, quia aliquando eveniunt, quæ prædicunt, aut sanare videntur languidos, aut lædere sanos: quia hoc permissu Dei fit, ut ipsi, qui hæc audiunt vel vident, probentur, & appareat, qua fide sint vel devotione erga Deum, sicut in Deuteronomio legitur Moses ex divino verbo Dei populo præcepisse: non esse credendum prophetæ aut somniatori, etiamsi evenerit signum atque portentum, quod loquutus est, si à vero Dei cultu is abducat. Deut. 13.

De ligaturis, periaptis, & amuletis physicis. Item dæmones nullis plantis aut terrena materia allici aut fugari.

CAP. XX.

NULLAM tamen hic fidem ligaturis, periaptis & amuletis physicis subtractam volo. Ligatura physica. Pleræque enim substantiæ in earum generatione specificæ aut individualis (ut sic dicam) constitutionis ratione, cœlitus aliqua imbuuntur virtute, quæ ingenita & occulta antipathia aliarum quarundam actiones inhibeat & liget: unde physicæ ligaturæ origo & nomen. Ita adamantis & allii præsentia, magnetis operationes, ne ferrum trahat, impedit: oleum, à palearum attractu vim succino adimit ligatque. Oenothora (authore Crateva) collo alligata vel jugo suspensa, prius vino aspersa, omnium animalium feritates domat.

§ 2. Periapta adhæc & amuleta vere physica, ratione quoque fulciri naturali, & ab eorum substantia vapores quosdam velut ἀπόῤῥοιας defluere, quidam contendunt medici: qui spiratione occulte attracti, morbi causam virtute sua alterare, corpusque reficere possunt. Hac ratione radicem pæoniæ maris recentem, & anagallidem rubro flore contra epilepsiæ minas suspendimus: stercus item lupi & intestinum, doloris cólici cruciatibus afflicto alligamus, non (ut opinatur Pamphilus medicus) ob incantationis virtutem, sed causam naturalem (ut dixi) occultam, vel spiritus scilicet harmoniacos, ut Paracelsi sectatores sentiunt. Quocirca Galenus eorum experientia doctus, periaptis sic confidere oportere admonet, ut substantia illorum, & non incantationis magorum verba, auxilietur. De periaptis & amuletis physicis, vide Theodorum Priscianum medicum ad Eusebium lib postremo. Galen. lib. 6 & 10. de Simpl. Lib. 10. Simp.

§ 3. Eandem sustinuit sententiam Theophrastus: Potius, inquiens, absurda illa putentur, quæ alligata & veneficiorum adversantia vocantur, & tum corporibus tum domibus unice opitulari creduntur. Quæ commenta hominum plane esse videntur, qui suas artes magnificare celebrareque cuperent. Unde nullam contra malignos spiritus Lib. 9. de Histor. plant.

 antipa-

Moly. Hypericon. Fuga dæmonum. Luporum capita. antipathiam inesse moly vel hyperico non sentio, etiamsi Fuga dæmonum à superstitiose credulis nuncupetur: nec alia facultate quam cœlestium gratiarum, noxios malorum dæmonum vapores à nobis arcere putetur. Luporum item capitibus, januis in eundem finem affixis, tribuo nihil. Vix enim scio, an usquam laxior his spiritibus fenestra aperiatur, quam ubi portarum custodiam his capitibus demandatam conspicimus. Dictas vero herbas in ædibus suspensas, ab hominibus & pecore maleficia arcere & fugare, quemadmodum cnebisii cardui (quem Cuus appellant Ægyptii) viribus dæmonem in colloquium allici, gravissimi pronunciant authores: quibus tamen, extra veritatis metam non est affectu danda fides, quum iis multo citius imponi à simulatis dæmonum artibus potuit, quam illis, qui Christum induti, penitius Satanæ ludibria cognorunt.

Cnebisius cardnus, Cuus. Diosc. lib. 3. cap. 37. Plin. lib. 28. cap. 10. Diosc. lib. 3. cap. 15. Proclus de Magia & sacrif. Graviter hic oppugnat Jo. Franc. Picus lib. 7. c. 5. de Praenot. superstit. adversus magiam. August. de Civitat. Dei Euseb. lib. 5. cap. 1. 8. & lib. 2. cap. 6. Plin. li. 30. cap. 1. Plutarch. de Abol. or. 1. Part. q. 115. ar. 5. ad. 3.

§ 4. Quare etiam rerum & vaticiniorum diabolicorum labyrinthis, præclarissima illa veterum ingenia implicita magis, irretitaque fuisse perhibent historiæ: quæ Christi adventu, multorum testimonio, prorsus desiêre & obmutuêre. Spiritus sunt dæmones, qui, ut nullis alliciuntur plantis vel terrena substantia, ita nec fugantur: etiamsi plerunque apud suos cultores, se aliquarum rerum potentia invitari, allici, trahi, cogi, vel etiam abigi, ut impia credulitate eos sibi magis obstringant, fraudulenter simulent. Hic D. Thomas docet (allegans Augustinum 21. de Civitate Dei) dæmones allici per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, si modo hæc eis exhibentur in signum divini honoris, cujus ipsi sunt cupidi. His ergo rebus utitur maleficus instinctu dæmonis, per pactum invocationis expresse vel tacite, vel ad infamandum creaturas Dei, quæ de se bonæ sunt: vel ad majorem credulitatem & deceptionem fidei animarum hominum perditorum, qui his & aliis utuntur ad invocationem. Non igitur utitur maleficus, immo verius dæmon, hujusmodi, tanquam rebus efficacioribus ad tale maleficium, sed tanquam signis pacti illius inter se & ipsum maleficum, quem jam ut suum cultorem possidet tanquam hæreticum, & à fide alienum. Hæc ille. Posse tamen quædam corpora, velut melancholica vel cholerica, non tam graviter à dæmonio exagitata, quibusdam adhibitis rebus vel harmoniis nonnihil immutari, & ab afflictione levari, inficias ire nolo: quo modo Saulem musica per auditum demulcente quietiorem redditum legimus.

1. Reg. 16.

Quibus

Quibus materiis dæmones & maleficia arceri credebat antiquitas, & ecclesia Romana.

CAP. XXI.

In ejusmodi religione suum habere locum credebatur sulphur, ad Sulphur.
expiandum suffitu malos dæmones: quo in purificationibus sacer-
dotes uti solitos, velut & asphalto aut ablutione aquæ marinæ, scribit Asphaltum. Aqua
Proclus: quoniam purificat sulphur ob odoris acumen, aqua vero marina.
marina propter igneam portionem. Hinc Ovidius de Medea: Dæmones expiantia.

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

§ 2. Expiare & pentaphyllon herba putabatur, proinde in hanc Pentaphyllon. Oliva.
rem usurpant eam sacerdotes antiqui: quemadmodum & olivæ ra-
mos, quæ tantæ esse puritatis dicitur, ut ferant olivam à meretrice
plantatam, vel infructuosam perpetuo manere, vel omnino exaresce-
re. Simili modo expiationi conferre arbitrantur thus, myrrham, verbe- Quæ fascinum &
nam, valerianam, phu Arabibus dictam, palmam Christi portatam, an- maleficium
tirrhinon, vel radicem bryoniæ siccam, ac radicis aristolochiæ siccæ auferre creduntur.
suffitum, item benedictam, & caryophyllatam, scillam quoque in li-
mine domus suspensam.

§ 3. Tantum gloriæ tradiderunt quidam herbæ vetonicæ, ut do- Vetonica. Holitha.
mus, in qua sata sit, existimetur tuta à piaculis omnibus. Holitha her-
ba in Moravia nasci fertur rara, quæ spiritus malignos pellat.

§ 4. Similiter fel canis nigri suffitum, vel ejusdem sanguis linitus
per omnes parietes, maxime præstare dicitur tam ad expiandum dæ-
mones malos, quam maleficia, ubicunque fuerint. Sunt & alia anti-
quis contra fascinationes commendata, velut palmarum lignum in
pomo osseum dente limatum, radix satyrii Orchis cognominati,
fœminæ scilicet, quæ distinguitur internodiis & ramosiore frutice.
Rutam fascini amuletum esse, tradit Aristoteles. Alyssum in domo Probl.
suspensum, salutare amuletum existere contra hominum quadrupe- XX. 34.
dumque fascinationes. Item rhamni tertii ramum valvis fenestrisve
impositum, veneficia omnia depellere, tradit Dioscorides. Contra III. 89.
hæc quoque valere cynocephaliam, docet Appion Grammaticus. Plin. XXX. 2.
Baccharem herbam beneolentem, Virgilii testimonio freti, contra
fascinum singulari pollere virtute putant: in Bucol.

Bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Resistere & fascino, frontis hyænæ corium dicitur.

§ 5. Huc etiam multi lapides, tum ex aliis, tum ex Alberto, ut Lapides maleficium tollentes.
menda-

mendacibus diaboli nundinis accedat authoritatis pondus, conferri queunt. Jaspidem empusis & aliis idolis adversari, refert Dionysius. Sardium à veneficiis maleficiisque gestantem asserere, uti & chrysolithum & carchedonium dæmones pellere fertur. Adamantem quoque adversus incantamenta valere creditur. Corallum rubrum collo infantium appensum aut armillis insertum, in brachioque gestatum, vel etiam in domo retentum, prærogativam habere ajunt contra fascinum. Lyncurius lapis præstigias ab oculis auferre creditur: quomodo heliotropius lapis visum perstringere, gestantem invisibilem reddere: lipparis suffitus omnes bestias evocare, synochitides umbras inferorum educere, anachitides divorum imagines apparere facere: enectis somniantibus suppositus oracula reddere putatur.

Oleum ex gagate. *Libro 3. de Antidotis.* *Ova lustralia.*

§ 6. Oleum adhæc ex gagate sacratum, dæmoniacis conferre, superstitiose docet Mesue. Dicuntur & pennæ upupæ suffitæ, phantasmata fugare. Ovum quoque in lustrationibus acciri solet: hinc ova lustralia dicta sunt. Unde Ovidius:

Adveniat, quæ lustret anus lectumque locumque,
Deferat & tremula sulphur & ova manu.

Ligatos curantia. *Lib. de incantatione, asserente Galeno.*

§ 7. Ligatum adhæc sanare creditur picus avis comesta: suffumigium ex dente hominis mortui: si item corpus totum inungatur ex felle corvino & oleo sesamino, ex Cleopatra: vel si argentum vivum, in calamo vel avellanæ nucleo vacuo cum cera occlusum, sub pulvinari maleficio læsi collocetur, aut sub limine ostii, per quod is in domum vel cubiculum ingreditur.

§ 8. Narrat & Eusebius Serapin, qui Græcis Pluto dicitur, apud Ægyptios symbola dedisse, quibus dæmones expellerentur: docuisse etiam supplices, quomodo assumptis brutorum figuris insidientur hominibus dæmones: quibus maxime obnoxii fiant, qui cibis subinde distendantur lautioribus.

§ 9. In sinum despuere, adversus fascinationes, veteribus quoque in usu fuisse legitur. Sic apud Theocritum:

Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

Ovidius:

Despuat in molles tam sibi quisque sinus.

Lib. 1. cap. 5. Memorab. Contra tempestates.

§ 10. Vehementiore adhæc strepitu, & maleolentium graminum fumo dissolvi & sedari aëreorum dæmoniorum insultum, creditum est. Idcirco, ait Gaudentius Merula, tanquam ex Academicorum officina fluxerint, etiam nunc Italæ mulieres tempestatibus imminentibus,

bus, diri odoris pabula sub dio comburunt: sacerdotes autem more Thracum (qui tempestate imminente, armati cum strictis ensibus & crotalis, horribilique clamore in nubes fremebant) ad obstrepera cymbala, quæ campanæ dicuntur, convolant: magis confidentes in boatibus illis apud Deum inanibus, quam orationibus & jejuniis. De suis conterraneis fere quid simile scribit Olaus Gothus, qui concitato in nubibus fragore, sagittas ex arcubus in aëra excutientes, ostendebant se opem ferre diis suis velle, quos tunc ab aliis oppugnari putabant. Nec ea temeraria superstitione contenti, inusitati ponderis malleos, quos Joviales vocabant, ingenti ære complexos, magnaque religione cultos, ad eum usum habebant, ut per eos tanquam per Claudiana tonitrua, & per usitatam rerũ similitudinem, cœli fragores, quos malleis cieri credebant, exprimerent: tantique sonitus vim fabrilium specie imitantes, deorum suorum bellis sic adesse, admodum religiosum existimarent. Durabat is Jovialium malleorum usus usque ad annum à Christo nato 1130. Eosdem malleos Joviales pagana superstitione Sueones colere, tradit Gothica historia lib. 18. cap. 16.

de Gent. Sept. III. 8.

Mallei Joviales.

§ 11. Apud nostros quoque proavos, non sana parochorum doctrina inolevit longa annorum serie persuasio, artemisiam in feriis D. Joanni Baptistæ sacris ante domos suspensam, item alios frutices & plantas, atque etiam candelas facesque, designatis quibusdam diebus celebrioribus aqua lustrali rigatas, vel nescio quo modo expiatas, & quando usus postulat incensas, contra tempestates, fulmina, tonitrua, & adversus diaboli potestatem, opera, & quæcunque maleficia, velut prærogativa quadam valere. Hoc ipsum tradit & Martinus de Arles. Quinimo adversus illa etiam, agminatim evestigio ad omnium campanarum violentum continuumque tractum atque pulsum, ut præsentissimum auxilium & anchoram sacram, concurritur.

In tract. de superstit. numero 9.

§ 12. Hic nostri in primis confugient ad suffimentum prunæ, cui cor piscis & jecur impositum erat à Tobia: ex cujus odore, in superiora Ægypti fugisse dæmonium legitur, ubi angelus illud ligavit. At non tam suffumigio fugatum hoc respondeo, quam Tobiæ junioris castitate, & attenta ipsius, ejusque conjugis ad Deum misericordem oratione, ex angeli institutione.

Tobia 8.

Tobia 6.

§ 13. At veritati minime oportet præscribere vetustatis observantiam. Fides est, spiritualis existens, quæ dæmonem exterminat: verbum item Dei, spiritu efficax. Vetusta hujus rei testimonia & exempla, in veritatis libris sacrosanctis quam plurima atque irrefutabilia leguntur.

Matth. 4. Marc. 1. Luca 4.

§ 14. Sua adhæc religionis observatione, in Apennino Italiæ inter Bononiam & Pisas, exorta tempestate mulieres foras procurrunt; eam elevatis manibus consignantes caseo in die ascensionis Domini presso, decussatimque signato, crucis figura impresso fune, atque ita se fore illæsas arbitrantur. Eodem in Apennino ovum in Ascensionis festo exclusum adservant, summoque illigant tecto, atque hoc modo istas ædes à tempestatis injuria tutas fore existimant. Alii strata mensa in medio cubiculi, imponunt inter duas cereas ardentes ceraunium lapidem [*ein donnerbeitel*] is tum sudat, quod ipsis videtur miraculum: cum tamen non minus natura id fiat, quam vitrearum fenestrarum sudatio, aut tum temporis, aut in hypocausto calente.

§ 15. In hanc insuper rem varie quibuscunque substantiis applicantur exorcismi, quibus & herbæ ita consecrantur, ut sint utentibus eis sanitas animæ & corporis: fitque precatio, ut ex omnibus hominibus pecoribusque, quæ inde gustaverunt, putredo & cuncta diaboli phantasmata expellantur, &c. Ex agendis & obsequialibus hæc nota.

Ex pontificali. In Agenda veteri. Aqua lustralis.

§. 16. Huc pertinet, aqua in usum innumerum ab omnipotente creatore condita, quæ novas scilicet vires induerit iis verbis, *Exorciso te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine* Jesu Christi *filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritus sancti, ut fias aqua exorcisata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis.* Alexander 1. Romanus pontifex author fuit, ut hujusmodi lustralis aqua consecraretur ad dæmones pellendos, & ut in templo domique conservaretur. Regino item lib. 1. de discipl. Eccles. cap. 210. ideo benedici aquæ asserit, ut ea aspersi sanctificentur. Ea quoque domos, agros, vineas, pecora eorumque pabula, cibos item & potus, quibus homines vescuntur, aspergenda esse, ex cap. 5. Nannetensis concilii probat: sed in Græcorum ecclesia, hæc aqua condemnatur ut superstitiosa.

Sal exorcisatum.

§ 17. Habet item virtutem suam peculiarem sal. Eo quoque Elizæus ex Dei mandato insalubrem aquam Hierichuntis reddidit salubrem. Jam autem absque eo exorcismis redditur sanctior præstantiorque contra Satanam, hoc modo: Exorciso te creatura salis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Elizæum prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcisatus in salutem credentium, ut sis omnibus te sumentibus sanitas mentis & corporis: & effugiat atque

discedat ab eo loco, qui te aspersus fuerit, omnis phantasia & nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus, &c. Alexand. 1. in epist. Decretal. 1. Idem textu, ext. in c. aquam sale consperſam, de Consecr. distinct. 3.

§ 18. Huc referatur & nobile illud balsamum virtutis variæ, præter insignem ejus odorem: quo ut reges & sacerdotes Levitici inungerentur, in veræ electionis confirmationem constituit in sua politia Moses, donec hominem indueret æternus Rex & sacerdos JESUS Christus. In ecclesia autem Romana gravibus exorcismis & trina expiatione, ad crucis modum facta, lustratur, noviesque cum multo murmure genu ter flexo salutatur, Ave sanctum oleum, ter Ave sanctum chrisma, ter Ave sanctum balsamum: atque hujus ope & præstantia non solum creditur exturbari dæmonium, sed ejus loco substitui Spiritum sanctum. Nihil autem hic minus adhiberi, quàm verum balsamum, pium lectorem volui admonitum. *Balsamum.* *In veteri Agenda.*

Nulla radice dæmonem extrahi, contra Josephum, & de radice Baaras nuncupata.

CAP. XXII.

CÆTERUM, quod Josephus gloriatur, se præsente Vespasiano Imperatore, vidisse quendam de gente Hebraica Eleazarum, naribus cujusdam à dæmone obsessi, annulum, cujus signaculo radix à Salomone reperta, erat subdita, applicuisse, & dæmonem è naribus odorantis extraxisse: qui cum in terram repente concidisset, Eleazarum conjurationis Salomonis cantico dæmonium proscripsisse: hic certe fatendum est, Josephum Judæum, ut & Vespasianum ethnicum, atque Eleazarum Hebræum, diaboli præstigiis illusos fuisse, qui se radicis Salomoni ascriptæ potentia attrahi simulabat: cum non coacte, sed sponte, Dei assensu, cesserit [simulat enim se cogi, ut alios cautius dementet] quo plus fidei annulo, vel figmento radicis, materiæ dæmoni exturbando ineptæ, adhiberetur, nec ad Deum, unicum Satanæ propulsorem, legitimo confugeretur ordine. *Antiq. Jud. VIII. 2. Crinit. 15. 5.* *Annulo inclusa radicis dæmonem extrahentis historia.* *Supra cap. 20.*

§ 2. Proinde ut fabulæ exitus, consimili initiis commento absolveretur, nimirum decoro tegeretur pallio actus hic per se impius: nec in doli quæstionem vocaretur, pondusque acquireret, Salomoni ars ascribitur, cujus existimatione quascunque suas stabiliret sanciretque fraudes diabolus. At hunc divinum veræ sapientiæ Antistitem, atque à superstitiosa dæmonum magia alienum fuisse constat: & secundum sacras Hebræorum historias, disputare solitum de arboribus & herbis,

à cedro

à cedro Libani usque ad hysopum: item de jumentis, volucribus, reptilibus & piscibus. Quæ omnia rerum solum naturalium cognitionem, vel, si mavis, naturalem magiam præ se ferunt: nisi forte idololatriæ postea in uxorum gratiam, eum curiosas annexuisse artes, quis obstinatius suspicari velit.

De bell. Jud. lib. 7. cap. 35. § 3. Fortassis radix illa fuerit, quam idem Josephus alio describit loco, cujus historiam, ut dæmonis figmenta & imposturæ magis elucescant, non pigebit adjungere. Vallis, inquit, qua Macherus Judææ civitas à parte Septentrionali cingitur, quidam locus Baaras appellatur: ubi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem assimilis est colore, circa vesperam vero veluti jubare fulgurans accedentibus, eamque evellere cupientibus facilis non est: sed tam diu refugit, nec prius manet, quam si quis urinam muliebrem vel menstruum sanguinem super eam fuderit: quin etiam tunc, si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi forte illam ipsam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo sine periculo, qui talis est. Totam eam circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terra sit conditum: deinde ab ea canem religant: illoque sequi eum à quo religatus est cupiente, radix quidem facile evellitur, canis vero continuo moritur, tanquam ejus vice, à quo herba tollenda erat, traditus: nullus eam postea accipientibus metus est. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam, operæpretium est. Nam quæ vocantur dæmonia, pessimorum hominum spiritus, vivis immersa, eosque necantia quibus subventum non fuerit, hæc cito, etiamsi tantummodo admoveatur ægrotantibus, abigit. Hucusque Josephus. At minus fidei dabitur radici, si ejus colligendæ modus sereniore mentis oculo perspiciatur. Spiritum quoque terrestris materiæ potentia nec propelli, nec invitari, supra ostensum est.

Baaras radix.

Cynospastus. Aglaophotis. § 4. Eadem prope scribit Ælianus XXIV. 27. de Cynospasto herba magica, quæ alio nomine Aglaophotis dicitur, & eadem cum Baaras putatur. Hæc per diem inter cæteras herbas [à quibus ne minimum quidem differt] delitescit, nec ullo modo agnoscitur, nocte vero stellæ instar lucens, & igneo splendore coruscans, facile in conspectum venit. Itaque signo ad radices ejus defixo discedunt, absque eo, neque colorem ejus interdiu, neque speciem cognituri. Nocte jam exacta adventant, & herbam ex signo agnoscunt: evellere vero, aut circumfodere tantum cavent. Primum enim, qui ejus naturæ imperitus, eam attigit, periisse ferunt. Canem igitur juvenem adducunt, diei

diei spatio famelicum, & funiculum validum arctissime ad inferiorem herbæ stipitem vinctum cani etiam alligant, & carnes assas multas ei objiciunt, quam longissime interim possunt recedentes. Canis nidore motus, impetu ad carnes fertur, & herbam radicitus eruit: Cujus radices si sol viderit, canis mox expirat, & secretis quibusdam ceremoniis, utpote in ipsorum gratiam extinctus, sepelitur. Plinius l.4.c.17. inter magicas herbas a Democrito proditas Aglaophotin commemorat (quæ ex admiratione hominum propter eximium colorem acceperit nomen) in marmoribus Arabiæ nascentem Persico latere: qua de causa & Marmaritin vocari: ac magos utique ea uti, cum velint deos evocare, ait. *Marmaritis.*

§ 5. At mirum videri non debet, ejusmodi nugas & ineptissimas superstitiones, impiissimasque ceremonias in antiquissimorum auctorum libris subinde respersas reperiri. Fuerunt siquidem non pauca, illorum seculis, multa vanitate ad ostentationem, uti Plinius vere testatur, ab Ægyptiis & aliis præstigiatoribus efficta, quorum sectatorem olim quendam Andream medicum, præstigiaturas ac mendacia in materiam medicam invexisse, asserit Galenus, præcipitq; ab hujus lectione, ea de causa, & aliorum itidem mendacium, prorsus cavendum.

§ 6. Tale fere commentum quoque narratur de homunculo illo factitio, ex mandragoræ, arundinum, bryoniæ, aliarumque plantarum radicibus concinnato. Sculpunt enim impostores in his adhuc virentibus, tam virorum quam mulierum formas, infixis hordei & milii granis, iis in locis, ubi pilos enasci volunt. Deinde facta scrobe, tam diu tenui arena obruunt, quousque grana illa radices emittant. Id quod viginti dierum spacio ad summum fieri dicunt Demum eas eruunt, & adnatas è granis radices acutissimo cultello scindunt, aptantque, ita ut capillos, barbam, & cæteros corporis pilos referant. Vulgo autem ignaro & simplicibus persuadetur, has radices humanam effigiem repræsentantes, effodi haud quaquam posse, nisi cum magno vitæ periculo: cane qui effodiat, radicibus alligato, & auribus pice obturatis, ne radicis clamorem audiant effodientes: quod audita voce periclitentur, pereantque fossores: idque certum est. Mirum quantum virium huic facticio homuncioni, quasi ex urina furis suspensi enato sub patibulo, ex vulgi persuasione tribuatur contra tempestates, & nescio quas non calamitates. Meræ autem sunt nugæ. *Homunculus ex radice mandragoræ.*

Gravissimus exorcistarum vulgarium sacrificulorum abusus.

CAP. XXIII.

ADHÆC, ad eorum, qui maleficio affecti creduntur, vel à Satana obsidione pressi, curationem inepti, temerarii & audaculi homines,

mines, professione Ecclesiastici, sed vitæ spurcitia nimis mūdani (quales in hoc ministerium & scenam postulat fabulæ actor) accurrūt suis præscriptis exorcismis & formula certarum ceremoniarum observata, ut morbum solvant, pellantque dæmonium: quod interdum horum diris & dejerationibus cedit volens & colludens, ut impietatem corroboret. Næ incantatoribus jure optimo hi accensendi erunt exorcistæ. Hîc ut quasdam eorum observationes brevibus enarrem, unde (veluti ex ungue leonem) reliqua metiaris: post confessionem illius, qui cōjurationibus expiabitur, per singulos domus angulos, in lectisterniis & culcitris, vel sub limine ostii, diligenti indagatione quæritur, num aliqua maleficii materies possit inveniri, mox exurenda.

ἐξορκισαί.
Superstitiosa maleficio afflicti curatio.
Exorcismorum abusus.

§ 2. Ab Apostolis sane vel primitiva Ecclesia, id promanavit minime. Si enim à diaboli malefico actu, exorcismis integre quis curetur: quorsum eæ quisquiliæ in angulis reconditæ, vel terra obrutæ, corpus nullo modo contingentes, aut halitu ferientes oberunt? Inde candelam benedictam continet manu genibus flexis maleficio læsus, qui aqua etiam aspergitur lustrali, & collum stola cingitur: ac præter orationes recitantur Litaniæ vulgares, addendo ad sanctorum invocationem, Ora pro eo, vel Orate, & Propitius esto, Libera eum Domine. Et orationum loco adhibentur exorcismi. Qui quoque ut minimum ter in septimana continuantur: ut multiplicatis intercessionibus, gratia obtineatur sanitatis.

2. Secunda partis q. 2. ca. 6.
Matth. 11.
Ioa. 14. 16.
Matth. 6.

§ 3. Hanc formam præscribunt Mallei maleficarum authores Theologi, contra evidentem Christi doctrinam: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ego sum via veritas & vita. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, item: Orantes ne sitis multiloqui, sicut ethnici; putant enim fore, ut ob multiloquium suum exaudiantur. Ne igitur efficiamini istis similes. Novit enim pater vester, quibus vobis opus sit, priusquam oratis ab illo. De ceremoniarum lenociniis nihil aliud dicam, quam ea quidem pietatis præbere speciem: sed quoniam inania rerum existunt simulachra, non arcent impiorum spirituum assultum: at majoris impietatis quandoque sunt occasiones. Lucerna pedibus meis, inquit regius Vates, verbum tuum, & lumen semitis meis. Ea lux in tenebrarum potestatibus abigendis efficax mire: illam hæ longe aversantur & odiunt. Nec aquæ lustralis asperginem formidat, qui Christum ipsum tentare veritus non fuerit. Ab illis autem maximopere sibi cavet, qui stolas in agni sanguine ablutas induti apparent.

Ceremonia inania rerum simulachra.
Ps. 118.
Apocal. 7

Fusius item hac in tracta-

§ 4. Præterea extra ordinem exorcista procedere potest per orationes: & si legere novit Scripturam (sic illi Theologi loquuntur:

unde

unde exorcistam quandoque non novisse legere, multo minus intelligere, quæ legit, manifestum est) legat Evangelia quatuor prima Evangelistarum: item Evangelium, Missus est angelus: & passionem Domini: quæ omnia magnam habent virtutem ad expulsionem operum diaboli. Item, Evangelium sancti Joannis, In principio erat verbum, scribatur, & ad collum suspendatur, & sic gratia sanitatis expectetur. Hæc eorum sunt verba. Hic plura Scripturæ testimoniis convelli possent: quemadmodum, si exorcista quandoque non intelligat quæ legit, solumque lingua loquatur, quomodo vere pronunciabitur Amen? vide Paulum 1. Corinth. 14. sed brevis esse laboro.

tu de modo exorcizandi maleficiatum Avenjoni excuso. vide paulo post.

§ 5. Officium adhæc super energumenis, item conjuratio malignorum spirituum in hominum corporibus existentium, prout fit in sancto Petro Rom. (sic scribitur) prius Romæ excusa sunt, postea Avenjoni anno MDXV. ubi inter orationes varias, & exorcismos etiam insulsos, ejusmodi interseritur oratio, quæ anatomen corporis humani Christo proponit, qui alioqui nesciret, quam ejus partem esset sanaturus. Ea ita habet: Obsecro te Domine JESU Christe, ut extra has omnes languores ab omnibus membris hujus hominis, à capite, à capillis, à cerebro, à fronte, ab oculis, ab auribus, à naribus, ab ore, à lingua, à dentibus, à faucibus, à gutture, à collo, à Dorso, à pectore, ab uberibus, à corde, à stomacho, à lateribus, à carne, à sanguine, ab ossibus, à tibiis, à pedibus, à digitis, à planta, à medulla, à nervis, à cute, & ab omni compagine mēbrorum ejus, &c.

Anatome hominis.

§ 6. Joannes Anglicus epileptici, lunatici, sive dæmoniaci curationem ex Constantino, Gualterio, Bernhardo, Gilberto, collegisse se asserit: ut scilicet ægrotus cum parentibus post trium dierum jejunium, accedat ad ecclesiam die Veneris, in jejunio quatuor temporum, audiatque missam de die, & similiter die sabbathi & Dominico sequentibus. Ubi sacerdos bonus religiosus legat super caput patientis Evangelium, quod legitur in Septembre & tempore vindemiarum post festum Sanctæ crucis in diebus quatuor temporum, scilicet, Hoc genus dæmonii non ejicitur, nisi jejunio & oratione: deinde scribat illud idem devote, & portet in collo, & curatur.

§ 7. Commode hic Augustinum in Joannis Evangelium me adducturum videor, qui ita habet: Fingunt spiritus mali umbras quasdam honoris sibimetipsis, ut sic decipiant eos, qui sequuntur Christum: usq; adeo, fratres mei, ut illi qui seducunt per ligaturas, per precationes, per machinamenta inimici, suis præcantationibus misceant nomen Christi: quia non possunt seducere Christianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquantum: ut per id, quod dulce est, lateat id, *Tract. 7.*

Quare Christi nomen precationibus & exorcismis immiscent seductores.

quod amarum est, & bibatur ad perniciem, usque adeo, ut ego noverim aliquo tempore illius Palleati sacerdotem solere dicere: Et ipse Palleatus Christianus est. Ut quid hoc, fratres, nisi quia aliter non possunt seduci Christiani? Ne quæratis ergò alibi Christum, quam ubi se voluit prædicari Christus. Et quomodo voluit prædicari, sic illum tenete, sic in cordibus vestris scribite. Murus est adversus omnes impetus, & adversus omnes insidias inimici. Nolite timere: nec tentat ille, nisi permissus fuerit, aut missus. Mittitur tanquam malus, à potestate dominante. Permittitur, quando aliquid petit: & hoc, fratres, non fit, nisi ut probentur justi, puniantur injusti. Quid ergo times? Ambula in Domino Deo tuo: certus esto, quod te non vult pati, non pateris: quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Ad hæreditatem supernam erudimur, & flagellari dedignamur? Hæc Augustinus.

§ 8. Audiatur & vera aurea Joannis Salisberiensis sententia Lib. II. Policrat. c. 27. Hæc est fraudulentia malignorum spirituum, ut quod ultro faciunt & dictant hominibus faciendum, operose *dissimulent*, ut hoc facere videantur inviti. Simulant se coactos, & quasi exorcismorum virtute extractos fingunt: & quo minus caveantur, exorcismos quasi in nomine Domini aut in fide Trinitatis, aut incarnationis & passionis virtute conceptos compununt, eosdemque hominibus tradunt, exercentibus eos obtemperant, donec eos secum crimine sacrilegii & pœna damnationis involvant. Transfigurant enim se interdum in angelos lucis, honesta sola præcipiunt, illicita prohibent, munditiam consectantur, utilitatibus provident, ut quasi boni & propitii familiarius admittantur, audiantur benignius, amentur arctius, facilius exaudiantur: habitum quoque induunt venerabilium personarum, ut eis major & promptior reverentia impendatur.

Verbis instituto consonis opus est in eliminando satana.

§. 9. Quomodo autem ad exturbandum dæmonem, vel opera ejus evertenda, valebit illa superior Evangeliorum recitatio, cum non sint instituto huic, intellectu consona? & ubi dæmonia ejicerent Christus ejusque discipuli, & viri postea sancti, verbis huic negotio aptis consignatisq; loquebantur, & respondebant (ut fertur) ad formam. Si etenim in verborum inconvenientium pronunciatione simplici virtus consistit desiderata, non minus, imo majus præstiterunt quidam è circumeuntibus Judæis exorcistis, qui tentaverunt super eos, qui habebant spiritus malos, invocare nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuramus vos per Jesum, quem Paulus prædicat. Erant vero quidam filii Scevæ Judæi, principis sacerdotum, septem, qui hoc faciebant. At respondens spiritus malus, dixit: Iesum novi, & Paulum scio, vos autem

Act. 19.

qui ✗

✗ vide, post paginam 1000.—

Celebris exorcismi spiritus Aurelianensis historia.

CAP. XXVI.

FICTI exorcismi historiam aliam sane lectu dignissimam hic subjungere placuit, ut aliæ ejus generis actiones ex ἀναλογίᾳ penitius dijudicentur. Est autem ea, ut mihi notissima, ita & certissima. Nam eo fere tempore Lutetia Aureliam veni, ubi cognomine meo Latino, nimirum Piscinario, notior, Natalis Ramardi medici regis Francisci & reginæ Navarræ, filios duos, Natalem apud sanctum Lazarum in suburbiis Priorem, & Joannem, item Joannem Vernetum nepotem, instituendos suscepi: quos etiam post paucos menses Parisios reduxi. Hic tum familiariter utebar multis non obscuri nominis viris, potissimum medicis, Gerardo Fabro Cadurcano, Vitale Besumbæo, Joachimo quodam ex Provincia oriundo, Michaële Villanovano, & reliquis. Ibi tunc temporis quoque cum Joanne Sturmio multijugæ eruditionis viro, simul degebat doctissimus ille Joannes Sleidanus, qui institutam tragœdiæ narrationem ea fide & ordine explicat, ut à me nihil debeat immutari. *Wierus. Piscinarius. Natalis Ramardus.*

§ 2. Anno MDXXXIV. Prætoris uxor Aureliæ testamento caverat, ut sine pompa sepeliretur, atque strepitu. Quum enim è vita quis excessit in Galliis, præcones funebres ad hoc conducti per urbi loca frequentiora circumeunt, & cymbalis excitato sono multitudinem convocant, deinde nomen ejus, qui discessit, atque titulos edunt: & hortati populum, ut pro mortuo Deum precentur, quando sit & ubi sepeliendus, pronunciant. Cum autem funus defertur, adhiberi solent plerumque monachi mendicantes, & multa præferuntur luminaria. Certatim ista fiunt; & æmulatione quadam: & quo magnificentior est apparatus, eo major est populi concursus & admiratio. Sed ea, quam dixi fœmina nihil eorum sibi fieri voluit Maritus ergo, qui conjugis memoriam diligeret, morem ei gessit: & Franciscanis, quorum in templo sepulta fuit juxta patrem & avum, muneris loco dabat sex tantum aureos, quum illi sperassent multo majorem prædam. Et cum deinde sylvam cæderet atq; divenderet, petentibus illis ligna dari sibi gratis, denegabat. Tulerunt hoc valde graviter: & cum antea minus illum probarent; ulciscendi rationem hanc excogitabant, ut dicerent, ipsius uxorem in sempiternum esse damnatam. Architecti erant hujus tragœdiæ Colimannus & Stephanus Atrebatensis, ambo Theologi doctores: & ille quidem erat exorcista, totumque suum apparatum in ejusmodi rebus adhiberi solitum, habebat in promptu. Rem vero sic administrant. *De Aurelianensi spiritu historia memorabilis.*

§ 3. Novitium quendam adolescentem supra testudinem templi collocant: is intempesta nocte, cum ad demurmurandas preces illi more consueto venirent, magnum excitat strepitum. Adhibentur adjurationes & exorcismi: sed nihil ille proloquitur. Jussus edere signum, quo declararet, num sit mutus spiritus, denuo tumultuatur & perstrepit: id erat loco signi. Eo jacto fundamento, cives aliquot, & celebres quidem, ac ipsorum studiosos adeunt: narrant sibi triste quiddam accidisse domi, neque tamen, quid rei sit, exponunt: sed rogant, ne graventur adesse nocturnis precibus. Cum hi venissent, & precationum esset factum initium, ille de superiori loco turbam excitat. Rogatus, quid vellet, & quis esset, significat non sibi licere loqui: jubetur ergo per signa respondere ad interrogata Foramen autem erat factum per quod admotis auribus exorcistæ vocem haurire poterat, & intelligere: deinde tabulam habebat ad manum, quam interrogatus feriebat, sic ut infra posset exaudiri.

Hi monachi nimis legisse videntur in hoc interrogandi modo, Tractatum Iacobi de Chusa ordinis Chartus. S. Theologiæ professoris.

§ 4. Primum itaque rogatus, num ex eorum sit numero, *qui ibi* sint sepulti: postea multis ordine recitatis nominatim, *quorum ibi* erant corpora condita, venitur tandem ad uxorem Prætoris: ibi dato signo, se spiritum ejus esse demonstrat. An sit damnatus, & quonam suo merito seu delicto? num propter avaritiam, aut libidinem, aut superbiam, aut non præstitam charitatem, an vero propter nuper natam hæresim & Lutheranismum? Deinde, quid sibi velit illo strepitu & inquietudine? num ut corpus loco sacro sepultum effodiatur, alioque transportetur? Ad hæc omnia sic, ut jussus erat, per signa respondet, quibus aliquid vel affirmabat vel negabat, prout bis aut ter tabulam feriret. Cum autem & damnationis suæ causam esse Lutheranam hæresim, & effodiendum esse corpus significaret: monachi petunt à civibus, quos adhibuerant, ut iis quæ coram vidissent, dent testimonium: & actis, quæjam erant confecta superioribus diebus, subscriberent.

§ 5. Hi, re deliberata, ne Prætorem offenderent, aut molestiam sibi crearent, id facere recusant. Illi nihilominus panem azymum, quem vocant hostiam & corpus Domini, cum reliquiis omnibus divorum alio transferunt, & Missas ibi suas peragunt: quod lege pontificia fieri solet, quum locus aliquis propter infamiam & profanationem est expiandus. Nam certa quædam ejus rei capita sunt, ipsorum comprehensa libris. Episcopi autem vicarius judex, Officialem vocant, ea re cognita, ut propius omnia cognosceret, venit eo, comitatus honestis aliquod viris, & exorcismos fieri se præsente jubet: ac

deligi

deligi nonnullos petit, qui supra testudinem ascendant, & videant num spectrum aliquod appareat. Ibi Stephanus Atrebatensis admodum repugnat, & valde dehortatus, ne fieret, ajebat non esse turbandum spiritum: & quanquam is quem dixi, vicarius multum instabat ut adjurationes fierent, tamen impetrare nihil potuit. Interea Prætor, ubi reliquos judices urbanos, quid fieri vellet, docuisset: ad Regem profectus, rem omnem commemorat. Et quia suis privilegiis ac immunitatibus freti, judicium monachi declinabant, Rex è senatu Parisino deligit, qui de causa cognoscant: iisque plenam potestatem attribuit. Facit idem Cancellarius Antonius Pratensis, Cardinalis & legatus per Galliam pontificius.

§ 6. Itaque quum nullam haberent exceptionem rei, traducti Lutetiam, coacti sunt respondere: sed nulla potuit ab eis exprimi confessio. Positæ singulis erant custodiæ separatim, & novitius quidem tenebatur in ædibus Fumæi senatoris, & sæpe sollicitatus nihil voluit fateri, metuens ne post interficeretur ab illis, ob inustam ordini maculam, & factam ignominiam. Sed quum judices & impunitatem ei promitterent, & fore dicerent, ut in ipsorum potestatem minime rediret, totam actionem ordine recenset: & adductus ad illos, idem adfirmat. Illi, quanquam erant convicti: & in ipso prope maleficio deprehensi, recusabant tamen judices, ac privilegia sua jactabant: Verum id frustra fuit, & de communi consilio lata sententia damnati sunt, ut Aureliam reducti, & in carcerem conditi, publice deinde producerentur ad primarium templum, & ad eum urbis locum ubi supplicia sumuntur de maleficis, atque ibi suum scelus ipsi profiterentur. Postea in proverbium abiisse memini, ubi figmentum aliquod narraretur, *C'est l'esprit d'Orleans*. Id sonat, Spiritus est Aurelianensis, dici solitum. *Spiritus Aurelianensis.*

Gallicæ superiori similes historiæ, Helvetica, Italica, Scotica, Belgica: Item diabolum esse exorcistam.

CAP. XXVII.

QUUM autem Georgius Buchananus, noster certe Maro, non modo hoc ipsum, sed etiam alia similia sat nota, quæ Bernæ & Senis contigere in suo Franciscano attingat & vero singularem de tentata infeliciter Purgatorii restauratione à fratre Langio in Scotia sua, ita erudite, ut omnia sua, contexat, eam descriptionem hic minime prætereundam esse puto. Queritur ergo apud eum frater Eubulus ordinis Minorum;

Illa tamen patribus seges olim uberrima nostris,
Fingere nocturnos lemures, Manesque vagantes
Lustrali compescere aqua, magicisque susurris,
Frigida nunc tota est: postquam nasuta juventus
Pectora crassorum male credula ridet avorum:
Nec credit nisi qua scriptura teste probaris:
Conjurata licet magnis Sorbona sigillis
Figmenta affirmet. Verum melioribus annis
Hac thalami clausas frangebat machina portas,
Hac testamenti tabulas mutabat, & ibat
Vir peregre Romam, aut Solymam, dum tadia mœchum
Iam sibi permissi caperent lecti: ast ubi dives
Umbra oblita sui paucas in funera Missas
Legarat, potiusque suis bona linquere natis
Duceret excedens, quam nostros ungere caules,
Non impune nefas soliti id perferre Priores.
Is dolor arma dedit generosis fratribus undam
Ad Ligeris, quâ dives agri, quâ dives Iacchi
Ostentat longe formosa Aurelia turres.
Et nisi cauta parum pietas in fraude paranda,
Inter tot vigiles Argos deprensa fuisset,
Partus honor nostra foret & dignatio secta.
Sape quidem nobis facimus mala multa: velut cum
Alter in alterius damnum sese ordinis armat:
Berna novum sibi Franciscum jam finxerat, & jam
Stigmata clara pedum & manuum confixera patebant:
Ni vicina dolens augescere commoda livor,
Ficta renudasset magno ludibria risu,
Nec damno leviore. Itala sapientia major
Illa ora, qua Senensis tacite Catharinæ
Vulnera dissimulans pensat mendacia quæstu,
Barbaricumque ad sese his artibus attrahit aurum.
Sed tamen hoc ævo temere miracula fingi
Noluerim, nisi monticolas inter crassosque
Pastores: nec pastores jam spernere tutum est,
Quando etiam in solas migrat sapientia sylvas.
Quis rigidos Scotos gelidi sub vertice cœli
Aut animum, aut aures, oculosve habuisse putasset?

Et tamen ille catus vetularum Langius auceps
Cùm teter locus errori, & nox cæca faveret,
Non potuit celare pia ludibria fraudis.
Campus erat latè incultus, non floribus horti
Arrident, non messe agri, non frondibus arbos,
Vix sterilis siccis vestitur arena myricis:
Et pecorum rara in solis vestigia terris:.
Vicini deserta vocant. ibi saxea subter
Antra tegunt nigras Vulcania semina cautes:
Sulphureis passim concepta incendia venis
Fumiferam volvunt nebulam, piceoque vapore
Semper anhelat humus, cæcisque inclusa cavernis
Flamma furens, dum luctando penetrare sub auras
Conatur, totis passim spiracula campis
Findit, & ingenti tellurem pandit hiatu.
Teter odor, tristisque habitus, faciesque locorum:
Illic sæpe animas torqueri Langius, illic
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces
Audiit, aut voluit credi audivisse frequenter,
Et vitulabundos Cacodæmonas, & per arenas
Caudarum longos sinuatim ducere tractus.
Sæpe etiam inferna (quoties jejunus adibat
Antra) sibi visus nidorem haurire culinæ.
His ubi jam vulgi stolidas rumoribus aures
Imbuerat, parat Exorcismum: circulus ingens
Ducitur, hunc intra spacio breviore minores:
In medio stabat palus, juxtaque catinus
Plenus aqua, sed cui cineremque salemque sacerdos
Addiderat multo cum murmure, nec sine anhelis
Flatibus. Hoc postquam scena est instructa paratu,
Langius ipse pater sacro venerandus amictu,
Circum omnem irrorat setosi aspergine sceptri,
Verbaque præcipiti contortuplicata rotatu
Convolvens, cœlum ac terras adjurat, & undas,
Et tremefacta imis Acherontia regna cavernis.
Et jam nox aderat secreti conscia sacri,
Iamque è vicinis populus convenerat agris,
Matres atque viri, pueri innuptæque puellæ,

Scire avidi quò tanta cadant promissa, nisi ille
Conscia secreti formidans lumina & aures
Esse procul magna jussisset voce profanos:
Quive sacerdoti non illa luce disertè
Cuncta susurrasset tacituram crimina in aurem.
Laica ne trepidi fugiant commercia manes,
Néve inhians prædæ vel jejunus Cacodæmon
Involet, & laceret sceleratorum unguibus artus.
Ducitur ad palum velut hostia Rusticus ipse,
Ficta quidem gnarus cuncta, at formidine tanta
Attonitus, quàm si Stygia egressurus ab alvo
Aspiciat nudas mandentem Cerberon umbras:
Sive animo timor à puero conceptus, aniles
Fabella haud modicus pueris plorantibus horror:
Sive locus fumo, & cæca caligine opacus,
Et velut inferna terrebat imago culinæ.
Cætera submoto clam cuncta peracta popello:
Sed tamen audiri gemitus, vocesque minantis
Dæmonibus, mixtaque preces, nulloque rogante
Interdum responsa dari: nunc tollere vultus
In cœlum, nunc figere humi, nunc plangere pectus
Langius, & sacra templum conspergere lympha,
Donec avis lucis prænuncia spectra moneret
Cedere, & in veterem se denuò condere nidum.
Tum templo egressi, dicenda tacenda referre
Langius, umbrarum pœnas, flammæ rapidam vim
Lustralis, quot carnifices Cacodæmones ollas
Admoveant, verubus quot figant, fluctibus umbras
Quot mersent gelidis, quot Missis cuique levetur
Pœna, velut civis Stygio vixisset Averno,
Ordine cuncta recensebat, neque credula deerat
Turba homini: purgatricis rediviva favillæ
Gloria crescebat multum indignante Luthero:
Et crevisset adhuc, nisi vel formidine captus,
Vel pretio victus, vel vino rusticus ille
Anormis comes, Exorcismi proditor eheu,
Cuncta revelasset taciti mendacia sacri.
Ex illo fluere, & retrò sublapsa referri

Spes prædæ, & nimium vivacis gloria veri
Crescere. Quapropter moneo dehinc fingite parcè
Somnia, nocturnos lemures, miracula, ni fors
Aut apud extremos fieri dicantur Iberos,
Americósve, aut Æthiopas, calidóve sub axe,
Et caput ignotis ubi Nilus condit arenis,
Unde aderit nemo, qui testis dicta refutet.
Forsitan externos solertia fugerit hostes
Callida, sed pestem natam intra viscera, & ipsis
Hærentem venis hominum vix ulla cavebit
Cura: nisi nostros vis provida numinis olim
Respexisset avos, jam dudum Funiger ordo
Proditus à propriis miserè periisset alumnis.

§ 2. Non omnino absimile est, quod ab Erasmo narratur. *Lib.22. epistolar. penult. epist.* Convivebat cuidam parocho neptis mulier bene nummata. In hujus cubiculum profunda nocte solet irrepere lineo involucro umbram mentiens. Emittebat voces ambiguas, sperans fore ut mulier accerseret exorcistam, aut ipsa loqueretur. Verùm illa nimis masculo animo clàm rogavit cognatum quendam, ut unam noctem secum esset in cubiculo. Ille verò fuste armatus pro exorcismis, & probè potus, quò minus expavesceret, occulitur in lecto. Ad est spectrum solito more, nescio quid triste mugiens. Excitatur exorcista, prosilit nondum sobrius; aggreditur. Ibi spectrum voce gestuque deterrere parat. At ebrius ille, Si tu es diabolus, ego sum mater illius: & correptum impostorem fuste dolat, occisurus, ni mutata voce clamasset: Parce, non sum anima, sed sum dominus Joannes. Ad vocem agnitam mulier exilit è lecto, pugnamque dirimit, &c.

§ 3. Huc referenda est & alia historia, nostrum hoc argumentum spectans, nostratibus satis cognita. Chirurgus illustrissimi ducis Cliviæ, &c. Joannis patris Guiljelmi, nomine Everhardus, quum vetulam in oppido Clivia haberet conjugem, & ancillam venusta forma juvenem, hujus in amplexus pervenit: ut autem majori cautela in actu hujus comœdiæ perseverari possit, à spectro exagitari se miserè, queritur famula, quod aliquando ab Everhardo erat abigendum. Hoc lusu tempore longo variè agitato, cœpit vulgus sinistri nonnihil suspicari de hoc spectro: Quapropter ad Ecclesiasten abit Everhardus expostulatum de injuria

perversæ opinionis sibi facta, cupitque apud populum in publica concione purgari, & spectrum defendi: quod & factum est. Tandem ex amicorum consilio ancilla rogat spiritum, quonam pacto ab hujusmodi tormentis liberari possit. Respondisse ait illa, singulis septimanis bidui jejunium cum solo pane & aqua observandum esse, quod & à se religiosè fieri, apud heram suam simulabat: deinde & hoc subjunxisse spiritum, religionis ergò cum duobus comitibus Aquisgranum esse peregrinandum. Hæc dicto parens, in toto hoc itinere spiritum ubique læta facie aperuisse craticia quæcunque ostia obvia, arrisisse quoque ipsi in lecto: atque peregrinatione absoluta, incurvatione & terno nutu indicium gratitudinis ostendisse, asseruit, mysticè tamen. Enimverò Everhardus erat spiritus ille, qui omne ministerium præstitit: ex quo etiam tenellum fœminini generis spiritum, filiolam nimirum, dum peregrinationem mentitur, peperit, pallidissimam semper facie, ut spiritus appareret, quo nomine & ab omnibus appellabatur. Quum autem eodem tempore in Gallias duceretur exercitus, *Everhardus* compositis huc suis negociis, relicta uxore, cum illa sua amasia copiis iis se adjungit, simulque in Gallias contendit, ubi uterque periisse creditur, quod nunquam ad suos redierit.

§ 4. De aliis sacerdotibus, simulatum dæmonem exorcismis fallaciter expellentibus, item de simili dæmoniaca muliere sanata, vide capita 27. & 28. Libri quarti. At hoc hominum genus *Matt.27.* prærogativam hæreditariam haud dubiè hic prætendet: Adjurabat enim Christum quoque per Deum viventem princeps sacerdotum.

§ 5. Exorcismi modum novit quoque diabolus, eoque adori- *Marc. 5.* ri Christum ipsum audet: Adjuro te, dicens, per Deum, ne me tor- *Matth.8.* queas. Sed sua potentia dæmoni uni vel pluribus imperavit Chri- *Marc.5. Luca 8.* stus: Exi, Abite: & evestigiò ad obedientiam sunt redacti.

§ 6. Ut rectè Eusebius ille Cæsariensis in Panegyrico dixerit: Communis quidem omnium Servator rebelles potestates, quæ circum hunc qui terris imminet aërem pervolantes, humanis animis insinuabant sese, invisibili ac divina potestate, velut feras agrestes, *Act. 16.* suarum ovium ceu pastor bonus, procul fugavit. In ipsius nomine egredi dæmones jusserunt paucissimis verbis Apostoli, & illius discipuli, totius naturæ dominium, & imperium omnis abstrusæ virtutis in cœlo & in terra, & spiritum omnipotentiæ ore suo gerentes.

§ 7. Ex-

§ 7. Explosis itaque exterminatisque nostris divinis, ariolis, magnorum occultis antistitibus, & quibuscunque aliis superstitionum collegis vulgaribusque exorcistis: Abjiciamus Ægyptiacas disciplinas, feralia carminum arcana, vanos furores, execrandas artes, & philtra vim factura diis, & Colchicos succos, & dæmoniacas factiones: Plutonica denique volumina, & umbrarum libros, Stygiasque conjurationes, atque Acheronteos ritus membrana chartave contentos, Pyriphlegethonti, hoc est, igni focoque (ut Capnion inquit) tradamus, & fidamus Deo: ac in CHRISTO Dei filio, per quem vivimus, movemur & sumus, sinceriter simpliciterque spem omnem fixam habeamus. Quare & genuivam maleficii curationem jam proponamus.

Curandi Maleficii methodus certissima.

CAP. XXVIII.

NObis hic longè alia, quàm inolita jam dudum consuetudine acceperimus, in profligando satana, ejusque sanandis maleficiis, ratio ineunda videtur, doctrinæ Christi & Apostolorum conformior. Omnium vero primum, ubi malum aliquod præter naturæ ordinem in aliquo se prodit, ad eum ex Dei ordinatione confugiendum est, qui professione, doctrina atque artis usu celebris, morbos, eorum differentias, signa & causas penitius dignoscat: nimirum ad doctum exercitatumque bonæ conscientiæ medicum. *Eccl. 38.* Enimvero tam rara sæpenumero & gravia in morbis suboriuntur symptomata, quæ licet naturæ impetu exoriantur, tamen ad maleficium mox referunt rerum imperiti atque exiguæ fidei homines: quemadmodum in diversis convulsionum speciebus, melancholia, epilepsia, uteri suffocatione, putrescente semine, & multifariis venenorum effectibus frequenter apparet.

§ 2. At inter hos affectus & accidentia discernens prudens & circumspectus medicus, ubi ea pensicularit exacta trutina, adhibito etiam ad diligentem causarum naturalium indagationem justo, quoad fieri potest, perpendiculo, ubi naturæ limites malum exuperare egredique, ac Satanæ, qui spiritus est, motus actionesque animadvertit, in spiritualem medicum, Ecclesiastem nempe, aut Ecclesiæ ministrum inculpatum, sanæ doctrinæ, tenentem mysterium fidei cum pura conscientia, vitæ innocentia notum, non turpiter lu- *Curandi maleficii methodus certa.* *1. Tim. 3. Tit. 3.*

cri cupidum, non vinolentum, cui etiam bonum à piis perhibeatur testimonium, curationis onus transferet. Interim meminisse operæ precium est, multa non ex maleficio evenientia, sed ex occulta naturæ occasione, medicos quandoque latêre. Ut enim rebus in est secreta juvandi proprietas, ita & nocendi: quam tamen non perpetuò agnoscit medicus.

§ 3. Tantum tamen operæ à medico hic accedet, si fortè æger natura, vel ex morbo, aut aliunde humore melancholico (cui, uti aptæ suis operationibus materiæ non illibenter se insinuare solet dæmonium) aut alio succo maligno gravari videatur, ut hic prius blandè expurgetur medicamento.

§ 4. Tradit enim Pomponatius, priscos exorcistas, quos præcantatores vocant, ante conjurationem, obsessorum corpora ab atra bile expurgasse. Morbis siquidem geminis utplurimùm hi infestantur corporis nempe, ex melancholico succo genitis: & animi, ut amentia, mœrore, timore, vitæ odio, & desperatione, quibus noctè diuque ejusmodi homines macerat juratus humani generis hostis, & veluti lugubribus tentationibus ita vellicat, ut quasi aquila apud inferos Titii jecur arrodere videatur. Obsessos expulso eo humore, non amplius mirabilia facere, experimento se vidisse, in expositione illius problematis dicit Conciliator. Uxorem quoque cujusdam sutoris à dæmonio agitatam, variaque sonantem idiomata, eo modo perfectè curavit Galgarandus medicus, Mantuæ celeberrimus.

§ 5. Puella quædam in Burgo melancholica, se Virgilii spiritu obsessam esse fatebatur, diu conjurata: quod creditum est facilius, quia puella simplex, admodum pia, & quæ semper domi latuerat, Hetrusca, affectaret exprimeretque Mantuanum, hoc est, Longobardicum idioma, ut subinde Latinum aliquid sonaret. Cum nihil proficerent conjuratores, medicus ex arte adhibitis melanogogis primùm, & deinde aliis roborantibus, illam optimè per Dei gratiam restituit. Exonerato itaque corpore, promptius in reliquam sanationis observantiam, velut à naturali jam impedimento levatus, ab Ecclesiæ ministro inducetur δαιμονοφόρητος.

§ 6. Ille tum de obsessi vel maleficio læsi vita & moribus, item de ejus in religione Christiana, institutione, & in præcipuis fidei nostræ capitibus, & qua fuerit, vel etiamnum sit in Deum confidentia,

dentia, vigilanter inquiret. Qua de re ubi penitius fuerit instructus, proclivior, & propemodum strata erit restitutionis via. Etenim satanæ in corruptorum morum, spurcæ vitæ, itemque diffidentiæ filiis efficaciam & illusionis potentiam permittit Deus, quorum sensus excæcavit Deus hujus seculi, ne illucescat illis lumen Euangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Affectuum quædam requiritur ἀναλογία, ut sit, quod dici solet; mali corvi malum ovum. Ephes. 2. 2. Thess. 2. 2. Cor. 4.

§ 7. Ubi ergo vigilanti inquisitione & artificiosa conjectura, affectus causam aliquatenus cognoverit Ecclesiæ minister, conveniens huic medicamentum applicet: ut si æger fuerit antea dissolutior, ex sacræ Scripturæ libris admoneatur, corripiatur, exemplis avocetur, & ad emendationem invitetur, tandem resipiscentia in ordinem redigatur. Apud præfractæ indolis hominem instandum, urgendumque tempestivè & intempestivè: item redarguendus hic, & justo Dei judicio in contumaces, subinde terrendus. Pusillanimis, & diffidentia dejectus, in spem certam & fiduciam indubitatam de ineffabili Dei bonitate & misericordia incomprehensibili erigendus, & undequaque confirmandus erit: in quam sententiam plena consolationis testimonia extant quamplurima, quæ suo loco & tempore adducentur. Si quoque perversa doctrina aut fanaticis opinionibus, vel superstitionum ludibriis quosdam transversè raptos esse, velut ansa eo modo dæmoni subministrata, comperiatur: Zizania hæc erunt eruncanda, atque salubriora doctrinæ purioris substituta semina cum omni vigilantia sedulò inserenda. Nec cognitione recitationis Dominicæ Orationis & Symboli Apostolici secundum literam, contentum esse oportet (tantum etiam posset quivis maliciosus) verùm illud vivum Dei verbum ita in animis implantetur, ut apprehensum efficaciter, sentiatur potentia esse Dei ad salutem omni credenti, contra quoscunque dæmonum conatus: ut item vivifica fide invocare Deum verum, æternum, omnipotentem, & multæ miserationis parentem, in nomine Filii pro nostris peccatis mortui, & ad nostram justificationem per gloriam Patris, absorpta morte, victo satana, debellato inferno, potenter exuscitati, iisdem valeant. Rom. 1. Rom. 6. 8.

Quomodo Dæmonis Maleficio affecti, de ejus præstigiis & imbecillitate deinde erunt instituendi.

CAP. XXIX.

Diaboli infirmitas, qui nihil potest nisi permissu. *1. Pet. 3.*

DE diaboli item operibus & præstigiis erudiantur, & quàm enervatus imbecillisque sit, ut nihil etiam possit, nisi Dei permissu: nec Deum quæcunque permittere, sed in re concessa illi limites, ultra quos ferri nequit, præfigi: quinimò Christum profectum in cœlum, sedere ad dexteram Dei, subjectis sibi angelis, potestatibus & virtutibus: Cui si tanta fuit subjugandi potentia, multo magis satanam subegit coërcuitque, ut nihil omnino valeat, nisi peculiariter illi concedatur. Quod itaque clementer in nobis permittit Deus, non potest esse malum. Illi enim cura est de nobis: Qui *2. Pet. 5.* cùm omnis gratiæ sit Deus, nos ad æternam suam gloriam per JESUM CHRISTUM vocatos, jam parum per afflictos instaurabit, fulciet, roborabit atque stabiliet. *1. Pet. 3.* Quis est qui *nobis noceat*, si boni æmulatores fuerimus? Quicquid enim fideli irrogatur, id *Rom. 8.* illi bono commodoque cedit, juxta illud Pauli: Diligentibus *Matth. 6.* Deum omnia cooperantur in bonum. Precationem ergo perpetuam esse decet, quò fiat voluntas cœlestis Patris in nobis. Quidquid patimur, teste Hieronymo, nostris peccatis meremur. Non habent *Lib. 2. cap. 4.* dæmones, inquit D. Joan. Damasc. virtutes adversus aliquem, nisi à Deo dispensatè concedatur: sicuti in Jobo, & in porcis. *Job. 1. Matth. 8.* Permissione verò Dei facta, & fortitudinem habent, & transmutantur & transfigurantur in quamcunque volunt figuram secundum imaginem, id est phantasiam. *In Dialog. lib. 3.* Item Gregorius: Absque omnipotentis Dei concessione nullam habet potestatem contra hominem malignus spiritus: qui etiam in porcos transire non potuit, nisi permissus. *Super Matth. lib. 1.* Rectè quoque Chrysostomus: Homines non quantum vult, tentat diabolus: quoniam quantum ad se, nunquam cessaret à tentatione. Neque enim habet alium actum: non enim manducat, nec dormit, nec aliud operatur, nisi ut tentet, fallat & subvertat.

§ 2. Non magis itaque timendam diaboli potestatem, quàm Deum impedientem, docet Ambrosius super Lucam. Spiritus enim mali, etiam Dei vocantur spiritus, quòd ejus captivi sint: nec attingere, castigare, tentare quicquam ausi, nisi à Deo concedatur. Jobo ne pilum quidem lædere potuit satanas, nisi impetrata permissione,

missione, eaque limitata. Quocirca non est formidandus diabolus: sed Deus, qui ursum hunc catenis alligavit captum, ut nihil omnino absquè ejus singulari nutu valeat. Hinc Christianus quæcunque adversissima à Dei digito excipiet, qui omnia in sua continet manu.

§ 3. Nec Christiani nomen merentur, qui malignæ alicui mulieri aut diabolo imputant malum invectum, ad Dei voluntatem id minus referentes. Jobus affligitur à dæmone, at à Dei manu accipit dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut illi placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum perpetuò. Non cædentis virgæ rationem ille habet, sed volentis patris. Virga punit filium: at non eam fecisse hic dicit, nisi mente nondum constet: sed patrem, qui virgam in manu habet eaque utitur. Sine ejus voluntate, ne pilus quidem capiti excidit, quin omnes pili numerati sunt: ipse virgam usurpat, quàm graviter, & quàm multum, & ubi velit. *Iob.1.2.* *Matt.10.*

Quomodo ad tolerantiam invictam erunt excitandi dæmonum maleficio læsi.

CAP. XXX.

PRopterea æquo patientique ferendum nobis erit animo, quicquid afflictionum acciderit carni, sive id lege naturæ, sive supra naturam contingat. Idem quoque faciundum, si animum immensus invadat dolor, angor, mœror, tristicia, tentatio. Ob oculos velut speculum semper revocetur exemplum sanctissimi illius Jobi, qui tot exercitatus modis, & tentarum calamitatum ac miseriarum mole pressus, Deum laudibus extulit (quamquam malorum interim ponderi impar, in verba animi parum patientis erupisse videatur) ac licet nullius malæ occasionis sibi conscius esset, non dæmonem accusat tamen, nec ab illo aut ullo homine tantas sibi inflictas ærumnas queritur: sed ex Dei æquissimi voluntate sibi ista accidisse agnoscit: ut cum uxor ei exprobraret, Ubi nunc tuus est Deus, cui confisus es? non animum abjecit, sed respondit: Ut fatua loqueris. Si bona à Deo acceperimus, quare mala non tolerabimus patienter? Sic nos quoque in afflictione nostra, ad Deum oculos mentemque dirigere decet, & justissimæ ejus voluntati nos nostraque placidè summittere: quandoquidem ille nihil *Qualiscunque afflictio patienter ferenda.* *Iob. 2.*

vult, nisi quod optimum, quanquam nobis interdum secus videatur. Quos diligit, castigat: nec peccatoris vult mortem: sed ut convertatur & vivat.

Prov. 3. Hebr 12. Ezech. 18

Cur diaboli & angelorum ejus ministerio utatur Deus. August. serm. 24. de Temp.

§ 2. Suorum famulorum, ut diaboli vel cujusvis alterius, ministerio utitur, quò nos ob nostra scelera aut incredulitatem puniat, & hoc modo ad rectam conversionis viam reducat: vel etiam sic tentat nos Dominus Deus noster, quemadmodum Deuter. 13. legitur, ut palam fiat, utrum diligamus eum, an non, in totocorde & in tota anima nostra.

Iacobi 1.

§ 3. Pro summo gaudio itaque ducite fratres (inquit D. Jacobus) quoties in tentationes incideritis varias: illud scientes, quòd exploratio fidei parit patientiam. Cæterùm patientia opus perfectum habeat, ut sitis perfecti & integri, nullaque in parte imminuti. Beatum item prædicat virum, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus his, à quibus fuerit dilectus. Hinc admonet D. Petrus: Charissimi, ne miremini, dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum vestri fit: perinde quasi novum aliquid vobis obtingat: imò in hoc quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete, ut in revelatione quoque gloriæ ejusdem gaudeatis exultantes. Timotheum quoque hortatur Paulus, ut afflictiones ferat tanquam bonus miles Jesu Christi. Non enim quis coronatur, nisi legitimè certaverit. Exemplum accipite, fratres mei (monet Iacobus) afflictionis & patientiæ, prophetas, qui loquuti sunt in nomine Domini: Ecce beatos dicimus eos qui sustinent. Tolerantiam audistis Iobi, & finem Domini vidistis, quòd valde misericors sit Dominus, ac commiserans, qui pios è tentatione novit eripere, Petro teste. Iobum totum (excepta illius anima, quam illæsam permanere voluit Dominus) etiam in suis substantiis & sobole durissimè, Deo annuente, afflixit satan: Verùm post inviolatam illius patientiam, cum multa ejus usura, cuncta illi uberrimè reposuit Deus: Cujus jam non est decurtata manus, id ipsum potest, & infinitis partibus majora.

1. Petr. 4. 2. Timot. 2 Iacobi 5. 2. Petr. 2. Iob. 1. 2. Iob. 42.

§ 4. Quorsum ergo alicujus hominis, aut etiam ipsius dæmonis, nos terrebit violentia aut malignitas? cur ab horum jaculis usque adeò expavescimus? quæ si in nos vibrentur figanturque, non tamen ad internecionem transfigent, si constanti fide reverberemus, retorqueamusque. Resistendum diabolo, & fugiet à nobis: nec

Iacob. 4. Ephes. 4.

nec illi locus est dandus: sed Christi verbo pellendus, Abi satana. Fidelis est Deus, qui non sinit nos tentari ultra id quod possumus: imò faciet unà cum tentatione exitum, quò sufferre queamus. Novit ille, quibus nobis opus sit, priusquam petamus. Ne exhorrescamus, hortatur David, à timore nocturno, tentatione scilicet occulta: nec à sagitta volante in die, tentatione quippe manifesta: nec à negocio perambulante in tenebris, nempe à spectris in tenebris versantibus: nec ab incursu & dæmonio meridiano, quod Paulo nuncupatur angelus lucis, in quem se transfigurat diabolus.

2.Cor.10. *Matth. 4.* *Psal.91.* *2.Cor.12.*

§ 5. Ad tolerantiam præterea invictam contra dæmonum insultus, & constantem in Deum fiduciam, ita afflicti sedulò excitandi sunt patrum quoque exemplis: velut Antonii Ægyptiaci, quem in tumulo latitantem tam graviter lacerarunt dæmones, ut tanquam mortuum ad hospitium reportarit illum minister: ubi nonnihil respirans & quasi reviviscens, clam aliis ad tumulum se referri jubet: ibique ex priorum vulnerum dolore prostratus, cum ex animi fortitudine ad conflictum dæmones provocasset, nec illi cunctarentur, assumptisque variarum bestiarum & serpentum formis, Antonium dentibus, cornibus, unguibusque impeterent, & denuò lancinarent, subitò lucis quidam radius dæmones & tenebras fugavit. statimque sanatus Antonius, Christum præsentem esse intellexit, dicens: Ubi eras Iesu bone, ubi eras? quare à principio non adfuisti, ut vulnera curares mea? Et vox ad eum facta: Antoni, inquit, hic eram: sed distuli ob tuum certamen, quod prius observare libuit: jam autem, quoniam strenum te pugilem præstiteris, in toto orbe celebre tuum erit nomen. Hæc in vita S. Antonii ab Athanasio descripta, & è Græco per Evagrium Presbyterum translata: ubi lucta cum diabolo varia mireque acerba, & insignis divini viri patientia constantiaque legitur.

Tolerantia. *Antonii Ægyptii lucta cum dæmonib.*

§ 6. Nullus certè, quod sciam, animosior fuit Hilarione (qui Antonio fuit contemporaneus, sed junior) fortiusque neglexit dæmonum fraudes, quippe qui in solitudine sæpe infantium voces intempesta nocte se audire existimavit, nunc balatus ovium, nunc mugitus boum, planctus mulierum, leonum rugitus, strepitum armorum, variarumque portenta vocum. Cæterùm ausus aliquando totum phasma explorare, Dominicæ crucis signo ad lunæ lumen tugurio egreditur, & sollicitè circumspiciens, ecce currum directis in se equis euntem conspicatus est: hic Christi Nazareni

Anton. Sabell. lib. 10. Exempl. cap. 13.

nomine invocato, in vestigio mansit, expectans rei eventum. tum verò terrifica illa bigarum species subito terræ hiatu in conspectu absorpta est. Atqui licet à dæmone excruciaretur mirè, oratione tamen vincebat: à qua ubi aliàs paululum quievisset, satan ferianti insidiatus, repentè ejus dorso insiliit calcibus latera quatiens, cervicem flagro: Eia, inquit, dormitas? mox cachinno desuper increpitans: Hordeum jámne, ait, an paleas fesso tuo asino offeres? Nam suam carnem nonnihil obstreperam, aliquando sic affatus fuerat: Ego te asine non hordeo, sed palea pascam, faximque ne posthac recalcitres.

In lib. Conf. Fol. 42. § 7. Hic vides Franciscum non satis novisse hominis pii vires in toleranda quavis afflictione dæmonis. Legitur enim in ejus vita, fratrem Egidium interrogasse Franciscum his verbis: An *diabolus* sic sit terribilis, quòd homo per unum Pater noster non posset sustinere? ipsum respondisse, Quod nullus possit sustinere diabolum per medium Pater noster, quin statim moretur. Huc *referatur* Cypriani sermo de Bono patientiæ, ubi & impatientiæ *exempla* proponuntur: item sermo quartus Chrysostomi.

Communium precum in maleficio efficacia.

Cap. XXXI.

Communes preces. UT insuper maleficio læsorum fidem adaugeat, vulneráque, tortore dæmone ejus jussu fugato, sanare dignetur misericordiarum pater, communibus ad eum ex animi penetralibus fusis confidenter precibus erunt juvandi. Id ab authore epistolæ ad Hebræos disertè mandatur: *Hebr. 13.* Memores estote vinctorum, tanquam unà cum illis vincti: eorum qui affliguntur, velut ipsi quoque versantes in corpore. Orate pro vobis invicem, ut sani sitis: piè monet D. Iacobus. *Iacobi 5.* Multum enim valet deprecatio justi efficax. Helias homo erat similiter obnoxius afflictionibus ut nos: *3. Reg. 17* & precatus est ne plueret, & non pluit super terram annos tres, & menses sex: & rursum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra produxit fructum suum. Item: Infirmatur quis inter vos? accersat seniores Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & obsecratio fidei salvum reddet laborantem, & eriget eum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei.

§. 2. Hinc

§ 2. Hinc orationum fidei publicè & seorsim à Christi fidelibus ad rem præsentem accommodatarum respondentiumque energia, liquidò constat. Ne Petri fides deficeret satanæ insultu, qui expetiverat ut eum velut titricum cribraret, Christi oratione intercedente impetratum est. Contra diaboli astutias ut vigilent cum omni dulitate & deprecatione pro omnibus sanctis, Ephesios studiosè exhortatur Paulus. Admonet item Timotheum, ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Fidem quoque Christi operâ sibi augeri orant Apostoli. Per Mosis orationem ad Dominum, soror illius Maria liberatur à lepra. Sic patris oratione, Christo genua flectentis, dicentisque, Domine miserere filii mei, quoniam lunaticus est, & miserè affligitur, &c. Increpatur dæmonium puerque sanatur. Se autem credere testabatur hic vir in suis precibus, & orabat Christum, ut ipsius incredulitati succurreret. Mulier quoque Græca, Syrophœnissa genere, ad pedes Christi provoluta, rogabat eum, ut dæmonium à quo filia miserè cruciabatur, exturbaret: & ob ejus interpellationem, exonerabatur filia. Multum confidebat Iudith in oratione fratrum, quando dixit: Orate ut firmum faciat propositum meum Deus, &c. Nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. Petrus & Joannes orant pro Samaritanis, ut acciperent Spiritum sanctum. Siquis inter nos affligitur, orare jubet D. Jacobus.

Luca 22. *Ephes. 6.* *1. Tim. 2.* *Num. 12.* *Matt. 17.* *Marc 9.* *Luca 9.* *Matt. 15.* *Marc. 7.* *Iudith. 8.* *Actor. 8.* *Iacob 5.*

§ 3. Chrysostomus de incomprehensibili Dei natura, homilia 3. testatur, obsessos in templum adductos à diacono tempore publici congressus, quum cœna Dominica peragi soleret, jussosque caput inclinare, & sic pro ipsis orasse populum. Homines, inquit, à dæmone agitati, tanquam vinculis quibusdam retenti adducebantur, ut populo universaque civitate præsente, communes pro his fierent supplicationes, ut omnes jugi concordia Dominum communem orarent pro his, & quòd miseretur, magno clamore contenderent.

§ 4. Recitat insuper Prosper Aquitanicus, in locum publici congressus ad altare, dum cœnæ Dominicæ instituta actio celebraretur, adductam puellam, & plebem pro ea ad Dominum orasse, ac de cœna participem factam quoque, & sic liberatam. Idem libro 6. de Prædictionibus & promissionibus tradit, suo tempore Carthagini puellam quandam Christianam, quum in balneis quod-

dam Veneris simulachrum minus pudicè intuita esset, séque eidem assimilasset, mox à diabolo obsessam fuisse, qui gutturis meatus occuparit, ut circiter dies septuaginta noctésque totidem fermè, nec cibum nec potum trajicere potuerit. Parentes quum nullam levationem animadverterent, puellam ad Ecclesiæ ministrum adducunt, eique rem ut acta erat, bona fide exponunt. Unum hoc puella confessam addidit, Noctis medio videri sibi avem quandam adesse,& nescio quid ori ingerere. Tandem in templum deducitur, fiunt preces: & cum ei cœna Domini porrigeretur, quam ægrè accepit, eacodæmone nimirum reluctante, liberata est.

§ 5. Narrat Theodorus Lector lib. 2. Episcopum Christianorum in Persia jussum esse, à rege dæmones profligare: qui collectis piis preces fecit, & adjuratione eos abegit. Ioannem monachum quendam in Ægypto dæmones sola expulisse precatione, tradit

Theodoret. l. 4. c. 21. Sozom. lib. 6. cap. 28. Cœtus monachorum, inter quos Macarius & Isidorus, Lucii scelere sub Valente, in insulam exiguam, *ubi nulli erant Christiani*, relegati, filiam ibi sacerdotis *dæmone correptam* & humi præcipitatam, conjunctis precibus liberant, patrique

Theodoret. l. 5. c. 21. sanam restituunt. Marcellus Apameensis Episcopus, destructurus sub Theodosii imperio fanum Iovis Apameæ, atrum dæmonis spectrum, vim ignis suppositi coërcens, sic repulit. Iussit aquam adferri in vasculo: qua supposita sacro altari, ipse in faciem *humi* prostratus, Domino supplicavit, ne ulterius progredi dæmonis tyrannidem sineret. Finita oratione, figura crucis aquam consignavit, atque flammæ diaconum jussit inspergere: quo facto, dæmon aufugit.

Lib 22. de Civitat. Dei. c. 8. § 6. Augustinus etiam commemorat, virum quendam tribunitium Hesperium, in Fusalensi territorio Africæ fundum habuisse, qui fuit infestatus à malignis spiritibus, ita ut animalia & servos graviter afflixerint. Domestica igitur hac calamitate coactus, accessit Dominus fundi ad Ecclesiæ ministros, rogavitque ut aliquis ibi preces facere dignaretur. Abiit igitur quidam eò, oravitque ardenter & seriò, imò etiam ibi cœnam Domini distribuit: & protinus illa dæmonum vexatio cessavit. Ambrosius: Bonum scutum est oratio, ut quo omnia ignita spicula adversarii repelluntur.

Iejuni

Iejunii in operibus diaboli vincendi energia.

CAP. XXXII.

INdicantur etiam jejunia, si fortè caro, nimia sui indulgentia proterviens, locum dæmoni dederit: ut hoc restricta freno, in ordinem redeat. Quare Porphyrius tradit, jejunium & castitatem maximè laudari, non quia iis placatior inprimis efficiatur Deus: sed ut retroagantur qui sanguine & immundicia gaudentes, quo perfrui possint his, utentium corpora invadunt. Est enim aliquod dæmoniorum genus, quod non nisi orationibus & jejuniis ejicitur, Christo authore, incredulitatis, propter quam illud expellere nequiverunt, discipulos redarguente. Eleachim quoque sacerdos Domini magnus, sic omnem Israëlem alloquitur: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus in conspectu Domini. Et Raphaël Tobiam docet, bonam esse orationem cum jejunio. *Iejunia.* *Matt.27.* *Marc.9.* *Luca9.* *Iud.* 4. *Tob.*12.

§. 2. Historiam in hanc rem mirè commodam narrat Hector Boethius; in Gareothæ scilicet regionis vico quodam, quatuordecim vix passuum milibus ab Aberdonia dissito, eximiæ formæ adolescentem coram Aberdonensi antistite questum esse palàm, sese à dæmone succuba (ut dicunt) gratissima omnium quas vidisset forma, multos jam menses infestari, eandemque occlusis foribus noctu ad se ingredi, & blanditiis in suos compellere amplexus: dubia luce eam penè sine strepitu abire, nec ullo se modo, cum plurifariam tentasset, à tanta tamque turpi vesania liberari. Iubet continuò circumspectus & pius Episcopus, adolescentem aliò se conferre: & ut secundum Christianam religionem magis laudatis jejuniis & orationibus solito attentius accommodaret animam: hinc fore arbitrabatur, ut piis operibus intento victus cacodæmon tandem terga daret. Nec felix defuit successus salubri consilio: quod adolescens religiosè exequutus, paucos post dies omnino ab illis vindicatur ludibriis. Sic incubum dæmonem non amplius infestasse Navetis mulierem, post confessionem & sacram communionem, quæ jejunia & preces comitari solent, legitur in vita D. Bernhardi. *Lib.* 8. *hister. Scot.*

§ 3. Hic jejunii, uti theriacæ præsentissimæ, vires & encomium, oculis omnium semper opponendum hoc seculo dissolutissimo exulceratissimóque, ac animi & corporis morbis dæmonumque insultui

Iejunii virtus & encomiũ. fultui apprimè obnoxio, ex Athanaſio & Cypriano adducam: Iejunium morbos ſanat, diſtillationes exiccat, dæmones fugat, malaſque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus ſalubrius, & ad thronum Dei hominem ſiſtit. Et pòſt: Quiſquis igitur ab immundo ſpiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco, jejunio inquam, ſtatim ſpiritus malos afflictos abſcedere, vim jejunii metuentes. Valde enim dæmones oblectantur crapula, & ocio corporis. Cyprianus de Iejunio & tentationibus Chriſti: Iejunium, inquit, ſi diſcretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ ſpoliat & exarmat. Iejunium extra ordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos diſtringit & ligat. Iejunium ſi humilitate ornetur, ſervos Dei contemptores mundi efficit. Iejunium carnes azymas mundat & ſolidat, & putredines quæ ex adipe prodeunt, conſumit & ſiccat. Iejunium Scripturarum deliciis paſcitur, contemplatione reficitur, gratia ſtabilitur, cœleſti pane nutritur. Danieli interpretatio ſomniorum revelatur jejunio, & tres pueri de Babylonio illæſi egrediuntur incendio. Moſes in monte quadraginta diebus jejunus cum Domino perſeverans, & Dei familiaritatem, colloquium, & legis miniſterium promeretur. Helias quoque eodem dierum numero abſtinens, in eremo converſatur. Et poſt: Efficax eſt oratio præcedente jejunio, & ſacris ſtudiis antecedentibus non patitur poſtulatio devota repulſam. Origenes in cap. 7. Matthæi, ubi Chriſtus dicit, Apoſtolos propter incredulitatem nequiviſſe ejicere dæmonium: Si aliquando nos oportuerit circa curationem tale quid patientium permanere, non adjuremus neque interrogemus, neque talia loquamur, quaſi audienti ſpiritui immundo: ſed permanetes in orationibus & jejuniis, impetremus patienti ſalutem à Deo, & abigemus jejuniis & orationibus ſpiritus malignos. De jejunii potentia inſignes duo ſermones Baſilii Magni, item unus Chryſoſtomi 18.

Eleëmoſynarum virtus.

CAP. XXXIII.

Eleëmoſyna. Accedat adhæc, pro facultatum ratione, earum communicatio, & in pauperes erogatio, oblatioque: quem odorem bonæ fragrantiæ, hoſtiam acceptam gratamque Deo, appellat

Paulus ad Philipp. qui Romanos etiam impensè adhortatur ad tolerantiam in afflictione, & precationi ut instarent, necessitatibusque sanctorum communicarent. *Philip.4. Rom.12.*

§ 2. Cornelius item centurio ex cohorte Italica, religiosus ac timens Deum, præstans eleëmosynas plebi multas, deprecansque Deum semper, quam audivit ab angelo vocem? Corneli, orationes tuæ & eleëmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo. Et Raphael angelus ad Tobiam: Bona est, ait, eleëmosyna magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleëmosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam. Item Tobias pater ad filium, ante mortem: Ex substantia tua fac eleëmosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum penes te fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniam eleëmosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleëmosyna, omnibus facientibus eam. Apud Lucam ipsa veritas loquitur: Date eleëmosynam, & ecce munda sunt vobis omnia. Nabuchodonozori Babylonis regi sua sit Daniel, ut eleëmosynis redimeret animam. Apud Ecclesiasticum legitur: Ut aqua ignem ardentem extinguit, ita peccatum expiat eleëmosyna: cujus Dominus gratiam redditurus, memor erit in posterum, ut author tempore casus sui adminiculum inveniat. Nam eleëmosyna viri, quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit, & postea resurget & retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum. Ergo conclude eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Hic locum habebit Cypriani sermo de Eleëmosyna, item Chrysostomi homil. 32. 33. 34. 35. 36. 37.

Actor.10. Tobia 12. Tobia 4. Luca 11. Dan.4. Eccles. 3. Eccles 17 & 29.

Cum multifariam afflictis quàm variè agi debet, & imitanda diversæ ſanationis exempla.

CAP. XXXIV.

APud ægrum lucida ſuarum exacerbationum habentem intervalla, horum plurima, cum judicio à prudente Eccleſiæ miniſtro proponi poſſunt. Apud hunc verò qui continuò torquetur, mente læſus, orationes (ut dixi) communes, & fidelium interceſſiones neceſſitati præſenti conſono ſenſu applicatæ, jejunia & egenorum ſublevatio, ſuum habebunt pondus.

Vbi plures maleficio læſi ſimul uno in loco ſunt, quid faciundum.

§ 2. Cæterùm ſi uno in loco maleficiis collidantur numero plures (quemadmodum in monaſteriis, potiſſimum virginum, velut organorum ſatanæ ludibriis magis accommodatorum, frequenter uſuvenire cernimus) ante omnia huc cura propendeat, ut ſeparentur, & una quælibet ad parentes vel ſanguine aut affinitate proximos avehatur, quo ſingulæ ſeorſim commodius fideliuſque inſtitui & ſanari queant. Reſtitutionis autem habeatur pro cujuſque neceſſitate delectus, ne uno (quod ajunt) calopodio (quorundam ineptorum, mendacium, impoſtorum, ſuperſtitionis impietatiſque antiſtitum more) quis calceare conetur omnes, & diſſolutis præſcriptorum verborum minus convenientium formulis, commenticiiſque quibuſdam ritibus & ſubſtantiis ad rem minimè facientibus, profligare pergat dæmonem, in iis ridentem illudentemque, & fugam plerumque ſimulantem egregiè, quaſi compulſum, licet ultrò cedentem, ut nos incredulitatis labyrintho altius involvat, ſi vetitis eum mediis fugatum credamus: hac ratione è corporibus cedit ſæpenumerò, & quidem libenter, ut animas minus impeditè poſſideat, eiſque dominetur. Quæ verò virgines arctius occluſæ cohibentur, nec egredi permittuntur, quod equidem in ejuſmodi caſu comprobare nequeo: vel quæ in deſignato eo loco clementem Dei manum, patriſque virgam, cum vera ſui abnegatione fortiter tolerare cum Iobo in animum induxerint, mutuam hic præſtent in ſuorum cruciatuum intervallis operam, ſe mutuò conſolantes, modumque præſcriptum, quoad fieri poteſt, obſervantes:

Iuniores ad tale ſpectaculum non admittenda.

§ 3. Nec ad hujuſmodi ſpectaculum admittantur juniores, ne territæ tormentorum raritate & vehementia, quid mali contrahant, cùm eis avidè admodum inſidietur diabolus.

§ 4. Cum

§ 4. Cum aliàs ad piam puellam in cœnobio obſeratam literas dediſſem, quibus virginum eo in loco olim incredibili cruciamentorum genere à dæmonio exercitarum (quarum ſuperiori memini Libro, c. 10.) hiſtorias mihi cupiebam deſcribi, ea in hanc ferè ſententiam reſpondit: Duas adhuc ex illis ſupereſſe octogenarias propemodum, à quibus ſæpius audiviſſet, ne magno quidem ſe velle gravi illa caruiſſe calamitate, ex Dei voluntate nata, quòd inde peculiare gratiæ divinæ donum & illuminationem ſe conſequutas ſenſiſſent: nec ſecus earum teſtari vitam. Quid Antonio nocuit, ſeveros in ſuis cervicibus tuliſſe magiſtros? cui eos ad Dei nutum perpeſſo in majus ceſſit lucrum & gloriam. Scribebat quoque, miſſos eo tempore fuiſſe undecunque viros doctos, qui terrificorum eorum ſymptomatum larvas contuiti, eas penitiſſimè ſcrutarentur, amòlirenturque: ſed quo in ejuſmodi conſiliis confidentius perſtitêre, eo malum recruduit gravius, ut tandem Dei opus eſſe ſingulare faterentur: à cujus manu cum id exciperent, & ſe toto corde ſub potenti ejus brachio ſubmitterent, ſemet integrè abnegantes, humilitatemque uſque adeò amplexæ, quo etiam cunctis ſuis affectibus reſtiterint, eoſque vicerint: & breviter, ad divini verbi normam toto animo vitam conformarint, tunc paulatim evanuerunt univerſæ illæ diræ. Piam epiſtolæ illius virginis partem juſtis de cauſis inſerere volui, quòd id conſilium meo inſtituto prorſus reſponderet: & ne ejuſmodi virgines uſqueadeò à piorum numero alienas eſſe, quis temerè in animum inducat, etiamſi adhuc multa in iis deſiderari non diffitear, quæ inſcia & non ſana informatione prætermittuntur.

Memoranda hiſtoria cruciatarum monialium apud Mariæ arborem prope Xanctos.

§ 5. Porrò monaſterium id ingreſſus, coràm cum altera contuli vetula, quæ id mali decem ſuſtinuerat annos, eo nomine gratias Deo agens quàm maximas: ac ſi ætas admitteret, ſe libenter denuò iiſdem velle calamitatum fluctibus objici aſſerebat. Hortata autem me eſt maximopere, ut ſi in conſilium ad ita afflictas accerſerer, ne exorciſmos admitterem unquam. Quædam in eo tormentorum theatro conſtituta, à fratre virgis ex quorundam conſilio excarnificabatur: quemadmodum ab ineptis etiamnum hodie conſulitur, quaſi dæmonem profligent virgæ, & non potius eo modo ille carnificinam procuret. Ea rei indignatione & pudore illa perculſa, contabuit pedetentim, & moritura cecinit. Rogata verò cantionis cauſam, reſpondit: eo quòd de ſalute ſua æterna minimè

 hæſita-

Vera abnegationis exemplum.

hæsitaret. Altera quoque jam diu à dæmonio excruciata,& morti proxima, se totam attenta oratione Deo offerebat, ut secum pro suo arbitrio quicquid vellet, in tempore & in æternum ageret, dummodo ipsius glorificaretur nomen, obsecrans: rogabatque reliquas virgines, ut post ejus mortem non ex more, Miserere mei Deus, canerent: sed, Gloria patri. Memorabile abnegationis veræ exemplum.

Curandi dæmoniaci exemplum insigne.

§ 6. Singularem insuper, & suo loco imitandam aliquando curationis eorum quos vexat diabolus, rationem, ex sequenti colliges historia. Philippus Wesselich Coloniensis, monachus abbatiæ Knechtenstein, integer & simplex, à spiritu referente abbatem macilentum, ante multos annos mortuum, exagitabatur miserè & multifariam, circa annum quinquagesimum supra millesimum quingentesimum: interdum avehebatur sub tectum, aliàs per ligna transversa conjunctiora supra campanam intrudebatur, plerunque per murum transferebatur inopinatò, *inventus* quandoque est corpore super piscinam projecto, capite *autem in* terram reclinante. Tandem se prodit spiritus, diutinæ & multiplicis vexationis causam explicans: se nimirum esse illum abbatem Matthiam Durensem, tot annis sepultum: ac eo torqueri, quòd suspensam D. Virginis effigiem exquisitè depingi curarit: nec satis fuisse factum pictoris Novesiani laboribus & impensis, qui inde jacturam senserit, ac sibi ipsi vim fecerit. Verum id fuit. Subnectebat hinc solutionis modum, cujus nomine hanc exorsus erat fabulam diabolus: expiari scilicet hoc delictum non posse, aut ulla se liberari ratione, nisi religionis ergò Treveris & Aquisgrani peregrinaretur hic Philippus (quem ob simplicitatem accommodatum suis ludibriis organum ratus est diabolus) & tres Missæ, de trinitate scilicet, de domina, de tempore, in ejus assertionem recitarentur. Ut hîc spiritus voto satisfieret, consuluerunt Theologi Colonienses: & capitulariter (ut illorum more loquar) id reliqui postulabant quoque monachi à suo superstite etiamnum abbate D. Gerardo Strailgen Morsensi.

§ 7. At hic saniori institutione atque acri, increpatione in aliam potius sententiam Philippum existimavit traducendum, ut videlicet fide viva omnis miserationis Deo patri, & Christo assertori nostro unico confisus, dæmonis imposturas animo negligeret forti: redeuntique spiritui objiceret, se non esse sui juris, verùm

sub

sub aliorum degere imperio, propterea nec posse ob rerum penuriam à se obediri ejus votis. Quo facto, spiritus respondit: Dic Suppriori. De eo enim confirmandi sui instituti spem conceperat. Quare Abbas, ubi dæmonem perseverare, nec monachum illius illusionibus satis confidenter resistere animadvertit, ipsum denuò rectius instituit, studiosè hortatus ut resipisceret, nec tam pronas offerret satanæ technis aures: si verò manes, uti hactenus, audire pergeret, se illum flagris, & quidem capitulariter cæsurum, severissimè minitatus est. Hinc irritos suos spiritus videns conatus ob abbatis constantiam, & animum Philippi magis erectum fiducia in Deum adversus fraudulenta exitialiaque dæmonii studia, nunquam rediit, alioque migravit. Hanc curandi methodum, in eo fraudum diabolicarum genere, quandoque in usum revocandam arbitrarer.

Fictæ obsessionis curationes certæ probatæque.

CAP. XXXV.

MUliercula Bartholomæa nomine, quum in pago Well, præter morem sub Missæ actione hymnus ille qui incipit, Gloria in excelsis Deo, Germanica lingua caneretur, mox velut dæmonio correpta, in extasin conjici videbatur, cum maxima hominum perturbatione, in eo tormento perdurans, donec absolveretur cantio. Quum ad hunc actum aliquandiu conniveretur, nec tamen desineret fœmella, tandem à pagi domina, Anna à Virmont, in arcem vocatur: quæ humaniter & amicè causam rogat, cur sub ea cantilena se ita vinci sineret, quum eadem essent verba Germanica quæ Latina, absque mutatione? eique hymnum Germanicum prælegit, & verba interpretatur, quibus nihil absonum, nihil impium, aut quod ullam offensionis daret causam, inesset. Jubet itaque eam forti esse animo, se jam eundem hymnum Germanicè cantaturam in cubiculo, præmonens: & si illa dejici se pateretur, adhibituram se remedium, quod pellendo ejuscemodi dæmonio esse cum primis usui didicisset, minitabatur. Ita mox in cantionis initio, muliercula loco prius observato, quo se prosternere vellet, in terram provolvitur. Cui incunctanter, vestitu prius levato, domina prudens & cordata matrona, simul cum filia, virgas imprimit acres, eo

quo decuit studio: illa interim retracta manibus veste, earum conabatur arcere titillationem.

Aphor.6. § 2. Extremis enim morbis, teste Hippocrate, extrema exquisitè remedia optima sunt. Hoc propinatum pharmacum, contra hujusmodi dæmonis insultum existere antidotum incomparabile, atque se à doctis viris didicisse, mulierculæ denuò persuadet domina, hortaturque eam confidentiori esse animo, nervum dæmonii hoc medicamento jam esse haud dubiè infractum: eamque simul concinere jubet. Sic dulci modulamine simul repetitur cantilena, finiturque sine ullo commotionis indicio. Hoc comœdiæ actu à famulis ante ostium observato, fœminam illi egressam arripiunt, unaque hymnum alta voce canunt: & consilium hoc fuisse exturbando huic satanæ ut certissimum, ita & saluberrimum compertum est. Oportet autem habere delectum in usurpanda hac theriaca. Non enim omnium oculis uno medendum est collyrio: solum ejus generis dæmonio profligando præsentissimum citra ullam *moram aut* hæsitationem erit alexipharmacum, quod hominem *invadit exer*cetque pro ipsius energumeni voluntate, arbitrio & libidine.

§ 3. Se ea ratione fuisse sanatam, à domina in arcem Wel revocata Barthalomæa, coram me confessa est. Hic qualemcunque sortitus fuit effectum Canon 60. de his qui se simulant dæmoniacos, qui ita habet: Eos qui se dæmone correptos esse simulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum simulatè præ se ferunt, visum est omnimodo puniri, & ejusmodi afflictionibus & laboribus eos subjici oportere, quibus hi qui à dæmone verè correpti sunt, ut à dæmonis operatione liberentur, verè subjiciuntur.

§ 4. Se vidisse Romæ quendam nomine Julium, narrat Rondeletius, qui catalepsi putabatur corripi, quoties illa Passionis verba audiret, Consummatum est. Voluit autem probare, num verè corriperetur, an fingeret. Quum itaque simul essent apud Alexandrum linguæ Hebraicæ professorem, & hujus uxor fortè in alterius gratiam recitaret duo illa verba, statim sacrificus hic extasi videbatur affligi: eoque viso, alter baculum adferri jussit, quo morbum profligaret: proinde sine mora ad se rediit. Auxit suspicionem, quòd quum eo malo afficeretur, prius undiquaque spectaret, ubi suum tutò reponeret caput. Auditum postea est, illum ob hanc simulationem missum fuisse à Venetis in exilium cum quadam meretrice, quæ simili morbo se prehendi simulabat.

Ioan. 19.

§ 5. Porrò

§ 5. Porrò figmentum non erat, sed catalepsis, à sanguine melancholico cerebri substantiam occupante, quam patiebatur puella in quodam pago non procul à Nemauso in Simeneis montibus. Hæc erat annorum vigintiquinque, nupta cuidam juveni quem parum amabat: vixitque tantùm dies octo cum eo, ubi hoc morbo ob animi ægritudinem corriperetur. Quam ob causam in parentum ædes rediit, in quibus tamdiu à malo illæsa permanebat, quàm mariti oblivio duraret: recrudescebat verò, quum de marito cogitaret, vel illius mentionem audiret: aut etiam quando ad illam insciam maritus fortè veniret, priusquam eum vel videret vel audiret. Quod si in via aquæ hydriam gestaret, eam quandoque deponebat, aliquot horas in eodem loco sedens vel decumbens, oculis & ore apertis, sine sensu & motu, nisi quod ventris & costarum infernarum musculi multum moverentur. *Catalepsis à melancholico sanguine.*

In concubitus maleficio quid faciundum.

CAP. XXXVI.

DE naturalis congressus, satanæ opera præpediti, curatione ita scribit Igmarus Remensis archiepiscopus: Si per sortiarias atque maleficas artes occulto, sed nunquam Dei injusto judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur: hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut corde contrito & spiritu humilitatis, Deo & sacerdoti purè confiteantur, &c. *In cap. Si per sort. 33. qu. 1.*

§ 2. In controversia, ubi maritus ad congressum ineptus esse ex maleficio accusaretur, in foro Constantiensi decretum fuisse scribit Ulricus Molitor, ut primùm à medicis ille, quem leges dicunt maleficiatum vel frigidum, inspiceretur, num alia illius impotentiæ naturalis foveretur causa: deinde ut triennium adhuc uxor cum marito conviveret, qui suas interea temporis experiretur vires: utque eleëmosynas liberalius erogarent, & jejuniis vacarent, quo matrimonii institutor Deus ejusmodi malum amoliri dignaretur. Decretum sanè ad imitationem revocandum. Huc accersantur etiam, quæ in legitima maleficii curatione hactenus proposui. *Decretum in concubitus maleficio. In tract. de lamiis & Pythonicis.*

§ 3. Novi & characteres in charta virginea scriptos, & adversus id mali, velut arcanum summum celebratos, super quos septies legitur Psalmus, Eripe me de inimicis meis: liga- *Ps. 142.*

turque

turque charta ad viri coxam. At myſterium hoc apud Acheronta ſepultum malo.

§ 4. Cæterùm ridiculam admodum, nimiſque religioſam curationem pleriſque bona fide ne prodant, in aurem exemplo inſinuare volui. Mulier Katharina Loe nomine, cujus mihi nota ſoboles, viro nupta, hunc in initio comperit impotentem. Quare à vario temerè quæſito conſilio, hæc in ara D. Antonio ſacra Everfeldi in ducatu Montenſi ubi degebat, ceream membri virilis effigiem religionis ergò, ut à ſuo malo levaretur maritus, ſuſpendit offertque. Sacrificus rei ignarus canone ad altare demiſſis oculis recitato, ut fieri ſolet, ſuſpicit, priapumque illum cereum inopinato intuitus, Tollatur dæmonium illud, acerbè inquit.

Exorciſmi quando, & quomodo & à quibus adhibendi.

Cap. XXXVII.

Quando adhibendi exorciſmi, & quomodo.

Qualem oportet eſſe exorciſtam.

Ephes. 6.

In concilio Carthaginenſi 4. 23. diſt. c. exorciſta. cap. 7. de conſec. diſt. 5 ca. omne die ubi de energumenis id eſt, obſeſſis agitur, quibus manus imponebãt exorciſtæ. Iuxta c. 79 Synodi Aquiſgran ſub Ludovico Pio, neque in Eccleſiis, neque in domibus licebat iis exorcizare, qui non erant ab Epiſcopo ordinati. Matth. 17. Marci 9. Lucæ 9. Ioan. 14. Matth. 21. Marci 11. Lucæ 10.

Porro ſi dictis rationibus nondum cedit inflicta calamitas, opuſque ſatanæ perdurat, eum increpare licet ex Chriſti doctrina Marci 16. quod credentes per ejus nomen dæmonia ſint ejecturi. Ea propter Apoloſtorum & primitivæ purioris Eccleſiæ exemplo, per Chriſti nomen expellat miniſter, vero ductus zelo, conſcientiæ bonæ teſtimonio fretus, habens peculiare illud Spiritus ſancti donum, ejiciendi nimirum dæmonia: gladio ſpiritus, quippe Dei verbo accinctus, atque divina panoplia circumquaque munitus, aſſumpto ſuper omnia fidei ſcuto, quo omnia jacula mali illius ignita queat extinguere (qualem armaturam in hujus Libri initio ex Paulo propoſui) ne cum diſcipulis Chriſti dæmonium fugare nequeuntibus à Chriſto audiat: O natio incredula & diſtorta, quouſque tandem ero vobiſcum? quouſque patiar vos? firmiter hinc infallibili nitatur promiſſioni: Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Et: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater per filium. Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam. Scribit item Lucas, ſeptuaginta reverſos ad Chriſtum cum gaudio diſcipulos, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis per nomen tuum. Ait autem illis: Videbam

ſatanam

satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Ita in Christi nomine flectuntur genua cœlestium, terrestrium, & infernorum. Nec aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Solo hoc Patris æterni verbo creata sunt cœlum & terra, & quicquid in eis consistit. Ejus nutu in præcipitium ruit illa immensa angelorum caterva. Ad Christi adventum imperiumque horruerunt & profugerunt, quotquot arctissimo vinculo in sua custodia miseros mortales constrinxerant diaboli. In hoc nomine credentes discipuli, dæmonia exturbarunt. Pythonis spiritum in Macedonia, ex puella dæmoniaca ejecit Paulus his verbis: Præcipio tibi in nomine JESU Christi, exire ab ea. Et exiit eadem hora. Sic à Petro jussi sunt dæmones egredi, qui vel unicum diem sibi indulgeri, ut in subjugatis permanerent corporibus, rogabant: teste Clemente.

Philip. 2. Actor. 4. Genes. 1. Ioan. 1. Matth. 8. 9. 12. 17. Marci 15. 9. Luca 4. 8. 9. 11. 13. Actor. 16. Abdi l. 1. histor. Apostol. Lib. 4. Recog.

§ 2. Apud Hieronymum presbyterum in vita Hilarionis Palæstini eremitæ, legitur de quodam Constantii Imperatoris candidato, ex Francia Germaniæ orto, quem à teneris unguiculis dæmon obsederat malignus. Ductus igitur ille Gazam ad Hilarionem, exponensque tam Syra quàm Græca lingua (quas tamen nusquam didicerat dæmoniacus) multiplicem obsidionis causam, ei respondit vir sanctus: Non curo quomodo intraveris, sed ut exeas in nomine Domini nostri JESU Christi impero. In hoc nomine Simon Apostolus simulachrum Solis comminuit: Et Judas Lunæ, dæmonibus inde visibiliter Æthiopum forma expulsis. Dæmonem ex Solis idolo fugavit D. Thomas: draconem sub mortis statua in Scythia exeuntem profligavit Philippus Apostolus: septem dæmones similitudine canum inter monumenta commorantes secus viam, prætereuntesque graviter lædentes, abegit D. Andreas. Sic in Capitolio draconem clausisse Sylvestrem, & Philippum Leviathan fugasse, traditur.

Abdias Episcop. Babyl. libr. 6. Histor. Apost. item l. 9. 10. 13.

§ 3. Joannes Evangelista superato veneno, dæmonem in Dianæ templo ducentos & quadragintanonem annos commoratum, his verbis loco expulit: Interdico tibi in nomine JESU Christi Nazareni, ne ultrà hic habites. Et confestim decessit Epheso. Quocirca jussu Domitiani in Pathmon insulam exul deportabatur vir sanctissimus. Hic cum Cynops magorum princeps in Phara

Ioannis Euangelista in fugando dæmone contra magū Cynopem miracula.

oppido contra Joannis doctrinam, & edita in Christi nomine miracula, ex falsa sacerdotum Apollinis in Joannem criminatione, maleficiis populum dementaret avocaretque, mortuos etiam se excire jactabat: quorum facie assumpta etiam dæmones apparuerunt, è mari emersi. Tandem Joanni ait Cynops: Veni sodes ad portum, ut aspicias potentiam meam, & amplius admiraberis. Igitur Ioannes cum universa multitudine rediit, præcipiens illis tribus dæmonibus, qui sub imagine hominum nuper resurgentium comitabantur, ne discederent. Concussis itaque manibus, & terribili maris sonitu peracto, Cynops se, ut antea, demisit in mare, atque sic ex oculis hominum evanuit: qui clamare non cessabant, laudando dicentes: Magnus es Cynops, & nemo præter te.

Cynops magus submergitur oratione D. Ioannis.

§ 2. Ioannes interim orabat Dominum, ut inter vivos ultra nequaquam connumeraretur magus ille. Tum repentè vehemens est pelagi murmur auditum: & procellis ingruentibus ei loco, ubi se præcipitavit, nusquam apparuit. Et dæmones qui sub *humana figura* stabant, quasi jampridem resuscitati à mortuis, *adjurabantur ab* Apostolo Dei, dicente: In nomine crucifixi IESU Christi ex hac insula exite, nunquam redituri, & statim ab universorum oculis disparuerunt, frustra expectantium Cynopem, si fortè ex freto resurgeret.

Sozomen. libro 4. cap. 16.

§ 3. Arsatius insignis confessor sub Licinio, vidit aliquando dæmoniacum quendam gladio stricto per forum discurrere, & obvium quenque terrere ac fugare. Huic itaque obviam sese offerens Arsatius, Christum nominavit, ac verbo dæmonium expulit, obsessumque liberavit. Verbo adhæc dæmones fugavit Paphnutius, *teste* Ruffino lib. 1. cap. 4. Sic apparet, quantum verè Christianis magistri nomen profuerit, & imitatio juverit.

Adolphi Clarebachi efficax oratio.

§ 4. Anno 1529. in turrem terriculamentis à multis annis inquietissimam Coloniæ Gallinaceam portam nuncupatam, religionis causa deductus est pius & doctus vir Adolphus Clarebach, ut die noctuque acerbius torqueretur. At lemuribus prima nocte ad ingenium consueto more redeuntibus, turbasque & terrores citantibus, ad ardentes ille conversus orationes, eosdem ita vicit exturbavitque, ut talium umbrarum postea eo in loco fuerit observatum nihil, quum ille etiam inde eductus constanti Christianæ fidei confessione vitam finiisset, corpore flammis absumpto. Tantarum est virium contra diaboli machinamenta fervens pii hominis ad

Deum

Deum oratio. Scripserat autem distichon in dealbato turris pariete, digito denigrato carbonis puluere & aqua mixtis (quòd atramentum & papyrus illi fuissent in carcere denegata) in hanc ferè sententiam: Ubi Emanuel, nullus terriculamentis satanicis relinquitur locus.

§ 5. Hæc est conjuratio, hic vehemens fortisque exorcismus, hic modus fugandi dæmonis certus, hæc brevis formula, hi sunt characteres, quibus invocatur omnipotentia rebus supra communem vitæ rationem agendis: hæc doctrina vera, hoc fundamentum solidum: hic philosophorum lapis, longè quidem exuperans eum, de quo Alchimici hallucinati contendunt: imò lapis angularis, in quo omnis structura firmiter coagmentatur. Hæc sunt divina testimonia, hæc sacrorum nostrorum monumenta, hæc veri sacerdotis memoralia, hæc purissima signa, hæ nostræ in exturbandis dæmonibus ceremoniæ, paucis contentæ, facili usu, vili apparatu. Hæc ars cœlo sublimior, tartaro profundior, libera periculis, umbrarum hostis, contemptris larvarum, simulachrorum perosa, nec thuris nec meri indiga, universis manibus, lemuribus, larvis imperitans, omnia busta, omnia sepulchra & species mortuorum contemnens, & inania terriculamenta, & noctium occursacula, & inferorum commeacula (ut Capnion inquit) exporrecta fronte fugans, fatum & naturam vincens, & quicquid unquam ritè optamus, si modus à magistro traditus observetur, indesinenter perficiens, & indeficienter adimplens. *Esaia 28. Ephes. 2.*

§ 6. Verbo languores universos sanavit, & dæmones expulit Christus. Si ergo securè operari voles, necessariò illud Pauli consilium ob oculos pone: Quodcunque facitis in verbo & in opere, ut omne id in nomine Domini nostri JESU CHRISTI faciatis. Hoc est salutiferum medicamentum: quin ipsa panacæa, vel potius hæc salus nostra & medela. Rectè hinc Nazianzenus in Defensorio ait, Dæmones adhuc contremiscere, quando Christi nomen invocatur. Contra hunc nullæ ligaturarum præstigiæ, nulla maleficiorum ostenta, nec ulla dæmonii opera, momentum quidem perdurant, quin dicto citius evanescunt. *Matth. 8. Colossen. 2.*

§ 7. Proinde à Lactantio quàm verissimè dictum est: Dæmones justos, id est, veri Dei cultores metuere: cujus nomine adjurati, de corporibus excedunt: quorum verbis verberati, non modò se dæmones esse confitentur, sed etiam sua nomina edunt. Quia nec Deo, *Lib. 2. cap. 16. de Orig. erroris. Idem apud Clem. lib. 9. Recog.*

 per

per quem adjurantur: nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis sæpe ululatibus editis verberari se ac ardere, & jam jamque exire proclamant. In hoc ordine curationis, Scripturæ sacræ fundamento innixæ, nullam erroris suspicionem, nihil idololatriæ, nullam blasphemiæ opinionem foveri, luce meridiana clarius contuemur.

Dæmonia ejiciendi modus Ecclesiæ veteris.

CAP. XXXVIII.

CÆterùm ne quis hoc nostrum consilium velut ab usitata nostrorum hominum Ecclesiasticorum ratione alienum calumnietur, & explodendum decernat, bona fide hic beati Clementis verba subjungam, quibus pellendi satanæ formam in Ecclesia veteri & puriore familiarem, nostroque præscripro conformem, pulchrè describit lib. 8. capite 32. de *Constit. S. Apost.* Iacobus Alphæi: Exorcista non ordinatur: spontaneæ enim benevolentiæ est hoc certamen, & gratiæ Dei per Christum superventione Spiritus sancti. Nam qui accipit charisma curationum, per revelationem à Deo declaratur, quum pateat omnibus gratia, quæ est in ipso. Et libro eodem, capite 7. Postquam exiverunt Catechumeni, dicat diaconus: Orate energumeni, hoc est, vexati ab immundis spiritibus: intentè omnes pro ipsis orate, ut benignus Deus per Christum increpet immundos & nequam spiritus, & eripiat servos suos ab imperio inimici, qui increpavit legionem dæmonum, & principem malorum diabolum, ipse nunc increpet pietatis rebelles, & liberet figmenta sua à vexatione ipsius, & purget ea quæ ingenti sapientia condidit. Etiam attentè oremus, Salva & excita illos Deus in virtute tua. Inclinate vos Energumeni, ut benedictionem accipiatis. Et Episcopus oret dicens: Qui fortem armatum ligasti, & omnia vasa ejus diripuisti: qui dedisti nobis potestatem ambulandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: qui homicidam serpentem ligatum tradidisti nobis, tanquam passerem puerulis, quem cuncta pavent & horrent à facie virtutis tuæ: qui eum dejecisti, sicut fulgur è cœlo in terram, non lapsu locali, sed ab honore in ignominiam, ob voluntariam nequitiam: cujus aspectus siccat abyssos,

Energumeni.

Cap. 8.

&

& minæ liquefaciunt montes, & veritas Domini manet in æternum: quem laudant infantes, & lactentes benedicunt: quem celebrant & adorant angeli: qui aspicit super terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant: qui minatur mari, & siccat illud, & omnia flumina deserta facit: cujus nubes pulvis pedum ejus: qui ambulat super mare sicut pavimentum: unigenite Deus magni patris fili, increpa spiritus nequam, & libera opera manuum tuarum ab alieni spiritus vexatione: quoniam tibi gloria, honor & adoratio, & per te tuo patri in sancto Spiritu in secula, Amen.

Iob. 8. Ps. 103. Nahum. 1 Iob. 9.

§ 2. Consentit his Augustinus, de utilitate credendi, cap. 22. Vera pietate homines Dei aëream potestatem inimicam contrariamque pietati, exorcizando ejiciunt, non placando: omnes tentationes adversitatesque vincunt orando, non ipsam, sed suum Deum adversus ipsam. Non enim aliquem vincit aut subjugat, nisi societate peccati. In ejus ergo nomine vincitur, qui hominem assumpsit, egitque sine peccato, ut in ipso sacerdote atque sacrificio fieret remissio peccatorum, id est, per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum IESUM, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo.

Iudicium Philippi melanthonis de dæmoniacis, ex Epistolarum libris.

CAP. XXXIX.

ETsi sunt interdum physicæ causæ furorum seu παραφροσυνῆς seu μανίας: tamen certissimum est, diabolos in aliquorum hominum corda ingredi, & efficere furores & cruciatus in eis, vel cum physicis causis vel sine eis: quia manifestum est, tales homines interdum etiam sine physicis remediis liberari. Et sæpe hæc diabolica spectacula sunt prodigia & significationes rerum futurarum.

§ 2. Ante annos duodecim mulier erat in Saxonia, quæ nullas literas didicerat: tamen quum agitaretur à diabolo, post cruciatus loquebatur Græcè & Latinè de futuro bello Saxonico: Erit magna angustia in terra, & ira in populo, ἔσται ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ.

§ 3. Ante annos sedecim erat in Marchia puella, cui rapienti pilos à vestibus, vertebantur illi pili in nummos Marchicos, quos

devorabat puella longo fragore dentium. Et figuræ illæ nummorum interdum ex manibus ejus subitò extortæ, erant veri nummi, qui adhuc à nonnullis servantur: ac subinde magnos cruciatus sentiebat puella: sed à toto illo morbo liberata est post aliquot menses, & adhuc vivit sana. Sunt autem crebræ piorum precationes pro ea factæ, & consultò omissæ sunt aliæ ceremoniæ.

§ 4. In Italia audio fuisse mulierem, quæ etiam nullas didicerat literas: quæ quum agitaretur à diabolo, interrogata, quis versus Virgilii sit optimus? respondit:

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

§ 5. De illis miseris virginibus, quas Romæ cruciari audio, eas à diabolis torqueri judico, & significantur. pœnæ Italiæ & aliarum gentium. Nec verò dubito vera piorum precatione tolli id malum, & expelli diabolos posse. Rectè etiam facient, si qui homines non Epicurei, sed verè invocantes filium Dei Dominum nostrum JESUM Christum, seriò præcipiant diabolis, ut ab *illis* miseris discedant: & de venturo judicio filii Dei, in quo *malicia* diabolorum ostendetur, palàm universæ ecclesiæ dicent, & de pœnis diabolorum. Sed hæc fieri oportet seriò, & omittendæ sunt ceremoniæ τῆς ἀρτολατρείας & lustralis aquæ & falsarum invocationum Cornelii & similium. Scio plura exempla, in quibus profuisse piorum precationem certum est.

Ineptus maleficii bestiarum curandi modus vulgaris, tempestatis item sedatio impia.

CAP. XL.

Cujus verò Scripturæ testimonio, aut quo exemplo fulciatur vulgaris illa & aliquandiu malè insolita maleficii per quemcunque ineptum, & quandoque bis cæcum, curandi, & dæmonis eliminandi ratio, me profectò latet. Nam præter inutilem ceremoniarum congeriem, exorcismos ii homines adhibent diros, ne dicam blasphemos: Stentorea adhæc vociferatione, profusorumque verborum turbine, violenter abigere dæmonem velle videntur, Euangelia à proposito dissona, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & nescio quæ alia, iterum atque iterum repetentes. Quorsum hæc ad satanæ expulsionem

nem conferent; ubi mandatum, ubi exemplum, apud Christum, Apostolos, vel ejus discipulos, sive etiam primitivæ Ecclesiæ ministros? Rei propositæ non respondet verborum intellectus. Christus, ejusque imitatores in fugando diabolo convenientibus sunt usi verbis. Illam autem verborum recitationem cum instituta actione minimè cohærere, nemo non videt.

§ 2. At abominabile suum sacrilegium ponderent illi, qui eum modum nedum usurpare audent, verùm etiam bestiis & inanimatis rebus, præter subnascentis Ecclesiæ sincerioris exemplum, execrandas conjurationes & frequentem tremendi nominis Dei nuncupationem solenniter applicare, item signum crucis cum oratione Dominica & salutatione Angelica ter vel sæpius repetita (sic Mallei referunt authores) vaccæ consecrare non verentur. Hos ut minimum in secundi Præcepti transgressione haud leviter delinquere, ne quid gravius addam, sentiunt alii.

Bestiis & rebus inanimatis conjurationes superstitiosæ applicantur.

2 secunda part. quæst. 2. cap. 7.

§ 3. Describit præterea Jacobus de Chusa Chartusianus, quomodo sal, panis & aqua exorcismis consecrantur, & quomodo panem cum aqua gustari oporteat novem diebus continuè, quibus etiam recitabuntur tria Pater noster & Ave Maria in honore sanctæ Trinitatis, & sancti Huberti, &c. adversus quemcunque morbum tam hominum quàm pecudum, item insultum satanæ, & morsum canis rabidi. At bonas horas hunc nimis malè collocasse sentio. Alibi ejusmodi sale asperguntur, & thure conjurato suffiuntur homines & bestiæ, & recitantur Letaniæ.

§ 4. Consilium item contra maleficas, ne animalia, &c. ab eisdem inficiantur, sic describitur: Recipe tempore Paschali de candela Paschali benedicta videlicet, stillas vel particulas à superiori parte collectas, ubi ardebat, & fac de illa cera candelam parvam: & tunc in die Dominica surge manè, & accende ceram, & accipe lumen illud, ut stillæ aut particulæ cadant super cornua & aures illius animalis, In nomine P. & F. & duplex S.S. & combure illud animal modicum cum lumine illo benedicto infra cornua aut aures, &c. & quicquid residuum fuerit de cera aut candela, affige ad modum crucis circa stabulum supra januam aut sub janua, ubi animalia solent intrare & exire: tunc illo anno animalia tua non inficientur à maleficis.

§ 5. Benedictionem insuper hanc pecorum, quibus abstrahitur per incubos lac, &c. ut hic scribitur, ita docet libellus. Recipe ramos.

mos palmarum, & fac crucem, deinde scribantur hæc nomina, Tetragramaton Adonai, Otheos, Jesus, Maria, Joannes: & ponantur in modum crucis super crucem præfatam, & tegantur hæc de cera consecrata in vigilia Paschæ: aut scribantur prædicta nomina in cera benedicta ad modum crucis posita super lignum crucis de ramis palmarum prosternatis ante crucem in die Palmarum, & tunc super hoc ponatur in modum crucis parum de corporali & stola benedicta: & illud sui aut involvi debet panno lineo, imponendo modicum de abrotano & foliis palmarum, & istud ponatur in vasculo, trans quod colari debet lac extractum à bestiis: & debet bestia sumere novem vicibus de aqua consecrata seu benedicta: & debent in quibus lac funditur, aspergi cum aqua benedicta, ut suprà, &c. Item, Istud etiam valet contra omnia maleficia, sive sint in braxatura & cultura, tinctoribus & hominibus, bestiis: & sic de aliis, ut infrà. Item, Præscripta nomina contra maleficia scribi debent in cera benedicta, ut prædictum est, & *ponatur* in cervisia recenti antequam ascendat, & incipit *laborare* ad caput, &c.

§ 6. † Iesus Nazarenus † rex Iudæorum † Non percuties eos qui signati sunt hoc signo thau T. Istud præscriptum valet pro hominibus & pecoribus, qui sunt per Pythonicam infecti, & debet dari in ferculis aut potibus eorum, videlicet in chartula scripta, ut suprà. Hactenus ille.

§ 7. Idem adhæc hominum genus in foramen cornu vaccini terebra impressum, contra incantamentum quandoque intrudere solet mixturam ex cereæ Paschalis, & ejusdem thuris ac stolæ momento.

§ 8. Huc accedat lactis vaccini restitutio per consecrationis modum in frequenti usu habitum apud ancillam Theodori Lopers, vicarii in nosodochio Kreveldiensi, tres alentis vaccas: quæ ubi domum reversæ, non satis lactis pro more redderent, ancilla Christina nomine, vaccas in mille diabolorum nomine egredi, atque suum repetere lac jubebat: inde ad cujusdam mulierculæ ob maleficium suspectæ ædes progredi, consistereque aliquamdiu cum valido & frequenti boatu illæ videbantur: deinde ad stabulum regressæ, lac refundere solitum dicebantur. Nugæ sunt, & mera ludibria.

Ridicula consecratio.

Grandinis & tempe-

§ 9. Contra grandines verò & tempestates, ultra crucis signum,

gnum, lapilli tres ex grandine in ignem sub invocatione sanctissimæ Trinitatis conjiciuntur, oratio Dominica cum Angelica salutatione bis aut ter recitatur: Adjungitur Evangelium Ioannis. In principio erat verbum: atque signum crucis undique contra tempestatem antè & retrò, & ex omni parte terræ subinfertur. Demum quum in fine ter repetierit exorcista, Verbum caro factum est: & toties annexuerit, Per Euangelica dicta fugiat tempestas ista: subitò tempestas, si eam maleficium excitarit, cessabit. Hæc verissima experimenta, nec suspecta judicanda, dicunt Theologi illi. Qui sanè illud ipsum vitium committere videntur, quod in aliis emendare cupiunt: &, ut ille canit poëta Satyricus.

statis ex maleficio nata sedatio superstitiosa. Ab Augustino interdicitur, & legitur 26. quæst. 7. non observata.

Dum stulti vitant vitia, in contraria currunt.

§ 10. Quantum enim deest ejusmodi conjuratoribus, ut non verè exprimant rationem præstigiatorum & incantatorum? Et tamen ista & similia non in levibus solùm experiuntur rebus, sed etiam in benedictis Dei creaturis, imò in mysteriis & institutis Christi perfidè abutuntur. Sed absurdiora hæc sunt, quàm ut longiori confutatione indigeant. In secundum Decalogi præceptum hic quoque haud dubiè impingitur, quanquam secus ab illis doceatur.

§ 11. Atqui si in nomine Dei & Christi pronunciato preces & exorcismos finiri, & exoptatum finem interdum consequi objiciant, Christi veracis quæso vicissim verba audiant: Multi dicent mihi in illo die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & tuo nomine dæmonia ejecimus, & tuo nomine multas virtutes præstitimus? Ac tum confitebor illis: Nunquam novi vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem. Impiorum itaque exorcismi virtute non cedit diabolus, sed spontè: ut impietatem confirmet, & erroribus alios immergat altius. *Matth. 7.*

§ 12. Rectè itaque D. Thomas de potentia Dei, quæst. 6. art. 10. in solutione 3. argumenti, ait: Si Salomon fecit exorcismos eo tempore, quando erat in statu salutis, potuit esse in illis exorcismis vis cogendi dæmones ex virtute divina. Si autem tempore illo fecit, qui idola adoravit, ut intelligatur eum per magicas fecisse artes, non fuit in illis exorcismis vis dæmones compellendi.

Si jumenta præter naturam quid pati videantur, item contra venena, quid faciundum.

CAP. XLI.

SI verò præter naturam quid pati jumenta credantur (quod tamen cognitu difficilimum, cum ſæpe in paſcuis venena vel depaſcantur, vel ſpiritus attractu illiciant) primùm omnium his pharmacum contra venena vel ſimilia vitia offerri poteſt, & reliqua adminiſtrari, quæ ex naturali conjectura & arte (quam doctè copioſeque tradit Vegetius de arte veterinaria vel mulomedicina libris quatuor, item Columella, Cæſar Conſtantinus, & plerique alii veteres & recentiores) uſui fore arbitrabimur, ſucceſſum toleranter expectantes. Quæ ſi minus juverint, ſed morte armentum abripiatur: velut ſpeculum, mentis oculis opponenda erit Iobi patientia: & quicquid id eſt calamitatis ac damni, Deo ſic volenti (qui dedit & abſtulit, idque ſicut illi placitum eſt, *ita facit*) ferendum erit acceptum: nec ad ariolos aut divinos, aut Pythonis ſpiritu turgidos, contra evidens Dei mandatum, impiè confugiendum. Hi namque imitatione ſacrilega comprobare videntur M. Catonis idololatriam, qui in agro luſtrando certis utitur ceremoniis, ſolennibus ſacrificiis, verbis atque votis Telluri dicatis, ut *inſuetas* alat arbores: ipſis etiam arboribus exoratis ut tranſmigrent, & in alieno ſolo accreſcant: rapis quoque obſecratis dum ſeruntur, ut ſibi & familiæ viciniſque benignè conferant: precibus Marti fuſis, ut ager pecoraque ſerventur.

Columell. de re Ruſt. l. 6. & 7. Cæſar Conſt. lib. 17. 18. 19. Iob. 1.

De re ruſt cap. 141.

§ 2. Suffimentum autem animantium morbis prohibendis utile, legitur apud Vegetium, qui licet id quoque, luſtrare animalia, faſcinum tollere, dæmones fugare, & grandines inhibere, ab aliis malè perſuaſus ſcribit: tamen odore ſuo, cauſa quippe naturali, tam hominum quàm animalium morbis reſiſtere, & aërem deſiccare addit. Ita habet:

De Arte vete. lib. 1 cap. 20.

§ 3. Recip. ſulphuris vivi ℔. ii. bituminis Iudaici ℔. i. opopanacis, achanti, galbani, caſtorei, irios crudi, an. ℥ vi. ſalis Ammoniaci ℥ ii. ſalis Cappadoces, cornu cervini, lapidis gagatis maſculi, lapidis gagatis feminæ, an. ℥ iii. lapidis hæmatitis, lapidis ſideritis, lapidis argeritis, an. ℥ i. equuleas, id eſt, caballiones marinos, caudas marinas, ungues marinos, an. num. 7. uvæ marinæ ℥ iii. medul-

medullæ cervinæ, cedrei, picis liquidæ, an. ℔. iii. ossa sepiæ num. 7. auri ʒ. s, ballucæ siliquam. Hæc universa commisceantur, & succendantur. Sed si memoratos lapides aut invenire nequiveris, aut enormitate precii ab emptione cessaveris, reliqua efficaciter prosunt.

§ 4. Interea tamen studiosè inquirendum, num aliquid monstri alatur, aut fucus alicubi foveatur: quemadmodum à quodam latomo apud Batavos factum memini, qui stabula ingressus, lupi stercus clàm in præsepibus abscondebat: cujus odore, ut voracis sui hostis præsentia, ob antipathiam, veluti malefico actu, territæ pecudes, ultrò citroque exultare, & insolito concitari furore videbantur, unde turbati rustici incantamentum esse conjicerent. Quocirca ad fabulæ actorem, velut è specula hæc observantem, atque sanandi maleficii nomine celebrem concurrebatur: qui tecta fascini materia, lupi nimirum excremento, occultè ablata, ocyus malum amoliebatur. Sublata enim causa, tollitur effectus. Sic rem qualemcunque ex hac professione faciebat: à viris tamen bonis admonebatur, ut maturè ejusmodi falsitati renunciaret, ne merita falsarium consequeretur punitio. *Pecora doloso maleficio acta.*

§ 5. Porrò contra quæcunque venena, oblata philtra aut cupidinis pocula, medicorum imploranda erit opera: ut postquam perspicaci indagine ex relatu, circumstantiis & symptomatibus obortis, si non in veneni essentiæ absolutam cognitionem, saltem ad ejus qualemcunque conjecturam illi pervenerint quàm ocyssimè (in mora enim hic sæpe periculum existit) tum pro ejus qualitate deleteria & vehementia, quàm poterunt artificiosa & exacta methodo admoliti evestigiò manum, alexiteria, & quæ ars dictabit, ordine administrent. Venena, eorumque assumptorum vel aliàs inficientium indicia, simul & propria antidota, medicorum novit schola: nec ea hic explicare, nostri est instituti. Si verò ita affectos, ad temerarios alterius scholæ homines aberrare contingat, mortis aleam profectò haud rarò, etiamsi pestifera veneni vis sit lenta, virulentia pedetentim accrescente, tandemque cordia vitalem fomitem feriente, experiuntur infelices. *Contra veneficium quid faciundum.*

DE MAGORUM INFAMIUM, LAMIARUM ET VENEFICORUM POENIS.

LIBER SEXTUS.

Quod magis infamibus variis diversa sit irroganda pœna.

CAP. I.

UOD meam hic ſententiam à vulgari, & *jam multis* annis inveterata opinione diſſonam, *velut appendicem*, quinque ſuperioribus Libris annectam: non mihi profeſſione medico, verti debet vitio, quaſi vocationis meæ ſepes tranſiliam. Veritatem enim in profundo abſtruſam inveſtigare licet cuilibet, nec illi vetuſtatis authoritatem præponderare oportet ullam. Negotium verò illud dæmoniacum tam inextricabilibus cum ſit involutum labyrinthis, ut non facilè quis hinc ſe explicet, etiamſi ducem habeat emunctarum narium Theſeum: inde ſi aliquis pro ingenii modulo veritatem elicere ſtudeat, non *is* reprehenſione coercendus: at potius juvandus, ſuamque *merebitur* laudem, ſi vel bonæ operæ momentum præſtiterit.

§ 2. Quare autem non concedetur medico, rerum abſconditarum ex profeſſo indagatori, qui huic ſcholæ aliquamdiu navarit operam (quàm verò felicem, erit penes alios judicium) in forum prodire, & ſuam proponere opinionem, citra eorum quorum intereſſe agnoſco, præjudicium? Iuriſperito viciſſim, aut cuivis alii, nedum non invidebimus medici, ſed eum cum fœnore honorem libenter etiam deferemus, ſi in re apud nos magis placitis aut longi uſus obſervantiæ, quàm rationum firmitati nixa, vel alioqui controverſa, ingenuè ſuam interponere volet ſententiam: à nobis certè obviis amplectendam ulnis, ſi inveri cognitionem aliquo ducat modo: rejiciendam autem, ſi à ratione comperiatur aliena.

§ 3. Cum

§ 3. Cum bona itaque Jurisconsultorum venia dicam, magos infames varios quum suprà multo discrimine à sagis & veneficis meritò distinxerim, non eadem debet his simul confusè & indifferenter statui pœna. Quotquot enim magorum nomine dignatus sum, ii non ignoranter, aut coactè, sed studiò sedulaque vigilantia, factis etiam gravibus impensis, interdum & peregrinationibus huc institutis, curiosas has inquirunt artes & blasphemiarum plaustra, libros videlicet execrabiles magno frequenter ære redimunt, è quibus satanicæ scientiæ mysteria, si diis placet, exugant diaboli mancipia & nutricii. Tales post non vulgarem, sed eximiam suo doctori primario præstitam operam, merita donantur ut strenui discipuli laurea, qua is suos cohonestare solet, quos sibi & animo & corpore mancipatos, in præcipitium rapit: nisi ex Dei gratia, conscientiæ aculeo pungente adacti, satanæ nuncium remittant, ac maturè resipiscant.

Magis omnibus non eadem debet infligi pœna.

§ 4. Ejusmodi magos olim capitali supplicio mulctavit Moses. Fuisse item postea punitos, ex Petri verbis apud Clementem liquet. Iste, fratres, (inquit) quem ostendo vobis, paulo antè venit ad me, de Simonis mihi malis artibus nuncians, quomodo ipsam sceleris sui officinam projecerit in profundum, non quasi pœnitentia ductus, sed metuens ne deprehensus publicis legibus subjaceret. Propterea etiam in Judææ Antiochiam fugit territus, putans se à Cæsare quæri ad pœnam.

Levit. 20. Deut. 18. Lib. 3. Recog. Abdi. l. 2. hist. Apost. Lib. 10. Recog. Lib. 9. cap. 15.

§ 5. Tradit quoque Cassiodorus, Athalarici regis Gotthorum esse sententiam: Maleficos, vel eos qui ab eorum nefariis artibus aliquid crediderint expetendum, legum severitate puniri oportere. Quia impium est circa eos esse remissos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos. Huc referatur Augustinus, qui ex Ciceronis sententia dicit, in XII. Tabulis, antiquissimis Romanorum legibus conscriptum esse: Ei qui has artes exercuerit, supplicium sit. Magus & veneficus hic intelligitur, non illusa vetula, cunctarum expers artium. Illorum artem exterminat respublicæ omnes bene constitutæ.

Lib. 8. cap. 19. de Civit. Dei.

§ 6. Sunt interim plerique magi non ita extremè cum aliorum jactura, flagitio sceléreque exorbitantes, qui pro suo nutu ex occulta quadam, quam ex voluntatis & studiorum consensu cum dæmonibus contraxerunt, societate, recitata superstitiosæ vel impiæ conjurationis formula, vel submurmuratis secretò insulsis vocibus,

cujuscunque formæ requisitæ imaginem aut spectrum, præstricto oculorum acumine, in urna vel speculo vel aëre aut alibi ostentant. Nihil autem verè in rei essentia, non phantasticum vel imaginarium, hac ratione præstare hi queunt: quemadmodum omnes Pharaonis magi, ejusdem cum his hominibus professionis & potentiæ, nihil præter rerum præstigiosam exhibuêre faciem. Hoc magorum genus non perinde aliis noxium, ut repudiata dæmonum communione ad mentem redeat pœnitens, & admonendum & compellendum est. Idem in republica ritè composita circumforaneis illis præstigiatoribus & joculatoriis ἀγύρταις meritò accidat, ne ea impunitate, curiosarum rerum studiosæ plebis loculis cautè in posterum insidientur.

Exod. 7.3

Magorum aliis non valde lædentium pœna.

§ 7. Quicunque verò diris execrationibus, exorcismis, precationibus, blasphemo nominis divini contra secundum Præceptum abusu, barbaris vocibus authorem prodentibus, quemcunque effectum præter naturæ ordinem, adversus verbi divini *institutam* à Deo rationem extorquere, in rebus seriis vel ludicris *satagunt: ii* ut curiosarum artium ad propriam perniciem cultores, saniori doctrina primùm instituti, stricta lege coërcendi sunt, & ad resipiscentiam cogendi. Quòd si præfracti perseverent, arbitraria esto mulcta, qua constringantur, ne tandem in legem contra blasphemos à Mose latam deliquisse judicentur.

Levit. 24.

§ 8. Cæterùm magorum plurimi professione sunt religiosi, quos vocant. Qui occultam mentiti artem, maleficii dignotionem curationemque jactare non verentur. Nam si morbo aliquo contumaci, imperitæ plebi ignoto, nec vulgari quis conflictetur, atque eorum fictæ confisus scientiæ, consilium quærat, maleficium esse vel incantationem persuadent morbum ex naturali causa ortum, medicisq; doctioribus non obscurum: additis etiam indiciis, quibus velut digito commonstratur innocens sæpe femina. Morbum hac ratione comminiscuntur, & invincibilem calumniam insonti impingunt, illusores utroque nomine non modò inter perniciosissimas iniqui quæstus ἀρπυίας, adulterinæ monetæ (quòd pietatis prætextu alios inescent, & dæmonio devoveant, offerantque) architectos & falsarios reputandi, verùm etiam illis qui libellos spargunt famosos annumerandi, & velut civilis, ne dicam publicæ tranquillitatis turbatores censendi, si hoc controversiarum & atrocissimorum odiorum, quibus miserrimè conflictantur intonantque vicini-

Magorum religiosorum mulcta.

nix,

niæ, pagi & urbes, feracissimum seminarium, ad justam trutinetur bilancem. Suos tamen hi inveniunt patronos, ob religionis forte titulum. Hos enim qui tangit Christos, Dei configere pupillam clamatur. Hoc grande nefas, & morte piandum. Interim tamen, ut minimum, ab hoc instituto coërcendi sunt, à bonorum fruitione suspendendi, vel etiam exilio puniendi: at pro sceleris enormitate, iis quorum interest, ne sutor (quod dici solet) ultra crepidam, pœnam decernendi, augendi vel immutandi potestatem relinquo. *Zach. 2.*

§ 9. In horum magorum albo censendi suo quodam jure, quotquot contra divini verbi majestatem & genuinum usum, in medicinæ, omnium artium & sacratissimæ & utilissimæ, non tolerandum despectum, contra quoscunque tum hominum tum bestiarum morbos, salem conjurationibus verbisque sacris huc contortis execratum, & aquam eadem potentia expiatam propinant. Huc accedunt qui exorcismis veræ virtutis exortibus, aut inconditis incongruisque verbis, sacro aliquo nomine, vel divinæ Scripturæ vocibus, scitè fucatis ut dolus lateat, teste Augustino: vel sacris aut alioqui horrisonis sine intellectu dictionibus recitatis aut scriptis, & collo suspensis, aut alicubi alligatis utuntur. Superstitionis limites hos transiliisse fatendum est, & propterea redarguendi acriter refrenandique, ne in immane idololatriæ scelus & sacrilegium utrique, & actores, & qui admittunt, incurrentes, illius olim diras subire se pœnas, serò querantur. *Magicorum medicorum punitio.*

Quam pœnam arioli, & qui in annulo vel vitro captivum circumferunt dæmonem, mereantur, & quod magici libri sint exurendi.

CAP. II.

PLerique insuper magi Pythonis spiritu inflati, artem divinandi profitentur: & res perditas quis suffuratus fuerit, aut ubi eæ reconditæ sint, & alia abdita, vel etiam ancipitia, se manifestare posse jactant. Quum autem hi vel φιλαυτίας fumo inducti, ut aliquo habeantur saltem numero, sibi artem vendicant occultam, & scientiam quam ignorant: vel propria compulsi malicia, ut fraudent; sive avaritiæ illecti studio, ut quæstum fraudulenter faciant, *Divini & arioli ut Reipublicæ turbatores & falsarii habendi.*

ciant, etiamsi interdum per satanæ cooperationem nihil aut parum noverint, glorientur nihilominus de divinandi cognitione, sive etiam aliquibus exorcismis, execrationibus, votis & ceremoniis, quod pollicentur, peragant: utrique mendaciis & mendaciorum authori, velut testi certissimo innixi confisique, non ita impunè tolerari debent. Furti enim aut alterius sceleris notam inurunt iis qui hîc ut innocentissimi agnoscuntur, ita & illæsi nominis inter vicinos antea semper vixerunt pacificè: at hoc notati cauterio præter meritum, calumniam in posteritatem multam sustinent, ut hac ratione gravi simultate & odio divellantur conturbenturque numerosæ familiæ, & celebres viciniæ antea continuò pacatissimæ: discordiæ itaque hujus exitialis & calumniarum execrandarum authores, non alio habendos esse loco, quàm seditiosos Reipublicæ turbatores & falsarios, equidem sentio. Quibus, ut minimum, cum primis silentium à magistratu imponi decet: deinde arbitrariam pro delicti qualitate, pecuniæ irrogari mulctam: ac nisi à maleficio desistant, *exilio puniri*: quemadmodum in quodam ariolo Joachimo, ab ornatissimo Senatus Cæsarei ordine apud Geldros, olim prudenter factum memini.

Levit.10. §. 2. Enimverò pœnam à Mose, ex Dei voluntate sub lege veteri, ejus farinæ hominibus constitutam, illis non imprecor. Ea ita sonat: Vir & mulier, in quibus Pytho vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos, sanguis eorum sit super eos, vel capitali pœna digni sunt. Item: Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra illam, & excindam eam de medio populi mei. Et Deut. 18. Non inveniatur divinus qui divinando futura prædicit, nec mathematicus, nec veneficus, nec maleficus, nec incantator, nec consulens Pythonem, nec magus, nec à mortuis sciscitans. Abominatur enim Dominus quicunque ista facit, & ob istas abominationes excindit eos Deus tuus ante

Pœna divina, magis & veneficis à Mose constituta.

2.Reg.1. te. Sic interiit Ochosias rex Israël, quia infirmus spreto Deo vero, & legitimis mediis, misit ad consulendum Beelzebub Deum Accaron. Qua propter à populo Israëlitico illos publico

1.Reg.28 edicto designata pœna exulare voluit rex Saul, qui magos & ariolos abstulit de terra, atque interfecit eos qui Pythones habebant in ventre. Nec pœnas idem ille evasit debitas, quòd hujus fami-

liæ mu-

liæ mulierculam in Endor consuluerit. Contra Manassem quoque, & Israëlitas, Deus mirè excanduit: graviterque puniti fuêre, quòd divinos sustinuerint, 2. Regum 17. & 21. horum etiam meminit Esaias cap. 19. & 44.

§ 3. Suus hic locus quoque debetur iis, qui, ut ipsis ipsorumque voluntati obediat, & ad nutum respondeat, miserum circumferunt dæmonem, in deditionem extremè suffitibus & ceremoniis adactum, & jam annulo ab aurifabro sanè subtili artificiosoque incarceratum: item qui eundem ostentant in duro, nec fragili scilicet crystallo, aut vitro (mirum est, id à diaboli, ex tartaris continuò ardentibus evolantis, calore non colliquescere) tam strictè & irremissè concatenatum, ut suis solùm nunc dominis, velut servus captivus & mancipium, suam divinando, aut res abstrusas detegendo, strenuè præstaret operam. Sic ipse naturalis postulat ordo reciprocus, uti dominus servi dominus, ita & servus domini servus. Hi quum animæ suæ consulant malè, & aliis imponant, impietatisque inquinamentum affricent, minimè tolerandi sunt. *Eorum qui in annulo vel vitro dæmonem captivū circumferunt, pœna.*

§ 4. Præclarum justæ pœnæ, imitationeque dignissimum exemplum ante paucos annos in hujus professionis hominem, Jacobum Jodoci de Rosa nomine, Cortricensem, Arnhemiæ apud Geldros proposuerunt, promulgaruntque Cæsaris authoritate eximii viri Senatorii: ejus ordinis clavum vigilanter gubernante amplissimo doctrina, existimatione & prudentia viro D. Adriano Mario Nicolai, cancellario mihi multis nominibus observando. Annulum ille circungestabat, in quo exorcismis colligatum putabat dæmonem, quem etiam singulis quinque diebus, ut minimum, alloqui, & de rebus novis aliisque consulere, ut ipse ait, oportuit: libros quoque maleficas artes conjurationesque impias continentes habuit, qua occasione non modò hominum & bestiarum morbos ex maleficio ortos ab aliis discernere, sed & curare voluit. Quapropter post suos carceres, heros ille publico loco ante ædes Senatorias circa forum solenniter spectatorum corona cinctus, malleo simulatum captivi dæmonis carcerem, annulum videlicet, posti impositum, sententia ritè lata aperire, atque omnino perfringere cogebatur, eoque modo captum libertate donare: nisi fortè violento mallei impulsu contritum dæmonem credat is, qui annuli solido munimento illum constringi posse *Adrianus Marius Nicolai Geldriæ cancellarius.*

ratus fuerit. Accessit quoque, ut libros in ignem idem ille conjiceret: astaretque tantisper, donec flammæ eos absumpsissent. Exilio insuper puniebatur, post exolutas hujus actionis causa factas impensas. Actum Arnhemiæ, 14. Julii, Anno 1548. Eadem ratione erunt crystallus, vitra, & reliqua nefario usui consecrata organa, sententia solenni condemnanda, & palàm infringenda. Horum artificibus & patronis pro delicti magnitudine, ex æquioris magistratus arbitrio irrogabitur pœna.

Annulus, crystallus, vitra, & reliqua nefario usui consecrata, solenniter infringenda.

§ 5. Porrò de curiosarum harum artium, vel potius præstigiorum libris quid decerni debeat, ne quidem in quæstionem vocandum: quum non modò Romanorum exemplo, qui licet Ethnici essent, tamen Mathematicos & incantatores Senatusconsulto ex Italia pelli, & eorum libros concremari voluerunt, aboleri illos oportet. Verùm etiam quòd memorabile & posteris omnibus sine controversia imitandum hic exemplum legamus in Apostolorum Actis, ubi Pauli Apostoli prædicatione Ephesi *comburuntur cuncti eò comportati execrationum libri, pecuniæ quinquaginta millium precio æstimati.* Hermogenes item magus librorum magicorum copiam magnam offert Jacobo Apostolo, qui exurebantur. Eos qui magiam admirati fuerant, volumina combussisse, tradit Athanasius de Humanitate verbi. Imperatores item Honorius & Theodosius constituerunt, ejusmodi libros sub episcoporum oculis consumi flammis debere. Similes quoque congestos tenebrarum libros uti damnabiles, improbatæ lectionis vocavit, prorsusque corrumpi voluit Ulpianus Jurisconsultus, l. cæteræ. §. 1. ff. familiæ hercisc.

Magorum libri palàm exurendi.

Act. 19.

Abdias lib. 4. hist. Apost.

§ 6. Huc universum illud divinatorum dæmoniacorum thearum, secundo Libro inter infames magos relatum, accenseatur. Ob necromantiam accusatus est L. Apulejus à Sycionio Æmiliano, coram Claudio Maximo Africæ proconsule: & , ut quidam volunt, damnatus: licet plerique secus arbitrentur. Carolus VII. Galliæ rex Egidium regni Marischalcum suspendit ob magiam. De pœna maleficorum apud Persas, & Gyge, Plutarchus in Artaxerxe.

Aug. de Civ. Dei l. 8. c. 19.

Fulgos. lib. 9. c. 3.

Quid

Quid leges & decreta de magis & ariolis, eosdemque consulentibus statuant.

CAP. III.

QUid deinde leges & decreta de tota illa magorum colluvie proposita statuant, subjiciendum duxi: potissimùm verò, quod ab iis quoque objicitur, qui Lamias in tempestate cienda & grandine provocando aliquid posse contendunt, illud est L. multi. C. de maleficis & mathematicis: Multi magicis artibus usi elementa turbare, vitam insontium labefactare, non dubitant, & * manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos: hos (quoniam naturæ peregrini sunt) feralis pestis absumat. Data Non. Decemb. Constantino Aug. IX. & Juliano II. consulibus: quorum ille Constantinus secundus dictus, hic non multo pòst Cæsar factus, & tandem Apostata cognominatus. Lamias autem nostras, ut indoctas, vetulas & deliras, artes exercere nullas, nec ulla ratione elementa movere aut vitiare, quemadmodum nec ullum hominem, nec dæmones cogere ut aliis noceant, posse, satis superque demonstratum est. Quocirca eas decretum hoc minimè concernit. Si quæ sunt, quæ vitæ hominum insidiantur, eique vim faciunt, veneno id fieri oportet: proinde etiam veneficæ tales dicuntur, & sunt: eæ ex hoc edicto puniantur.

** Aliàs manes accitos.*

Vide l. 5. cap. 16.

§ 2. Item lib. 9. Codicis, Imperator Constant. A. ad Maximum: Nullus aruspex, nullus sacerdos (id est, vetitæ magiæ doctor) nullus eorum qui huic ritui assolent ministrare, ad limen alterius accedat, nec ob alteram causam: sed hujusmodi hominum amicitia, quamvis vetus, repellatur, concremando illo aruspice qui ad domum alienam accesserit: & illo in insulam deportando post ademptionem bonorum, qui eum advocaverit suasionibus vel præmiis. Idem Imp. ad populum: Nemo aruspicem consulat, aut mathematicum, nemo ariolum: augurum & vatum prava confessio conticescat, Chaldæi ac magi, & cæteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur: sileat omnibus perpetuò divinandi curiositas. Idem Imper. Constant. A. &c. ad Thaurum præfectum prætorio: Etsi

Contra divinos, magos, sacrilegos, & veneficos lata Imperatorum leges.

Chaldæi, magi & malefici.

excepta tormentis sunt corpora honoribus præditorum, prȩter illa videlicet crimina quȩ legibus demonstrantur: etsi homines magi, in quacunque sint parte terrarum, humani generis inimici credendi sunt: quoniam tamen qui in comitatu nostro sunt, ipsam propemodum pulsant majestatem, si quis magus, vel magicis certaminibus assuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut aruspex, aut ariolus, aut certè augur vel mathematicus, aut narrandis somniis occultans artem aliquam divinandi, aut certè aliquid horum simile exercens in comitatu meo vel Cȩsaris fuerit deprehensus: prȩsidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat. Si vero convictus fuerit, & ad proprium facinus detegentibus repugnaverit pernegando, sit eculeo traditus, ungulisque sulcantibus latera perferat pœnas proprio dignas facinore.

§ 3. Nullus debet consulere divinatorem, & quilibet à divinando debet cessare: & contrà faciens punitur, h. d. secundum Salicet.

§ 4. Nullus debet consulere incantatorem de his *quæ futura* sunt, nec Chaldȩos, nec maleficos: & qui contrà *fecerit, ultore* gladio capitali pœnȩ subjacebit. Vivianus.

§ 5. Qui dȩmones invocant, vel imagines cereas incantant, puniuntur, h. d. Salicet.

§ 6. Facientes incantationes ad finem mali, sunt puniendi: de Jure vero Canonico, etiamsi faciant ad finem boni. 26. quæst. 2. cap. illos. & c. Ex trurum extra de sortilegis. & c. fin. d. tt. ubi Glossa. Bart. Salicet.

§ 7. Ulpianus in l. item apud Labeonem. §. si quis. ff. de Injur. dicit teneri constitutionibus principum eos, qui aliquam illicitam divinationem pollicentur, juxta l. nemo habet. C. de Mathemat.

§ 8. Divinatio divinorumque consulta in Toletano synodo, & in epistolis Decretalibus condemnantur. Gregor. 3 cap. 12. suorum Decretorum. 26. q. 5. c. si quis Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit. Gloss. Phylacteria dicuntur hic chartȩ, in quibus continentur incantationes. Idem & hab. 26. q. 5. contra: Contra idolorum cultores vel aruspices atque sortilegos fraternitatem tuam pastorali vehementius hortamur invigilari custodio: quòd si emendare se à talibus nolle repereris, si servi sunt, verberibus volumus castigari: si verò liberi, inclusione digni, districtamque sunt in pœnam dirigendi.

In Pannormia seu Decreto D. Ivonis Carnotēsis Episcopi, lib. 8. tit. de divinationibus & incantationibus, cap. 61. Phylacteria.

§ 9. Augustinus, & legitur 26. q. ultima, admoneant: Admoneant

neant fideles sacerdotes populos suos ut noverint, magicas artes incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil remedii posse conferre, &c. Et siquis hæc exercuerit clericus, degradetur, laicus anathematizetur.

§ 10. Item ex concilio Ancyritano, can. 34. Qui divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, vel in domos suas hujusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte magica aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant secundum gradus pœnitentiæ diffinitos. Gloss. Secundum legem isti concremantur: sed ille in cujus domo hæc fiunt, post publicationem bonorum in exilium mittitur: ut C. de malefic. lib. nullus. In hac Synodo etiam generali decreto damnatur incantandi ars & sortilegium, ut à diabolo inventum & perniciosum, & jubentur Ecclesiarum administri, id genus mali ex Ecclesiis eradicare penitus. Damnari adhæc præcipitur illa maleficarum opinio, qua mulieres dæmonum illusionibus seductæ, putarent sese noctu cum Diana equitare in bestiis quibusdam, & multa terrarum spacia pervolitare: quum tamen nihil earum rerum verè fiat, & tantùm prę stigiis diabolorum decipiantur.

26. q. 5. ca. Qui divinationes.

§ 11. Item ex Concilio Martini papæ: Si quis paganorum consuetudinem sequens, divinos aut sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut malum foras mittant, aut maleficia inveniant, vel lustrationes paganorum faciant, quinque annis pœnitentiam agant.

§ 12. Item ex Concilio Laodicensi, can. 36. Non oportet sacris officiis deditos vel clericos, magos aut incantatores existere, aut facere phylacteria, quę animarum suarum vincula probantur: hos autem qui talibus rebus utuntur, projici ab Ecclesia jussimus.

Contra nostros incantatores Ecclesiasticos. 26. q. 5. cap. non oportet.

§ 13. Item ex Concilio Toletano 4. cap. 30. Si quis Episcopus, aut presbyter, vel diaconus vel quilibet de ordinibus clericorum, haruspices, aut incantatores, aut hariolos, aut certè augures vel sortilegos, vel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes, consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suę suspensus, monasterii curam excipiat: ibique pœnitentię perpetuę deditus, scelus admissum sacrilegii solvat.

26 q. 5. c. Si quis Episcop.

§ 14. Gregorius Hadriano notario: Pervenit ad nos, quòd quosdam incantatores atque sortilegos fueris insequutus: & omnino nobis solicitudinem zelumque tuum gratum fuisse cognoscas.

ſcas. Studii enim tui ſit, ſolicitè quærere: & quoſcunque hujuſmodi Chriſti inimicos inveneris, diſtricta ultione corrigere.

§ 15. Item ex concilio Aurelianenſi: Si quis clericus, monachus, vel ſecularis, divinationes vel auguria crediderit obſervanda, vel ſortes quas mentiuntur eſſe ſanctorum, quibuſcunque putaverint intimandas, cum his qui cum eis crediderint, ab Eccleſiæ communione pellantur.

§ 16. Item ex concilio Carthagin. cap. 89. Auguriis & incantationibus ſervientem, ſimiliter Judaicis ſuperſtitionibus vel feriis inhærentem, à conventu Eccleſiæ ſeparandum præcipimus.

§ 17. Ex concilio Acquirenſi, p. 2. cauſ. 26. q. 5. epiſcopi: Epiſcopi eorumque miniſtri omnibus modis elaborare ſtudeant, ut perniciosam & à Zabulo inventam, ſortilegam & magicam artem ex parochiis ſuis penitus eradicent: & ſi aliquem virum aut mulierem hujuſcemodi ſceleris ſectatorem inveniunt, turpiter dehone-
Tit. 3. ſtatum de parochiis ſuis dejiciant. Ait enim Apoſtolus: *Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correctionem devita*, ſciens quòd ſubverſus eſt, & is etiam qui ejuſmodi eſt. Subverſi ſunt, & à diabolo captivi tenentur, qui relicto creatore ſuo, diaboli ſuffragia quærunt: & ideo à tali peſte debet mundari ſancta Eccleſia.

§ 18. Canon 61. de ſortilegis damnandis: Qui ſe vatibus tradiderunt, vel iis qui Centuriones dicuntur, aut iis ſimilibus, ut ab illis diſcant, ſi quid ſibi revelari velint, ſecundum ea quæ prius à patribus ſunt ſancita, Canoni qui eſt de ſexennio ſubjiciantur. Eidem pœnæ ſubjicere oportet eos, qui urſas aut ſimiles beſtias ad luſum & perniciem ſimpliciorum circumferunt: & eos qui fortunam, fatum, genealogiam, aut ſimilium verborum turbam ad nugas deceptorias obloquuntur: eoſque qui nubes fugare dicuntur, & imprecatores & amuletarios & vates. In his autem perſeverantes, nec mutantes ſententiam, nec fugientes hæc pernicioſa & ethnica inſtituta, omnino dejiciendos ab Eccleſia definimus, ſicuti
2. Cor. 6. ſacri Canones dicunt. Nam quæ luci cum tenebris communio? aut quæ concordia Chriſti & Belial?

§ 19. Ex Concilio Agathenſi, cap. 3. Perquirendum eſt, ſi aliqua fœmina ſit, quæ per quædam maleficia & incantationes mentes hominum immutare ſe poſſe dicat: item, ut de odio in amorem, vel de amore in odium convertat, ut bona hominum aut damnet

aut surripiat: & si aliqua est, quæ dicat cum dæmonum turba in similitudinem mulieris transformatam, certis noctibus equitare super quasdam bestias, & in eorum consortio annumeratam esse, talis omnimodo scopis correcta, ex parochia ejiciatur.

§ 20. Hic nulla in legibus aut decretis, Lamiarum à nobis descriptarum, aut attributorum iisdem scelerum fit mentio: quare nec eorundem pœnis subjici illas oportet,

§ 21. Quamcumque item divinatoriam artem condemnat lex Mahumetica, asseritque Deum solum arcana & futura nosse: quare à Mahumetanis Inquisitoribus nonnunquam apprehenduntur, conjiciunturque in vincula illius disciplinæ sequaces.

§ 22. Subjungam hic Isychii sententiam lib. 2. comment. in 7. cap. Levit. Quicunque omina & divinationes & purgationes, vel dies & tempora custodiunt, multò autem magis magi & venefici, abominabiles sunt apud Deum. Et lib. 6. comm. in 20. cap. Levit. Non qualecunque peccatum esse, declinare ad magos vel veneficos, prædiximus, in utroque enim à Deo receditur, sive sensibiles Pythonicos & veneficos, sive intelligibiles dicas, id est, eos qui nomine Christi falsa prophetant deceptores & adulatores, qui veneficis sermonibus auditus multorum corrumpunt, ut à veritate quidem auditus avertant, ad fabulas & errorem convertuntur. Item: Pythonicum esse vel divinum sive incantatorem, nimiæ iniquitatis est. Qui enim talis est, & ipse corruptus est, & alios in sua iniquitate corrumpit. Cyprianus lib. de Duplici martyrio: Qui magicis artibus untuntur, tacitè Christum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus.

De magorum infamium & divinorum pœnis edicta Imperialia Germanica.

CAP. IV.

Decreta adhæc contra magos infames & divinos promulgata inter statuta Imperii Germanica de Actionibus criminalibus & torturis, hoc loco adjungam, paucis meam subjecturus explicationem.

§ 2. Artic. 17. Ex indiciis magi infamis vel cujuscunque alius divinatoriæ artis, nullus carceri tradetur, aut quæstionibus subjicietur; magus autem ille & accusator pœnas propterea dabit. Si quoque

quoque judex ex ejusmodi accusatione magi processerit, is puniti hominis impensas, cruciatus, injuriam & jacturam præstare rependereque tenebitur.

§ 3. Artic. 35. Si quis aliquem docere artem magicam voluerit, sive eadem alicui fuerit minitatus, & incommodum sequatur: vel idem incantatoribus aut incantatricibus familiariter usus fuerit: vel suspectas ejuscemodi res, modos aut verba incantationes spectantia usurpaverit: atque idem ille talis magi nomen sustinuerit, indicia hęc videntur rationi satis consentanea sufficientiaque, ut quęstionibus subdatur.

§ 4. Via autem qua jam proceditur, multò est alia, dum solùm ex maliciosa accusatione, vel falsa aut imperita suspicione ineptę rudisque plebis, vetulę à diabolo delusę & obsessę, quinimò maleficio à dęmonio læsæ in terribiles latronum speluncas, & cacodæmonum antra à pręfectis conjiciuntur, & mox crudelibus tortoribus excarnificãdę traduntur, excogitatis multifariis *ineffabilium* tormentorum modis tyrannide non toleranda. Nam *velint nolint*, sint & innocentissimę; non tamen à cruenta hac *carnificina* prius desistitur, quàm delictum illę confiteantur. Sic fit, ut temporis momento semel inter sanguinarios ejusmodi homines in innocentia semel Deo suam offerre malint animam inter flammas, quàm tragicorum truciumque tyrannorum phalarides & equuleos continuo sustinere. Si vero torturarum acerbitate victę inter carnificum manus expirent, vel spiritu vitali viribusque eousque fuerint tormentis inter umbras exhaustæ, ut in lucem productæ, mox exoluantur, animamque reddant, eho cum jubilo exclamatur, eas nimirum sibi vim fecisse (quod & ex cruciatuum vehementia & carcerum squallore fieri posset) aut dęmonem iis collum infregisse.

Notantur iniqui judices, nec ullo modo aequus magistratus.

§ 5. Sed ubi tandem is apparuerit, quem nihil latet, scrutator cordium & renum, ipsius abstrusissimę etiam veritatis cognitor & judex, vestri actus palàm fient, ô vos præfracti tyranni, ô judices sanguinarii, hominem exuti, & cæcitate ab omni misericordia procul remoti: ad ipsius extremi judicis tribunal justissimum vos provoco, qui inter vos & me decernet, ubi sepulta & conculcata veritas resurget, vobisque in faciem resistet, latrociniorum ultionem exactura. Tum palàm fiet vestra Evangelicæ veritatis cognitio, quam tantopere quidam vestrûm eructant: tum

expe-

experiemini quanti apud vos verum Dei verbum fuerit: tum remetietur vobis eadem mensura, qua emensi estis. Exemplis manifestissimis mihi passim in Imperio Romano, ubi hoc promulgatum edictum, obviis, hæc demonstravero haud difficulter: sed unico jam desinam, reliqua præter ea quæ sparsim in toto hoc Opere leguntur, mundo tempore suo ostensurus, nisi ab ea incredibili & plusquam Turcica tyrannide cessetur.

§ 6. Comes quidam mihi non ignotus, intra biennium ob maleficii suspicionem mulierculas duas torturis distractas exussit, quarum altera cruciatuum acerbitate, priusquam in lucem producta esset, expiravit. Ex unius confessione, quæ nobile virum suo maleficio ad insaniam adactum fuisse subsidio cujusdam puellæ nobili matronæ famulantis, præ tormentorum magnitudine fatebatur, hæc eadem puella in carcerem quoque incunctanter abripitur cum viro quodam, atque ea crudelitate excarnificatur uterque à tortore, ut ipse quæstor à Comite ad me missus, quòd priorum fœminarum exustarum confessionem petiissem, suo ore mihi fassus sit, se nihil æquè mirari, quàm quòd incredibilem cruciatuum sævitiam sustinere quiverit. Experimento adhæc in puella hac tentatum fuerat, num aquæ injecta supernataret: quod & accidit, ut etiam hac nota pronunciaretur Lamia. Falsitatem hoc unico argumento ostendi, quòd nobilis nullo maleficio læsus deprehenderetur, sed à dæmone obsessus: quapropter quum sacrificus quidam & monachus in eo abigendo frustra laborassent, nostrum fuit requisitum consilium. Oravi insuper Comitem per ejus quæstorem & literas ea causa scriptas, ut in domus meæ ministerium ob innocentiæ ejus certitudinem destinaretur puella dimissa. Post menses verò multos ea cum viro à tanta carnificina soluta est. Antea tamen etiam in Comitis familiam, & (nisi memoria fallar) in fratrem ejus nothum grassatus fuerat suis ludibriis præstigiisque cacodæmon. Affigitur & jam lecto ipse Comes menses plures mutilus in ætate nondum decrescente.

§ 7. Nunc ad articulum 42. Constitut. Imperial. Si quis maleficii se reum statuat, inquiretur causa & circumstantiæ (ut prædictum est) quibus videlicet organis, quomodo & quando, quibus verbis & quali operatione id perpetratum sit. Si confessioni addat, à se aliquid sepultum esse vel conservatum, incantationi perficiendæ idoneum, hoc ut inveniatur, curandum erit: si au-

tem verbis aut alio opere designatum id intelligatur, similiter attendendum erit, num malefica sint, aut eò spectent: quærendum adhæc, à quo incantamenta edoctus sit, & quomodo huc devenerit: an in aliis quoque ejusmodi maleficio usus fuerit, & in quo, & quod consequutum inde fuerit incommodum.

§ 8. Cum primis hic jubetur, ut prius investigatione prudenti inquiratur, qua materia, quibus modis, quo loco & tempore maleficium sit commissum: an veneficium sit vel ars & ludibrium diabolicum: an etiam in rerum natura existat, & perfici queat: an quoque talibus organis aut mediis: an hæc etiam rei propositæ conveniant: quapropter ab iis rogandum consilium, qui substantias earundemque vires penitius intelligunt: quid adhæc detrimenti harum ope invexêre, vel inferre potuerunt, quum eæ utplurimum res nihili & inefficaces, imò quisquiliæ comperiantur, ut postea Capite septimo & octavo fusius docebitur.

§ 9. Artic. 98. Si quis per incantamenta alicui *damnum fecerit*, punitor hic mortis supplicio, & quidem flammis.

§ 10. Qui verò incantamentis citra alicujus jacturam usus fuerit, pœnas luet pro delicti magnitudine: atque ea in re consilium inquiret judex, quemadmodum de eo quærendo suprà scriptum est.

§ 11. Hic in dubium venire omnino non debet, quin incantamentorum vi hic aliquis jacturam senserit: quod si factum sit, veneficium fuisse necesse est, alioqui non: quum intuitu, verbis, imprecatione, aut inepta quavis materia sub ostii vestibulo aut alibi abstrusa, nulla induci possit læsio, quemadmodum in his Libris multifariam demonstratur.

Magis resipiscentibus proponitur Sylvestris secundi papæ historia.

Cap. V.

Sylvest. 2. magi historia, ejusque resipiscentia.

Resipiscentibus autem, pontificis Romani 81. Sylvestris secundi famosum exemplum ex Platina, Nauclero, Petro Præmonstratensi, Bennone cardinale, Chronico fratris Martini ordinis Prædicatorum, & aliis, proponere volui. Hic Gilbertus antea vocatus, natione Gallus, malis artibus (ut ajunt) Pontificatum adeptus est. Adolescens enim, in Floriacensi cœnobio diœcesis

cesis Aurelianæ inauguratus fuit monachus: relictoque monasterio, diabolum secutus, cui se totum mancipaverat, Hispalim civitatem Hispaniæ bonarum artium causa profectus est, ubi se philosopho Saraceno magiæ perito insinuat. Apud magum verò hospitem viderat librum necromanticum, quem ille clàm surreptum cupiit. Cum autem religiosius cautiusque custodiretur, per hospitis filiam, cum qua illi domestica intercesserat familiaritas, tandem secretò ademptum ut perlegeret, impetravit Gilbertus: qui eo bona fide accepto, meditatur abitionem, periculum tamen ex furto sibi metuens. Gilbertus igitur ambitione & diabolica dominandi cupiditate impulsus, largitione primò quidem archiepiscopatum Remensem, inde Ravennatem nactus: pontificatum postremo, anno 1000. (ut tradit Petrus Præmonstratensis: ut alii vero, anno 997) majore conatu, adjuvante diabolo consecutus est: ea tamen lege, ut post mortem totus illius esset, cujus fraudibus ad illud dignitatis fastigium conscendisset. Quanquam interim artes magicas in Papatu dissimularet, caput tamen æneum in abdito conservabat loco, à quo responsa accepit, si quando à spiritu maligno quicquam postularet. Demum cum Gilbertus regnandi cupidus, diabolum sciscitaretur, quamdiu in pontificatu victurus esset? respondit humani generis hostis ambiguè, ut solet: Si non attigeris Hierusalem, diu vives. Dum itaque Pontificatus sui anno quarto, mense uno, die decimo in basilica sanctæ crucis in Hierusalem Romæ sacrificaret, gravi statim correptus febre, fato se moriturum cognovit ex dæmonum strepitu (teste Petro Præmonstrantensi) qui pensum sibi solvendum existimarunt.

§ 2. At pœnitentia ductus Pontifex, & scelus magici erroris sui coram populo fassus deplorat: omnesque primo posthabita ambitione & diabolicis fraudibus, ad bene sancteque vivendum adhortatus est: deinde unumquemque rogavit, ut post mortem truncum corporis sui laceri & disjecti, quemadmodum merebatur, bigæ superimponerent, eoque loci sepelirent, quo sponte ab equis vectum foret. Inter ipsas vero mortis angustias supplicat (inquit Benno) sibi manus & linguam abscindi, per quas Deum blasphemasset, dæmonibus sacrificans. Ferunt igitur Dei nutu & providentia (ut ait Platina) equos ipsos spontè ad Lateranensem pervenisse basilicam, eoque in loco sepultum ejus fuisse corpus: ut scelerati sciant, apud Deum veniæ locum sibi relictum esse, si in vita ali-

quando pœnituerint. Cæterum ab hujus funeris tempore circa annum 1001. ſepulchrum hoc colliſione oſſium & ſudore emiſſo, ſemper Pontificum mortem prædixiſſe fertur: teſte Mario Marco Fryſchio Latibano in Catalogo prodigiorum.

Reſipiſcentis & Remiſſionem conſequutæ maleficæ Magdalenæ Cruciæ, vel à Cruce, Hiſpanæ, hiſtoria admirabilis.

Cap. VI.

Accidit circa annum Domini 1545. in urbe Corduba Bethicæ Hiſpaniæ provinciæ, res non minus ſtupore quàm admiratione digna. Puella obſcuris orta parentibus, quum vix quintum ageret annum, à parentibus aut illis qui ejuſdem curam gerebant, monacharum contubernio adjungebatur, pietatis ne, an paupertatis cauſa, incertum. In tantula ætate & peccati adhuc neſcia (quæ abſtruſa ſunt Dei judicia) puellam aggreſſum eſſe dæmonem ſpecie humana teterrimi *Æthiopis* traditur. Quæ licet primo intuitu non nihil abhorreſceret, tamen blanditiis & pollicitationibus earum, quibus illam ætatem affici noverat veterator ille, eam tandem in familiare colloquium pellexit induxitque, cautione ſemper ſtrictè injuncta, ne hujuſmodi ſocietatem proderet meticuloſa *adhuc*. Apparuit autem toto hoc temporè præcox in puella ingenium ac Indoles rara, quæ cæteris virginibus atque etiam provectioris ætatis monialibus mirè commendaretur. Hoc etenim cumprimis malo genio fuiſse ſtudio videtur, ut juvenculam, quæ univerſæ Hiſpaniæ illudere voluit, ſuo inſtituto idoneam conſequeretur, quam ad religionis & ſanctimoniæ ſpeciem ita conformaret, ut ea ratione quæ ad fallendos mortales unica ſemper eſt habita, voti demum compos redderetur. Hinc ad annum ætatis duodecimum ferè progreſsa, de conjugio ſollicitatur à dæmonio, ſe facturum promittente, ut per triginta vel neſcio quod annos amplius, ea ſanctitatis exiſtimatione per univerſam frueretur Hiſpaniam, qua omnes facilè vel ſuperaret, vel certè æquaret, qui eo laudis genere unquam fuêre celeberrimi. Ab illiuſmodi contractus opinione, ſi quandoque Magdalena voluptariis ludibriis in cellula indulgeret, alter dæmon hujus ſponſi famulus, interea temporis in veræ Magdalenæ forma ejuſdem vices

Magdalena de Cruce malefica.

ces gessisse in choro, claustro, templo, in omnibus demum conventualibus (quos vocant) congressibus magno pietatis studio, scribitur: Magdalenæ item denunciasse, ubi ab Ecclesiastico servitio liber esset, quicquid rerum in orbe terrarum tractaretur: quod quum ipsa iis apud quos in summo erat precio, significaret, eximiæ sanctitatis de se existimationem mirè augebat, vatisque sibi nomen comparabat. Qua ratione præter ætatis morem in Abbatissam tandem communi fraterculorum & monachorum suffragio electa est. Vulgatissimum hoc est, quoties moniales consuetis suis diebus communicabant, sacrificium ex numeratis panis orbiculis, unum semper desiderasse, qui talium scilicet angelorum ministerio ad Magdalenam in ter moniales in choro consistentem, clàm perferebatur, & quem ore acceptum circumstantibus in miraculi testimonium illa ostendebat. Fertur ad hæc, quòd quum inter missæ celebrationem Magdalena non procul abesset, interposito tamen pariete, hic ad hostiæ missalis elevationem dehisceret, conspectaque eadem sacrata cibaretur. Haud minus notum habetur, quoties in aliqua solenni feria sacra, hæc abbatissa à monialibus esset ducenda, ipsam insigni atque prodigioso quopiam miraculo, edito in omnium astantium conspectu, nunc è solo elatam ad tres aut amplius cubitos in altum, nunc ferentem parvuli JESU recens nati idolum nudum, ad lachrymosas suas preces (lachrymis etenim valebat multum) crescente ad imòs usque talos capillitio, quod mox ad justam pristinamque formam rursus contraheretur, cum nudo idolo coopertam: atque id genus aliis præstigiis diem festum actionemque ipsam reddidisse sanctiorem. Quanquam verò eam summæ pietatis famam ad tot annos duraturam, in contractus initio Magdalenæ promisisset milleartifex, id tamen inutilibus factum miraculis. Neque enim ulli mortalium ægrotanti contulisse sanitatem, auditum unquam.

§ 2. Interim à pontificibus, Cæsare & Hispaniarum proceribus accipiebat literas, qui se quoque & sua negocia ardua sanctissimis ipsius precibus commendabant, quinimò de rebus etiam gravissimis eam velut divam aut fatidicam quandam Oldam consulebant: quemadmodum & postea detecto iniquitatis mysterio, docuerunt literæ summorum Christiani orbis magnatum, in *Hujus meminit quoque Hieronymus Benzo Mediolanensis in historia novi orbis.*

 ipsius

ipsius repertæ scrinio. Erant ad hæc fœminæ non ignobiles, quæ prolem recens natam non aliis involvebant fasciis, quàm prius sacris Magdalenæ Cruciæ manibus contrectatis consecratisque. Neque levi hic sibi applausu placebat universus ille monialium ordo, quicquid illud sanctitatis erat, sanctissimæ suæ Regulæ acceptum ferens. Interea in tanto insignium doctorumque hominum cœtu, qui eas dæmonum imposturas agnosceret, fuit nemo: tam densæ fuerunt tenebræ, tanta hominum caligo & cæcitas. Tandem tamen pro ineffabili sua bonitate sceleratam hanc hypocrisin & satanicam fraudem manifestatam voluit ipse unicus veritatis Parens. Annis itaque ad minus tringinta in dæmoniaca illa familiaritate exactis (duodecim verò monialibus præfuerat) Magdalenam anteactæ vitæ cœpit pœnitere. Quocirca diabolicas detestata artes & nefandam societatem, Visitatoribus Ordinis quos vocant, qui circa id tempus fortè aderant, præter omnium opinionem, scelus illud insigne ultrò fatetur. Sunt autem Hispani non malæ fidei & insigniter docti, qui mihi narrarunt, Magdalenam animadvertisse conventuales suas fraudem suspicari, & ea causa se accusandam, ac propterea scelus spontè fassam fuisse: cumprimis quòd apud Hispanos moris sit, si quis crimen ultrò confiteatur, ejusdem remissionem consequi reum.

§ 3. Mirari ac stupescere tum omnes rei novitate, visumque negocium exactissima inquisitione dignum. Ea ut commodius & legitimo administraretur ordine, in eodem monasterio in carcerem includi jubetur Magdalena. Inquiritur demum: illa fatetur singula: interim à suis artibus non desistit Æthiopicus ille dæmon. Enimverò quum ipsa detineretur captiva, carceres foris observantibus vigilanter ministris, dum acta illius examinantur, monialibus hora noctis duodecima ad matutinas preces, quas vocant, chorum ex more ingressis, en Magdalenæ spectrum, quo illa assolet loco, in primaria quippe chori sede, conspicitur flexis genibus oranti simile, aliasque moniales ad consuetas preces & conciones expectans, quarum nulla fuit quin ipsam esse Magdalenam crederet. Putabatur verò ea libertate communes observandi preces & conventus, à Visitatoribus donata esse ob insignem quam præ se ferebat resipiscentiam. Sic nocturnis his orationibus solum præfuit spectrum: quibus finitis, ad suam quælibet monacha rediit cellulam, ausa minimè Magdalenam alloqui ob pristinæ existimationis

mationis honorem. Insequenti autem die, quum ipsam adhuc carcere coërceri intellexissent moniales, proxima nocte in choro conspectam, Visitatoribus indicant: qui inquisitione penitius facta, ipsam è carcere non fuisse egressam compererunt. Actio in illam instituta, ac juris processus tandem missus Romam, & ob spontaneam maleficii confessionem, veniam & plenariam absolutionem consequuta fuit Magdalena malefica. De qua tetriora quædam habet historia, à me studio omissa, quòd solùm insigni magistratus tanti exemplo, veniam resipiscentibus deberi, nec diris flammis tam atrociter absumendos, ostendere voluerim.

Figmentum miserabilis finis cujusdam maleficæ mulieris.

CAP. VII.

TRistiorem maleficæ Anglicanæ finem describit ex Guillerino Vincentius, licet figmentum esse credam: tamen ut misceantur seria jocis. Lectorem juvabit fabula, vel historia fabulæ non absimilis. Mulier, inquit, eodem tempore apud Berheliam Angliæ villam, malefica & divinatrix, cum quodam die conviváretur, cornicula quam in deliciis habebat, vocalius solito nescio quid cornicata est. Quo audito, dominæ cultellus de manu excidit, simul & vultus expalluit: eaque diutissimè ingemiscens, in hæc prorumpit tandem verba: Hodie ad ultimum sulcum pervenit aratrum meum, hodie incommodum grande & audiam & patiar. Adhuc ea loquente, advenit nuncius, eodem die ejus filium & totam familiam subita interiisse morte narrans. Ea re intellecta, continuò saucia dolore decubuit: jussitque acciri superstites liberos, monachum & monacham, quibus cum gemitu ait: Ego miserabili meo quodam fato dæmoniacis artibus hactenus operam navavi, vitiorum omnium sentina, & illecebrarum magistra, spe tantùm vestræ religioni innixa, quum à me ipsa desperarem. Nunc itaque, quandoquidem me dæmones habituram exactores pœnæ scio, quos habui scelerum suasores, per materna vos rogo viscera, ut mea tentetis levare tormenta: erit enim de animæ perditione sententia irrevocabilis. Corpus ergo meum, in corio cervino insutum includite in theca lapidea, operculum deinde ferro plumboque constringite, & lapidem ipsum tribus magnis circundate catenis. Si tribus noctibus ita securè jacuero, quarto die me sepelietis, quan-

In Spec. hist. l. 26. cap. 26.

Malefica & divinatrici quid à morte acciderit.

tis, quanquam terram corpus non admissuram ob mea maleficia verear. Cantentur pro me Psalmi quinquaginta noctibus, & Missæ celebrentur totidem diebus. Matris voluntatem exequuntur liberi, at nihil promoverunt. Primis enim duabus noctibus, cum clericorum chori Psalmos canerent circa corpus, dæmones ostium templi immenso obice clausum, levi negotio confringentes, duas extremas thecæ funeralis diruperunt catenas, media autem operosior permansit illæsa. Tertia nocte circa gallicinium, strepitu eorum qui ostio appropinquabant, totius monasterii fundamenta videbantur succuti. Unus autem cæteris vultu terribilior, & statura celsior, januas majori virtute collisas in frusta dejecit, arrogantiusque funus petit: inclamatoque mortuæ nomine, ut surgeret imperavit. Ea mox respondente. Nequeo ob vincula: Solvêris, inquit, & malo tuo. Statimque catenam, quæ reliquorum ferociam eluserat, nullo conamine veluti stupam infregit, thecæque funeralis operculum pede detrusit, & apprehensa manu palàm omnibus eam ad templi fores protraxit, ubi in procinctu stabat equus niger superbè hinniens, undiquaque prominentibus uncis ferreis: quibus imposita misera, ab intuentium oculis cum universo comitatu evanuit. Suppetias tamen orantis clamores miserabiles per quatuor ferè audiebantur miliaria.

Lamias hæreticis non esse annumerandas: item de custodiæ & carceris discrimine.

CAP. VIII.

QUoniam verò Lamiæ, quas ita nuncupant, sunt sexu mulierculæ, utplurimùm vetulæ, natura melancholicæ, mentis impotes, animum temerè despondentes, exiguæ in Deum fiduciæ, iis velut idoneis organis libentius se diabolus adjungit, ac promptius insinuat, ut earum mentes variis conturbet formis: quarum ludibriis effascinatæ, se fecisse existimant, fatenturque id quod ab ipsis fuit alienissimum. Enimverò si perspicaciori mentis acie rem omnem ad normam exigas eorum quæ à dæmone & agi possunt, & aguntur, ac quæ ab hominibus, illius opera ac instrumentis propositis perfici creduntur: à dæmonio, quicquid id est, designatum esse comperies. Vix itaque inducor, ut eas in hæreticorum numero collocare audeam: quum hoc

Quomodo Lamiæ delusæ dæmonis opera putent esse sua.

Hæreticus quis.

hoc nomen nemo, nisi semel atque iterum admonitus, & tamen fanaticis imbutus opinionibus, constanter & prefractè perduret, mereatur. Error in mente non facit hæreticum, sed voluntatis pertinacia. Quare hæ mente prorsus à satana corruptæ, & falsis imaginationibus distractę, si nihil aliud ipso actu in alium commiserint, erunt examinandæ, & rectius in precipuis nostrę fidei Christianę capitibus instituendę, ut quod in suæ hujus religionis inchoatæ primordiis spoponderint, diabolo renunciantes, atque ejus tamen clandestino fraudulentoque inductu (quod primę parenti Evę quoque contigisse scimus) postea declinarint incautæ, id jam resipiscentes, ex salubriori institutione præstare per Dei gratiam, omnibus suis viribus satagant. Quid hic dæmonio minus poterit, suasione contraria fidelis JESU Christi minister? qui ovem satanæ suggestione perditam requiret, atque ad ovile Christi reducet. Facilè verò, facto attentè periculo in ipso articulorum Fidei examine, si fortè alicubi aberrarit malè persuasa, elucescet: & num saniori doctrinæ pertinacius reluctetur melius docta, mereaturque hæreseos notam: an conversa, & à seductionis vitiatæque mentis veterno excitata, in Ecclesiæ membrum denuò recipi, & pro se orari ex toto pectore cupiat, obsecretque.

Th. 3.

Postea cap. 21.

§ 3. Propterea non tam proclives esse decet Christianos, ut fide & mente propter sexum ac ætatem imbecilles vetulas, ex sinistra alicujus malevoli opinione, sugillationeque, intetros illos, squalidos, hominum custodię non designandos carceres, horrida cacodæmonum captos torquentium domicilia, præcipites agant, atque crudelissimo cuivis tortori immaniter excruciandas quovis etiam atrocissimo tormentorum genere, velut in Phalaridis tauro conclusas, in carnificinam, humanitatis profecto affectum omnem exuti tradant: quemadmodum multis in locis non tam prudenter quàm severè fieri constat.

§ 4. Præter exorbitantium cruciatuum dolores iniquè inflictos, animadvertendum etiam, inter carcerem & custodiam multum discriminis constitui à Jurisperitorum schola: quæ, eorum qui posteà plectentur vita, custodiam neutiquam vult esse pœnam: quam à carcere horrido diram irrogari etiam insontibus senserunt, qui præter meritum quandoque in illum fuère detrusi. Verùm ut ęquitatis commiserationisque ratio labefactata negligitur,

Discrimen custodia & carceris.

Cod lib. 9. de custodia reorum, l. 1.

 contem-

contemniturque: sic & custodiæ nomen cum usu apud plerosque propemodum evanuit. Ita fit, ut solitudine diutina, carcerum squalore, caligine tetra, variisque dæmonum spectris exhorrescentes misellæ Dei creaturæ, antea nonnihil diaboli assidua suggestione, fascino & delusione, mentis sensu luxatæ, & jam denuò torturis. Variis excarnificatæ, dum quæstionibus atrociter subjiciuntur, cum morte semel momento acerbissimam ejusmodi vitam commutare malint, quæcunque proposita flagitia libenter confessæ, quàm ferocius in easdem putidissimorum carcerum speluncas & equuleos præcipites retrudi.

§ 5. Hoc modo factum est, quòd haud ita pridem aniculam tormentis eò adegerint, ut jam Vulcano litanda, fateretur se hyemis proximæ anni sexagesimiquinti supra sesquimillesimum, asperitatem incredibilem, frigus extremum, & durantissimam glaciem genuisse. Nec defuêre viri graves, qui veris veriora hæc crederent, quum in universa rerum natura nihil extet insulsius, quemadmodum ad me scripsit D. Antonius Hovæus, vir *doctrina, pietate,* atque existimatione amplissimus, abbas Echternacensis.

§ 6. Ad truculentæ hujus tragœdiæ actus egregiè perficiendos, ne quid interim desideretur, utplurimùm accersuntur sanguinarii spiculatores, qui flagitiorum inauditorum, & sæpe in rerum natura non existentium confessionem potionibus eliciant: quæ *profe*ctò non ex aliis possunt apparari substantiis, quàm quæ vel inebrient, vel dementent. Ab iis itaque, quibus mens ejuscemodi potionum vi læsa est, quomodo veritatem, cui in re criminali fidendum, inquisieris?

Experimenta in dignoscendis Lamiis fallacissima.

Cap. IX.

At eheu tanquam ad sacram anchoram in Lamiis citra hæsitationem cognoscendis, & velut digito commonstrandis, ad aquas confugitur, ubi manibus pedibusque colligatis, vel pollice manus dextræ, magno digito sinistri pedis, & vicissim pollice sinistræ, digito magno dextri pedis transversè vinculo astrictis, lamias maleficii reas, aquæ injectas nunquam submergi, at supernatare, velut certum experimentum, nec fallax indicium esse, apud magistratum & carnifices in plerisque ditionibus observatur. Næ illud

illud nimis est ridiculum, mirumque, huic insulsæ persuasioni ullum hominem, vel leviter rationis sensu præditum, fidei tantillum apponere. Quandoquidem maleficium si quod est, cumprimis è mente emergit, dum cum diabolo confœderatas Lamias, Deo renunciasse, creditur.

§ 2. Quid hic causæ comminiscoris, quo minus in aquis subsidere, quàm aliæ, debeant? Natationis siquidem causas, uti levitatem, raritatem, spiritus sustinentis conclusionem, corporis vivi habilitatem, idque genus reliquas naturales occasiones, non magis inesse his corporibus, etiam sontibus, ut quidem fateor: ita asserere audeo, si quid ejusmodi præter naturæ ordinem vidiatur, id fieri suffulciente feminas, de quibus etiam falsa est suspicio, diabolo, ne submergantur (connivente Deo ob incredulitatem magistratus, fallax hoc experimentum admittentis) quo in sententiam iniquam judicem tandem inducat hac fraude impostor ille, ab initio sanguinarius. Corpus nullo pacto immutat, ut rarius leviusve & natationi convenientius reddatur, fidei abnegatio, voluntas mala, vel corrupta phantasia. Hic profectò credi magis oportet naturali rationi, quàm ementitæ experientiæ, stultæ & ineptæ, nulli etiam nixæ rationis basi, & observatæ sæpenumerò falsæ, propterea quoque à diabolo inventæ, & ab homine Christiano profligandæ. Mulierem quoque rariore carne præditam, & teneriorem esse, quàm virum, docet Hippocrates. *Natationis causa.*

§ 3. Tradit verò Philarchus, in Ponto genus Thibiorum esse, & multos alios, quorum notas in altero oculo duplicem pupillam, in altero equi effigiem assignat: nec eosdem posse mergi, ne quidem veste degravatos. Id si verum est, connatum esse oportet. *Lib. 1. De Morbis mulie-br. in initio.* *Plinius Lib. 7. cap. 2.*

§ 4. Similis temeritatis & superstitiosæ dæmoniacæque falsitatis experimentum est, quod in malleo legitur: Die Dominico sotulária juvenum axungia seu pinguedine porci, ut moris est pro restauratione fieri, perungunt: & sicubi ecclesiam intrant, tamdiu maleficæ ecclesiam egredi nequibunt, donec exploratores aut exeant, aut illis exeundi licentiam expressè concedant. Nec absimile erit, quod in hanc dignotionem plerisque in locis observatur admodum impiè, ubi ex terra quam ter spata primùm in sepultura injiciunt pastores, portiuncula Missæ sacrificio scilicet sanctificata, calcando templi limini supponitur: nec sagam, si in templo sit, tum posse egredi putatur. Item assulas sume ligni quercini, in quo *2. Secunda partis, quæst. 2. in initio.*

 ali

aliquis sit suspensus, vel se strangularit: inspergantur illæ aqua lustrali, collocenturque in templi ingressu: nec egredi ea poterit, nisi assulas summo veris.

§ 5. In libello Conjurationum Romæ & Avenjoni impresso sic legitur: Ad corrigendum & notificandum maleficam, accipe mulctram novam, & formulam casealem novam, & staneam novam, & mulge de omnibus vaccis, quas habes, tantum lactis, quòd possis formare vel facere unum caseum in nomine illius maleficæ, & forma per prædicta vasa unum caseum: & cum factus est caseus, perfora cum armilla acuta totum caseum: & per hoc denudabitur ipsa malefica in facie, &c. Considera item maleficam in fronte illius, quia diabolus abradit eam cum ungula post consensum ad delendam sacram unctionem baptismatis, ita ut stigma in fronte gerat: id quod tamen semper, quantum potest, cum peplo velare nititur. An hoc verè ita contingat, vide lib. 3. cap. 3.

§ 6. Præterea regulus apum à Lamiis devoratus, *creditur has*, ne delictum intormentis fateantur, confirmare. At *eadem hic est* ratio, quæ in aliis, superstitiosa nimirum credulitas. Contrà, Achemenidon plantam colore electri sine folio nasci in Tardistylis Indiæ, meminit Democritus, cujus radice in pastillos digesta, in diemque ex vino pota, noxii per cruciatus nocte confiteantur omnia per vanas numinum imaginationes. Experimentis illiusmodi haud absimile, quòd olim in Norvegia & aliis multis in locis, cum quæstio ageretur de homicidio aut adulterio, candens ferrum suspecto in manum dabatur: quæ si illæsa maneret, absolvebatur suspectus: at si lædebatur, uti reus condemnabatur. Huc pertinet exploratio, quæ alicubi fiebat per ferventem & bullientem aquam. Innocens sine ulla noxa manum in aquam immittere credebatur, nocens verò læsionem sentire. De utraque exploratione, nimirum, per candens ferrum & ferventem aquam, censendum profectò neutram esse approbandam.

§ 7. Duo etenim non levia hic concurrunt peccata, temeraria scilicet Dei tentatio, & ordinis divini perversio. Hinc rectè in Decreto dicitur c. 2. quæst. 4. cap. Consuluisti: Nam ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent canones. Et quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione præsumendum non est. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione pu-

ne, publicata delicta sunt punienda: occulta verò & incognita, illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.

§ 8. Finiam porrò hoc argumentum pulvere Susati loco arcani habito, & tanquam infallibili experientia comprobato, communicatoque cuidam, qui assiduè torturis ex officio præerat, qui & me prius consuluit in exploranda ejus virtute, ne in exhibendo læderet, quàm alicui propinaret. Conficitur autem ex seminis hyperici (fugam dæmonum vocant) olibani, & seminis cardibenedicti, uniuscujusque drachma una, quæ est unciæ pars octava. Simul cum aliquo liquore ante torturam offertur. Ad cujusvis flagitii confessionem hoc assumpto incitari impellique reum, putatur, quòd nimirum dæmonem confessionem criminis impedientem, hyperici, ut arbitror, usu fugari credatur. Vide & Caput 11. libri hujus nostri Quinti.

Quæ in maleficii perpetrati inquisitione sunt facienda, & confessioni soli non esse standum.

CAP. X.

Regulam autem hanc minimè fallacem à quæstionibus observare decuit, ut de singulis illis flagitiis jam confessis, accuratè cum judicio inquiratur, quas alios passos dicunt, fatenturque ærumnas & calamitates à se illatas lamiæ, num ita se habeant, vel in rerum sint natura: & si comperiatur quosdam ita læsos, vel morbos aut damnum perpessos esse, ut jam ab aliis hæc confessis, designata hujusmodi mala putentur: inde quibus mediis, materiebus aut organis perpetrata sint, penitius investigetur: & num illa media, materies aut instrumenta istiusmodi effectibus producendis sint apta, consonaque. Ubi naturalium rerum & virtutum cognitione celebrium medicorum judicia in consilium accersantur, quemadmodum in aliis quoque casibus eos spectantibus fieri volunt leges.

§ 2. Ut enim non est alicujus melancholici, aut mente vitiati standum confessioni: ita etiam ex illarum confessione non est infligenda temerè punitio, nisi ex certis circumstantiis, & demonstrationibus evidentibus, indubitatum constet veneficium vel venenatio, pharmaco videlicet propinato aut illito: aut eo *Confessioni mente læsi non est standum.*

 loci,

loci, unde halitu certò ferire potuit), deposito.

In actione criminali oportet probationes luce meridiana esse clariores.

§ 3. Oportet siquidem probationes luce meridiana esse clariores, maximè in actione quam vocant criminali, quæ Jurisconsultorum laudabilis est sententia. Nam in hoc maleficii negotio, multa turbulente, vel ex sinistra opinione aut suspicione, vel malitiosè ex maligno affectu, vel ob morborum difficultatem, aut rerum jacturam, ex incredulitate, quòd non satis Dei justæ voluntati ex animo se totos quidem tradant, subjiciantque, dicuntur. Multa insuper confusè de aliis sparguntur, confessione item illusarum à dæmone vetularum sanciuntur, diabolo frigidam hic suffundente, & machinationis clavum fideliter dirigente: ut si quis aurem applicet facilè, accusationem & confessionem ratas existimans, ita se tandem delusum sentiet, quo tanquam in labyrintho inexplicabili involutus, nunquam sit exitum inventurus, si ad legum normam & juris rigorem cuncta ex auditis exequi statuat.

§ 4. Ea satanæ ars est, res usqueadeò tricis subtilissimis *implicare*, confundereque, ut nec ulla Thesei sagacitate *extricari*, nec Oedipi prudentia explicari queant. Sic vel in principiis omnino substitisse, & intra metas se continuisse, aut maturè retrogressum esse præstare, ne diabolo ab initio homicidæ, ob aperta mendacia aut veritatem dolo falsitateque vitiatam, aperiatur fenestra, per quam se in actiones nostras insinuet, ipsa re & usus observatione comperi. Nec omnem longius grassandi occasionem satanæ præcidendi, compendiosior unquam erit via: alioqui mendaciorum, calumniarum falsarum, veritatis momento interdum mixto ut dolus lateat, criminationum atque accusationum *nullus* videbitur modus aut finis.

§ 5. Proinde hic suum habere nervum sententiam verè auream Juris pontificii optarim, 30. quæst. 5. cap. Nec illud: & sunt verba Victoris ad Theophilum: Incerta nullatenus judicemus, quousque veniat Dominus, qui latentia producet in lucem, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quamvis enim vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur, &c.

De Variet. lib. 15. c. 80.

§ 6. Huc Cardani sententiam adduxisse juvabit. Constat has sæpe meritò plecti, inquit, quòd sint maleficæ, aut etiam ob impietatem: cæterùm plerunque stultæ solùm sunt, nec confessio integra,

tegra, nec judicium, velut de latronibus ac furibus, reliquisque sceleratis hominibus, ad mortis pœnam trahi posset. Sed omnia plena vanitatibus, mendaciis, repugnantia, inconstantiaque. Nam illud quod dicitur, convenire & contestari absentes, omnino falsum est: nec nisi de die congregationis conveniunt, cùm vulgata sit quænam sit.

§ 7. Id verò argumentum si rectè & diligenter examinetur, ostendit hanc artem esse prorsus falsam, & illas non verè in unum coire: nam una centum aut etiam plures detegere posset, cùm illarum mulierculарum opinione tot intersint. Verùm non nisi fama agnitas, aut visu, accusant, quas non ex ludo (sic enim visionem illam vocant) sed ex auditu & colloquiis agnoscunt: utrum verò vigilantes, an dormientes, certum est quòd in utroque tempore. Eadem autem vident atque audiunt, ob fixam contemplationem, fidemque illius rei: velut Rasis enarrat de illo qui se gallum ob stultitiam existimabat, statis horis gallorum more ad canendum surgens annis pluribus. Hæc autem opinio ac visio mutuis inter se colloquiis multum confirmatur. Neque adeò frequenter ad hunc abeunt ludum. Quædam enim vix ter in anno accedere sibi videntur, nec quidem volentes: quamvis & hoc persæpe contingere putetur, maximè unguentorum auxilio. Hæc ille.

Trium muliercularum ob maleficii opinionem exustarum confessiones proponuntur, penitiusque excutiuntur.

CAP. XI.

PORrò ut exemplis lucidior evadat res per se obscura, tenebrisque involuta, duarum mulierculарum in civitate Imperiali paucis abhinc annis captarum, exustarumque confessiones, à me requisitas, Consulisque assensu ex codicillis judicialibus communicatas, hic proponere volui, quibus subjunxi tertiam.

§ 2. Primùm una quidem fatetur, se à Deo omnipotente descivisse, & diabolo maleficio adhæsisse, ac amasium suum appellari Bernardum: deinde effecisse singulis vicibus pomo, ut matrona quædam N. sexies partum ediderit mortuum. Confitetur item, se cujusdam viri N. filiam, cerevisiæ haustu per maleficium enecasse: iden- *Prima muliercula uti Lamia confessio.*

ſe: identidem & N. uxorem ita jam lecto tanquam ex morbo affixam, maleficio læſiſſe. Propter hanc confeſſionem, tradendam igni miſellam decrevit magiſtratus: & quidem non immeritò, ſi verè compertum fuiſſet, illa ſcelera ab ea fuiſſe deſignata.

Confeſſionis refutatio.

§ 3. Amabo autem tribus excutiatur confeſſio verbis. Quòd à Deo deſciviſſe ſe fateatur, & dæmonio adhæſiſſe, id in foro civili non erit criminale. Quotuſquiſque etenim noſtrûm eſt, qui idipſum non facit? Siquidem omnis qui facit peccatum, ſervus eſt (docente Chriſto) peccati. Qui committit peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non facit juſticiam, non eſt ex Deo: & qui non diligit fratrem ſuum. Qui non eſt mecum, ait Chriſtus, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Sed admoniti reſipiſcere poſſumus, & pœnitentiæ locus eſt. Quid ergo vetat, quo minus & illa redarguta, rectiuſque inſtituta, ad ſui cognitionem valuiſſet reduci? Sortiatur hic locum apud libri Conformitatum patronos, ubi legitur, uxorem ambiiſſe quendam monachum, ac ut eam adduceret, diabolum oraſſe, ſe illius fore pollicitum, tradito chirographo propria manu, & ſanguine conſignato. Poſtea pœnitudine ductus, animi morbum fratribus fidis explicuit, qui Miſſarum plurium turba dæmonio ſchedulam excuſſerunt.

Ioan. 8. 1. Ioan. 3. Ex diabolo eſt, qui peccatum committit. Matt. 12. Luca 11.

Concubitus cum dæmone imaginarius. L. 3. c. 19. & poſtea.

§ 4. Quòd ſe concubitum dæmonis Bernardi paſſam dixerit, phantaſticum & imaginarium prorſus fuiſſe, ex ſuperioribus liquet: ubi ex profeſſo diluitur illud phantaſma, ut minus fidei vel hoc ſaltem nomine confeſſioni ejus fuerit adhibendum, quæ ex mente hallucinante, erronea quoque cenſenda eſt. Quis alius rogo huic proco Bernardi nomen indidit, quàm ipſus ſibi: id corrupto auditus ſenſui vel vi imaginativæ ingerens, ut edito nomine inter Chriſtianos uſurpato, in majorem confidentiam, mente titubantem mulierculam illiceret, ſibique devinciret? nec ob hanc ſatanæ illuſionem, mentiſque mulierculæ læſionem, mortis pœna irrogari debuit.

§ 5. Nec pomo interimi potuit fœtus, niſi acceſſerit venenum, quod ſolertius indagandum erat: quemadmodum quoque, num ea fuiſset illius veneni efficacia fœtui enecando peculiaris, ut matri hinc nihil aliud inferri potuerit incommodi: & unicum illud venenum ſemel tãtummodò exhibitum toties diverſis annis fœtum

excu-

excuteret: nec solùm invalidæ ejus confessioni standum erat. Quod etenim ex Dei voluntate & arcano consilio contingit, vel diabolo divinitùs permittitur, id vitiato feminæ cerebro dæmon sæpe ingerit, quasi ab illa designatum sit: cujus tamen sceleris illam planè insontem esse comperiet is, qui singula ad rationis perpendiculum non somnolenter expenderit. Idipsum de filia N. cerevisiæ haustu sublata per maleficium, dicendum est. Quid enim cerevisiæ immissum fuerat, quod interimendi vim deleteriam obtineret, adhibitis in consilium medicis, in earum rerum cognitione insignibus, vigilantius erat investigandum. Nec minori studio inquirendum, quibus organis aut mediis conjugi N. morbum conscivisset. Nec vulgatæ & odiosæ carminis aut maleficii voci pronas adeo offerre decuit aures. Enimvero ubi sola incantatione infortunium quodcunque à se procreatum narrant amentes & inconstantes hæ vetulæ, perverso dæmonis instinctu id fieri, easque falsum contra semet dicere testimonium, & à vera morbi ejuscemodi invectione tam esse liberas, quàm quemvis alium, dejerare non vererer. Unde cujus se criminis reos faciant, qui tam inconsideratè immaturas effundunt interdum sententias, ipsi viderint.

§ 6. Jam alterius quoque eodem in loco igni adjudicatæ confessionem editam audiamus, levique investigatione excutiamus. *Alterius excussa confessio.* Confitetur hæc, quum ante sexennium ferè, hora quadam matutina, præ animi desperatione, de vi sibi inferenda cogitaret, ad se accessisse virum quendam proceræ staturæ, & formæ non invenustæ, pallio nigro, & reliquo ejusdem coloris vestitu ornatum. Hic ejus dolorem solatus, inter alia jussit eam non abjecto, sed confidenti esse animo, suum pollicitus patrocinium, seque semper illi res necessarias & pecuniam abundè prospecturum, si modo vicissim ipsius consilio & voluntati se devoveret: inde & magnum auri cumulum illi ostentabat hic vir. Ea vero in ipsius assensit consilium, abnegans Deum omnipotentem, Mariam matrem JESU Christi, & omnes sanctos. Hinc chrisma ei ex fronte exemit, atque se perpetuum fore concubinum spopondit, nomen sibi esse Alexander, inquiens. Fatetur adhæc, concubinum quater domi suæ in lecto opus venereum secum perfecisse: item, se cuidam cerevisiæ coctori N. felicem rerum fortunam carmine subtraxisse, resinæ vulgaris pauxillo, vasi mancipato huic coctioni, subdito: item

to: item, se vectoris N. conjugem valetudine bona per incantamenta privasse, quòd alicujus rei donationem ipsi denegasset: & puerum N. maleficio morbidum reddidisse ac mutilasse.

Confutatio confessionis. § 7. Punienda certè flagitia, si vera sunt. Atqui vides eam non sanæ mentis mulierculam ad restim propemodum venisse, atque contractum iniisse vel imaginarium, vel nullius certè momenti, ut tertio Libro amplissimè ostendi, cum amasio phantastico, qui ea imaginaria vestitus forma apparuit, quum solum spiritus esset vestium & coloris expers: speciem auri præstigiosè hic protulit, qua illam delusit, non aurum: quemadmodum quoque concubitu eam exercuit ludibrioso. Chrisma præterea eximere simulabat, cujus virtus qualis qualis sit, si in externa duntaxat applicatione consistit, vel consimili exemptione perit, jam dudum aqua, qua frons & reliqua toties mundatur facies, eam omnino abstersisset. Baptismi autem vis secus nos docet, eam minimè in carnis ablutione consistere, ut sordes abluantur: sed ut bona apud Deum conscientia bene respondeat. Fusiorem omnium refutationem Libro 3. cap. 3. 4. & reliquis invenies. *1. Pet. 3.*

§ 8. Non plus habebit ponderis, hujus mulierculæ in fraudulento contractu abnegatio: quin si admonita, fideliusque instituta, eas diaboli cognovisset artes, resipiscens, erroremque confessa, in Ecclesiæ sinum rursus debuerit admitti. Petrus à Christo *præmonitus*, ipsum ter, sana mente & corpore, contra animi testimonium, abnegavit, etiam præstito juramento: quem tamen clementiæ suæ oculis Christus usque eò non est dedignatus, ut ipsum etiam Ecclesiæ caput constituerit. Quid frequentius impunitiusque (apud Italos maximè, si quid illis ex voto minus cedat, præsertim in illicito aleæ lusu) quam blasphemis horrendisque vocibus, pollice etiam inter indicem & digitum medium tenso, ac facie cœlum versus erecta, Deum & Christum, in eorum despectū, abnegare? *Matt. 16. Marc. 14 Luc. 22. Joan. 18.*

§ 9. Num insuper resinæ modicum, vasi suppositum, habeat eam potestatem vitiandi cerevisiam, in quæstionem exactiorem vocari oportuit. Aliam etenim corruptæ cerevisiæ causam necessario fuisse asserent, qui rerum naturalium fontes vera ratione scrutantur & intelligunt. Nec sanitate fraudari potuit vectoris uxor, nec puer mutilari per carmen, nisi accesserit venenatio, cujus hic nulla fit mentio.

§ 10. Tertia ita habet. Apud Hollandos in oppidis maritimis,

Rotero-

Roterodamo & Scheidamo, ex piscium captura maximè vivitur. Horum incolæ quum haleces piscaturi enavigassent, & piscium copia onustas reducerent naves Roterodami, retia lapidibus onerata Scheidami retraxerunt. Quod insperatum infortunium maleficio confestim imputabatur. Quocirca mulieri injicitur manus, quæ incunctanter fatetur maleficis suis artibus id accidisse, & se per vitri foramen (quod ostendebat ejus magnitudinis, ægrè ut digitum transmitteret) dum piscibus illi insidiarentur, transvolasse, & in mytuli testa (mossels colp nostraribus dicitur) se mari commisisse, illudque trajecisse usque ad halecum stationem, & ibi incantamentis haleces fugasse, & earum loco subjecisse lapides. Lata hinc potissimùm sententia, flammis illa devoranda traditur. *Tertia confessio ridicula.*

§ 11. In hac confessione expendendum erat, num in rerum natura sit, operante diabolo quomodocunque pro suo arbitrio & viribus, per arctissimam vitri rimam, ne digiti quidem capacem, adultum transferri posse hominem, non ex solo spiritu flabilem, aut ex substantia ductili liquabilive concretum: sed ex solidis ossibus, tenacibus cartilaginibus, siccis tendonibus, ligamentis, nervis, membranisque præter musculosam carnem, compactum: qui si etiam in flatus resolvi potuisset, eorum tamen simul perrumpente vi illud vitrum infringi debuit. Ad rationis item normam oportuit vocari, quomodo in mytuli testula provectæ ætatis fœmina cum tanto lapidum acervo, fretum potuerit sulcare varium turbulentumque. Sed nec trajectu hoc in testula opus fuit ei, quæ mox per vitri angustissimum foramen pernicissimè volarit. Tam verò omnis hæc confessio est insulsa, futilis, dissona, absurda & mendax, ut mulierculam hanc vel delirasse, vel melancholia fuisse agitatam, vel alioqui depravata phantasia ductam, vel à dæmone obsessam, qui vel hujus linguam rexerit, vel ex ea vocem ediderit, quilibet non omnino mentis impos dijudicasse valuerit. *Ejus refutatio.*

§ 12. Glossas comminiscantur quascunque volent ejuscemodi judices, sententiam ita sanguinariam ritè pronunciari posse in re vel incognita, sive extra rationem & rerum naturam posita, nullis unquam convincent rationibus. Quare autem non citius proniusque credam, ex Dei permissu propter hominum incredulitatem, ut *ii punirentur*, aut etiam probarentur, si adsint, fideles, diabolum qui potuit, eos invexisse lapides ut deciperet, quod illi peculiare est: quàm admittam, mulierculam, quæ omnino non potuit, ea per-

 ea per-

ea perpetrasse? Si cum dæmonis subsidio, illam fecisse ocelamatur, & id quidem constanter nego: si etenim diabolus vel millies hoc vellet & conaretur, per exiguam rimam posset neutiquam transferre mulierem: quod tamen accidisse, illa confessa est. Si hoc merum esse delirium, nugas & mendacium obtinuero, mi patres conscripti, quæ reliquis ejus farinæ næniis debebitur fides?

§ 13. Eodem modo infinitæ possent recenseri confessionum formulæ ex publicis magistratuum diplomatibus, quas si penitius expenderis, ἀδυνατίαν vel impossibilitatem (si ita loqui liceat,) inconstantiam, vanitatem, mendacia veritate fucata tectaque, varietatem, labyrinthum, imò fabulas comperies.

Alia confessio explicata: & verbis aut imprecatione neminem posse lædi: item Lamias esse amentes.

CAP. XII.

Haud ita pridem quædam in vinculis detenta, se plurimas virgines religiosas in cœnobio variis tetani cruciamentis exercuisse, indita oleribus mixtura ex aspide, busone & sanguine menstruo simul confusis, fatebatur. Hic omnium primum diligenter inquirendum erat, num ex horum venenorum commixtione, ejusmodi resultent effectus, vel morbi, vel symptomata. Tandem illa publico judicio flammis tradenda, in hoc extremè perstitit constanter, illam calamitatem à se atque matre ægrotis illis virginibus irrogatam quidem, mortemque perpeti velle: hoc autem se palàm confiteri, ne tantillum unquam à se illis per os illatum fuisse. Quò igitur modo diram hanc induxisset sortem, rogata: se mente & imprecatione eam invexisse fassa est. Quibus verò mediis tolli possit illatum malum, deinde interrogata, respondit: Matre & me prius è medio sublatis.

Integram historiam lege lib. 4. cap. 11.

Mente & imprecatione infortunium aut dæmonem alteri non posse invehi, demonstratum est Lib. 4. cap. 18.

§ 2. Unicum hoc dæmonis ab initio homicidæ studium est & machinatio, ut quàm plurimus fundatur sanguis. Utraque enim exusta, nondum desiit horrendum spectaculum: sed à priore sacrifico secundus demum exorcista accessit cæcus, qui ex omnium fermè ægrotarum corporibus dæmonia fugam simulantia abegisse putabatur, à quibus tam atrociter antea fuerant quibusvis convulsio-

convulsionum speciebus excruciatæ: necdum propterea remisit hæc pestis, at longius hinc in proxima proserpsit oppida. Hic post mulierculanum exustionem, se produnt morborum authores: num verò illæ virginum corporibus dæmones cogitatu imprecationéve immittere valuerint Libro quarto decisum est. Ejusmodi hominum impotentiam penitius noverat Imperator Fridericus primus, Barbarossa nuncupatus, in cujus exercitum contra Mediolanenses ductum, hi mercatorem Arabem ablegarunt, qui Fridericum veneno tolleret: qua re cognita, Arabem cepit Imperator, puniitque. Ac licet Arabs magus graviter Friderico minitaretur, se illum verbis enecare, nisi dimitteretur, velle: nullo tamen modo commovebatur Imperator, verbis tantam non inesse vim sciens, propterea & acerbas alter dedit pœnas. Verè itaque videtur dicere Aristoteles, incantamenta esse mulierculanum figmenta.

Lib. 8. de Histor. animal. cap. 24.

§ 3. Cardani verbis & historiæ suus hic erit locus, qui de Lamiis sic scribit: Sunt deformes, pallidæ & sub obscuræ, atram bilem ipso intuitu præ se ferentes. Sunt taciturnæ, amentesque: ac parum ab his quæ dæmonio teneri creduntur, differunt: fixæ in suis opinionibus, atque adeò firmæ, ut si solùm ad illarum verba respicias, quàm intrepidè, qua constantia ea referunt, quæ neque unquam fuerunt, neque esse possunt, tamen vera illa esse existimes. Unde nil mirum ab his moribus, iis qui philosophiæ expertes sunt, egregiè imponi. Laborare autem eas atræ bilis morbo, tum victus ratio, tum aëris qualitas, tum forma atque effigies ipsa vultus & corporis, tum verba ipsa stulticiæ, & (ut ita dicere liceat) impossibilitatis plena, ipseque torvus in dicendo aspectus, tum casus quidam qui Philippi vicecomitis Mediolani principis ætate contigit, declarant.

De Varietate l. 16.

Lamia melancholica, amentes, à dæmoniacis parum differentes, opinionum tenaces.

§ 4. Res vero ita gesta est, ut pater meus retulit. Damnatus erat profanæ hujus artis villicus quidam nomine Bernardus: alioqui vir simplex & frugi, ob idque domino percharus. Sed quia nec minis nec persuasionibus adduci poterat, ut pœnitere vellet, ad ignis pœnam poscebatur à judicibus. Dominus, cujus pigebat, quique principi gratus erat, obtinuit, ut fidejussione data, quanquam illis reluctantibus, liceret hominem apud se viginti diebus habere. Cœpit ergo illum alere non ut medicus, sed ut rusticum nobilis amicus. Quatuor ova recentia manè, totidem

Quinam à judicibus igni devotus ob maleficium, resipiscit ab amentia meliori victu.

 vesperi,

vesperi, tum vinum dulce atque jucundum suppetebat, carnes quoque & jura pinguia. Postmodum ubi vidit hominem ex longo veterno resipiscere, hortatus est, ut omissis falsis atque absurdis periculosisque persuasionibus, Ecclesiæ adhærere vellet. Sed paucis opus fuit, resipuit: optimusque Christianus factus, usque ad mortem absque aliorum querela perseveravit: quem atrocitas judicum immeritò crudeli supplicio affecisset.

Confessio eorum qui se in lupos fuisse transmutatos crediderunt.

CAP. XIII.

HOc loco subjungam eorum confessionem, qui se in lupos aliquoties fuisse conversos, arbitrati sunt: quam in hoc meo instituto sæpius objecêre viri alioqui cordati & magnæ existimationis, eamqne velut ex Tripode prolatam cum summa religione & singulari fiducia, tanquam veracem observant, *quibus* fortè coràm à me non esse factum satis videbitur. *Ut itaque* illis, & quibuscunque aliis, mentis oculi nitidius contra ejusmodi præstigias abstergantur, nec usqueadeò temerè illudi se, oculisque nebulas offundi sinant, neque velut cæcæ talpæ, in sordibus à dęmone obtrusis perdurent, sed àb oculorum pupilla nubeculas, quinimò & ungues permittant sanari à medico, qui pręsens hoc *collyrium* gratis offert cuicunque lucidos & à pręstringente spiritu liberos oculos cupienti: historiam hanc raram vagamque, nec minus admirabilem, ex Sabaudia finitimisque ditionibus in Flandriam, Brabantiam, Geldriam & regiones alias translatam, atque à me in qualemcunque ordinem breviter ea fide ex Gallico scripto contractam, ut jure nihil quod alicujus est momenti, desiderari debeat: deinde excussam, & velut veritatis lapide Lydio exploratam, proponere volui.

§ 2. Ad quęstiones M. Joannis Bom, doctoris Theologię, Prioris Prædicatorum in Poligni, & generalis inquisitoris fidei, ordinati in diœcesi Besanconensi, confessio Petri Bourgoti, nuncupati Magni Petri, & Michaëlis Verdung, captorum ob maleficii hęresin, variis diebus in Decembre extorta, Anno 1521. sed maximè coram multis & spectabilibus testibus repetita postremo ejusdem mensis die.

§ 3. Confessus est Petrus, ante annos circiter novendecim, ipso die

die nundinarum Polignensium tam validam procellosamque defluxisse pluviam, ut non solùm nundinæ disturbarentur, sed & armenta quibus ille custodiendis tunc præerat, ita disjicerent, ut ubi requiri, possent, planè ignoraretur. Quum igitur cum reliquis agricolis pecudes variè quæsitum collectumque abiret, & solus alicubi aberraret, tres equites nigros, atrumque indutos vestitum habuit obvios, quorum postremus rogabat: Amice, quo abis? videris esse turbatior. Verum est, respondit Petrus. Id autem evenit ob pecora ex sævo tempestuosoque nymbo dissipata, & perdita: & cum nullam ea recuperandi rationem videam, animum equidem prorsus despondeo. Bono hunc animo esse jussit eques ille, pollicitus, si modo fidem ipsi daret, magistrum se donaturum, à quo institueretur, ne in posterum ipsius armentum à lupo vel quavis alia bestia impeteretur, aut ullum sentiret damnum, aut etiam ullum periret pecus: ut item ipsum redderet confidentiorem, perditas reperturum pecudes addicebat, nec desideratum iri ullas: pecuniam adhæc se daturum spopondit. Conditionem hic acceptat, se in eundem locum post quatuor aut quinque dies reversurum promittens. Hinc cum villicorum comitatu indagatum pergit, armentumque quærendum investigat, & post quatriduum eòdem ad equitem mox agnitum redit. Quærit ille, num operam suam ipsi locare decrevisset Petrus? quo vicissim interrogante, quisnam esset? respondit: Servus sum magni inferorum diaboli: sed ne metuas. Tum ea lege suam dæmoni operam addixit Petrus, si promissis ille in conservando pecore & beneficiis conferendis staret. Inde Deo, D. Virgini Mariç, omnibus sanctis & paradisi incolis, baptismo & chrismati renunciare jubetur: quo facto, illi exosculandam manum porrigit sinistram, nigram, velut mortuam, frigidamque. Hinc in genua provolutus alter, aperto capite honorem satanç defert, eum appellans dominum. Ne quoque fidei symbolum recitaret, inhibebatur. Perstitit itaque in diaboli ministerio circiter biennium, non prius templum ingrediens, quàm in fine Misse, vel saltem post aquç lustralis consecrationem, qua illum noluit aspergi: sic quoque mandarat ipsius prçceptor, cujus etiam nomen tum adhuc latuit, sed postea se Moyset appellari significavit.

Spiritus carnem & ossa non habet. Luca 24.

§ 4. 1. Interim non erudiebatur Petrus, quomodo jumentum tutari posset: sed hoc officium conservandi pecoris solùm præstare videbatur diabolus, si quando conspicerentur lupi, qui tum nihil in-

hil injuriæ inferebant. 2. Pòst verò pascendi pecoris cura exonerata, facilè diabolum neglexit, frequentans templa, fideique confessionem recitans, annos circiter octo vel novem: donec à Michaële Verdung denuo in sui magistri obedientiam dicto in loco excitatus, ea assenserit conditione, si pecuniam ex promisso suppeditaret præceptor.

§ 5. 3. Ita simul in partibus Chastel charlon vespere quodam convenitur in nemore, ubi ab aliis ignotis choreas duci concurrique visum est. Cernebat autem Petrus in cujuslibet manu candelam viridem, flammam cyaneam subobscuram evomentem.

§ 6. Aliàs illi à Michaële proponebatur, si modo fidem adhiberet, effecturum se, ut quantacunque vellet levitate procurreret. Consensit Petrus, modò servarentur promissa, pecuniaque donaretur: alioqui se fraudem vereri ait. Pecuniam se curaturum abundè, pollicetur Michaël. 4. Qui exutum Petrum nudum linimento inungit, quod secum ferebat, unde hic se mox in lupum verè *mutatum* autumabat, & quatuor suos pedes lupinos ac pilos *intuitus* exhorruit: sed tam celeriter, quàm venti flatus pro*volat*, se concurrisse asseruit: nec id fieri potuisse, nisi vehentis ipsum magistri opera, qui continuo in ejusmodi excursionum volatu aderat: quamvis eum non prius videret, quàm humanæ restitutus formæ. Michaël itidem inunctus, unà tam pernici ferebatur cursu, quàm optaret, celeritate etiam visum prævertens. 5. Ubi eam fuissent passi metamorphosin horam unam aut alteram, rursum à Michaële illiti, opinione citius in pristinam rediêre figuram. 6. Unguentum utrique donabatur à magistris, Guillemin scilicet *Michaëlis* magistro, & Moyset Petri.

§ 7. 12. Ubi de sua lassitudine post ejusmodi cursum, ut se difficulter quandoque erigeret apud magistrum quereretur Petrus: nihil id esse, respondit ille, & mox curatum iri.

§ 8. Contigit quoque Petrum ex Michaëlis institutione inungi, & conversum in lupum, sex vel septem annorum puerum masculum dentibus comprehensum occidere: quem tamen ob clamorem & ejulatum relinquere coactus, ad suas vestes confugit, ubi se herbis ex Michaëlis doctrina fricans, in humanam revertebatur faciem. Simile quiddam Michaëlem cum ipso aliàs tentasse fatebatur, & quodam die in luporum imagine enecasse fœminam pisa colligentem: supervenisse autem dominum de Chusnee,

de Chusnee; cui etiam nocere volentes, aliquoties insultabant frustra.

§ 9. 7. Confessus item est uterque, se in ea lycanthropia trucidasse puellam circiter annos quatuor natam, eamque totam devorasse, excepto brachio: ac Michaëlis palato placuisse carnem, licet parum comedisset: non tamen ad Petri identidem vorantis stomachum ita fecisse. Quandam item puellam se jugulasse, ejusdemque exuxisse sanguinem, & collum vorasse, fassi sunt: similiter tertiam perdidisse, ejusque orificium ventriculi commedisse ob famelicas Petri fauces. Aliàs etiam se ait in horto puellam interemisse octo vel novem annorum, cui dentibus collum infregerat Petrus. 8. Quòd rogatæ ibi eleëmosynæ repulsam aliquando fuisset passus: & hoc perpetrato facinore, evestigio eleëmosynam in Dei honorem ibidem orasse. 9. Hic insuper confessus est, se capram jugulasse prope agrum magistri Petri Bongre: eam scilicet momordisse, & guttur secuisse cultro.

§ 10. 10. Michaël in lupum transfigurabatur vestitus, Petrus vero exutus. 13. Qui etiam se ignorare quo pili devenirent, quando desineret esse lupus, retulit.

§ 11. 11. Lupas etiam se iniisse, & cum tanta voluptate quasi cum uxoribus congressi essent, confessioni addidêre.

§ 12. 6. Aliquando transmutationis tèmpus designatum, opinione & voto brevius erat.

§ 13. 14. Confessioni tandem subjunxerunt, pulverem quoque coloris velut cinere sibi traditum fuisse, quo confricatum brachium sinistrum, & manus, quodcunque animal contingerent, interiret.

§ 14. 15. Hos autem interrogatos, diversè in eodem facto, & controversè nonnunquã respondisse, operæprecium est meminisse.

Confessio sigillatim explicata, & confutata.

CAP. XIV.

IAm convellendæ hujus confessionis usque adeo hactenus celebratæ, periculum pro virium nostrarum imbecillitate facere aggrediamur.

§ 2. In hoc rei cardo vertitur, num tota illa confessio sit vera. Spero autem me, suffragante ope divina, ostensurum manifestè, eam in

præcipuis capitibus veritati claræ adversari: & proinde non modo erroneam, sed & falsam prorsus existere, imaginesque rerum per insomnia tantum cognitarum, vel præstigiose oculis objectarum, pro ipsis rebus proponi: sic ei nullum deberi locum in concilio sano, sed exibilari potius oportere, ut veternosi vel cataleptici fabulam, libere fatebor.

Confessio erronea.

§ 3. Primum de factæ mutua manu stipulationis vanitate, nihil dicam: nec anxie contendam de promissa toties pecunia, & nunquam soluta: & nec de custodiendi illæsé pecoris arte ex pacto non tradita: cum tamen fœdus fuerit initium illis legibus, ut pecuniam subministraret, & armenti à bestiis defendendi artem doceret dæmon. Illam ut non habet nisi imaginariam, sic nec hanc tradere ita potuit aut voluit, quum luporum simulachris, quæ pro suo arbitratu offendere quivit. Petrum solummodo territum circumvenire, & in officio continere, sagacius conaretur: à quibus tamen, licet rebus nihili, evanidis, nec ullam *relinquentibus* noxam, ille dæmonii studiö & industria *pecudes servatas* esse consideret.

§ 4. Quanquam etiam de fidei abnegatione & fœdere ficulneo, in tertio hujus Operis libro, ubi sagarum historiam describo, copiosius disseruerim: id tamen adhuc leviter hoc loco aspergere placuit, 2. fœderis compedes tam omnino fuisse invalidos & exigui momenti, ut quum Petrus à sua pascendi pecoris functione desisteret, contractumque dæmoniacum negligeret, octo aut novem continuis fere annis in veteri religione pie vixerit, unde citius delusi phantasticique hominis stultam fuisse *persuasionem* dixerim. Dum enim pastorem ageret, & in campis solitudinibusque seorsim versaretur, ubi diabolo promptior erat præstigiis illudendi occasio, ejusmodi exercebatur idolis, non adeo renunciationis ratione, quam solitudinis. Proinde & luporum species quandoque evocabat dæmon, quæ nihil damni faciebant, quod nec poterant, ut nudæ rerum formæ: vel si veros demus extitisse lupos, illos eo & egisse & abegisse satanam credibile est, fabula in eum finem ab eo instituta, ut deliris suis inductionibus sibi Petrum arctius devinciret. Quod postea cum hic non amplius ea frequentaret loca, relicto pastoris munere, non ita potuit commode.

Cap. III.

§ 5. Sic anno 1542. apparuit Constantinopoli luporum ingens turba, incolis usque adeo infesta noxiaque, ut inviti domos egre-

Iob. Fincel. lib. 2. Mirac.

deren-

derentur. Turca itaque prius muros civitatis præsidio munitis, postridie cum magno comitatu equestri pedestrique urbem circuivit, tandemque lupos circiter centum quinquaginta ad muri ejus angulum offendit: qui incunctanter impetiti, per murum evestigio simul transilire videbantur, nec ullus postea in urbe aut vicinia apparuit.

§ 6. 3. Chorearum item & candelarum ludicras effigies à dæmone fabricatas fuisse, & solum ficte oculis apparuisse, vel in somno tantum fuisse cognitas, ex Augustino, Decretis, atque ipsis rationum fontibus, Libro tertio, & alibi satis superque demonstravi: ubi quoque universam illam λυκανθρωπίας fabulam, mera extitisse somnia ostenditur.

Lib. 3. c 9 10. lib. 4. c. 22. 23.

§ 7. Cæterum admirari satis nequeo, ullum mortalium saltem leviter mentis sensu tinctum inveniri, qui eo dementiæ sit dilapsus, ut hominem ad Dei imaginem & similitudinem creatum, conformatumque ex corpore, anima & spiritu, Dei & Spiritus sancti templum, rationis hospitium, cupidum scientiarum organum, sublimem, erectum, & ad cœli quasi cognationis domicilii que pristini conspectum, excitatum, imo μικρόκοσμον, cui Deus omnia subjecit, oves, boves, campi pecora, volucres cœli, & pisces maris, eaque propter solum hominem condidit: hunc inquam, in lupum, bestiam irrationabilem, pestilentissimum animalium gurgitem voraginemque, sive in ullam aliam creaturam, rei ullius potentia vel virtute manifesta, occulta aut specifica, vere transmutari credat. Ordinis enim divini providentia non admittit, occlamant Sacræ literæ, contradicunt decreta, ipsa rerum natura atque ratio minime patiuntur.

Homo. Genes. 1. 1 Thess 5. 1 Cor. 3. 6 Lactant. l. 2. c. 12. Inst. div. & de opificio Dei vel formatione hominis cap. 28. Seneca ad Lucilium epist. 77. Cic. de leg. & 1. Offic. Aristot. 1 Metaph. & lib. 2. Physic. Psal. 8. Chrysost. super Matth.

§ 8. Si itaque obtinuero, illam metamorphosin non revera fuisse factam, quod etiam nemo mentis sanæ inficiari poterit, & propterea imaginariam esse confessionem, atque hac in parte falsam: quam fidem quæso merebuntur reliqua, quæ confessi sunt, flagitia & homicidia? quæ in ea transformatione & larva lupina solum fuisse designata, nec aliter eo modo fieri potuisse, jam in confessum venit. At mera profecto sunt deliria, & plusquam nugæ, immo insania. Dolendum sane, prudentium virorum oculos hactenus tam densa caligine fuisse obductos, ut sibi vel fidei momentum in his ludibriis extorqueri permiserint. Sed ea fuit superioris potissimum seculi labes & cæcitas, quo pro libidine

dine cum hominibus crassè nimis, ridiculè & nocentissimè collusit veterator ille.

§ 8. Utinam animo cujuslibet hoc obstricti fascino, etiamnum
Marci 7. ex immensa Dei misericordia insonet dulcissima illa vox Ephphata, ut quemadmodum ea ex Christi ore potenter prolata, surdo aures aperiebat, veritati inde convertendas: & linguæ vinculum solvebatur, qua porrò veritatem prædicaret: ita & ex hac gratia luminis divini radius effulgeat, quo offusis tam impotenter à diabolo tenebris, semel tandem cœlesti luce discussis, profligatisque, in clarissimæ veritatis conspectum & cognitionem citra præstigiarum impedimentum recta perveniri possit. Ne vero quis à me eludi objectiones criminetur, paucis reliquum hujus fabulæ commentum excutiam.

§ 9. 4. Linimentum quo ungebantur lupum induturi, haud dubiè somniferum erat: quale etiam Libro III. capite XVII. descripsi: quod suam sortiebatur vim, cum nudis *partibus* corporis illiniretur, illiceretur que à nativo calore in *actum*: *inde* somno oppressis alto, simulachra conversionis eorum in lupos vagabundos, aliis insilientes, puellas jugulantes vorantesque, cum lupis item coeuntes, & quæcunque id genus alia idola ingerebat milleartifex: hinc & pernix ea subsequebatur velocitas, qualis imaginatione, cogitatu vel somno haud difficulter perficitur. Ubi deinde post horam, vel longius, unguenti soporiferi virtus elanguesceret, periretque, tunc velut ex gravi veterno expergefacti, se homines esse videbant, qui antea fuerant. Simile quid leges apud Augustinum de Præstantii patre, *libro hujus* Operis quarto, capite vicesimosecundo & vicesimo *tertio*: ubi ex professo argumentum id fusius agitatur, explicaturque, λυκανθρωπία etiam morbus describitur.

§ 10. 5 Aliud autem linimentum, quo in hominem redituri se inungebant, vel phantasticum fuit, & in somno usurpari visum, vel contra unguenti somniferi nocumenta facere potuit, vel etiam nihil efficere, ut eo tantùm suos clientes illuserit dæmon, quasi id peculiare quippiam in ea metamorphosi valeret.

§ 11. Quòd etiam citius quandoque in hominum formam redirent, quàm tempus erat constitutum, id evenit, quòd minus linimenti soporiferi illitum fuisset, vel id ipsum non satis penetrasset: ac propterea celerius vis fatisceret, somniumq; redderetur brevius.

§ 12. 7. Quo-

§ 12. 7. Quomodo insuper hæc cohærent, quòd se horam unam aut alteram, vel eo amplius in lupos conversos, in fine puellam cum ossibus devorasse fassi sunt, & mox hominum conditioni restitutos fuisse? in quo sinu amabo, aut ventre, ipsis tam subito in homines reversis delituêre illa puellæ caro & ossa? Adhæc, si integram puellam dempto brachio deglutierint, quomodo se parum comedisse, eidem confessionis articulo adjungunt? Supervixisse præterea eas adhuc, quas à se jugulatas fatebantur, compertum forsitan fuisset, si vigilanter fuisset inquisitum: vel si quæ mortem oppetiissent, eam citra controversiam quacunque alia occasione naturali accidisse, fuisset deprehensum. 8. Deinde quomodo in Dei honorem eleëmosynam orare potuit diaboli mancipium, suo herò, Dei juratissimo hosti ex fœdere obligatum. Si item verè in lupum conversus erat. 9. Petrus, quarum rogo manuum ope in resecanda capræ gula usus fuit?

§ 13. 10. Licet quoque Michaël vestitus loca veneno somnifero in actiones perducendo commoda, ut temporum & manuum arterias, illinire valuerit, non minus quàm Petrus nudus: quomodo in suis vestibus oberrare, homines mordicus apprehendere, morsuque trucidare potuit ut verus lupus?

§ 14. 11. Porro de venerei congressus cum lupa voluptate, hoc tantùm subjiciam, eam imagines somnorinas illa in somni profundioris ex linimento somnifico illusione admodum temerè ciere: quemadmodum etiam quotidie usuvenire in sanis observamus, quibus ex ejusmodi idolis voluptas tanta pro objecta in somno specie delectabili gignitur, ut cum multa titillatione seminis subsequatur quandoque effusio. Infinitis partibus citius faciliusque in his hominibus id evenire potest, quorum phantasiam proclivem servilemque, quibuscunque vult imaginibus, imbuit soporis spiritus. *Esaia* 24.

§ 15. 12. Ad fatigationem à metamorphosi relictam, quæ memoriæ propemodum exciderat, respondeo, ab eo facilè intelligi, quam lassitudinem pariat gravis & inquietus somnus, maximè pharmaco violenter cum teterrimis insomniis impressus, qui incubum in solo invadentem somno novit. Eo detentos difficilis comitatur motus, torpidus in somno sensus, suffocationis imaginatio, & velut ingruentis alicujus detentio: vox etiàm supprimitur, aut incerta indiscretaque editur: plerique tam inanibus afficiun-

afficiuntur imaginibus, ut se opprimentes audire credant. Lassos certe reddit tanta facultatis animalis exagitatio.

§ 16. 13. Lavarum rursus somnorinarum vanitatem amplius ostendit, quod ubi pili post humanæ formæ restitutionem manserint, se dixerit ignorare Petrus.

§ 17. 14. Num quoque pulverem illum dæmon vere exhibuerit, vel acceptus ille tantæ etiam fuerit virtutis, dubium est: quum illos eo fuisse usos, non posset convinci. In ea etenim lycanthropia nullum animal præter capram se morsu & cultro jugulasse confessus fuit Petrus, nec alius interempti meminit. Deinde si tantæ erat venenositatis pulvis, ut si vel manus eo confricta, quandocunque animal etiam pelle crassa densaque, & pilis longis compactisque communitum solo tactu enecaret, quomodo à tam effera pharmaci præsentissimi malitia tuti esse potuerunt hi dementati viri, affrictionem pulveris in brachio sinistro, arteria & manu, unde ad cor proxime celerrimeque penetrare valuit, tam innoxie tolerantes?

18. 15. His ad extremum adde, auditam in confessione Gallica fuisse inconstantiam controversiamque, ut quod aliquando hic affirmabat, negaret alter.

§ 19. Si ejusmodi æquilibrio expenderentur singulæ confessiones, tormentis crudelissimis frequenter extortæ, vel etiam, si voles, sponte à captivis editæ, graviorem profecto indies tyrannidis suæ jacturam sentiret funestissimus ille homicida: Christi autem, qui veritas & vita est, gloria plurimum accresceret: suam item functionem ex Dei voluntate providentius obiret magistratus: in meliorem quoque usum converterentur ligneorum fascium acervi, quibus insontes crebro exuruntur, & parceretur sumptibus in carnificum mercede solvenda inique faciendis.

Exempla mulierculularum innocenter ob maleficii opinionem punitarum.

CAP. XV.

Adde his, celebre apud nostrates existere, prætorem quemdam ex arioli indicio, delusas id genus mulierculas comprehendisse quam plurimas, easque incendio punivisse: tandem ariolum vel Pythium hunc vatem, cui hactenus ille fidem apposuerat, prætori seorsum pollicitum, adhuc unam maleficii ream se indicaturum, nisi iniq; ferret. Prætore haud difficulter annuente, ejus

Pyatoris uxor falso maleficii accusata.

uxo-

uxorem quoque insimulat index: ac ne quid hac in re hæsitaret, palàm se id demonstraturum addicit: horamque præfigit, qua eam reliquarum sagarum conventui & choreis interesse, suis ipse maritus testaretur oculis. Consentit prætor, qui statuta hora quosdam amicos & consanguineos in eadem mensa secum & cum conjuge cœnare voluit, suppressa interim convocatæ societatis causa. Hinc designata ab ariolo hora, è mensa surgit, jubetque omnes simul cum uxore permanere: nec prius loco dimoveri, quàm ipse rediret. Deductus porrò ab ariolo quò is voluit, lamiarum cœtum, choreas, & nescio quas alias voluptatum illecebras, quibus ipsius intererat conjunx, reliquarum delicias sectata, non obscurè videbatur spectare. Mox domum reversus, amicos vocatos eo quo reliquerat ordine, unà cum sua uxore, lætos mensæ assidere comperit. Et cum studiosè, num stationem deserisset conjunx, percunctaretur: eam iidem affixam fuisse loco in ipsius absentia, uno ab omnibus affirmabatur ore. Itaque rem omnem aperuit prætor, ob *inflictam* innocentibus pœnam serò pœnitudine ductus: & si rectè memini, Pythium accusatorem morte mulctabat.

§ 2. Sic in arce Mindensis ditionis Raed nuncupata, de quibusdam fœminis ob maleficium, paucis abhinc annis extremum fuit sumptum supplicium, ex accusatione mulieris Margaritæ Mindensis nomine, quæ aliàs incarcerata fuerat in castro Huisberch, circa Visurgim sito. Eadem postea in oram & civitatem Verdensem vocata, quandam denuò accusavit ea lege, ut nisi illa vinculis tradita maleficium confiteretur, se ream fore voverit: nec certè felix defuit successus. Nàm altera constanter in carcere flagitium negante, & ex gravissimis fortè tormentis eodem in loco expirante, attrahi in vincula jubetur accusatrix, quæ furibunda tanquam venenum & ignem evomens, tortorem & quoscunque alios exterruit, abegitque: donec quidam rationum præfectus, cui penitius innotuerant ejus technæ, manus injiceret, aliosque ad eam apprehendendam excitaret. Sic illa tandem quæstionibus subjecta, crimen quod alteri confidenter inficianti impegerat, ipsa luit. Hanc etenim falsa criminatione detulisse alteram in carcere defunctam, atque alias antea flammis absumptas, constanti spargebatur rumore.

Maleficæ accusatricis falsæ pœna.

§ 3. Nostra memoria Marcoduri, ubi hortorum olera ex grandine dissipata forent, illæsis proximi horti cujusdam vetulæ plantis, qui

tis, qui sæpius esse solet tempestatum tractus, vetula maleficii accusata in carcerem pertrahitur: deinde maxima tyrannide dirissimis subjecta torturis, ad nullius criminis confessionem impelli potuit: sed penes se non esse, tempestatem ciere vel aërem conturbare, Deique solius id opus esse, valde dixit prudenter. Quapropter per trabem suspensam, & onerosis ponderibus utrinque pensilibus distractam, jamque animam agentem, relicturus in illis cruciamentis præses, carnificem ut secum simul abiret potatum hortatur: vetulam, ubi redirent, alia fassuram inquiens. Tum illa miserabiliter excarnificata, ut prius accerseretur confessionarius, quam ille pocula sequeretur, præsidem suppliciter orat: qui irridens discessit. Postea autem reversus, eam ita adhuc suspensam offendit mortuam, mentitus eam sibi manus interea dum abesset intulisse. Nec multo post tempore tyrannus hic in ejusmodi incidit maniam, ut ipse lacerandis vestibus, & excrementis faciei suæ illinendis, vim sibi faceret.

Iniqui judicis pœna.

§ 4. Nec ita procul hinc in alio oppidulo, ubi ulla *carnificina* ad sceleris alicujus confessionem adigi nequiret capta ob maleficii opinionem muliercula, hanc blandis adoritur verbis sacrificulus, ut se non amplius torturis ita distrahi sineret hortatus: at leviter solummodo confiteretur delictum, inde se eam aqua lustrali à maleficiis expiatam, & velut sartam tectam Deo restituere velle promittebat. Hæc ita à sacerdote inducta, circumventaque blanditiis, se forte quædam hujusmodi mala designasse fassa est, ea ratione quemadmodum persuaserat sacrificus, se sperans evasuram. Ob ejusmodi confessionem fallaciter & dolose eblanditam, ut Vulcano ea litaretur, lata fuit sententia. Qua præter expectationem audita, Videte quomodo me interficiatis, præmonuit surdos misera fœmina.

Confessio fallaciter eblandita.

§ 5. Prope Elten pagum, miliare medium ab Embrica, in ducatu Clivensi dissitum, circa viam regiam loco ericeo ante annos circiter quadraginta duos, dæmonium viatores miris variisque exercebat modis, cædens, ab equis dejiciens, vehicula subvertens: nec aliud unquam videbatur, quam manus effigies. Eckerken huic nomen indebatur. Vicini increduli, nec satis hoc dæmonii ludibrium exercitiumque dignoscentes, ad Lamiæ maleficium referunt id facinus: quare manus mulieri Sibyllæ Duiscops nomine, servitutis jure Comiti Montensi mancipatæ injicitur:

Eckerken.

Sibylla Duiscops.

eaque

eaque tandem exusta, desiit vexatio. Non aut id evenit ea causa, quod illa præstigiosi actus fuerit rea: licet quoque ob crudelem carnificinam, vel etiam incredulitatem à dæmonio illusione in facti confessionem induci potuerit: verum ab ejusmodi divexatione à diabolo solum invecta, hic destitit ultro, & quidem libenter, ut homines altius incredulitatis barathro immergeret, & reos sanguinariæ sententiæ redderet, quam cum primis in insontibus avide appetit, ut ab initio homicida. Si etenim industrie observatum, inquisitumque solerter fuisset eisdem horis, quibus manus imagine hoc cerneretur ludibrium, Sibylla domi dormiens utplurimum, vel aliud agens fuisset proculdubio deprehensa. Si confessionem urgeas: eam fuisse à lictore extortam, vel à vitiatæ phantasiæ muliercula editam, respondeo. Quo autem modo illa à diabolo corrumpatur, toties dictum est, ut crebræ repetitionis tædeat.

§ 6. Septem viri judices cujusdam civitatis ad Mosellam eodem tempore, quo mulierem glutinosi ductilisque lactis nomine captam, à me examinatam insontemque pronunciatam, & postea à Reverendissimo dimissam, subjicere examini vellent, communi decreto aliam jubent etiam adduci civem maleficii suspectam à multis annis, nulla habita ratione hydropis, qua tantum non agonizaret tantopere, ut paucos ante dies animam, quam Deo reddere cupiebat, consuetis in Ecclesia Romana sacris & ceremoniis expiarit. Quid fit? Asportatur in sedili, & ad aream arcis, en magnitudine morbi evestigio oppressa, expirat. Nihilominus perseverat plebejorum judicum tyrannis: denegatur sepultura in communi cœmiterio, quæ tandem adhuc ex gratia conceditur. Hinc fit, ut justus Deus etiam quandoque magistratus sinistras sententias & inanem plebejorum credulitatem, plerunque & tyrannidem ulcisci velit: quemadmodum circiter idem tempus, nimirum 9 Septemb. anni 1574. non longe ab hoc oppido prope Linsam accidit, ubi ex iis qui holocausti Lamiarum inspectione afficiebantur, mox circiter quadraginta navigio in Rheno submersi sunt in reditu.

Plebejorum judicum sinistra decreta.

In accusatione ob maleficium, singularis quorundam principum prudentia.

CAP. XVI.

Porro ut ejuscemodi Syrtes & perpetua animarum naufragia providentius declinentur, memoria & imitatione dignissimam sententiam, quam haud ita pridem circa quadragesimam anni 1563. pronunciavit illustrissimus Princeps noster D. Guiljelmus dux Cliviæ, Juliæ, &c. cunctorum oculis velut speculum proponere volui. Agricola quidam ex Marchiæ comitatu, armento numeroso locuples, cujus vaccæ solito minus lactis aliquantisper reddidissent, ad ariolum confugit, capturus consilium: qui protinus se Lamiam ejus jacturæ genitricem ostensurum pollicetur. Hinc ad villici hujus ædes comitatus, *filiam ex* priori ejus conjuge adhuc virginem apprehendit, huic *lactis male*ficio imminuti crimen impingens. Hæc mox à dæmone illusa, male persuasa & inducta, verum esse fatetur: sed se non satis esse maleficii peritam subjungit, simul fœminas sedecim accusans, quas ea in arte absolute doctas esse affirmavit. Illustrissimo principi hæc ilico significantur à satrapa, qui eas omnes carceribus incunctanter mancipari oportere consuluit. Ne tamen alicui hic manus injiceret, graviter inhibuit Princeps: stricte etiam mandans, ut quocunque modo aut insidiis in vincula pertraheretur ariolus ille. Puellam vero ab ecclesiæ ministro acciri voluit ejus Cels. Et in præcipuis fidei Christianæ articulis examinari, deinde ab hac dæmonis illusione doctrina saniori ad mentem reduci: eamque cautiorem ea ratione à satanæ strophis redditam, fidejussoribus constitutis, si modo eos consequi posset (ut magis in officio contineretur) sin minus, tum propria fide interposita, cum bona gratia dimitti. Alias autem matronas, hoc falsæ criminationis cauterio à corruptæ mentis virgine inustas, ulla omnino re gravari minime permissum est. Ac prudentissimo hoc consilio desiit hic fabulę actus, & lac vaccarum qua solet copia fluxit. Utinam hoc salubri exemplo moniti alii, principiis harum tragœdiarum quibuscunque legitimis piisque rationibus irent obviam deliberatiores: non profecto in re, ubi parum certi posset statui, velut

Guiljelmi ducis Cliviæ, etc. prudentia.

In Imperial. const. tit. de action. criminal. artic. 21.

velut in extricabili labyrintho implicati, ex simplici errore in mille ita prolaberentur cauti minus, unde tandem nullus videtur evadendi aut finiendi modus. Ejusmodi telæ genus solerter contexere novit, consuevitque veteratorius ille textor.

§ 2. Sed maximopere dolendum est, in iis qui principibus sunt à consiliis, vel magistratum gerunt, aut rempublicam gubernant, desiderari quandoque maturam deliberationem, discretionem, & absolutam rerum intelligentiam: unde fit, ut præcipites nimis plerunque ferantur ad sanguinis effusionem tum in hoc negocio dæmoniaco, tum in causis quibusdam aliis non ita diffinitis. Quanta autem consiliorum maturitate ac providentia contra has dæmoniorum artes, sine innocentium carnificina, cuncta administrentur in amplissimo regno electoris Palatini D. Friderici, principis (quod citra palpum dictum volo) sapientiæ insignis, memorandæ pietatis, & modestiæ incomparabilis, præterquam quod res ipsa non obscure docet, & testantur insignia edicta jam promulgata: accedit id quoque in primis, quod D. Christophorus Probus, Ll. Doctor consultissimus, & cancellarius vigilantissimus, nuper in proximo Bingæ designato conventu principum electorum Rheni, ubi hujus mei operis forte incideret mentio, palam diserte ac prudenter suam de harum offuciarum & dæmoniacæ tragœdię controversia sententiam explicuerit.

Palatini electoris Friderici prudentia.

Christophorus Probus cancellarius Palatini.

§ 3. Optimo jure in hunc referendus erit catalogum generosus & illustris Comes à Niuwenar D. Hermannus, vir profecto linguarum peritissimus, doctrinæ multijugæ, memorię fidelissimę, & ingenii rari: qui haud ita pridem industrie admodum Lamiam, quæcunque flagitia fatuo huic hominum generi assueta, sed imaginarie solum nota confessam, exilio puniit, quod hujus muliercule vicinos hoc incredulitatis fascino adhuc detentos, eam minime toleraturos videret. Confessionem mihi ab ejus clementia communicatam ipse legi.

Comes Niuvvenarius Hermannus.

§ 4. Suam quoque hic laudem meretur generosus comes Montensis Guiljelmus, qui quum haud ita pridem in vinculis detineret vetulam octogenariam ob in cantamentorum suspicionem, ad illam ingressus, studiose singula perquiro, licet mendaciis eam onerari, naribus minime obstructis odorarem. Quum vero objectum esset, filium matri captæ, curruique ut aveheretur, insidenti globum terreum, cujus potentia se à vinculis liberaret, porrexisse:

Guiljelmus comes Montensis.

eundem quoque matrem promissi admonuisse: quod sinistré etiam torquebant accusatores, quasi effecturam se, ne ea ratione finem vitæ faceret, pollicita fuisset mater. Hos articulos tam acriter apud Comitem urgebant alii, ut nisi validiore rationis nervo, atque adeo ipsa rei veritate serio restitissem, eam flammæ post dies non multos devorassent. Inter colloquendum in animi deliquium quandoque incidere videbatur: Quare à me ejus os aperiebatur, contrectabantur & manus, & arteriæ motus pensiculabatur: inspiciebam item linguam: donabam postremo pecuniolam, quod vulgo feratur, Lamias virus suum ejaculari posse in eum, à quo beneficium fuerint consequutæ.

§ 5. Cæterum hujusmodi responso objectionem priorem scitissime diluit, à filio scilicet non globum terreum, sed in eam formam involuta lintea matri fuisse suppeditata, quibus exulceratas graviter tibias curaret, easque mihi ostendit tantopere defœdatas crudelitate tormentorum alias ob eandem suspicionem *in carnificina* toleratorum, quum oleum quippe fervidum *in tibias*, ut extorqueretur falsa confessio, infunderetur. En accusationis impudentiam, qua calamitatis hujus extremæ facies deformatur. Hujus etiam mater ea ratione inter tortoris manus antea interiisse perhibebatur.

§. 6. Alteram partem, quod nimirum pollicitationis recordaretur mater, ita explicuit, quod filiis suis in assidua illa vulgi sugillatione ob maleficii famam, addixisset, si forte ad supplicium eapropter abriperetur, se mortis suæ authorem ad æquissimum Christi judicis justi tribunal provocaturam, ut tricesimo *die à suo* interitu se ibidem sisteret, sententiæ latæ rationem redditurus. Si itaque effectus consequeretur, argumentum fore non obscurum innocentiæ, filiosque matrem extra culpam esse intellecturos, quum insontium preces exaudiat Deus justitiæ vindex unicus, qui ad fictas alioqui orationes obsurdescit. Proinde Comes à me admonitus, & rectius in eo delusionum diabolicarum genere institutus, pauperculam causa prius vigilanter discussa dimisit. Nec prætermittendus hic ejus levir insignis, Dominus Adolphus, comes à Nassau, qui studii multum impendit apud Danos in bello contra Suecum anno 1564, ut ab his præstigiis heroum oculos vindicaret.

Adolphus comes à Nassau.

§ 7. Pia & laudabilis omnibus seculis sententia, suum apud hos principes & amplissimos viros pondus & locum habet: Consultius

Sententia pia.

tius nimirum esse decem nocentes dimittere, quam insontem unum punire.

De seductis errore, & hæreticis non interficiendis, sententiæ, Patrum.

CAP. XVII.

CUm vero horum plurimos mente corruptos esse, erroreque à satana seductos, jam satis demonstratum sit, citius hæreticorum pœnam, quam voraces merentur flammas: qui rectius instituti, si convertantur, corporali punitione minimè afficiendi sunt: quod summorum patrum sententiis probare conabor.

§ 2. Augustinus ad Donatum, pro consulem Africæ: Ex occasione, inquit, terribilium judicum ac legum, ne æterni judicii pœnas incidant, corrigi inimicos cupimus, non necari: nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis quibus digni sunt exerceri. Sic ergo eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccavisse. Quæsumus igitur, ut cum Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris, & petitionem nostram non obliviscaris. Non tibi vile sit, neque contemptile, fili honorabiliter dilectissime, quòd vos rogamus, ne occidantur, pro quibus Dominum rogamus, ut corrigantur. *Epist. 127 De seductis errore, & hæreticis non enecandis sententia Patrum.*

§ 3. Idem ad Marcellinum: Pœna illorum, quamvis de tantis sceleribus confessorum, rogo te, ut præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter catholicam mansuetudinem commendandam. Ad eundem Epist. 159. Imple judex Christiane, pii patris officium: sic succense iniquitati, ut consulere humanitati memineris. Nec in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem. Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione servasti: quando tantorum scelerum confessionem non extendente, eculeo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flāmis, sed virgarum verberibus eruisti. Et contra epistolam Fundamenti cap. 1. Dominus per servos suos regna subvertit erroris: ipsos vero homines, in quantum homines sunt, emendandos esse potius quàm perdendos jubet. Nec est quod de conversione fratris in hæresim pro *Epist. 158*

lapsi desperemus. Nisi enim qui ejusmodi est, per gratiam Domini posset converti, prorsus inanis esset Jacobi admonitio. Sciebat hoc Augustinus, ideoque se totum convertendis hæreticis mancipabat, atque id juxta Apostoli monita cum magna lenitate ac mansuetudine spiritus, nec absque pii laboris fructu.

§ 4. Sic enim in Epist. 48. ad Vincentium scribit: De multorum jam correctione gaudemus, qui tam veraciter unitatem catholicam tenent atque defendunt, & à pristino errore se liberatos esse lætantur, ut eos cum magna gratulatione miremur. Cum primis autem Christianum magistratum hæc decet moderatio, ut à sævitia & crudelitate abstineat. Omnino citra dissimulationem me inter eos esse fateor, quibus admodum displicet, quod ubi interficiendi sunt errores, interficiuntur homines. Nullis bonis, inquit idem noster Augustinus, in catholica Ecclesia hoc placet, si usque ad mortem in quenquam, licet hæreticum, sæviatur.

§ 5. Et libro primo contra literas Petiliani, cap. 29. *Diligite homines, interficite errores, sine sævitia pro veritate certate. Iterum* contra epistolam Fundamenti: illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt quam rarum & arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum: non istum quem colitis cœlesti corpore oculis carneis & hominum & pecorum fulgentem atque radiantem: sed illum de quo scriptum est per prophetam, Ortus est mihi justiciæ sol: & de quo dictum est in Evangelio, Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illi in vos sæviant, qui nesciunt quibus suspiriis & gemitibus fiat, ut ex qualicunque parte possit intelligi Deus. Postremo in vos illi sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident: & cætera. Ergo sævire in hæreticos, etiam admodum detestabiles, quales erant Manichæi, quibus Augustinus ita scribit, non videtur esse piorum hominum, qui sciunt quanto cum labore verum inveniatur, & quam errores difficulter caveantur, quibusque suspiriis & gemitibus fiat ut ex qualicunque parte possit intelligi Deus.

§ 6. Ex libro Quæstionum Evangelii secundum Matth. cap. 13. Hinc

Hinc est quod servi dicunt: Vis imus, & colligimus ea? Quibus *Marc.4.*
Veritas ipsa respondet: Non ita hominem constitutum esse in hac *Luc.13.*
vita, ut certus esse possit, qualis quisque futurus sit postea, cujus in præsentia cernit errorem: vel etiam quid error ejus conferat ad profectum bonorum: non esset tales auferendos de hac vita, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod forte futuri sunt: aut bonis obsit, quibus & inviti forte utiles sunt: sed tunc opportune fieri, cum jam in fine non restat vel tempus computandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem, ex occasione atque paratione alieni erroris. Ibidem quæst. 11. Nec tamen consequens, ut omnis hæreticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separetur. Multos enim tales portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, ut intentam multitudinem faciant: quod si fecerint, tunc pellantur. Idem de Vera religione, cap. 8. Utamur igitur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus, etiamsi eos ad salutem revocare non possimus. Idem, & habetur 24. q. 3. dixit: Dixit Apostolus, Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem devita, quia subversus est hujusmodi, & peccat in semetipso damnatus. Sed qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererint, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt: quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.

§ 7. Chrysostomus homilia quadragesima septima, in caput Matthæi 13. Vis igitur abeuntes colligimus ea? Dominus autem prohibet, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant: quod dicebat, ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici, absque fœdere pacis atque induciis bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit: altera, quia frumentis parum noceret: altera, quia nisi sanarentur, extrema supplicia non evaderent. Quare si puniri eos vultis, & frumentis nequaquam officere, opportunitas temporis congrua expectanda vobis est. Quid autem est, quod eradicabitis simul cum ipsis etiam frumenta? Certe aut, quia si arma capietis, inquit, necesse est cum hæreticos trucidatis, multos sanctorum simul

mul interimere: aut quia ab ipsis zizaniis multa commutata, in frumenti conditionem se ipsa converterent. Si ergo prævenientes evellatis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizaniis provenirent. Non prohibet autem conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere: verum interficere & trucidare.

Hæreticorum conciliabula dissipari possunt.

§ 8. Ex Homilia octava, in caput Geneseos 2. Hæretici simili modo adfecti sunt, sicut hi qui morbo laborant, & corporalibus oculis cæcutiunt. Illi ob oculorum suorum infirmitatem solis luci adversantur, & ob adversam corporis valetudinem etiam optimos saluberrimosque cibos aspernantur: ita & hi anima ægrotantes, & mentis oculis capti, ad lumen veritatis respicere non possunt. Idcirco nostro fungentes munere, manus eis porrigamus, magna eis mansuetudine loquamur. Nam & beatus Paulus ita nos admonuit, dicens: Ut in mansuetudine erudiantur adversarii, si fortè det eis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis, & emergant è laqueo diaboli, capti ab ipso in illius voluntatem.

2. Tim. 2.

§ 9. Vides quomodo verbis declaravit, quod quasi ebrietate obruti sint? Et iterum: Capti, inquit, à diabolo, quasi laqueis irretiti sunt. Unde & nobis gemina opus est mansuetudine & longanimitate, ut possimus eos eripere & educere ex laqueis diaboli. Dicamus igitur eis: Emergite & resipiscite paulisper, aspicite lumen justitiæ, &c. Idem in sermone de anathemate: Dogmata impia, & quæ ab hæreticis profecta, arguere & anathematizare oportet: hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.

§ 10. Athanasius ad Antiochenses tomo XII. Omnes qui vobiscum pacificè agere volunt, in primis autem illos qui in veteris ecclesiæ communione fuerunt, deinde qui ab Arrianis redierunt, elicite ad vos, eosq; ut patres assumite, & ut magistri & tutores recipite, coaptantes vos interim dilecto nostro Paulino, ejusque sociis: nihilq; amplius ab illis exigatis, quam ut execrentur Arrianorum hæresim, confiteanturque sanctorum patrum in Nicæa fidem.

§ 11. Severus Sulpitius quoque D. Martinum noluisse hæreticos puniri, scribit in ejus vita, Libro III. his verbis: Maximus Imperator pridie ex episcoporum sententia decreverat, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehensis vitam & bona adimerent. Nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas ista depopulatura

pulatura esset. Sed Martino illa præcipua erat cura, ne tribuni cum jure gladiorum ad Hispanias mitterentur. Pia enim erat sollicitudo ipsi, ut non solùm Christianos, qui sub illa occasione erant vexandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret.

Quomodo cum hæreticis agendum, sententia Erasmi.

CAP. XVIII.

IN Apologia adversus articulos aliquot per monachos quosdam in Hispaniis, exhibitos, hæc scribit Erasmus ad Alfonsum Mauricum archiepiscopum Hispalensem, titulo quarto sic à monachis distincto, contra sanctam Hęreticorum inquisitionem. In Paraphrasi Matth. 13: Servi qui volunt ante tempus colligere zizaniam, sunt qui Pseudapostolos & hęresiarchas gladiis ac mortibus existimant è medio tollendos, cum paterfamilias nolit eos extingui, sed tolerari, si fortè resipiscant, & è zizaniis vertantur in triticum. Quod si non resipiscant, serventur suo judici, cui pœnas dabunt aliquando. Hęc ille.

§ 2. Ad hunc articulum abundè responsum arbitror in supputationibus ad Bedę propositionem 32. respondi & Latomo, qui nonnullis visus est obliquè me suggillare, ut supervacaneum sit hic eadem repetere. Quoties mecum reputo, quàm execranda res sit hęresis & schisma, non possum damnare legis licet durum cauterium: rursus ubi considero qua mansuetudine Christus plantarit, aluerit, provexerit, stabilieritque suam Ecclesiam multis seculis, vix reperio quomodo tuear exemplum quod hodie videmus in nonnullis, qui opiniones scholasticas ilico pertrahunt ad carceres & incendium: veluti nunc exuri videmus sacerdotes, qui puellam qui cum habent consuetudinem, malunt appellare uxorem, quàm concubinam. Equidem talibus mederi soleo, non patrocinari: nec in hoc hæc mihi dicuntur, quòd tales velim esse impunitos: tantùm illud admiror, quomodo tanta se veritas conveniat cum ecclesiastica mansuetudine.

§ 3. Non est meum probare aut improbare principum mundanorum lege: habent suum jus, habent sua consilia, habent suum judicem, cui reddituri sunt rationem. Mea paraphrasis Evangelicæ parabolæ sensum explanat: qui si verus est, si Christo dignus, si proba-

si probatis orthodoxis interpretibus placuit, si multis seculis usu ecclesiæ comprobatus est, cur reprehenditur? aut si reprehendendus est, cur non pariter in jus vocentur & illi? Usque ad ætatem Augustini, hoc est plus quàm quadringentis post Christum natum annis, nusquam legimus orthodoxos implorasse Cæsaris præsidium adversus hæreticos, quum id frequentissimè factum esset ab ipsis hæreticis. Nunquam tamen hoc exemplum imitari visum est orthodoxis, donec Donatistarum & Circumcellionum huc perpelleret pervicax & insanabilis insania, nimium diu tolerata. Nam præter schisma, quo non aliud exitiabilius si processisset, agitabant, vulnerabant, injecta in oculos calce aceto temperata exoculabant orthodoxos, alios occidentes, alios ad homicidium metu mortis adigentes. Nec mitiores erant in se ipsos quàm in alios, ultrò sibi vel gladio: vel si gladiorum non esset copia, præcipitio necem accersentes. Quid multis? tanta erat rabies, ut nec ab ethnicis principibus tolerari debuerint: nec à Christianis, etiamsi nulla fuisset hæresis, aut schismatis crimen. *Per hos* quum nulli liceret esse quietum, nec ullus esset *insaniendi* modus aut finis, tandem inter episcopos agitatum de implorando Cæsaris præsidio adversus Donatistarum intolerabilem improbitatem.

§ 4. Mansuetioribus, inter quos fuit D. Augustinus, non placuit imploratio prophanæ potestatis ad negotium Ecclesiasticum, existimantibus non decere episcopos aliis armis uti, quam verbo Dei, precibus: & si malum foret insanabile, anathemate, hoc est, separatione à communione. Hoc erat tum extremum ecclesiæ supplicium: & sicut apud Jurisconsultos, civilis mors dicitur exilium: ita apud Apostolos & horum successores, pœna capitis erat, ab ecclesiæ consortio submovisse. Ad hanc sententiam non solùm invitabant exempla Christi, apostolorum & martyrum: verùm etiam metus propellebat, considerantes fore periculum, ut si ageretur terroribus, pro hæreticis fictos haberent Christianos, majore Christiani gregis pernicie. Verùm ubi vicisset aliorum sententia, resque bene cessisset multis hac severitate correctis, qui vel inviti manserant in ea factione, vel ambigui, vel errore modo seducti, fortiter probavit Augustinus, quod prius improbaverat.

Anathema.

§ 5. Sed tamen adversus tam furiosos latrones ac sicarios verius

rius quàm hæreticos, lex meo judicio nimium mitis lata est, quæ primùm nec corpus cujusquam attingeret, nec quenquam facultatibus excuteret: sed tantùm ecclesiarum hæreticarum facultates ad orthodoxorum ecclesias transferret: ad quas qui transire vellet, & iis quas prius habuerat, & iis quas inveniebat, uti frui posset, tanta mansuetudine, ut nec clericis & episcopis resipiscentibus suus honos adimeretur, tandem & mulcta cæteris indicta non admodum gravi: qui quum essent pauci, nollent resipiscere. Et adeo nihil tentatum est de occidendis tam immanibus belluis, ut quum prius edictum Macedonii (ni fallor) præsidis sic ambiguis verbis esset propositum, ut hæreticis videretur minari necem, ni resipiscerent, Augustinus illum diligenter admonuerit, ne quenquam interficeret, quum hoc jus ex constitutionibus Cæsareis haberet, laudetq; quod edicto posteriore verborum ambiguitatem explicuisset. Idem admonet præter alios Dulcicium tribunum, ne quem capite plectat.

§ 6. Ex his satis liquet, quantum illorum animus abhorruerit ab hac confiscationum, carcerum, suppliciorum, incendiorum sævitia, quæ nunc quibusdam & nimium & sola placet, præsertim ex eorum numero, qui perfectionem Christianæ pietatis profitentur, quorum omne studium esse decebat mederi potius quàm interimere, & legum sinceritatem sua intercessione mitigare. Nunc etiam ultra principum edictum sævitur ab istis clementiæ magistris. Cæsaris edictum habet, Legitimè convictis: quàm hoc interdum fiat legitimè, mea nihil refert: tamen multis incognitum non est. Nam hoc hominum genus ferè nullis legibus paret, nec ecclesiasticis nec prophanis: sed quicquid volunt, sanctum est.

§ 7. Mihi nulla placuit unquam hæresis, nec ulli unquam favi, faveo, fauturusve sum hæretico, nisi spe medicandi, ne quis me suspicetur hæc mea causa dicere. Nullum abstractum ab ecclesiæ caulis adjunxi mihi: sed ipse constantissimè persistens in ecclesiæ consortio, nonnullos ad illius societatem revocavi. Tantùm loquor de quorundam sævitia, quos oportebat esse mitissimos, etiamsi principes terrerent gladio, si qui episcopi pro sua autoritate potestatem ad improborum terrorem exererent. Nunc contra fit, ut illorum sævitiæ monarcharum ac præsulum autoritas cogatur frenum imponere. Eoque hujus negotii principatus summis ecclesiæ proceribus delegari solet, ne istis liceat, quicquid libet. Quid autem quorundam seditiosis apud populum vociferationibus, sævitiaque

Processus in fidei negotio. § 12. Res agitur per relatores, deputatos, ac judices monachos, nec sincere, nec legitima juris forma, pronunciant in carcere tres priores, monachis duobus testibus, & apparatur rogus. Hæc nescit princeps, cujus lex prætexitur, privato quorundam odio serviens, cum in publicam utilitatem sit edita. Hæc quoniam fieri compertum est, admonendi erant principes: quæ tamen admonitio nec hæreticos veros & insanabiles sublevare, nec sinceros inquisitores gravare debet. Constitutio quæ in Cod. libro primo. tit. de Hæreticis Manichæis & Samaritanis, fertur octava, solos libros & chartas jubet exuri: doctores tantum capite plecti, discipulis decem librarum auri mulcta dicitur: eos vero qui non solum audiunt illos, verum etiam contemptis principum legibus, libros illorum apud se servant, manifestum hæreseos favorem præseferentes, in exilium deportari jubet. *Quos concernat constitutio Imperat.* Nec hæc tantum constitutio ferit quoslibet hæreticos, sed nominatim Manichæos, Apollinaristas, & Samaritanos, qui manifestam docebant blasphemiam.

§ 13. Hujusmodi fere sunt quæ præcedunt eodem titulo, quæ jubent inquisitionem etiam usque ad capitis pœnam extendi: sed exprimunt certas hæreses. Similiter eodem libro, titulo de summo Trinitate, &c. *Arriani.* Arrianos exprimit. At hi spoliabant Dei filium, & multo magis Spiritum Sanctum veritate divinæ naturæ. *Apollinaristæ.* Quemadmodum Apollinaristæ verum hominem negebant, detrahentes illi meliorem hominis portionem, nimirum animam humanam: *Donatiani.* Donatiani furiosi latrones erant, non solum pestilentissimi schismatici. Non hic agebatur, an hæc confessio sit instituta à Christo, an constitutio hominis pura obliget ad crimen, an symbolum sit frustulatim editum ab Apostolis, an Apostoli calluerint linguam Græcam: sed de Majestate Christi, deque summa Christianitatis.

§ 14. Jam per Pontificum constitutiones, quæ sunt in Decretalibus libro 5. titulo de Hæreticis, & in sexto eodem numero ac titulo, convicti, & in errore persistentes, aut in hæresim abjuratam relapsi, tantum jubentur tradi curiæ seculari: quanquam hic Glossematographi de suo adjecerunt, Aut comburantur: quando Pelagianus aut Jovinianus ex Cæsarum edictis dicta est mulcta. Nunc ad ignem pertrahitur, qui dubitet, an Romanus pontifex jus habeat in purgatorium. Et olim in synodo episcoporum

rum hæretici citati reddebant suæ doctrinę rationem: convictis libera erat optio, utrum mallent ipsi in suum dogma pronunciare anathema, an simul cum dogmate feriri anathemate: hoc est, à communione separari. Nam hæc tum erat pœna ecclesię gravissima. Berengario, qui non de confessionis origine, neque de purgatorio postulatus erat, sed de veritate corporis Christi, ne tum quidem vis est adhibita, cum semel dimissus in eundem errorem esset relapsus. Nunc interdum monachi vanum spargunt rumorem, mox veluti suspectum pertrahunt in carcerem: ibi disputant suo more, notantur articuli, & parantur fasciculi.

§ 15. Linum fumigans non extinxit Christus, nec arundinem quassatum confregit. Oviculum ab initio persequutus est lupus, illa autem semper tolerantia vicit. *Esaia 42.*

Censura insignium Iurisconsultorum de Lamiis, quæ pœnitentes, pœnas evitant corporales: nec in criminalibus soli standum esse confessioni.

CAP. XIX.

AT in sagarum patrocinium annectam censuram eximii Jurisconsulti pauli Grillandi de Sortileg. 10. volumine Tractatuum, quęst. 7. fol.44. pag.235. Nota, ait, unum valde singulare, quod istorum apostatarum duę sunt species. Una est, quę simpliciter retrocedit à fide; & sequitur cultum & obedientiam dęmonis: altera est, quę postquam Christi fidem abnegando reliquit, & dejecit ex corde suo, iterum se baptizat expresse in nomine diaboli, & aliud nomen sibi superimponit. Licet utraque species sit damnata: prior tamen, si peccatum suum revocat, admittitur ad pœnitentiam, & evitat pœnas corporales: sicut hęretici. ut l. Manichęos. C. de hęreticis. Indentidem theologi authores Mallei, in tertię partis initio, quęstione 35. his verbis docent: Ex corde vero apostatę si nolunt resilire, ut hęretici impœnitentes, tradentur curię seculari. Si autem velint, recipiuntur prout hęretici pœnitentes. Juxta c. ad abolendam. §. pœnitenti. de hęreticis lib.6. Concordat Raymun. tit. de apostolica. c. revertentes. Ubi dicit; Quod revertentes ab apostasiæ per- *Lamiæ pœnitentes evitant pœnas corporales.*

perfidia, cum fuerint hæretici, tanquam revertentes ab hæresi sunt recipiendi: & hic sumitur unum pro alio.

§ 2. Et in 2. parte Decretorum, caus. 26. quæst. 5. episcopi: Ex præmissis authoritatibus colligitur, quòd arioli, aruspices, incantatores & sortilegi, atque cæteri hujusmodi sectatores ab Ecclesia sunt eliminandi: & nisi resipuerint, perpetuò excommunicandi. Sed quòd in ultimo Acquirensi ca. Ea quæ fiunt per incantatores, non in corpore, sed in spiritu fieri dicuntur, Augustinus in libro de Civitate Dei idem videtur asserere, ita dicens: Quæ magorum præstigiis fiunt, non vera, sed phantastica esse probantur. Quare criminali actioni hic nullus erit locus.

Et Isido. c 9. lib 8. Etym. 26. q. 5. cap. nec mirum.

§ 3. Si urgeatur hic denuò propria earum confessio: cum D. Joanne Francisco Ponzivibio Placentino, Tractat. volum. x. de Lamiis, respondere audeo: Cum tales personæ sint illusæ, ut dictum est, ergo debere dici, earum confessionem etiam esse erroneam, nec admittendam. l. error. & l. cum post. C. de Juris & fact. ignor. No. in l. de ætate. §. fin. ff. de Interroga. action. *Confessio* enim debet continere verum & possibile: ut per gl. Bald. *& alios in* l. 1. C. de confess. per gloss. in c. fi. de confess. in 6. ff. ad leg. Aquil. l. inde Neratius. §. fin. Sed ista respuunt jus & naturam: ergo non sequitur: Istæ mulieres sic confitentur, ergo sic est. Nam confessio longè distat ab actu (vel actus possibilitate) & quicquid est contra naturam, deficit in suis principiis, ergo naturaliter est impossibile.

In criminalibus non est standum soli confessioni.

Ex sola confessione non judicatur, nisi in hæresi.

§ 4. Præterea in criminalibus regulariter non statur soli confessioni rei, ut per Bald. & Ang. in l. 1. C. de confess. & dicam infrà in 2. no. Nec obstat, quod dicit Bald. in d. l. si quis non dicam rapere: quia ejus dictum procedit in hæresi, in quantum perficitur sola mente & cogitatione: quo casu bene, ut inquit ipse: quia cogitatio mentis, quam solus Deus novit, non potest aliter probari, quàm per confessionem: ideo statur soli confessioni. Sed confessio, de qua in casu nostro, continet actum ab extra, & minus possibilem de jure & natura, ac etiam minus verisimilem: & ideo potest dici, quod licet, quoad ea quæ credunt, sit standum confessioni earum, quoad punitionem: quia talis credulitas pendet ab animo & voluntate: non tamen quo ad hoc, ut quia sic sit, vel sic fiat, sicut asserunt. Hactenus ille. Nec est quod hic lex Cornelia de sicariis & veneficis mihi obtrudatur, quæ suum

paulo

paulo pòst sortietur locum, ubi de veneficorum pœnis agetur.

Præclara eximii jurisconsulti Alciati sententia, & ex Grillando historia de Lamiarum innocentia.

CAP. XX.

NArrat item D. And. Alciatus, hæreticæ pravitatis (ut vocant) inquisitorem in sub alpinis vallibus, adversus hæreticas mulieres, quas veteres Lamias, nos Striges vocamus, inquisivisse, & supra centum flammis consumpsisse: quotidieque ceu nova holocausta, alias super alias Vulcano obtulisse, è quibus non paucæ helleboro potius quàm igne purgandæ videbantur: donec rustici arreptis armis vim illam inhiberent, & negotium ad episcopi judicium deferrent. Et post: Et quamvis aliqui ex maritis, magnæ fidei homines, asseverarent eo potissimum tempore, quo illæ in ludo & choreis sub Tellina arbore fuisse dicebantur, se exploratum habere, in lecto potius secum fuisse: tamen respondebatur, non illas, sed cacodæmonem potius, uxoris forma assumpta marito illusisse. *Lib. 8. Parergon juris, capite 22.*

§ 2. Atqui ego replicabam: Cur non potius cacodæmonem cum suis dæmonibus, illam verò cum marito fuisse, præsumis? Cur verum corpus in ficto lusu, phantasticum in vero lecto comminisceris? Quid hic opus est usque adeo augere miracula, & non tam Theologum quàm πρακτίλογον agere, sævioremque partem in pœnis eligere? Constabat ex illis actis, semel in eo ludicro per quandam mulierculam nomine JESU appellato, omnem illum apparatum, omnes saltatrices cum amasiis suis repentè evanuisse: quî fieri id potuit, si vera fuissent corpora, & non phantasmata, & Tantali horti? quod apud Philostratum libro quarto, etiam Apollonius Tyaneus censuit: & apud Plutarchum in Bruti vita C. Cassius.

§ 3. Nam & medici maximos effectus corruptæ menti, imaginariæque ludificationi tribuunt: unde Ephialtici, afflati, superstitiosi, incubitati, amore furentes, imaginosi, Lycaones, Cynanthropi, qui tamen medicamentis curantur: videnturque hæc esse quæ Plinius & alii veteres Faunorum ludibria appellant, pœoniaque herba emendari censuerunt: ut etiam harum plerasque cu-

rari posse sit verisimile, nisi quod pauperes & fœmellæ omnes sunt, quibus talis facultas non suppetit.

§ 4. Ego certè magis juri Pontificio, communique nostratium doctorum interpretationi hac in quæstione, quam Theologis istis tribuerim, maximè in re à synodo decisa in concilio Anquirensi cap. 1. ubi talia phantasmata mentibus à maligno spiritu irrogari ait. Et rursus: Infidelis, inquit, non in animo, sed in corpore evenire opinatur: quis enim in somniis & nocturnis imaginibus non extra seipsum deducitur? Quæ etiam videtur fuisse Augustini sententia libro 18. de Civitate Dei, cap. 18. ubi: Verum, inquit, corpus nulla arte dæmonum converti potest, sed phantasticum: quod etiam cogitando sive somniando per rerum innumerabilia genera variatur: & cum corpus non sit, corporum tamen formam capit, sopitis aut oppressis corporeis sensibus, ita ut vera corpora alibi jaceant, sensibus obseratis. Nec refert quòd ibi Herodiadi aut Dianæ honor exhibetur. Hactenus Alciatus.

§ 5. Paulus Grillandus de Sortil. 10. volum. Tract. *Quidam* maritus ex oppido agri Sabinensis habebat uxorem maleficam sive strigam, ut vulgo dicunt. De crimine autem solùm erat suspicio, non certa notitia. Nam cum aliquoties à marito rogaretur, num ejus esset professionis, negabat constanter. Crescente porrò rumore, & viris fide dignis apud maritum ejus flagitii uxorem insimulantibus, quòd ea familiariter uteretur aliis mulieribus hujus criminis ratione cognitis, cum quibus etiam se turpibus miscere sceleribus, & nocturnos agere cœtus videbatur: decrevit maritus ipsam in ejusmodi operibus observare & apprehendere: & cœpit pluribus noctibus diligenter & attentè invigilare: noctesque circiter duodecim egerat insomnes, attendens studiosè, num illa aliquo ad dæmonum lusum vel aliud maleficium noctu evagaretur, num & penes se in lecto permaneret nocte tota, quando lectum conscendisset; nihilque unquam fraudis comperit, sed manibus illam semper in lecto contrectavit. Cum vero post dies paucos una cum quibusdam aliis de eodem crimine accusatis in carcerem conjiceretur, subdereturque quæstionibus, confessa est demum, se tali interfuisse lusui una cum aliis muliercu-lis incarceratis, flagitiique hujus reis, tali die, undecimo mensis, &c. tali nocte, hora tali, &c. Idem fatebantur & aliæ. Maritus vero in conjugis patrocinium asserebat præstito juramento gravissimo,

ſimo, eam illa nocte deſignata, & maximè illa hora, ſecum decubuiſſe in eodem lecto: & ſe eam tum ſtudiosè non ſemel tantùm tetigiſſe, ſed pluries, ac cum ea locutum fuiſſe.

Pœna, Qua Lamias afficere ſolent Bononienſes.

CAP. XXI.

SOlent Bononiæ maleficos utriuſque ſexus, quorum damnatæ incantationes generi humano, vel vitæ beſtiarum minus nocuiſſent (quos muliebri in ſexu lingua vulgari le ſtrige Itali appellant) nudos ad umbilicum uſque veteri ex palatio educere, aſino impoſitos inverſo corpore, ita ut ligatis manibus caudam aſini, quem lento ductu præibat lictoris miniſter, retinerent. Capiti imponebatur mitra chartacea, in qua terrifici cacodæmones, qui forcipibus ſuis ignes infernales moverent, depicti erant. Interea dum ſolenni hoc progreſſu circumducuntur, à lictore comitante virgis egregiè in pectore & dorſo ceduntur. Cum verò è foro publico perventum eſſet in cœmiterium ædis Dominicanæ celebris ſepulturâ gentis Germanicæ, deponebantur ex aſino, & à carnifice in conclave quoddam ſuperum deducebantur, cujus pergula firmata cancellis ferreis, iiſque raris, cœmiterium verſus ſpectaret: quæ deſtinata pœnæ hæreticorum à monachis monaſterii illiûs, inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, perhibetur. Hinc capite galeato ſedi curuli, quæ rotis quatuor ferebatur, impoſiti, ter in pergulam prominentem detrudebantur, ubi & per horæ quadrantem conſiſtebant. Interim à ſpectante foris turba, ridente, clamanteque lapidibus impetebantur: fruſtra tamen ferè, ob interpoſitos cancellos ferreos. Tandem vinculis ſoluti, & pro delicti qualitate puniti, ablegabantur in exilium.

§ 2. Infinitis certè modis præferri decet hanc moderationem magiſtratus Bononienſis, quæ nonnihil adhuc vetuſtatis Italicæ prudentiam ſapere videtur, præ aliorum quorundam tyrannide, qui ad igneum illud holocauſtum præcipites nimis feruntur: eoque non minus affici, quam innocentis ſanguinis effuſi fumo dæmones, videntur:

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca.

Mulieres minus Puniendas esse viris.

CAP. XXII.

DIci solet, mulieres in eodem delicti genere minus peccare, minusque puniendas esse viris, cæteris tamen per omnia paribus: nempe ob imbecillitatem animi, mentis & ingenii. l. sacrilegii pœnam, in prin. D. ad legem Jul. pecul. & l. si adulterium. §. stuprum, & §. fratres, & §. incestam. D. ad legem Jul. de adul. & c. sicut dignum, in prin. extra de homicid. & c. indignantur. 32. q. 6. ubi scribitur: tanto gravius viros puniri oportere, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Et facit text. in l. quisquis. §. ad filias. C. ad leg. Jul. maje. ibi: Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus, &c. Et quod voluit Bald. in l. quicunque. col. 3. versic. Sed pone statuto. Et versic. & in summa. C. de ser. fug. In quam sententiam apud Saxonem historiæ Danicę libro 6. Ericus vir *quidam multę* prudentię contendit, muliebribus erratis sępius ignoscendum esse, nec pœnam infligendam, nisi correctio culpam corrigere non potuisset. Et illud Æneæ apud Virgil. lib. 2. Æneidos:

—— Nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna est.

§ 2. Plinius libro 8. Natur. hist. scribit, leonem, ubi sęvit, in viros plus quàm in fœminas fremere: veluti natura eum docuerit, mulieres mitius quàm viros, esse tractandas. Aristotel. lib. Problemat. 2. 9. cap. 11. Cur, ait, mulierem interficere iniquius sit, quàm virum, quanquam naturæ ratione mas fœmina præstantior est? an quia mulier imbecillior est, minusque proinde injuriam facere potest? etenim eniti adversus id quod longè infirmius est, nihil virile, imò stolidum atque iniquissimum est. Hæc ille, quę tam ad animum quàm ad corpus referri possunt.

§ 3. Tradit Vopiscus, Aurelianum Imperatorem, cùm Zenobia ad pœnam vocaretur à militibus, quod sibi imperium usurpasset, illam vita donasse: quod indignum existimaret, mulierem interimere. In quam sententiam Euripides in Hecuba, ὡς ἀποκτείνειν φόνος γυναῖκας: Quam invidiosum interficere fœminas? Quandoquidem, ut idem in Hercule furente scribit, mulieres quodammodo sunt masculis miserabiliores:

τὸ θῆλυ γάρ πως μᾶλλον οἰκτρὸν ἀρσένων.

Cui aſtipulatur Bald. conſil. 96. factum tale eſt: Carolus lib. 2. Quod mulier miſerabilior eſt viro. Nunc porro filium orationis eo ducatur, ut quo punitionis modo in hoc hominum genere caſtigando utendum cenſeam, intelligatur.

Quomodo lamiæ mentis errore à diabolo affectæ, nec ulli noxiæ, ſint reducendæ, & quæ eis ſtatuenda pœna: nec omnem voluntatem eſſe puniendam.

CAP. XXIIII.

QUæ ergo Lamiæ errore & phantaſia deluſæ, & ſatanæ perverſa inſtitutione ſeductæ cognoſcantur: nec alicui ab iis malum revera, at ſolum imaginatione illatum eſſe, certo ſciatur: ſaniori doctrina informandæ erunt, ut repudiatis dæmonii ludibriis, Chriſto ſacramentum rurſus præſtent, atque ut luxata ex corporis compage membra, debita ligatura reſtituantur pœnitentes. Quantopere hic fidelem myſteriorum Dei diſpenſatorem eniti deceret, ut ad Chriſti ovile reduceretur ovis perdita, nemo non novit. *Supra cap. 6.*

§ 2. Suum quoque hic habebunt locum publicæ & communes preces ex animo fuſæ. Admodum pie hic D. Iacobus admonet: *Iacob 5.* Fratres, ſi quis inter vos erraverit à veritate, & converterit quis eum, ſciat quæ qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvam faciet animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Nec hæreſis ſolum in errore, quod quis dæmoniorum doctrinæ adhæret, figitur: ſed in ſui confidentia quoque, concepto faſtu & præfracta pertinacia, ubi nulla admittitur admonitio: errorem etenim ſeductionemque mentis confeſſus hæreticus, ſemper remiſſionem veniamque ex Patrum conſenſu & Chriſtiana manſuetudine meretur. Nam, teſte Seneca, quem pœnitet peccaſſe, pene eſt innocens. *In Thyeste.* Et apud Eccleſiaſticum legitur: Pœnitentibus dedit viam juſticiæ. *Eccl. 17.*

§ 3. Ejuſmodi itaque male à dæmonio perſuaſæ, & reſipiſcenti fœminæ, rectiuſque jam in Chriſtianæ fidei ſanctiſſima baſi confirmatæ, pecuniarum quoque (ſi ejus res ferant) mulcta in pauperum ſubſidium imponi poteſt, & quæcunque alia arbitraria, non

tamen vitæ pœna, pro dilicti ratione & magnitudine. Vel ſi injungere voles mulctam ejuſmodi fœminæ irrogatam à Romanis pontificibus in taxa ſacræ pœnitentiariæ, ut ipſi vocant, per me licet. Ibi legitur: Mulierem incantatricem, poſtquam ſuperſtitiones abjuravit, in quolibet ſupradictorum caſuum taxari, Turon.6. duc.2. Si etiam ex uſu ob reipublicæ tranquillitatem conſervandam videbitur, ut exilio ad certum tempus puniatur, donec vitæ innocentia vere ſe converſam eſſe, & fidelem, perſiſtereque comprobet, ac deinde libertate hoſpitii priſtina rurſus donetur, non contrajerim. Ejuſmodi eſto pœna temeritatis, quod dæmoniacæ ſuggeſtioni & ludibriis non ſatis conſtanter reſtiteret, imo etiam conſenſerit fatua.

Non omnis voluntas punienda. Vide & poſt in epiſt. priori ad Brent.

§ 4. Quod ſi quis contentioſe voluntatem ſeverius puniendam defendat, is primum diſtinguat inter voluntatem hominis ſani perfectam, quæ in actum vere dirigi cœperit: & inter vitiatæ mentis ſenſum, vel (ſi voles) corruptam amentis voluntatem: *cui ſuo* opere, quaſi alterius eſſet, colludit diabolus, nec alius *inſulſe* volentem ſubſequitur effectus. Tale voluntatis vitium impingi etiam poſſit melancholicis, fatuis & pueris, qui facile inducuntur, ut vel hæc vel alia ſe deſignaſſe mala falſo imaginentur fateanturque: qui tamen à Deo renes & corda ſcrutante, non æquæ plecti permittuntur, ac alii mentis compotes: multo certe minus *ab hominibus* id fieri oportuit. De iis quid ſentiam, qui elementa commoviſſe, aërem turbaſſe, grandinem acciviſſe calamitoſum in frumenti & vinearum perniciem, & rerum aliarum ſtragem, creduntur, Lib.3.c.16. explicui: ubi argumentum ea de re proſequi, ut continuum filium, ad certiorem intelligentiam malui, quam eo divulſo Lectorem ſuſpendere.

Apoc.2. Luca 11.

Adverſus caput præcedens objectionum quarundam productarum confutatio.

Cap. XXIV.

Exod.22.

HIc Moſis edictum graviter contra me urgetur, Exod.22. At φαρμακοὺς οὐκ ἐπιβιώσετε, alias περιβιώσετε, legis hujus voluntatem explicuerunt ſeptuaginta ſeniores, Veneficos non patieris vivere, aut ſi mavis, veneficas (genere fœminino) ut volunt Hebræorum interpretes, quæ nimirum pharmacis malis, hoc eſt,

est, venenis interimunt. Nec aliæ profecto hic intelligi debent, quam quas Moses & ea novit ætas. Lamias autem vulgo dictas, & à me descriptas, ne quidem Christi temporibus apparuisse, multo minus Mosis, inde colligi potest, quod nulla earum vel ab ipsis læsorum mentio fiat in Sacris literis, quum tamen Christus eo in mundum venerit, ut diaboli conatus & opera manifestaret ac perderet. Quorum vero incantatorum meminit Scriptura, magi infames sunt, suis notis antea à nobis depicti. Quapropter illud Mosis decretum ad hujus Libri cap. sequens 23. de veneficarum pœnis referendum putavi. Cum vero inveniantur, quibus ejusmodi explicatione legis nondum satisfactum sit, qui & omnibus contendunt nervis, ut sub ea nostras constringere queant Lamias, illis sic quoque responsum volo, decretum nullum promulgari contra id, quod rerum natura, ut dixi, nondum agnovit.

Exod 7. Levit. 19.20. Deut. 18. Esa. 8. 29. 47. Psal. 57. 2 Paral. 33. Eccl. 12.

§ 2. Adhæc non decet, ut translationis septuaginta interpretum fidem temere mihi sinam eripi elevarique, qui sine dubio peritissimi fuere vernaculi patriique sui idiomatis Hebraici, tum & linguæ Græcæ: quos senos ex singulis tribubus singulari religione delectos, Spiritus Sancti proculdubio inspiratione & ductu, Eleazarus Pontifex Alexandriam Ptolemæo Philadelpho misit, ut Mosis legem extremo studio & indubitata fide in Græcam commutarent linguam. Quod opus pium sanctumque divini numinis auxilio feliciter absolutum, & à patribus tam longo tempore religiose habitum, non oportet insolenter in dubium vocare, errorisque nota conspurcare, cumprimis ob interpretum numerosam multitudinem & unanimem consensum: Quibus profecto & sanctior debetur fides, quam Eliæ Livitæ, aut quibusdam recentioribus. Hic si in conceptæ semel opinionis defensionem de voce φάρμακις contendere quis pergat, nomen φαρμακοῦ, quando in malam accipitur partem, fere apud Dioscoridem, Galenum & totam Græcorum antiquitatem sumi pro veneno, aut medicamento venenoso: & qui ejusmodi medicamentis nocere student, φαρμακεύοντας vel φαρμακεῖς vocari meminerit. At hic parenthesin admittat benevolus Lector brevem, qua leviter adversario respondeam, à quo mox Dioscorides, velit nolit cap. de Zhamno obtruditur: Fertur, ramos ejus, si pro foribus aut fenestris ponatur, ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας. Quod adversarius vertit, Maleficia pharmacorum seu incantamentorum pellere.

70. interpret. Hieron. prafat. secunda in Paralip. Philo. Iud. de vita Mosis. Tertull. adversus gentes apolog. φάρμακον.

3. Cur:

§ 3. Cur huic versioni citius credam, non video, & non potius, Malitiam venenorum aut rerum venenatarum, halitus scilicet malignos expirantium, quemadmodum aër quoque in peste infectus agnoscitur. Alioqui quorsum opus fuit conjungere πανουργίας, quum per solam vocem φάρμακον potuisset exprimi, si incantamenta sonet? Veneficia interpretantur alii. Vim siccantem & refrigerantem (quæ aëris putredini & infectioni resistit) illi Galenus tribuit. Nec contra nos facit, quod ex sexto lib. Galeni de Simpl. pharmac. facult. adducitur de voce Pharmaco: quemadmodum nec omnino liquet ex Galeni verbis, quod non candide objicitur, ubi lib. 2. κατὰ τόπους, de Archigenis amuletis loquitur, ad capitis dolorem ea se relicturum, ut nullam medicam rationem habentia, ait: Verum quæ ab ipso juxta medicam rationem sunt tradita, selecta tantum relaturum juxta ipsius dictionem, quomodo hactenus de pharmacis facere consuevit. Hæc Galeni verba, ubi prorsus sejungit Pharmaca, hoc est medicamenta naturalia, ab aliis medicam rationem non habentibus, quæ à Galeno Pharmaca illis locis appellari non comperio: sed medicinas naturales prope semper & fere citra numerum in illis libris ipse Pharmaca nuncupat.

Lib. 8. Simplic.

§ 4. Nec profecto satis intelligo, quorsum Galeni sententia ex initio libri 10. de Simplic. adversus me torqueatur, ubi se basiliscorum aut elephantorum & equorum Nileorum, neque alterius cujusquam, cujus ipse periculum non fecerit, mentionem se facere nolle asserit: nec etiam velle meminisse poculorum amatoriorum, ἀγωγίμων, ὀνειροπομπῶν & μισήτρων, etiamsi abunde illa expertus esset, sicuti nec lethalium medicamentorum, aut, ut *ipsi* vocant, θανασίμων. Nam illa sane ridicula sunt, constringere ac vincire alios, ut in judicio nihil eloqui possint, aut gravidæ abortum afferre, aut ut ne unquam concipiat efficere, & quæcunque ejus sunt generis. Sane horum pleraque, vel antequam facias periculum, scire licet esse impossibilia: quędam vero possibilia, cęterum vitæ hominum noxia. Itaque ego per deos admiror, qua cogitatione, quove consilio ad ea scribenda quidam accesserint. Hactenus Galenus.

§ 5. Hic vox φάρμακον ab interpretibus & medicis affectu minus præ occupatis non secus intelligitur, quam pro medicamento. Quod item Hippocrates libro de Morbo sacro in auxilium accersatur,

ſatur, ſit potius calumniæ exaggerandæ cauſa, quàm veritatis defendendæ, velut & aliis locis. Siquidem φαρμακωμένους ὑπ' ἀνθρώπων vocare videtur incantatos ſeu incantatione læſos:, cum ibi de curationibus magicis agat: ita ſcribit adverſarius. Verius autem à Cornario verti intoxicatos apparet, hoc eſt, veneno ab hominibus læſos. Nec ibi de curationibus magicis ſecus agitur, quàm quod in naturalibus morbis, cujuſmodi eſt epilepſia, magicas adhiberi curationes graviter incuſet. Sed ad noſtrum inſtitutum. φάρμακα Jeſabelis veneficia vertit D. Hieronymus, II. Reg. 9.

§ 6. Quod in hanc ſententiam libentius inclinem, facit quoq; Flavius Joſephus, ex regio & ſacerdotali ſanguine ortus, Mathathiæ ſacerdotis filius, natione Hebræus, patria Hieroſolymitanus, genere ſacerdos: qui decimumquartum agens annum, eam conſecutus eſt laudem ob intellectus & eruditionis famam, ut de penitiori legum ſenſu à Pontificibus & Eccleſiæ Hieroſolymitanæ primoribus conſuleretur. Nec modo patriarum linguarum nemini ſuæ gentis ſecundus, ſed & externæ literaturæ, nimirum Græcæ ſtudio vel cum Philone conferendus. Proinde & à D. Hieronymo Græcus Livius appellatur, à recentioribus vero Judæis Joſeph Berengarion. Eundem Hieronymus in Catalogo Eccleſiaſticorum ſcriptorum digna cum laude recenſuit. Hic cum animadvertiſſet ſolos quinque libros Moyſi apud Græcos extare, opera Ptolomæi regis Ægypti tranſlatos, ut dixi, decrevit Epaphroditi viri doctiſſimi adhortationibus incitatus, univerſam veteris Teſtamenti hiſtoriam Græcis auribus tradere: quod & effecit, conſcriptis primum Hebraica lingua, deinde & Græca, De antiquitatibus libris viginti, in quibus ſervatis ſimul & ſanctarum Scripturarum veritate, & hiſtoriæ legibus, quandam veluti paraphraſim in omnes fermè veteris Teſtamenti libros accommodavit.

Ioſephus.

In vita Ioſephi.

§ 7. Hic cum ſeptuaginta ſenioribus quoque convenit, nudè & ſimpliciter Moſis mentem, & presbyterorum φαρμακοὺς his explicans, Antiquit. Judaic. lib. 4. cap. 8. φάρμακον μήτε θανάσιμον, μήτε τῶν εἰς ἄλλας βλάβας πεποιημένον ἰσραηλιτῶν, ἐχέτω μηδὲ εἷς. εἰ δὲ κεκτημένος φωραθείη τεθνάτω, τοῦτο πάσχων ὃ διέθηκεν ἐκείνους καθ' οὓς τὸ φάρμακον ἦν παρεσκευασμένον: id eſt, venenum neque letale, neque in alios noxios uſus præparatum, Iſraëlitarum aliquis habeat: quod ſi habere deprehenſus ſit, morte mulctetur, & patiatur id, quod facturus erat illis, adverſus quos

Lex Cornel ff. lib. 46. tit. 8.

Lex Cornel. ff. lib. 46. tit. 8. quos venenum paraverat. Idem fere ſonat lex Cornelia de ſicariis & veneficis: Qui venenum malum necandi hominis cauſa fecerit, vel vendiderit vel habuerit, plectitur. Nec ullam legem de veneno prohibito, aut veneficis puniendis inter reliqua Moſis edicta comperies, quam eo loco apud Joſephum, qui cum aliis decretis Moſis Exodi 21. & 22. promulgatis conformis eſt. Adhæc voces illas, magos infames, ariolos & divinos ſpectantes, quæ Exodi 7. 8. 9. Levit. 19. Deuter. 18. atque aliis locis leguntur, diſtinctæque à nobis ſunt cap. 1. lib. 2. ab iis qui crudelius citra ullam commiſerationis notam, Lamias excarnificari volunt, minimè confundi oporteret.

§ 8. Urgetur præterea ſub homicidii lege comprehendenda eſſe veneficia, ut & alias occiſionis ſpecies. Hîc affectus ſeponi opto rim, inſpicique Exodi caput, 21. Ubi Moſes primum de feriendo qui hominem occiderit, ſententiam pronunciat generalem: inde ad ſpecies progreditur, ut qui ſervum interemerit virga, mortis ſupplicio mulctetur, ſic & qui mulierem uterum gerentem inter lites internecioni dederit: & poſt capite ſequenti, qui veneno vel exhibito, vel artibus maleficis, aut quomodocunque apparato occidit ſive occidere ſtatuit, aut aliter nocumentum dare vel morbum invehere conatus fuit, puniatur. Proinde etiam hos qui venena uſurpant, non ſemper homicidæ nomen mereri conſtat. Sunt & aliæ homicidii ſpecies explicatæ Deuter. 19. Nec locum hic habet, quod de talionis lege opponitur. Prolixius tamen ad hoc argumentum reſpondetur in libello noſtro peculiari de Lamiis.

§ 9. Si inſuper vetus Teſtamentum ad novum applicare velimus, comperiemus in Apocalypſeos Joannis cap. 9. ubi Homicidia tanquam generalis vox cædis prius ponitur, mox φαρμακεῖαι ſubjungi, hoc eſt, maleficia quæ per venena fiunt: idem inde vocabulum uſurpatur & cap. 18. 21. 22. Item D. Paulus veneficia & cædes ſeparat cap. 5. ad Galatas, ubi inter carnis opera recenſentur *φαρμακεία.* φαρμακεῖαι & φόνοι. Hic φαρμακεία traduxerunt noſtrates Zauberey, in quo ab Italis vincuntur, qui auvelenamento converterunt rectius. Si Paulus aliud maleficii genus intellexiſſet, alia voce potuiſſet uti, aut repetere verbum *βασκαίνειν.* βασκαίνεσθαι & βασκαίνειν, quod faſcinari & faſcinare deſignat: quo ſignificato Theocritus, Dioſcorides & veteres utuntur, quinimò & ipſe Paulus in eadem epiſt. cap. 3. O amentes Galatæ, τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε, quis vos faſcinavit, ut non obediatis

obediatis veritati? ubi Germani rectè tranſtulerunt, **wer hatt euch bezaubert?**

§ 10. Non interim ignoro, mechaſſepha, & mechaſſephim, *Mechaſſepha. Mechaſſephim.* uti & φάρμακον & φαρμακείαν quandoque liberius uſurpari, & ad magicas extendi artes, quemadmodum ex cap. I. libri hujus noſtri ſecundi liquet: at non ad alias, quam eo novêre ſecula. Lamiarum autem à me deſcriptarum conatus ab actibus illorum magorum, quorum Moſes & ſacroſancta meminit Scriptura, penitus ſunt diverſi. Nihil hîc firmi ex hiſtoriis veris illo ævo conſcriptis, ad rem attuleris. Quæ poſtea de illis poëtæ ſcripſerunt, vaniſſima utplurimum ſunt commenta, & meræ fabulæ, vel potius mendacia.

——Pictoribus atque Poëtis *Horat. de arte Poëtica.*
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Teſtimonio ſunt Virgilius 4. Æneid. & in Pharmaceutria, Ovid. 7. Metamorph. Horat. Epod. 5. Tibull. libro I. Eleg. 2. item & alii, quos videre licet ſupra lib. III. c. I. quemadmodum & legem duodecim tabularum de incantatis frugibus confutatam cap. 16. Per mechaſtephim Exodi 7. v. 13. deſignari præſtigiatores, ipſa res docet, quæ carminibus vel nefariis artibus apud *Vide l. II. cap. 8.* Ægyptios familiaribus, quædam incredulorum oculis apparenter objiciebant, quæ revera non erant. Id vero nequaquam noſtræ poſſent Lamiæ, cum etiam maximè velint: ad experimentum provoco. Reliquis locis (legitur enim ea verbi poſitio in ſacris Bibliis tredecim omnino locis) nimirum in Exod. cap. 22. verſ. 17. in Deuter. c. 18. v. 10. in I. Reg. c. 9. v. 22. in Paralipom. c. 33. v. 6. in Iſaia c. 47. v. 9. & v. 12. in Jeremia c. 27. v. 8. in Daniele c. 2. v. 2. in Michea c. 5. v. 12. in Nahum. c. 3. v. 4. bis, denique in Malachia c. 3. v. 5. à D. Hieronymo converſa ea vox Malefici vel Maleficia, pro verbi inflexione ſcilicet: magos infames eorumque actus intelligo. De loco Exodi cap. 22. contro- *2. Reg. 9. Maleficia Ieſabelis.* verſia eſt. Veneficia Jeſabelis reddidit ille ſecundo Regum, Maleficia alii: cum tamen magicas artes nuſquam legatur illa exercuiſſe, ſed cædibus in prophetas ſæviiſſe, Nabothum inſontem *1. Reg. 18. 22. Apoc. 2.* ob denegatam ſui agri venditionem obrui lapidibus juſſiſſe, Achabum maritum Iſraëlitarum regem ad idolorum, cultum perduxiſſe, quæ ſimulachris immolabantur comediſſe, artibuſque fuiſſe uſam fornicariis.

§ 11. Hinc dilucidè vides, mechasseephim ad diversa in Bibliis usurpari flagitia. Adhæc cæteris locis supra citatis um plurimum cum conjectoribus & somniorum interpretibus atque auguribus, & hoc genus hominibus annumerari, unde quandam actionum communionem licet colligere, deprehendes. Omnes vero tales divinationum vetitarum modos ignorant nostræ Lamiæ. Quo circa si vocem illam spectare nolles veneficos, ad magos quos dixi inauspicatos, & quidem secundum leges puniendos, si hoc malis, referre per me licet. Similiter in distinctius licentiusque Germanis nomen Zauberer torquetur, ad quod exhorrescit, fascesque apparat ferè quilibet, citra exactam circumstantiarum totius causæ inquisitionem, multo minus notionem.

Magicæ artes capitales. § 12. Atqui eo adhuc confugitur, quod scilicet Magicæ artes sint capitales: & quia sub illarum complexu contineantur Lamiarum conatus, eas pari supplicio afficiendas. Antecedens à me non negatur, quinimò in libris meis constantissimè defenditur: verum applicatam consequutionem nequaquam admitto: magnum siquidem discrimen est inter Magos & Lamias, uti supra explicui. *Discrimē inter magos & Lamias.* Adhæc Magi à seipsis initium discendi artem vetitam habent, conquisitis præceptoribus & libris, ac ad eam impelluntur propriæ naturæ curiosa inclinatione: Lamiæ vero extrinsecus: siquidem non potunt instrui, nec præceptorem habent aut quærunt: sed quomodo illis diabolus se insinuet, uti organis suæ delusioni aptis, supra satis monstratum est.

§ 13. Tandem, quod adversarii adferunt, scelera ad mores pertinentia, quæcunque Moses capitalia fecit, ultimo quoque supplicio hodie à magistratu puniri debere: quanquam isthæc quæstio non versetur circa punctum nostræ controversiæ, tamen non tam facilè mihi, ut credam, persuaderi potest. *Deut. 19. 22. Exod. 22.* Nam apud Mosen falsum testimonium mortis vindicta eluitur: sponsa, si non comperiatur virgo, lapidatur: is qui furem interdiu in ædes irrumpentem occiderit, morte punitur: & multa inveniuntur ejusdem severitatis exempla, quæ tamen nunc temporis mitigantur. *Ioan. 8.* Quare etiam cum scribæ & pharisæi mulierem in adulterio deprehensam juxta Mosis edictum, lapidibus obruere vellent, quodnam ex Christi servatoris nostri ore decretum audiebatur? Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam jaciat lapidem. Ita eam non solum in foro Mosaico defendit, sed sua etiam

beravit

beavit misericordia, commiserationis documentum relinquens. Alias de his fusius.

§ 14. Alterum adversæ partis argumentum, cui cumprimis nititur, est, quod fœdus Lamiæ cum satana ineant, verumque Deum abjurent. Hoc licet supra lib. 3. cap. 3. & 4. satis sit confutatum: ut tamen nonnihil præterea addam, quæro unde hoc, quod pactum cum dæmone conflarint, tibi constet? Profecto hoc mihi donabis, quod nec videris, nec à fide dignis qui viderint, habeas. Ergo ex propria stupidarum delusarumque anicularum confessione. At quæ fatentur, vel faciunt coactæ, vel sponte: si coactæ, confessio est mutila & nullius ponderis, quia cruciatibus torturæ intolerabilibus expressa. Quid autem periculosius, quam in diabolicis negotiis sine maleficii patrati testibus, pendere saltem ex confessione anus dementatæ, per vim extorta? Sileres haud dubie, si vidisses oleum illarum tibiis infundi fervens, candelis ardentibus torreri axillas, & infinita summæ barbariei & immanitatis tormenta in decrepitas exerceri vetulas, sicuti nos in insontibus, partim etiam dimissis ob innocentiam ex nostro patrocinio, spectavimus.

Fœdus cum satana initum est imaginarium.

Confessio Lamiarum erronea.

§ 15. Si sponte, aut impossibilia sunt, quæ fatentur, uti grandines provocasse, per aërem volasse, in bestias se fuisse transmutatas, cum dæmonibus venereos explevisse actus, & id genus similia: aut fatentur quæ factu sunt possibilia, ut venenum exhibuisse alicui, sed tamen non est factum: aut fatentur quę facta sunt, & vere acciderunt, sicuti eo in loco aliquem morbo correptum, infantem interiisse, segetes aut vineas tempestatibus damnum perpessas.

§ 16. Confessio primi generis non potest puniri, quia versatur circa ἀδυνάτων, & propterea omnino est erronea: legitima enim debet continere verum & possibile. Secunda multo minus: quia caret effectu, tertia manca est: quoniam diabolus ex eventu rei statim inculcat miserarum mulierculArum phantasiæ, ipsas fecisse, quod naturaliter factum, aut ipsemet fecit. Et hęc est rupes, ad quam sua offendunt capita plerique nimis præcipites & sanguinarii judices, ut animadvertere nequeant dæmonis Dialecticum sophisma, non causæ pro causa, ut cum barbaris balbutiam. Profecto hoc satis evincit illarum phantasiam vana persuasione imbutam, quod sponte & voluntarie agnoscant sæpe fœdus &

Supra l. 6 c. 8. 12. 27.

mirabilia quæ faciunt: si etenim saperent, non tam prompte aliquando faterentur, quum de earum vita agatur. Neque etiam verum est quod objicitur, Lamias summo studio scelera sua tegere semper, tantaque constantia negare facta, ut ne quæstionibus quidem subditæ confiteantur, quantisper tormenta ferre possunt.

§ 17. Contrarium ego sæpius deprehendi, quum citra quæstionum rigorem ultro fateantur à se facta, quæ nec facta fuere, imo ne quidem natura rerum passa fuisset, propterea & impossibilia. Vnde mihi non inanis suspicio movetur, adversarios vel res ignotas proponere, vel quorum admodum tenuem habent experientiam. Si nanque ipsarum sensus non forent effascinati, certè talis non consequeretur confessio: At multo magis ipsum supprimerent facinus, nec de illo gloriarentur. Quod autem tam atrocia sæpius sustinent fortiter tormenta, fit quod ejusmodi flagitiorum confessio expostuletur, quæ in illarum phantasiam nunquam pervenere. Sed antequam hinc abeamus, proprio adversarium gladio confodere conabor, ut agnoscat fœdus esse imaginarium *& præstigiosum*. Fatentur se per aërem volare, in bruta transformari, tempestates excitare, morbos immisisse imprecatione. Et hæc quidem omnia affirmare videntur tanta cum sensuum integritate, ut vix possis de iis dubitare.

§ 18. Attamen & ego demonstravi, & tu mecum fateris, omnia illa esse vana & commentitia, diabolicisque tincta figmentis. Si illa vana, cur reliqua quæ fatentur, debent esse vera, nempe apostasia à Deo, fœdus cum diabolo, homicidia, & id genus scelera, tum & deliria? Posteriora enim si fatentur sensibus integris, cur in fatendis prioribus sensus erunt corrupti? aut si in prioribus confitendis vitiata erravit phantasia, quid est quod minus in posterioribus etiam aberraverit? Cuncta siquidem hæc dicunt agnoscuntque in una hora conjunctim, separatim eadem constantia, iisdem moribus. Quid hic philosophum decipiat, non ignoro. Illa omnia videt fieri non posse, & propterea mecum falsa & inania pronunciat: hæc autem quia fieri possunt, & ipsæ Striges fatentur fieri, putat hic etiam facta: annon animadvertit novam diaboli fallaciam, quod ex possibili concludere velit impossibile? Ast non opus est multis ad refellendum, nosti à posse ad esse non procedere argumentum: decebat in defensionibus posteriora cohærere cum antecedentibus.

§ 19. Ad

§ 19. Ad aliud procedamus argumentum. Cum ad supplicium pertrahantur Lamiæ, aut in fœdere diabolico perseverant, non implorata Dei misericordia: tunc diserte dico, non esse mox occidendas, alioquin non solum corporis, sed etiam animæ interfectores erunt judices. Aut à Deo veniam poscunt, nec alicujus vitæ nocuerunt: tum multo magis dignæ commiseratione & arbitraria pœna. Omnes autem fere Striges, antequam exuruntur, invocant æternum Deum, ipsiusque implorant misericordiam, & sæpe numero etiam testem suæ innocentiæ appellant, sanguinariis præsidibus ad cœleste tribunal citatis.

§ 20. Jam rogo, cum se juxta vestrum decretum satanæ mancipaverint, unde ulla resipiscentia: non à diabolo: astutior enim est, quam ut secum pugnet: ergo à Deo. Si itaque Deus agnoscit & recipit animam, cur tu Prætor usque adeo inclementer agis, cum nulli injuriam fecerint, ut corpus repudies, maxime cum in tuo non deliquerit foro, & tibi nullum in divino judicio relinquatur tribunal? quin ex me audi sapientissimum Theologi recentioris consilium, cujus nomen ob quorundam morositatem, prætereo. Is studiosum quendam, qui variis desperationis ex paupertate insidiis adactus, animam suam scienter tradidisset satanæ ad præscriptum diem ab eo possidendam, deduxit in templum, & cum piis aliquot viris pro ipso Deum oravit, sanavitque afflicti hominis animam. Ita etiam, si nostræ vetulæ à vera fide defecissent, non oportuit eas in illa defectione enecari, sed sanis admonitionibus, ut dixi, in viam reduci: at in carceribus Deum æternum profitentur & invocant, & multo magis in agone. Non diu est, quod quædam animam suam Deo commendabat justo judici & misericordi, quia se putabat submersum iri, cum in Rhenum præcipitaretur juxta plebejum falsumque experimentum, num Lamia esset. Si enim supernatet, nec subsidat, illam criminis ream, πυρίφλεγον creditur esse. Verum supra cap. 9. experientiæ vanitatem demonstravi.

§ 21. Præterea, nec est ad hoc connivendum, ut quis difficiliora loca prætergrediatur, & circa faciliora nonnihil velitare conetur. Quare te velim sistere, donec paulo limatius expendamus D. Petri exemplum, non solum abnegantis, sed etiam licet mox præmoniti, Christum Dominum suum præsentem abjurantis. Non etenim Petrum infirmitate lapsum dicere sufficit. Ecquæ illa est

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18. Petri abnegatio.

est infirmitas? non carnis (ut sic opinari liceat) imo ex ejus nimia vastitate & potentia peccamus: ergo spiritus. Sic & Lamias nostras excusabo. At ut Petri transgressionem non prorsus fuisse leviorem intelligas, elargieris mihi peccata esse inæqualia, unum altero majus. Supposita jam una eademque specie, primum rogo, annon illud gravius, quod homo excelsus & illuminatus committit, quam quod vulgaris & infimus peccator? Enimvero quo altius quis ascendit, eo decliviorem & periculosiorem patitur ex casu ruinam, quam is passurus sit, qui pauciores absolvit gradus. Secundo quæro, annon ille magis suum abneget principem, quo ipsi vicinior est, & ornatus ab eo tum spectabiliori dignitate, tum pluribus beneficiis? Annon abominabilius, si legatus deficiat à suo Imperatore, quam si in defectionis crimen impegerit gregarius aliquis miles? Tertio sciscitor, an reliquis paribus pastor non delinquat inexcusabilius tum ob repræsentationem sublimioris personæ, tum ob scandalum, quam aliquis ex grege? Quarto, annon peccatum eo censebitur indignius, quo plures & vehementiores conspirant illecebræ, quam ubi minores? Quinto, annon turpior sit nota peccati in eo qui haud ita dudùm antea præmonitus, non tamen sibi à delinquendo cavet? Postremo, annon ad simplicem ancillarum ac ministrorum interrogationem ter negare cum juramento herum, sit peccatum majus, quam si quis flexuosis satanæ persuasionibus excæcatus, simile committat? Ejusmodi propositionibus te subscripturum arbitror: concludas ergo ipsus. At nemo ista à me adducta existimet ad D. Petri Apostoli exaggerandam abnegationem, sed ad castigandum eos qui propriis viribus tantum ascribunt, & non divinæ soli gratię, quo minus in singulas horas, imo momenta nomen Christi abjuremus: deinde etiam, quod sicuti Petrus suę pœnitentiæ interventu consequutus est gravissimi lapsus sui, abnegationisque veniam & misericordiam, ita & Lamiæ & nos omnes mortales à Deo remissionem delictorum impetrare queamus, quamvis semel atque iterum defecerimus.

Peccata inæqualia.

§ 22. Character, de quo non parum clamitatur, difficulter ostendetur à dæmone impressus. Quod si sagæ fateantur, ad mendaciorum è delusa mente ortorum cumulum erit referendum, vel ostendant: nunquam enim in examine confessas scio, quibus equidem adsui. At cedo, quid mali extremo supplicio digni ex characteris

Character.

racteris impressione convincere potes? Id quod citra aliorum injuriam impressum est, absque aliorum læsione rursus eximi potest. At abnegationem fidei eo confirmatam dicis. Quæso unde fidei renunciatæ persuasio? Ex diabolinæ instinctu? Proclive consilium adest: saniori rursus, & Christiana institutione adducatur saga, ut repudii libello satanæ misso, veram & orthodoxam amplectatur religionem, ac in matris Ecclesiæ gremium supplicem se insinuet demittatque: hinc & exempto characteris dæmoniaci, si appareat, vestigio, ejusque loco crucis vel Tau signo, aut cruciformi cauterio firmius infixo, si ita videbitur, publicam agere & ostendere jubeatur poenitentiam, injuncta & arbitraria pro delicti qualitate, ut dixi, mulcta. Hæc eo modo sanitati integræ restituta assumatur, & pro ea continuo oretur, nec usque adeo temerè flammis crudeliter objiciatur devoranda, si nullo insigni flagitio, aut damno dato alios læserit, unde illiusmodi exitum sit merita. Nec semper contractus inter Deum & homines sancitus, & postea violatus, si in alterius detrimentum non transierit, mox in foro civili erit criminalis. Omnis etenim qui peccatum committit, ex diabolo est, ut D. Joannes ait, & propterea à pacto cum divina majestate inito defecerit. *1. cap. 1.*

§ 23. Cæterum phantasiam in illis corruptam esse, tam multis argumentis, item ex Augustino & Decretis atque aliis, ad nauseam usque demonstratum est lib. III. cap. 8. 9. 10. 11. 14. 15. 16. 22. 26. 27. 30. 34. Et passim per reliquos libros, ut in media luce cæcutire malit, quam nudam amplecti veritatem, qui contradicit.

§ 24. Ne quid hinc ad Lamiarum carnificinam requiratur, easdem & idololatrarum poenæ subjiciendas esse, conquisitis hinc inde nescio quibus documentis, objicitur. Tales autem esse, nemo mihi facilè persuaserit. Nullum siquidem idololatram agnosco, quam qui aliud sibi in animo præsumat certa fiducia, unde suam speret confidatque salutem, quam à Deo: quemadmodum infinita idola tum apud Ethnicos, tum Christianos passim sunt obvia, quibus relicto Deo vero fiditur. Item, si quis pecuniæ, aut alicui creaturæ tam firmiter animo agglutinetur, ut Dei omnipotentis patrocinio neglectim habito, aut contempto, inde idolum vel numen suum efficiat. Lamiæ vero ex diabolo nihil salutis quærunt, aut credunt: solum ab illo, phan- *Lamiæ non sunt idololatræ.* *Idololatra.*

lo, phantastici spiritus organis vitiatis deluduntur, ut admiranda vel mala, vel ludicra efficere ejus operâ se opinentur, quæ vel rerum natura non patitur, sive ad quæ perficienda ipsæ etiam inidoneæ sunt, quamvis constanter fateantur illa se fecisse, ita à diabolo infatuatæ. Si idololatria sit dicenda ejusmodi delusio, non satis equidem intelligo. Sin vero instes, sagas esse idololatras, & tales mortis pœna afficiendos: quomodo eos cedo, qui mente sana ad aurum, argentum, saxa, ligna, & ad nescio quæ simulachra, resque vetitas & abominandas, necessitatis tempore confluunt, salutem & temporalem & æternam quæritantes, credentesque, à tam acerbo vindicaveris supplicio?

Apostata. § 25. Ut insuper criminali actioni hîc pondus accedat, apostasias crimen in subsidium accitur. Ea autem nemini merito impingitur, quàm qui ab agnitæ veritatis mysterio sensu integro descivit, mordicusque assumptam impietatem pro ipsa veritate non modo tutatur, sed & hanc præfracte oppugnat. Nostræ autem insipientes nullique noxiæ Lamiæ, quas mitius clementiusque tractandas ratus sum, tantum abest ut impietatem defendere conentur, quo etiam resipiscere, & publicam agere poenitentiam velint, admonitæ, rectius institutæ, & ab errore revocatæ. Nec talibus sinum præcludit Ecclesia, quam potissimum etiam spectat defensionis censura.

Huc facit Petri exemplum paulo ante propositum.

§ 26. Homicidii præterea insimulantur nostræ Lamiæ. Fateor, si homicidii convincuntur, interficiendas juxta legem Mosaicam & jus commune. Atqui agnoscis eas exhibere res innoxias: ergo cum illæ ne hilum prorsus noceant, multo minus periment: non igitur criminis reæ sunt. Proinde nec hac ratione de iis capitis supplicium sumi debet. Si dixeris, in eis necandi esse animum & voluntatem, quamvis non respondeat successus: etsi hic responsum abunde putarim in fine proximi capitis, tamen hoc tibi adhuc objiciam, voluntatis delictum à Deo puniri, non, nisi in actum cœperit dirigi, à magistratu, cui exteriora saltem commissa sunt: alioquin quotidie eorum qui necem aliorum desiderarunt & voluerunt, ad carnificinam traherentur aliquot myriades.

Lamiæ non sunt homicidæ.

§ 27. Inde etiam defenditur, dæmones cum Lamiis revera carnalem explere libidinem, & inter fœdos amplexus in familiari colloquio eas interrogare dæmones quæ volunt, & responsa

quærere.

quærere. Hoc etsi satis superque sit confutatum supra, ut non tam vanam illarum confessionem, quam stultam adversariorum credulitatem mirer: denuò tamen tribus hîc respondeo verbis, diabolum spiritum, nec carnem, nec ossa habere, quæ ad hoc opus Luc. 24. perficiendum desiderantur: organa desunt, nimirum penis testiculique: & materia, semen scilicet, ex sanguine & idoneo spiritu genitum. Scitè hoc ipsum D. Augustinus comprobat, dæmonem nihil posse, quod per instrumenta naturalia effici nequeat. Hunc actum ludibriosum esse demonstravi, qui tamen à quibusdam verè & realiter peractus esse contenditur, quemadmodum & choreæ, comessationes cum dæmonibus, & nescio quæ rerum ludibria, copiosè multis documentis tertio libro confutata: quapropter & ea repetere, quæ in rerum natura non sunt, longioremque disputationis telam contexere, profectò piget. Nihilominus illius quod imaginatione vel in somno contingit, ut scelus exaggeretur, & supplicii crudelitas aggravetur, collatio fit cum enormi flagitio verè perpetrato: nimirum, quòd si is qui cum jumento concubuerit, morte sit plectendus ex Mosis decreto, quanto acerbiori pœna erit tollendus, qui opus Exod. 22. illud carnale cum diabolo exercuerit? à minori scilicet ad manus producto argumento. Ego autem illud inverterim justius, videlicet à crimine imaginario, vel per somnum ex dæmonis artificio subdolè impresso, ad fœdissimam spurcitiem indubitatè peractam, æquissimo judicio severiter puniendam. Nec minus absurdum est, quòd inter fœdos amplexus (qui revera nulli sunt) in familiari colloquio dæmones rogent quæ volunt, & responsa quærant lamiæ, id quod adversarius inter cætera urget. At meræ sunt imaginationes, quibus veri nihil inest. Quòd etiam sæpenumero dæmon in specie canis, hirci, aliusve bruti animalis, sive speciem eorum assumpserit tantùm, sive revera invaserit & obsederit, ad Lamias accedere, à plerisque feratur, inter veras Luciani narrationes recenseatur. Absurdis relationibus actiones criminales exaggerare, decet minimè prudentes, sed potius demonstrationibus sole meridiano clarioribus uti.

Imaginarius diaboli concubitus.

§ 28. Cum adhæc in lupos linimenti virtute, vel si voles, diabolica arte momento se revera mutatas, & alia inunctione denuò in homines transformatas, constantissimè fateantur edentulæ anus,

læ anus, qua fronte aut impudentia quis realem metamorphosin defenderit? Si docuero, profundum somnum unguenti potentia inductum, & à diabolo somnorina ejusmodi simulachra interim impressa, quomodo phantasiam hîc illæsam esse quis pertinaciter reclamat? Similia à me confutata passim in his libris obvia, si hoc sit insanire, quid sapere sit non satis capio. Quorsum ea quæ natura non patitur, nunquam fuère, vel esse possunt, temerè admittam?

Alios non seducere Lamias. § 29. Nec certè prætermittenda silentio illa oppositio, quod alios seducant Lamiæ. Cum phantasia sint delusæ, quomodo alios seducere queunt? nisi phantasmata sibi falsò à dæmone impressa pro veris actionibus, tanquam res gestas narrare, appelles seducere: quod etiamsi fit, esse quam rarissimum, nemo dubitet: secus licet fateantur, quemadmodum & multa alia, quæ per somnia solum ipsis apparuêre, & tamen pro veris defendunt. Quotquot vero hoc fascino sunt divexatæ, nullum universæ hujus delusionis agnoscunt alium magistrum quam dæmonem, *suis illis* technis deludentem. Quantum adhæc virium in seducendo illis sit tribuendum, attestantur & iners sexus & stupida ætas. Si etiam apud illas quæ seducere & seduci dicuntur, diligenti attendatur animadversione eorum quæ in hanc rem fatentur, tam insulsa intelliges, varia nec cohærentia, ut utrasque in ea institutione fuisse deliras, nec mentis compotes, & à dæmone agitatas obsessasque, imò ipsum satanam in eisdem locutum, facilè agnoscas, si veritatis æquilibrium spectes solum, sepositis affectibus, perversæ opinionis jamdudum imbibitæ præjudicio obfirmatis. At lamias, in fœderis contractu pollicitas esse, quod in hanc societatem alios quoque traducere satagent, dices. Nimis profectò multis diversisque supra docui testimoniis, pactionem illam esse phantasticam, & varia simul in ea agitari tum de vetularum volatu, tum de coitione dæmoniaca, tum de transformatione mox dicta, tum de reliquis ad nauseam non repetendis, quæ ipse velis nolis, falsa & imaginaria esse fateberis.

§ 30. Mirum est quoque hic ad actus criminales agglutinari, quòd vetitas monstrosasque ediscant artes Lamiæ: cum nullas certè norint. Sunt etenim indoctæ, vetulæ, deliræ, mentisque nimis quam stupidæ: unde & à satana citius delusæ, quibusdam apparitionibus, umbris, præstigiis &. inanibus imaginationibus risæ, velut

velut bis pueri senes, quæcunque ludibria pro veris amplectuntur. Eo autem pertinacius hoc urgetur argumentum, ut cautius nostræ Striges possent illaqueari damnarique decreto promulgato, L. multi. C. de maleficis & mathematicis. Verum hoc illas non concernere, ostendi tum alibi tum in epistola priori ad Brentium. Qui vero artes curiosas magicasque exercuere, magi fuerunt prophani, qui & libros habebant, flammis postea traditos jure, ex Pauli doctrina, Actor. 19. Quoscunque hujus factionis homines condemnat Moses, & lex Imperatoria. *Supra l. VI. c. 3. In libro Apolog. Supra l. VI. c. 2.*

§ 31. Huc item pertinet, aliquem occidi posse diris imprecationibus, infandis carminibus, dæmonum invocationibus, & exorcismis, non citra rationes multas me fortiter pernegare: quemadmodum & stupidas nostras Lamias nunquam iis frivole inutiliterque uti, sed magos quos descripsi infames, ipsosque divinatores iisdem esse celebres famososque citra magistratus castigationem, etiamsi alios in perversas ducant opiniones, lites accumulent, & cædes struant, vicissim asseveranter concedo.

§ 32. Præter hæc, qui Lamiarum phalarides diriter construere satagunt, spiritus immundos quoque ab illis in alia corpora immitti contendunt: quod fieri omnino non posse, lib. IV. cap. 18. satis convictum arbitror.

§ 33. De rebus incantatis, quod etiam objicitur, libere dictum volo, eas nullum dare damnum, nisi naturali virtute venena sint, nec quicquam operari extra vim in rerum primordiis à Deo inditam. *Res incantata.*

§ 34. Ut crimine adhæc magis onerentur sagæ, subnectitur, dæmones sæpe non cogitaturos, quæ incitati & exorati à Lamiis tentant, & Deo permittente perficiunt. Quasi vero illi non propria malitia ineffabili continuo advigilent, nocte diuque nos circumeuntes, velut rugientes leones, quærentesque quibus noceant, & quos devorent. Sed & non modo quæ infatuatæ anus desiderant forte, nequeunt illi: Verum etiam multa quæ ipsi velint, naturali impotentia, vel inhabilitate, non possunt, veluti res novas creare, vel creatas vere immutare, aut cum hominibus concumbere, & id genus reliqua: & quæ quidem possunt, non semper permittuntur. Quinimo ipse subtilissimus spiritus stupidarum mulierculαrum phantasiæ ingerit, ab ipsis non se excitatum talia effecisse, sed illas ipsas perpetrasse, quæ vel ipse præstitit, vel *Vide supra lib. 3. cap. 25.*

aliunde acciderunt: unde pati eas, & non agere, dicendum esset. Nec sane credendum, justissimum & misericordissimum Deum aliquid ex malesanæ anus phantasia, aut voluntate (si ita voles) concessurum, & non justo suo judicio, & decreto in æternæ consilio trinitatis pronunciato. Quocirca calamitatum satanicarum authores esse striges nostras, vel instrumenta, nondum est convictum. Neque hic locum habet: Non innocens est, qui jubente alio interficit hominem.

Lamias pati, & non agere.

§ 35. Hic ad objectiones quasdam, ut obviæ fuerunt, obiter nonnihil dictum: quid desiderabitur, suis locis passim per hos libros dilutum comperies, veluti & quod in redarguendis hujus argumenti vanis Paracelsi & Joannis Campani opinionibus requiretur.

§ 36. Si quos adhuc immodestius adversus me suas eructare calumnias lubeat, ad æqui Lectoris censuram provoco.

§ 37. Quod maleficas mulieres non magis pœna dignas me existimare dicatur, quam ex melancholico, vel alio *quodam morbo* desipientes, fit mihi injuria, & à calumnia me li*berabit præcedentis* capitis initium, ubi de illis loquor, quæ mentis errore à diabolo affectæ, nec ulli fuerunt noxiæ, quomodo sint reducendæ, & quæ eis statuenda pœna. De his quæ aliis damnum dedisse comperiuntur, ut pro criminis qualitate & magnitudine ex legum decreto supplicium sumeretur, perpetuo mea fuit sententia. Si quis interim sanguinis insontis sitientior omnes nervos viresque in hoc extendat, quibuscunque conquisitis rationibus, ut citra ullum commiserationis momentum nostras Lamias à dæmone illusas, phantasia vitiatas, nec ulli noxias, æque ex Mosis & Imperatoris edictis non modo puniri debere, sed & diriter torqueri perdique, contentiosius urgere pergat, & magistrami in hoc negotio nimis sæpe inhumano falces flammasque subministrare mordicus velit, is ut in suo abundet sensu, sitimque expleat, per me sane licet: quorsum multa contentione opus est?

§ 38. Sufficit mihi ingenue sententiam proposuisse meam, qua à consueta punitionis atrocitate, quæ citra justam veritatis inquisitionem, & exactam circumstantiarum trutinam, hactenus indiscriminatim exercita nimis, aliquam commonstrare viam conatus fui: testis ille quem nihil latet. Si operæpretium fuerit præstitum, cum judicio admittant prudentiores & pii: Sin minus, bene

volenti

volenti ignoſcant. Medicum me eſſe agnoſco, non cauſarum forenſium judicem. Proinde neque hic, quin à me plerique diſſentiant, recuſare aut poſſum, aut volo. Verum à diſceptationibus & continuis litigiis naturæ ductu abhorreo, quæ illis qui iiſdem afficiuntur, relinquo libera. Si qui itaque ejuſmodi altercationibus delectati, adverſus me quicquam adhuc olim molientur, reſponſi nihil ſe poſthac à me expectaturos ſciant, ne ex meo ſilentio victoriæ trophæa ſibi polliceantur.

Diluitur ſententia Georgii Pictorii, qua Lamias ille crudeli morte puniendas eſſe, defendit.

CAP. XXV.

ARgumenta, quibus Georgius Pictorius medicus, in libello de Sublunaribus dæmonibus, defendit, Lamias inclementer vel igne vel alio quovis tormento eſſe tollendas, ſparſim in his noſtris libris tam ſolide confutata eſſe arbitror, ut ſupervacaneum certe judicem, illi vel paucis reſpondere, vel plura his adjicere. Enimvero earum phantaſiam à dæmone vitiatam eſſe, ut neminem niſi opinione læſerint, ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Quemadmodum etiam manifeſte oſtendi, dæmonem, uti ſpiritum, oſſibus, carne & halituoſo humore, quæ in actum venereum requiruntur, carentem, cum fœmina congredi neutiquam poſſe. *Organa actus venerei ubi deſunt, deſiderantur eſſe-ctus.*

§ 2. Quod tamen Pictorius hic negat, & ſe Auguſtini & Conciliatoris ſententiæ præferre ait cujuſdam Marci teſtimonium, qui inſignis ſatanæ cultor, in Cherſonneſo vitam egit ſolitariam Michaëli Pſello familiaris: atque dæmones genitalia habere, & fœcundos eſſe ſemine, docuerit: Quod hi ſalaces iſtis deformoſiſſimis pecoribus (ſic Lamias appellat) generandi ſtudio in locellos infundunt, & proles excitant, ſed noſtris diſſimiles, & nanos ferme ſimias referentes. Unde hæc Marcus noviſſe potuit, niſi quod, dum familiariter dæmonum conſortio uteretur, in ea forma ab ipſo deſcripta, oculos illius deluſerint, & præſtigiis umbram pro re objecerint, aut ejus phantaſiam, ut & Lamiarum, hujuſmodi ſuggeſtione vitiarint? Debuit adhæc, ut philoſophus, conſideraſſe, omne ſemen generare ſuum ſimile. Quorſum ergo nani ex dæmonum,

num, qui spiritus sunt, semine gignentur? quæ eorum similitudo? in quibus conveniunt? in quantitate ne, aut in substantia? simiasne itidem referunt ingenerando dæmones, in formam norunt mentiri quamcunque, etiam angelorum lucis? Si procreandi his potentiam tribuere voles, malos gignent genios vel spiritus. Analogiam etenim rerum hic statuere oportet. Accedit quoque immortalitas, qua ratione à creationis primordiis in tam numerosam excreverint sobolem ad hoc usque seculum, ut nihil præter has larvas nostris sedulo obversari oculis, nec usquam hominem ab harum infinitis myriadibus securum fore, non mirum fit. Hanc sententiam qui convellere volet, rationes adducat, quibus, ut nugis his, imo apertissimis mendaciis credam compellar. Demiror sane, doctum virum hic sibi illudi, sensusque perstringi sinere.

§ 3. Aliam insuper punitionis occasionem nimis frivolam adjungit, quod harum Erymnarum numerus in tam immensum excresceret pelagus, ut ab earum incantationibus tutus degeret nemo, nisi comburerentur. Imo nusquam ab harum læsione securius vivitur, quam ubi hæc victima locum habet nullum, nec exigni mandantur: nimirum ubi diaboli dolus, artes & præstigiæ, quibus nocte diuque in suam illicere massam homines incredulos, vel modicæ fidei satagit, innotuere: ubi in cunctis afflictionibus Deus omnipotens, justus & misericors cognoscitur imploraturque: ubi ad Christum unicum diaboli supplantatorem, ejusdemque regni strenuum eversorum confugitur: ubi ordinata à Deo media non negliguntur: ubi quod solius divinæ majestatis est, satanæ aut malevolæ animi non attribuitur.

§ 4. Ad Ludovici Milichii censuram de Lamiarum pœnis, uti quoque ad Jacobi domini in Lichtenburch judicium, abunde toto hoc Libro responsum esse existimavi, ut frequentiori repetitione minime opus esse sentiam.

Veneficarum pœna.

CAP. XXVI.

Veneficarum pœna.

NOn alio torquenda erit lex Cornelia, quam in veneficas. Quæcunque enim fœminæ morbos, sive mortem, aut jacturam, alicujus veneni potentia cuiquam induxerint,

Vene-

Veneficarum nomen & punitionem merentur: atque his pro criminis qualitate pœnam vel aggravant, vel moderantur leges. Quemadmodum si quæ philtro vel amatorio poculo apud præcos, amasios, aut alios, amorem extorquere contendunt, eosque interim vel dementant, vel morbis excruciant, non tamen vita orbant: iis noxæ magnitudinem & voluntatis studium, pœnæ gravitatem vel moderationem præscribere justum est. Quod de quocunque illato rerum dispendio dictum semel volo.

§ 2. Lex Cornelia de sicariis & veneficis sic habet: Qui venenum malum necandi hominis causa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, plectitur. Ejusdem legis pœna afficitur, qui in publicum mala medicamenta vendiderit, vel hominis necandi causa habuerit. Et ex Senatusconsulto relegari ea est jussa, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo, medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ conceperat decessit. Alio Senatusconsulto effectum est, ut pigmentarii temerè cicutam, salamandram, aconitum, pityocampas, mandragoram, cantharidas, aut quid lustramenti causa dantes, pœna teneantur ejusdem legis. Ante Q. Fabium Maximum ædilem Curulem in nullam de veneficio fuisse inquisitum, supra ostendi libro. III. cap. III. ubi & veneficarum pœnæ exemplum.

Lex Cornelia. ff. lib. 46. tit. 8.

§ 3. Porro fœminas ab initio ad veneficium fuisse procliviores viris, gravissimi testantur authores. Refert Diodorus libro quinto de Antiquorum gestis, Hecatem fœminam omnium primùm aconitum invenisse, & ad venena mortifera conficienda summum studium operamque impendisse. Quin apud Romanos fœminæ veneficiis primùm usæ sunt, ut testantur Livius libro 8. & Valerius lib. 2. tit. de Institutis antiquis: & nonnihil D. Augustinus libro de Civitate Dei 3. cap. 17. Plinius autem lib. 25. cap. 2. scribit, scientiam fœminarum in veneficiis prævalere. Quid enim (ut subdit) non replevère fabulis Colchis Medea, aliæque? in primisque Italica Circe, diis etiam asscripta, quemadmodum & Thracia apud Thraces, quorum regioni & nomen dedit?

Fœmina ab initio ad veneficium procliviores.

Valer. l. 2. cap. 10.

§ 4. Sed & præter istas, apud Horatium nunquam non videbis magas & veneficas mulieres memoratas: Gratidiam, quam & Canidiam appellat, Saganamque & Vejam Neapolitanas, Foliam Ariminensem, & alias: viros autem neutiquam. Quin & apud alios scriptores, plures etiam alias reperies: Mycalen scilicet,

cet, Erichthonen, Dypsadem, Eriphiam, Guthrunem, Gygen illam Parysatis matris Cyri famulam, Martinam quandam Cornelio Tacito memoratam lib. 2. Annalium, & Locustam apud eundem, ad finem propemodum lib. 12. & alias ferè infinitas. Vetus est proverbium de mulierum veneficiis, θετταλικὴ γυνή, id est, Thessala mulier, Suidæ memoratum, quo scilicet utimur in veneficas mulieres: quoniam ea gens, & præsertim fœminæ, præ cæteris hoc nomine sunt notatæ. Quintilianus libro 5. Orator. instit. tit. de Argumentis: Latrocinium, inquit, facilius in viro, veneficium in fœmina credam.

Ovid. in epist. Sapphus.

§ 5. In Perside veneficos plecti, ut in amplo lapide caput impingerent, rursusque alio superinducto lapide illud effringerent, fertur. Quid autem hic statui debeat de iis, qui venena in hominum vel pecorum perniciem appararint, sive mares sive fœminæ sint, prudentis Magistratus æquitati & judicio relinquendum censui: ne sibi extra professionis meæ limites quicquam præjudicari queratur ille, cujus ordinationem à Deo esse testantur *literæ Sacræ*. Sententiam tamen incomparabilis prudentiæ *Atheniensium* Areopagitarum raram, consilioque certè maturo pronunciatam adversus veneficam, tanquam judicii deliberati discretique exemplum, colophonis loco ex Aulo Gellio subjungere volui: cujus hæc sunt verba.

Lib. 12. cap. 7. Val. Publium.

§ 6. Ad Cn. Dolabellam, pro consulari imperio provinciam Asiam obtinentem, deducta mulier Smyrnæa est. Eadem mulier virum & filium, eodem tempore, venenis clam datis, vita interfecerat. Atque id fecisse confitebatur: dicebatque se habuisse faciendi causam, quoniam ille idem maritus & filius, alterum filium mulieris ex viro priore genitum, adolescentem optimum & innocentissimum, insidiis exceptum occidissent. Idque ita factum esse, controversia non erat. Dolabella retulit ad consilium. Nemo quisquam ex consilio sententiam ferre in causa tam ancipiti audebat, quod & confessum veneficium, quo maritus & filius necati forent, non admittendum impunitum videbatur: & digna tamen pœna in homines sceleratos vindicatum fuisset. Dolabella eam rem Athenas ad Areopagitas, ut ad judices graviores exercitatioresque rejecit. Areopagitæ cognita causa, accusatorem mulieris, & ipsam quæ accusabatur, centesimo anno adesse jusserunt. Sic neque absolutum mulieris veneficium est, quod per leges non licuit: neque

que nocens damnata punitaque est, quæ digna venia fuit. Ex Valer. Max. libro VIII. cap. 23. scripta hæc historia.

Iuridica anacephalæosis de Lamiis.

CAP. XXVII.

IAm tandem Lamias earum rerum omnium quæ illis asscribuntur passim, nec naturali ratione, nec in facto causas esse, comprobatum satis arbitror. Nam si quid ejusmodi hæc efficiunt, utique possunt etiam. Actus enim præsupponit potentiam. Si vero posse concludere volumus, definiendum omnino prius est quo modo, quaque ratione possint. At neque per se, neque per incantationes, neque per dæmonem, neque dæmones per ipsas ea præstare queunt.

Lamiæ non possunt, quod creduntur facere.

§ 2. Per se quidem ipsas non posse, triplici ratione demonstravimus. Quæ enim ad omnem actionem, sive simplex illa sit, sive certo fine fiat, requiruntur, agentis nimirum facultas, aptitudo patientis & subjecti, conveniens & possibilis applicatio, tribus his planè carent. Nam quod ad ipsas spectat, mortales sunt: quorum omnis facultas cum ex analogia consonantiaque corporis & animi pendeat, hoc quidem nihil nisi intelligere & velle: illo verò tantum possunt, quantum terrenorum sensuum termini patiuntur. Itaque nec ad superiora sua potentia pertingunt, nec quicquam omnino possunt operari, quod sensibus non respondeat.

Per se non possunt.

Agentis facultas.

§ 3. Sicut enim diximus, ad efficiendum aliquid, vel ad effectum producendum in aliquid, necessaria prorsus est virtus ac potentia causæ efficientis, haud secus atque πρός τι. Quantum etiam attinet ad id in quod agere creduntur, hac ipsa ratione fieri non potest ut terram concutiant, nubes dissolvant, grandines provocent, ventos cieant, imbres inducant, fulmina evocent, tonitrua eliciant. Nullus enim vel noster esse potest actus vel alterius agentis, nisi in patiente apto, beneque disposito. Non est autem ea aut universitatis ratio, aut elementorum conditio, ut homines in ea vel agere possint, vel ea ratione possint qua lamiæ creduntur, ut superioribus libris latius explicuimus. Per incantationes igitur multo minus hæc consequentur. Nec

Subjecti ineptitudo.

L. si adrogator. D. de adopt. l. jurisperitos. §. cum oriundus. D. de excus. tut. l. pupill. D. de tut. & cur. Alex. Cons. 128. vol. 1. l. in omnib. 2. D. de oblig. et. act. l. 1. C. de har: instit. l. si ego 1. D. si cert. peta: c. 2. §. hoc autem qui feud. dare poss.

vero causato, ut loquimur, plus virtutis inesse potest, quam ab influxu beneficioque suæ causæ proficiscitur.

§ 4. Incantationum carminumque causæ sunt lamiæ, & ii qui iis utuntur, quemadmodum verborum omnium, quorum quis sit effectus, Aristoteles in secundo de Anima subtilissimè docet. Lamias autem hæc augendi nullam habere vim, nullam facultatem, jam ostendimus. Ergo nec incantationes talium effectuum sunt causa, nec Lamiarum potentiæ suffragatur illa regula: Quicquid est causa causæ, etiam est ejus causa quod causatum dicitur. Etenim licet priora duo quæ in omni actione requiruntur, non deessent, tertium tamen hic deficere videmus. Incantationes enim non esse medium aptum inter homines & corpora cœlestia, aliis in locis docuimus. Itaque vel hoc ipso totum negotium non solùm impediretur, sed nec institui posset. Medium enim inhabile & inconveniens, impedit ut extrema vel conjungantur, vel in agendo quid consentiant. Nisi fortè cum Platonicis constituamus, mundum hunc esse quoddam animal quod etiam sentiat, & aures oculosque habeat; cumque Pythagora, cantibus eum delectari & moveri.

L. etsi amicis. D. ad l. Iul de adult. Dest.

L. fin D. de fiu. l. qui sella. §. fin. D. de sent. ru st. Macrob. in Som. Scip.

§ 5. Sed nec per diabolum eas hæc præstare ostendimus. Nam ut concedam etiam, quod aut diabolum incantationibus suis possint cogere, aut diabolus hæc sponte faciat, cum invocatur ab illis: tamen nec ad id agendum compellere, nec illud per ipsum posunt efficere, quod in ejus potestate non est. Licet enim ipse & omnia quæ commemoravimus, & multa alia possit, quæ nobis miracula modo sunt, modo videntur esse: non tamen ea præstare potest, quæ vel ipse, vel homo vellet: nec eo momento, quo vel ipse cuperet, vel clientes optarent & juberent: sed ea quæ vult summus Deus, & tum demum cum illi placuerit. Itaque, si quando post incantationes id quod volunt consequatur, quia non ex libito, imperioque dæmonis aut illarum procedit, sed ex voluntate jubentis aut permittentis Dei, quæ nullius aut spiritus aut hominis non solum in potestate, sed etiam in scientia est: fortui tum (si ita voles) id & hominibus & dæmonibus esse oportet. Quare nec magis eorum causa sunt, quam omnium rerum quæ non à nobis fiunt, sed fortuito nobis licet optantibus accidunt. Nec denique diabolicæ naturæ vis objectionem illam nobis subministrat, idem esse sive per se, sive per

per dæmonem ea quæ ipsis attribuuntur, faciant Lamiæ: nec differre, utrum effectum producant, aut causam immediate præbeant.

§ 6. Postremum est, quod dici posset, dæmonem per anus hasce quæcunque supra diximus operari, ut miseræ Lamiæ causæ sint instrumentales. Quasi vero milleartifex earum egeat opera? Sed ut hoc non sit, quis non videt inepta prorsus ad cœlum, aërem, nubes ac ventos commovendos edentulas anus esse organa? Ne igitur illos nequam spiritus tantæ putemus & insipientiæ & inertiæ esse, ut has adeant: & naturam eo recidisse, ut per eas moveatur. Ad agendum enim aliquid, instrumenti convenientia requiritur, & habilitas. Quanquam etiam, si Lamiæ dæmonum ad ea quæ Deus Opt. Max. iis permittit efficienda, necessaria essent, aptaque organa, quam inde pœnam mererentur miseræ? Primum enim hoc eas pati videremus: Ergo minime facere. Simul enim hæc non concurrunt. Tum etiam certum est, ex causa instrumentali actiones non censeri, nec finem eorum quæ fiunt, ab organo dependere. Argumento l. qui mihi donatum. D. de donat. Finis autem in maleficiis tantummodo punitur. l. divus. D. ad l. Cornel. de sicar. Atque his propemodum rationibus fusius explicatis, firmissimisque argumentis stabilitis, per naturam rerum, testem veritatis optimam, fieri non posse declaravimus, ut quicquam eorum quæ dicta sunt, Lamiæ vere possint. Quod primum est argumentum, eas quoque nihil ejusmodi facere.

l. is damnum. D de reg. jur. l. §. dejecisse. D. de vi & vi arm. l. nihil interest. D. ad l. Cornel. de sicar.

Instrumenti habilitas.

l. §. cæterum. D. de Acq. poss. l. Vranius. D. de fidejuss. l. testium. C. de test. Bald. 7. col.

§ 7. Secundum erat ex facto petitum, quod optimum veritatis fundamentum est: quia veritas est certæ rei notitia, habita maxime per visum. Usu autem ipso deprehendimus, hos effectus falsissime Lamiis tribui. Non solum enim illæ calamitates, quarum causæ dicuntur esse, durant, atquo adeo redeunt, postquam jam è medio sublatæ, in cineres redactæ sunt: sed ibi quoque tam crebræ tamque vehementes quandoque sunt, ubi lamiarum nec potentia nec nomen cognita sunt. Effectus autem non debet ascribi causæ, qua remota, idem nihilominus contingit. l. conditionibus pupillus, in pr. D. de condict. & dem. argumento l. antep. D. ex quibus causis major. Cessante enim causa, necessario quoque cessat effectus. Cum ergo ex facto habeamus, lamias neque per se neque per alium hæc efficere: sed alium absque illis, hoc est vel Deum ἀμέσως, vel diabolum, summi & omnipotentis Dei permissu: profecto nec æquum est, ut aut ex facto alieno onerentur, aut ibi

Experientia docet, lamias id non facere, quod iis imponitur. gl. in Auth. de mistr. cautel. in prin. l. adigere. § quamvis. D. de jur. patron. c. cum cessante, ext. de appell. l. in causa. D. de procur.

l. crimen paternum. D. de pœn.

poena sit, ubi noxa non est. l. sancimus. C. de poen. Satis est ut unusquisque ex suo admisso sorti subjiciatur. Cum vero natura sit impossibile, ut non modo lamiæ, sed & reliqui homines ejusmodi rerum causæ sint efficientes: nostrum sane non est, in præjudicium alterius id esse possibile defendere. Neq; vero de jure quid est possibile, quod natura sit impossibile. l. 1. gl. l. filius D. de condit. instit.

l. multum. C si quis alteri vel sibi.

Nil nisi possibile punitur.

§ 8. Et nihil est certius, quam defectum potentiæ non solum actum, sed etiam actus præsumptionem impedire. Quam etiam ob rem non quæ quis aut voluisse dicitur, aut potuisse probatur, attendunt judices: sed ea quæ quis commisisse & fecisse demonstratur, quæque per naturam rerum tam in potestatem quæ voluntatem hominis cadunt. Quod adeo verum est, ut etsi quis vel sponte vel aliter confiteretur delictum, quod aut simpliciter committere non potuit, aut certis de causis naturaliter commisisse non videtur: tamen ex eo puniri nequeat. Confessionem enim & verum possibile continere debere, supra docuimus. l. inde Neratius. D. ad l. *Aquil.* c. fin. de confess. in 6. & ibi gl. l. 1. C. de confess. ibi Bal. *Et Angelus* cons. 116. vol. 4. refert, mulierem quandam confessam, se marito venenum propinasse, ex eoque illum interiisse, ex tali confessione condemnari non debere: quia judicio medicorum non erant lethalia pharmaca, quæ se dedisse confitebatur.

§ 9. Anno quoque 1563, viderunt filii mei Patavii puerum rapientem in foro poma ab invita muliere, leviter virga in dorso percussum, statim concidisse mortuum. Non tamen verisimile erat, ex eo mortuum. Difficillimum namque medicis videbatur. Impossibilium autem & valde difficilium idem propemodum est in jure *judicium*. l. apud Julianum. § constat. D. de leg. 1. Quod etiam ad *lamiarum* spectat patrocinium. Ut enim fieri posse per eas concedamus, quæ posse creduntur: quid tamen iis ipsis homini esse posset difficilius? Vix igitur etiam vero sunt similia. At quod verisimile non est, attendi non debet. c. quia verisimile. De Præsumpt. l. fin. in prin. D. quod metus causa.

Causæ finales calamitatum quæ Lamiis imputantur. c. cætero. de homicid. gl. 1. & Panor.

§ 10. Adhæc cum de causa calamitatum earum, quas lamiis impingimus, certo non constet, hoc unum miseras etiam excusaret, quod multiplices ac variæ earum possint esse occasiones & causæ. Effectus enim qui multiplici ex causa colligi potest, justiori semper ascribitur. c. estote, de reg. Jur. in antiq. Nec in dubio delictum omnino præsumitur. l. 1. C. ad l. Cornel. de sicar. Jam

vero

vero cum & de remota constet, & de propinqua, quæ proprié causæ appellatione continetur, non solum innocentes affligerentur respectu nocentis, quo nihil est periculosius (l. fin. infr. C. de his qui latr. l. prægnantis. D. de pœn.) sed ipsi quoque Deo summam injuriam inferremus, si manum ejus non agnosceremus: hoc est, si quæ nobis vel ad pœnam, vel ad probationem, vel admonitionem immittit, ea vel ab alio quam ipso, vel ob alias causas quæ legitimas, vel per alia media quam quibus à mundi primordiis usus fuit, proficisci, & nobis imponi crederemus. *Injuria Deo quomodo fit.*

§ 11. Non obstat igitur l. eorum, nec l. multi. C. de maleficis & mathematicis. Nec earum auctoribus Divo Constantino Constantioque fit injuria, licet alioquin legum emendationem summè vitandam esse non negemus, l. præcipimus. infr. C. de appellat. Nam cessante ratione legis, cessat lex. l. quod dictum. D. de pact. l. adigere. §. quamvis. D. de Jur. patron. Ratio enim est anima legis. l. cum ratio. D. de bon. damn. c. ratio nulla. infr. ext. de præbend. Ex ratione lex omnis interpretationem accipit. l. cum pater. §. dulcissimis. D. de leg. 2. Doctores ibi. In l. multi, dicitur, multos artibus magicis elementa turbare, vitam insontium labefactare, manes accire posse. In l. eorum, dicitur, maleficos, morbos, imbres, grandines, ventos & removere posse, & avertere: nec eos esse puniendos, qui incantationibus utuntur ad finem boni, sed eos qui ad finem mali. Bart. & Salyc. in sum. Atqui jam & ratione, & experientia, & auctoritate probatum est, nihil istorum vere per homines fieri. Correcta ergo ratione legis, correcta mihi videtur lex. gl. ord. in l. 1. in verb. Providentia. D. de legit. tut. & in l. qua ratione. §. literæ. verb. Directam. D. de aeq. rer. dom. Rationes autem non leves, quod tempestates & aërem commovere non possint Lamiæ, Libro 3. cap. 16. adduximus. *Bart. Cons. 6.* *Ratio anima legis.* *Leges de maleficis an locum habeant.*

§ 12. Experientiam supra attigimus, nec certiorem habere possumus, quam è Libro quarto, quem ex meris prope composuimus exemplis eorum qui cum vel dæmoniacis, vel naturalibus morbis ac vitiis laborarent, maleficio tamen Lamiarum affecti credebantur. Sed & illa clarissima est, quod quæ posse videntur inducere & accire, nulla vi removere possint, atque abigere: quemadmodum etiam nec magi infames quidem valuere, id quod supra in Pharaonis magis notavimus, qui nec ranas nec cyniphes pellere, nec cavere sibi potuerunt, quin ulceribus affecti, suarum *Lib. 2. c. 8. Exod. 9.*

artium

artium vanitatem detegerent. Ut enim facere videtur, qui cum possit, non prohibet, l. adigere, in prin. D. de Jur. patr. ubi gl. ita non facere, qui cum velit, non potest. Per spiritum Dei non poterant. Quod si per ipsos stetisset quo minus abigerent, potuisse non inficiaremur. Idem hoc est, aliquem posse, vel stare per ipsum quo minus possit.

l. si bona fidei. D. de nox.

§ 13. Restat autoritas, quam habemus maximam ex concilio Ancyrensi, 26. q. 2. c. Episcopi. Nec minorem à sanctis Patribus eorumque canonibus. 26. quæst. 2. c. illos. c. ex tuarum. c. fin. ext. de Sort. ubi Glossæ, & Doctores: qui omnes expresse testantur, hæreticum esse, qui credat hujusmodi per magos ac sortilegos fieri posse. 26. quæst. 4. c. igitur. & c. accusatur. §. plane. de hæritic. in. 6. quia tribuit creaturæ, quod uni solique Deo convenit. 26. quæst. 2. c. qui sine Salvatore. Joan. And. in rub. ext. de Sort. & c. 1. eod. Panor. Andr. Sic. in cons. 55. Oldr. in cons. 210. Quæ cum ita sint, legum illarum verba non eo sunt torquenda, quasi Christianus Imperator, vel ipse crediderit, vel alios credere voluerit, *ejusmodi* sive miracula sive calamitates ab hominibus per malas *magicas*ve artes edi ac perfici: sed ita potius accipienda, quasi desumpta & scripta ex opinione vulgi, & secundum communem loquendi formam: quam quidem observant & retinent plerumque legum latores. Id quod ex l. nullus. eod. tit. aliisque ll. optime patet. Etenim leges legibus conciliare modis omnibus debemus. l. uni. C. de in off. dot. Quanquam si authoritatem spectemus, quis est qui ambigat, in hoc negotio juri divino summam tribuendam & fidem & reverentiam? In causis enim definiendis, iis præsertim quæ spectant ad animum, ejusmodi nostra est, dicta Patrum & Canonum, legibus sunt præferenda. Panor. in. c. super illa. de secundis nuptiis. neque leges ipsæ dedignantur sacros Canones imitari. Auth. ut cleric. apud proprium episc. in fine.

Leges hæ ex opinione vulgi scripta.

Voluntas Lamiarum.

§ 14. Cæterum adversus ea quæ diximus pro defensione duarum istarum ll. instabunt fortassis & Molitor & alii, licet Lamias nihil eorum quæ dictæ ll. exprimunt, aut posse aut efficere concedatur, cupere tamen & velle afficere: Eadem autem severitate voluntatem sceleris, qua exitum, esse puniendum. l. quisquis, in prin. D. ad l. Jul. majest. l. si quis non dicam. C. de episc. & cleric. Illud vero primum exceptione clarissima possem elidere, quod nullam aliam ob causam miseras & insontes anus vel capi vel plecti fateantur

tur oportet, quam quod ejusmodi quid vel fecisse vel procurasse credantur: alioquin proprio se jugularent gladio. Nec enim aliter legitimè non modo condemnari, sed etiam torqueri possent. Secundo respondeo, illam juris regulam, In maleficiis voluntatem spectari, non eventum, l. divus. D. ad l. Corn. de sicar. præterquam quod varias habeat limitationes, hic quoque non adduci posse. Est enim voluntas illa, potentia facto proxima: & maleficium nihil aliud, quàm malum hominis factum. At facit, qui facere potest: & id facit demum, quod fieri per ipsum potest. Unde nihil aliud illa definitio denotat, quàm paria esse, delinquere, vel delictum attentare. Dictis ll. l. is qui cum telo. C. de sicariis.

§ 15. Lamias vero nostras hæc non posse, sæpe multumque demonstravimus. Itaque nec facere quid ejuscemodi (defectus enim potentiæ impedit actum) nec velle censendum est. Neque vero quis id velle videtur, quod non potest. l. Lucius. §. Impp. D. ad municip. l. si tibi. §. unius. D. de opt. leg. c. cum à nobis. de sentent. excom. Quæ igitur horum facinorum voluntas in Lamias cadit, si modo voluntas judicanda sit, non nisi vana esse potest & debet. Inanis enim est voluntas, nisi facultas adsit, & potentia. l. nolle adire, in prin. D. de Acq. hær. & ibi notat. Alex. l. pater Severinam, in prin. D. de cond. & demonst. Nihilque est aliud quam vel puerilis animi persuasio, vel fallax opinio, vel simplex destinatio, quæ in viventium actionibus sola nihil efficit. l. si nondum. C. de furt. Vel cogitatio tantum, qua cum nihil sit liberius, ejus nemo pœnam patitur. l. cogitationis, D. de pœnis. c. cogitationis. distin. I. de pœnit. l. si fugitivus. l. sæpe, in fin. de verb. sig. d. l. inficiando, in prin. de furt. Propositum enim in mente retentum, nihil operatur aut in publicum, aut in privatum alicujus detrimentum. Ideo cogitatio flagitiorum quorumlibet impunita manet, quæ quis & aggredi & perficere potest. Bald. in l. non ideo minus. C. de accusat. cum suis terminis contenta est. c. cogitatio non meretur, distin. I. de pœnit. Quanto magis earum rerum quæ & naturaliter impossibiles sunt, & in nullius hominis potestatem cadere possunt?

d. l. multum. C. si quis alt. versib.

Voluntas, destinatio, cogitatio malefici.

§ 16. Enimvero hujusmodi cogitationes ac desideria non hominis sani, sed amentis revera sunt. Sanæ mentis voluntas, rei possibilis est voluntas. In ea paria sunt, nolle, & non posse. lib. III.

C. de hær. instit. l. 1. §. usus. D. de procur. Amens autem & ratione caret, & voluntate. Itaque nec dolus in eo præsumi, nec culpa quidem ei qui suæ mentis non est, imputari potest. l. sed etsi. §. 1. D. ad l. Aqu. Lamiis autem nostris tum ætatem decrepitam, tum ex miseria desperationem, tum phantasiæ vitium, tum pharmaca furorem inducentia, tum dæmonem ita penitus omnem eripere mentem docuimus, ut quæ nec fecêre, nec potuêre, fecisse tamen se confiteantur, seque ipsas in apertam præcipitent sua sponte mortem. Quod nemo sanus, quantumvis fortis, unquam fecerit: quia voluntas ejus talis est, qualis esse debet. Est autem omnium terribilium maximè terribile mors. l. ultimum. D. de pœnis. Furiosorum illud est, amentium, ac infantium. His nullum omnino delictum imputatur. l. infans. D. ad l. Corn. de sic. Non si committant quod perduellionis & majestatis rei. l. famosi. D. ad l. Jul. majestatis. Cur ita? quia judicio carent: hoc est, ea voluntate quæ in maleficiis spectatur & punitur. l. qui injuriæ. l. fin. l. verum est. D. de furt. Quam etiam ob causam ut maximè Lamiæ nostræ possint quæ facere creduntur, & faciant quæ posse dicuntur: nihilo tamen magis puniri possent, quam illi: quia non minus illa voluntate carent malefaciendi, quæ pœnam meretur in maleficiis tantùm, dictis ll. l. si servus, §. etsi puerum. D. ad l. Aquil. l. si quis testamentum, in fin. D. de furt. Hic enim locum haberet illa regula.

Lamiæ confitentes ea quæ sibi imponuntur, amentes sunt.

Bald. in l. 1. col. 5. C. de sacr. eccles.

Aristot. in Ethic.

§ 17. Veruntamen, quoniam initium cujusque rei spectandum est, l. Pomponius. D. de neg. gest. & causa: nodus hic alter injicietur, originem scilicet & causam hujus sive vitiatæ voluntatis, sive amentiæ attendi. Nam etsi necessitatis esse videatur, tamen ab initio voluntatis fuit. Deo etenim relicto, cum diabolo contraxêre, eumque secutæ sunt lamiæ, deviantes à tramite Catholicæ religionis: quod non solùm hæreticum est, l. 2. in fin. C. de hæret. & Manich. sed apostaticum etiam, l. 3. in princ. C. de apostat. Denique delictis semper obligatio naturalis inest ex tacito consensu delinquentis: quia delinquendo, ipso facto sequenti pœnæ consentire, ad eamque se obligare videtur. gl. in l. 1. §. fin. D. de postul. & in l. si servus. D. qui not. inf. l. Impp. D. de jure fis. vers. Tu huic pœnæ te subdidisti. Et sanè nulla potest misellis alia imputari culpa, nullaque justior earum puniendarum causa vel à Grillando vel à Molitore vel ab aliis Jureconsultis assignatur.

§ 18. At-

§ 18. Atqui rationibus innumeris ostendere possem, contractum ac fœdus hoc nullum esse: itaque nihil in alterutram partem operari posse, nihilque huc facere regulam, uniuscujusque contractus initium spectandum esse, & causam. l. si procuratorem, in prin. ff. mandati. l. 1. §. non solum. depos. l. si tamen. ad Maced. Ac primo quidem ratione personarum: quia inter quos nulla est communio, inter eos quoque nullum potest esse jus, nullus naturaliter contractus. Ratione rerum: quia quæ dari fierive nec de jure nec naturaliter possunt, eorum nulla penitus est obligatio. Ratione conditionis adjectæ stipulationi, pactove: quia nec in stipulantium est potestate, nec ita in casu posita ut natura sit possibilis. Ratione formæ: quia non ea fit quæ dat esse rei, cujusque omissio vitiat actum. Ratione dissensus: quia semper & de alio & aliter sentit dæmon, quam homo. Postremo non nisi imaginarium est universum negotium. Quæ autem in spiritu tantum fiunt, eorum per testes veros ac certos, hoc est oculatos, non potest haberi veritas. Itaque fœderis hujusmodi notitiam per experientiam, & ex facto consequi nequimus. Eorum enim quæ non apparent, quæve non sunt, nulla qualitas est. l. ejus qui in provincia, j. D. si cert. pet. l. fin. D. pro soc. Cæterum quoniam non id solum Libro tertio satis declaratum est: sed etiam ipsas aniculas, quæ plerunque lamiæ dicuntur, dolo circumventas, vi coactas, metu compulsas, errore inductas, ignorantia deceptas in hanc credulitatis temeritatem incidisse: profecto nec hoc objici miseris poterit, quod in contractibus attenditur, quæ ab initio sunt voluntatis, ex post facto fiunt necessitatis. l. sicut. C. de act. & oblig. nec illud quod in hæresi, delictum hoc sola voluntate, & in mente committi. c. excommunicamus. §. credentes. de hæret. Bald. in l. si quis non dicam. C. de episcop. & cler. & alii doctores. Nam ubi nullus est contractus, ibi nec contractus initium: ubi vero dolus, vis, metus, error, ignorantia, ibi neque voluntas, ut dixi supra, neque consensus esse potest: quare nec hæreseos, nec alterius delicti, quod à solo animo pendet, suspicio, aut pœna.

Fœdus inter dæmonem & lamias nullum.

L. non solum. de act. & oblig.

L. cum hi. §. si prætor D. de transf.

L. 1. de har. instit. l. 4. § si. de act. empt. l. fin de coll. bon.

L. in commodato. §. sicut. D. commodati. l. si quis argentum. §. cum empt. C. de don.

§ 19. Sunt enim ea omnia voluntati consensuique contraria: inprimis dolus ac vis. l. & eleganter. D. de dolo. l. in causæ. §. 1. de minor. l. 4. de reg. Iur. l. 1. quod metus causa. ibi: Propter necessitatem contrariam voluntati, Labeo enim dolum esse definit, calliditatem,

Lamia nihil voluntate, sed omnia coacte & decepta faciunt.

tem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum. l. 1. §. 1. D. de dolo. Quid autem ad hæc tria gravius efficaciusque lamiis simplicibus accidere potest, quam dæmonis tentatio? cui lib. Primo docuimus nec voluntatem deesse, ut totum orbem terrarum seducat: neque diligentiam, quia alium actum non habet: neque technas artesque quibus circumvenire, fallere, decipere non modo fœminam, sed constantissimum prudentissimumque quemque hominum potest. 3. Sent. distin. 19. quæst. 3. num. 22. 23. verba S. Bonaventuræ. His illum nostris mulierculis imponere, mentemque earum capere, tum Canones docent, tum liber tertius: partim intrinsecus, cum mala pro bonis, bona pro malis proponit, suadetque miris & invisibilibus (ut D. Augustinus ait) modis, per illam substantiam suorum corporum, miserrimarum corpora non sentientium penetrando, seque cogitationibus earum miscendo: partim vero extrinsecus, cum per imaginum simulandarum callidam operationem, ut idem inquit, se coram illis in angelum lucis transformat, & Deum mentitur. Quare quomodo sæpe homo hominem dolo inducit ad aliquid instituendum, quod alioquin ne cogitaret quidem: ita mirum non est, inquit Grillandus, ut mulier ex se pudica, dæmonum tentationibus ad eam quam alioquin odit, delabatur impudicitiam. Illecebras enim omnes & intus suggerunt, & foris ostentant, ut in Libro primo demonstravimus.

Apoc. 12. 1. Pet. 5. Chrysost. super Matth. lib. 1. Genes. 3. 26. q. 5. episc. De lamiis Lib. de divin. dæm. 3. & 5. De Spirit. & anima c. 28. 35. q. 4. c. sciendum. Ad Simplic. lib. 2. q. 3. d. c. episcopi. 2. Cor. 11. Tract. de sortileg. q. 5. n. 5.

§ 20. Veniamus ad vim, quæ majoris rei impetus est, qui repelli non potest. lib. 11. D. quod metus causa. Quid autem dæmonis impetu violentius? quo cum repentinos & extraordinarios animæ infligat excessus, ut inquit Tertullianus, primum mentem harum mulierculararum ita subjugat, captivamque ducit, teste concilio Ancyrano, & D. Augustino, ut credant ei quod nec est, nec esse potest. Deinde corpus universum ita obsidet, ut contra corporis naturam moveatur: denique linguam earum sic occupat, ut non nisi quando vult ipse, nec aliud quam quod ipsi placet, eloqui possint. Suppetit illis, ait Tertullianus, ad utramque substantiam hominis lædendam subtilitas & tenuitas sua multum spiritualibus viribus, quas vel eo magis attendere debemus in hac quæstione, quod & invisibiles & insensibiles in effectu potius quam in actu appareant, eodem teste in Apologet. cont. gent. cap. 22. Proinde neque culpa sua, neque volentibus hæc accidunt,

d. q. 26. De civit. Dei lib. 11 cap. 10.

dunt, quæ vel in mente, vel ope corporis, vel in lingua committuntur. Primum enim, cui volenti fit vis ac injuria? deinde quis vi resistere potest? l. ex conducto. §. 1. V. Servius. D. lati. Denique qua custodia consequi posset hominum quisquam, ne damnum injuria dari possit? l. sed de damno. d. tit. l. si ea de act. empti. *l. 1. §. filii. de injuriis. l. cum donationis. C. de transact.*

§ 21. Tertium erat metus: qui quid aliud est, quam instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio? l. 1. D. quod metus. At supra docuimus, ea omnia quorum metus merito & in homine constantissimo cadat, l. 6. d. tit. pericula, cruciatum corporis, mortem & violentam & naturalem, l. interpositam. de transact. Partim revera miseris aniculis dæmonem intentare ac minari, partim ipsis etiam captis ac circumscriptis earum mentibus, ut ait Tertullianus, tanto errore objicere ac inferre, ut cum eorum omnium sibi potestatem esse fingat, eas facile quidvis videri facere ac pati cogat. Nam & præsentia mala quibus premuntur ac exercentur, paupertatem, odea hominum, calamitates, vel se mentitur immisisse, vel etiam Deo permittente immittit, vel ita delusis earum sensibus imprimit, ut licet nihil eorum patiantur, tamen quasi perpetiantur doleant, ut aut amolitionem eorum ostenttans, aut successuum meliorum spem injiciens, fidem ac obsequium misellis extorqueat. Hic est certe illatus timor. l. metum autem. d. tt. Enimvero quoscunque superat dæmon, per mœrorem superat, teste Chrysostomo lib. 3. de Provident. Timor autem, & tristitia quædam est. Omnes enim ex malo æque timemus, si immineat, ut affuturum: & dolemus, si præsens jam sit, & lædat. Nam quod lædit, naturæ contrarium, ac voluntati est. Quicquid autem fit occasione alicujus involuntarii, involuntarium & est & dicitur l. qui levandæ. D. ad. l. Rhod. Hoc est, propter quod credulitatis temeritatem in lamiis perfectæ voluntati nequimus imputare. *Metus.* *7. Ethic. Arist.*

§ 22. Restat error & ignorantia. Clarum autem est, errantis nullam esse voluntatem, & ignorantis nullum consensum. l. si per errorem. de jurisd. omnium jud. l. sed hoc. D. de publ. & rect. Quin & hunc invito similem esse, l. qui potest. §. 1. de reg. jur. & furioso, l. si à furioso. D. si cert. pet. cui parcitur in omnibus, ut dictum est supra. In lamiis autem nostris, error mentis ac cæcitas voluntatis primum à morbo pendet naturæ, cujus factum æquo animo ferendum est, l. in summa. §. apud. de aqua plu. arc. Melancholi- *Error.*

cholicis enim morbis tam graviter omnes plerunque vexari, nos
Cap.5.6. Libro tertio, & Alciatus supra singulari capite, docuimus, ut
Lib.6. cap.18. nec apprehendere, nec dijudicare quicquam recte possint, multo minus eligere, quodque electionem consequitur velle, quod omnino liberum denotat arbitrium. l. fideicommissa. §. quanquam. de leg.3. Tanto majus mentis vitium est quod patiuntur, quam amoris furor: quo tamen nihil esse vehementius, dicitur in Aut. quibus mod. eff. leg. §. illud quoque: minusque puniendum.

Ignorantia facti proprii in lamiis. § 23. Secundo, in tantam mentis alienationem incidunt *diaboli* ludibriis, quibus diximus & mentem earum capi, ut nesciant *quid* agant, & oculos perstringi, ut scilicet videant credantque quod non est. Adeo facti quoque non alieni modo, verum etiam sui, quod mirum est, probabili certaque laborant ignorantia, quo magis divini juris ignorantiam in iis præsumendam excusandam censeo. Nam si corruptum sensum omnibus animantibus communem habent, si depravatam phantasiam & apprehensionem, si diaboli *tum* internis tum exteris fit ludificationibus, ut idipsum quod *& agunt,* & velle videntur, nesciant: qui vel intelligent, quale sit id ipsum, in quo consentiunt: vel dijudicare poterunt, faciendum sit, an secus? Adhæc ut nec morbus vitiatæ rationis, nec tantæ fraudes quantas adhibet dæmon interveniant: fit quandoque per neglectam divini juris ac sermonis tum promulgationem, tum *interpretationem*, eorumque culpam ad quos eæ pertinent, ut in hanc credulitatis temeritatem incidant: nonnunquam ætatis infirmitate: semper autem sexus tum imprudentia, tum imbecillitate: cui propter
Cap.5.6. eas causas quas Libro tertio retuli, specialiter indulgeri & faveri,
Lib.6. cap.20. supra singulari capite docuimus, præterquam quod generaliter deceptis subveniatur, l. & primo. §. verba. ad Vell. & impotentib. l. non enim. D. ex quib. caus. major.

§ 24. Nunc igitur satis arbitror constare, in animum harum muliercularum delictum omnino, quod in sola mente consistit, ac voluntate, nulla ratione cadere posse: Nec eandem earum in fide rationem esse, quam aut hæreticorum, aut apostatarum. Hæreticum enim schisma facere, & pertinaciam voluntatis, supra docuimus: apostatam vero spontanea ac voluntaria animi malitia reddit.

§ 25. Quæcunque vero jam summatim diximus, eo recidunt omnia, ut quod Grillandus & Molitor Lamias animo committere, & voluntate facere volunt, potius in mente pati, quam facere, videa-

videamus. Nihil enim agit in ſeipſum. l. ille à quo. §. tempeſtivum. D. ad Trebell. Nihil autem magis differt inter ſe, quam agens & patiens. l. Uranius. D. de fidejuſſ. argumento l. prætor. de tut. & cur. Quare commiſeratione potius quam pœna enormi dignæ ſunt, omnique potius auxilio, quod dolum, vim, metum paſſis, furioſis, deceptis, ignorantibus, impotentibus aut ipſo jure competit, aut ratione ſuadente tribuitur. Neque vero pœna pœnæ poteſt eſſe, nec afflictionem afflicto addere debemus. l. navis onuſtæ. §. cum autem. D. ad l. Rhodiam. c. ex parte. de cler. ægrotan. §. quod ſi vis fluminis. Inſtit. de rer. diviſ. & 7. q. 1. c. cum percuſſio.

Lamia commiſeratione digna, non pœna.

Eccleſ. 4.

§ 26. Atque hæc ſane naturalis eſt ratio, cur neque furioſi, neque phrenetici puniendi ſint ex aliquo delicto, quod ſatis ſuo furore torqueantur, & ſua calamitate puniantur. l. divus. D. de offic. præſ. l. pœna. §. ſane. D. ad l. Pomp. de parric. Itaque fati ut illos, ſic & noſtras, infœlicitas excuſat. Animo enim illi ac rationis vi deſtituti ſunt, nec fere ullum habent aut ſanæ mentis aut perfectæ voluntatis conſenſum, ut ſatis eſt ſuperque dictum. l. 2. C. de contrah. empt. Atqui neque delictum ſine conſenſu poteſt committi, ac propoſito. l. 1. ff. ſi quadrupes paup. fec. dic. neque injuria inferri ſine animo injuriandi. l. illud. §. ſane. D. de injur. Ergo nullo modo ex delicto vel Canones eos irregularitate puniunt. Clem. un. de homicid. neque leges ſuis pœnis. l. infans. ff. ad l. Corn. de ſicar. Nullo modo ob parricidium commiſſum culeo inſuuntur. d. l. pœna. §. fin. Nullo modo inferunt injuriam, ſed etiam patiuntur. d. §. ſane. Nullo modo tenentur Aquilia, ob damnum datum. l. ſed etſi quemcunque. §. igitur injuriam. ff. ad l. Aquil. Nullo modo eorum factis leges vel præmium vel pœnam proponunt: ſed pro talibus habent, ac ſi fortuita ſint, in quibus nullius ſpectari poſſit hominis vel deliberatio, vel actio, vel conſcientia, l. fin. in fin. ff. de adminiſt. tutor. At & noſtras, de quibus agimus, animo (ſine quo delinqui, uſucapi, poſſideri nequit) item mente, voluntate, ratione, conſenſu, deliberatione, βουλῇ, conſilio carere, jam ad nauſeam oſtendimus.

§ 27. Quid igitur gravius delinquunt, quam furioſi, quam phrenetici, quam dormientes, qui illis æquiparantur? c. majores. §. ſi. ext. de bap. Neque profecto abſimiles ſunt noſtrarum mulierculearum actiones, ſeu potius paſſiones, illis dormientium, quas

Bart. in l. ut vim. ff. de just. & jur. recenset, & Cardin. Zabar. in d. Clem. un. de iis qui de nocte surg. hom. commis. Et tamen ille legum Coryphæus, talia commissa recte excusat, tanquam ex hominis peracta operatione, quæ sensu, quæ voluntate careat. Dd. l. poena. ff. ad l. Pomp. de parr. non secus atque à furiosis ac insipidis patrata. l. fluminum. §. vitium. ff. de dam. infect. l. qui occidit. ff. ad l. Aquil. Cur ergo nostræ, quarum similis est ratio, magis peccent illis qui dicuntur non peccare? gl. in c. testamentum. 6. dist. Quid magis illarum urgetur confessio, quam furiosorum, quibus calamitate non pares, sed superiores sunt? cum tamen illorum confessio nulla sit: uti probavimus ex l. in negotiis. D. de reg. jur. l. 2. §. furiosus. D. de jur. codicil. c. fin. ext. de successionibus ab intestato.

§ 28. Nisi forte replicent, eas pro meritis voluntatum divino judicio tradi illudendas ac decipiendas, illudentibus ac decipientibus eas prævaricatoribus angelis, ut ait D. Augustinus lib. II. de Doct. Christ. c. 23. Atqui fateor, divinam justitiam generaliter hominis meritum præsupponere, diverso tamen effectu: Quia sanctis afflictiones, post peccatorum remissionem, certamina sunt, & exercitationes, ut probentur: reprobis, sine remissione supplicia, pœnæque iniquitatis. Itaque non solum improbi & in corpore & in anima affliguntur, sed etiam boni, quos Deus diligit: nec ex virga Dei flagellantis aliquem, præsumendum statim est facinus aliquod ejus, quod etiam ab hominibus puniri debeat.

Augustinus lib. II de Pecc. mort. & remiss. c. 33. Iob 23.

§ 29. Nam ea ratione dæmoniacos quosque majori poena esse aggravandos à magistratu diceremus. Sed illa sibi relinquenda esse, vel uno hoc innuit Deus, quod ipse puniat, ac exerceat eos. Quod enim à magistratu puniri vult, id ipse vicissim illi detegit & relinquit, cujus opera sunt misericordia & judicium. Etenim cum tribus tantum modis peccare possimus, quorum Primus complectitur omnem interiorem motum ac conceptum in intelligentia vel affectibus, etiamsi voluntas non consentiat: Secundus tum incidit, quoties voluntas cum motibus & affectibus consentit: Tertius, quoties re exequi conamur, quod cogitamus & volumus: magistratus non ulterius procedit ad animum aut voluntatem puniendam, quam si emerserit & constet.

Magistratus in qua animadvertat.

§ 30. Deus autem in illa secretiora, inque animum ipsum ac cogitationem hominis animadvertit. Ea enim solus Deus cognoscit.

Quæ Deus sibi reservarit punienda.

scit. In Clement. exivi. §. quamvis. de verb. signif. Scrutator enim cordium ac renum est: & tota intelligentia, tota anima, toto corde vult à nobis diligi. Nos vero animum probamus verbi factive præsumptione, nec alia habemus animi indicia. l. 15. qui. §. divus. C. de tut. & cur. dat. l. Labeo. C. de sup. leg. l. reprehendenda. C. de institutionibus & substitutionibus. Neque judex vel voluntatem vel maleficium punire potest, nisi consideret prius, & habeat factum quod animo metitur. Alber. in l. aut facta, vers. qualitate. de poen. Breviter, non nisi externa inter homines puniuntur: Per ea interna probantur. l. fin. infra. C. de sicar. & passim Dd.

§ 31. Sed illud etiam omittendum non est, etiamsi vim hanc & metum ex præcedenti delicto patiantur: nec tamen facere posse quod pati miseras videmus: nec ex eo quod non voluntate faciunt, & animi judicio, sed ex ipso præcedenti delicto puniendas esse. l. nec timorem. D. quod metus causa. Quin cum dæmon etiam nihil ejusmodi recte possit inferre sicut magistratus, l. 111. d. titul. vers. succurrendum illis esse potius, ex eo videtur. Nam & contra dæmonis dolos officium sacerdotum sancti Patres in Concilio Ancyrano requisivêre, ut probent ea omnia esse falsa, quæ miseris persuadet: tum etiam singulorum Christianorum, ut commonefaciant se invicem de tanti hostis fraudibus & potentia ac profunditatibus, ut vocantur in Apoc. cap. 2. Contra vim autem habemus in primis panopliam Christianam, quam supra descripsimus Lib. v. cap. 1. 28. dein vero preces & obsecrationes tum publicas, quibus Deus moveri se confirmat, tum privatas. Multum enim valet oratio justi, & oratio humilis penetrat cœlos. Contra morbum, medicorum opera adhibetur, qui postquam unxerunt afflictas, hoc est, postquam adhibuerunt ea quæ oportet, commendant eas Deo, sicut præcipit D. Augustinus. Oratio fidei salvabit infirmum, hoc est S. Jacobi consilium. Contra metum diligens ad tolerantiam & constantiam admonitio, ut resistamus diabolo juvabit: quemadmodum Libro v. cap. 20. præscripsimus. Contra errorem prædicandus sermo, instandum tempestive, intempestive, arguendum cum omni lenitate & doctrina. Semper autem orandus est Deus, ut ipse intellectum earum mulierculatum aperiat, cum proficiscuntur in Emaus: hoc est, cum in hos errores animi judiciique delabuntur. Contra ignoran-

Quomodo lamiæ sint restituendæ: 26. q. 5 cap. episcopi.

Coloss. 3. Ephes. 6.

1. Tim. 2. Matt. 18. Iacobi 5. Eccles. 35 Vide supra lib. 5. cap. 32.

De Nat. & grat. cap. 25. Iacobi 5. Iacobi 4. 1. Tim. 5.

Augustinus in Ioan.

tiam autem, magistratus officium postulandum, ut pastorum somnolentiam excutiat: ut quo tales oves & debiliores sunt, & incantæ magis propter ætatem deliram, & sexum fœmineum: hoc diligentius ac melius iis caveant à lupis, easque instruant de insidiis

Jacobi 1. eorum. Hac demum ratione in integrum restituendæ sunt.

§ 32. Etsi quoque nec assidua spiritualium astutiarum tentatio,

Ephes.6. nec tanti adversarii inevitabilis impetus, nec tam justus metus, nec

Sexus, & ætas lamiarum. tantum corporis mentisque vitium miseras omni voluntatis culpa liberaret, licet vel hæresi vel apostasia laborare concederem: unica tamen aut ætatis infirmitas, aut sexus simplicitas, vel id ipsum præstaret illis, vel pœnam certè mitigaret. Sic enim & crimen quodlibet attenditur, & animus delinquentis in quolibet crimine, ut expendatur an ignorantia quadam, imperitia, vel simplicitate, an vero dolo, malitia, pertinaciaque delinquat: ut iis perspectis, officio judicis pœnæ temperentur. l. respiciendum. l. aut facta. D. de pœn. l. quid ergo. de his qui not. infam. Dd. in l. 1. §. divus. l. in lege Cornelia, D. ad legem Corneliam de sicariis. l. penult. D. *ad legem Pompejam* de parr. Quarum autem fœminarum causam agimus, secundum plerunque senectutis gradum, & eam attigêre partem, quæ decrepita dicitur & est. l. 111. §. ignoscitur. D. ad Sylon. & c. ult. distin. 80. &c.

§ 33. Quæ & ipsa morbus est, ut Menander ait, & fere semper cum animi delirio & judicii lapsu naturaliter conjuncta est. Itaque removetur à republica gerenda, honoratur tamen. tit. C. qui se ætat. excus. l. majores. l. semper, in princ. de jur. immun. l. non tamen, in princ. de mun. & hon. & in criminibus pœnæ relaxationem & veniam meretur, ut quos premit, eos & culpæ suspicione liberet. d. §. ignoscitur. & tormentis eximat. Bart. in d. l. & in l. de minore, in princ. de quæst. Angel. in tractatu Malefic. gl. fama publica. vers. quæro quæ Hippol. in l. edictum. 3. col. de quæst. Anus autem nostræ non modo tum delirant, cum viri, hoc est, in secundo ac extremo senectutis gradu: sed etiam quia mulieres sunt, magis repuerascunt: vel certe non minus in primo, quàm viri in secundo & ultimo. Primum igitur vix est, ut crimen in mente ac voluntate magis committant, quam pueri, quique judicio animi destituti sunt. Deinde verò, ut tantum favoris ac excusationis, ætatis lapsus non præstet: propter eum tamen nec torqueri debent, ut nunc fit: nec ea pœna affici, qua pessimus quilibet mulctatur.

§. 34. Quod

§ 34. Quod etiam ad sexum pertinet, cujus, ut Libro III. diximus, tanta est tum simplicitas tum lubricitas, ut in eodem gravius peccet vir quàm mulier. l. in multis. de stat. hom. 32. q. 6. c. indignantur. &c. seq. c. forus. de verb. sig. Itaque leniorem etiam meretur pœnam: ut in adulteriis, vir ut sacrilegus punitur. l. quamvis adulterii. C. ad l. Jul. de adult. Fœmina castigata vel mulieribus incarceranda datur, vel in monasterium condemnatur ad biennium. ext. de testam. c. Rainutius. & Auth. sed hodie. quæ est C. de offic. civil. jud. & Nov. ut nulli judic. §. adulteram vero. §. necessarium. Aut. sed novo jure. quæ est l. quamvis. C. ad l. Jul. de adulter. sed & in crimine majestatis: subvenitur enim simplicitati & ignorantiæ. l. 3. de jur. & fact. ignor. l. juris ignorantia. C. qui admitti. Dd. & Bartolus in l. si quos id quod de jurisdict. omnium judic. latissimè docent, quomodo propter ætatem & sexum muliebrem doli præsumptio cesset, etiamsi in jure civili errent. Alex. cons. 103. vol. 1. Cepol. cons. 21. col. 6. & cons. 24. Bald. in l. error. C. de jur. fact. ignor. *Sexus cap. 6.*

§ 35. Nec obstat hisce favoribus ætatis ac sexus, primum quod longè gravius sit æternam quam temporalem offendere majestatem, l. hi qui sanctam. C. de hæred. Aut. garazos. c. ubicunque. de pœn. Secundo, quod eam ob causam nulla sexus aut ætatis habeatur ratio in hæresi. Dd. in l. quisquis. C. ad l. Jul. majest. Canonistæ in c. vergentis. de hær. in antiq. & in c. tum secundum leges. eod. tit. lib. 6. Tertio, quod in crimine maleficiorum ac sortilegiorum specialiter excipiantur. l. etsi excepta. C. de malef. & math. quia in iis omnes sine exceptione torqueri, notat. Hippol. in l. edictum. 3. col. de quæst.

§ 26. Nam ut à posteriori incipiam, magis ac veneficis hic advocatus non sum: sed delusis lamiis, quas multum tum à magis infamibus, tum à veneficis distare declaravi Libro III. Ad alterum primo respondeo, quod illi textus specialem prærogativam sexus & ætatis limitant tantum, quoad torturam, ut & in crimine læsæ majestatis, l. quisquis. C. ad l. Jul. majest. non etiam caussam criminum. Semper enim hoc manet, qui judicio animi caret, eum male facere non posse. Secundo respondeo, satis magnum inter lamias & hæreticas esse discrimen, quod singulari capite demonstravimus.

§ 37. Demum cum Oldrado dico, quod etiam in his quæ for- *Lib. 6. c. 8 Consil. 110.*

 maliter,

maliter, ac secundum leges canonesque non sunt hæretica, licet hæresim sapiant, detrahendum sit ob eam quam diximus mulierum simplicitatem & lubricitatem. l. 1. C. de jur. & fact. ignor. l. ult. §. fin. de jur. delib. l. peri. de his quæ sibi ascrib. Et hoc, etiamsi in articulo fidei errent, ut idiotæ ac rustici. Sufficit enim iis, ut loquuntur, implicita fides, & ne pertinacia contumaciaque quadam errorem suum defendant. Bald. in l. error. C. de jur. & fact. ign. Atque hac etiam ratione prima cadit objectio. Quanquam ut gravius esse non inficior, in majestatem divinam delinquere: sic illud quoque sciendum est, & facilius & citius homines in hoc delictum incidere.

§ 38. Incomprehensibilis est enim, & longe à nostris remota sensibus, illa æterna, infinita ac spiritualis majestas ac voluntas. Quare qui in terrenis negociis lyncei sumus, in spiritualibus & iis quæ ad Deum spectant, talpæ statim efficimur: non secus atque ii qui cum summa se putent oculorum acie præditos, quando in terris ea quæ sensu percipi possunt, acerrime contuentur: si solem aspicere velint, omnem illam aciem, extremam esse præ tanto fulgore sentiunt caliginem. Duabus igitur de causis facilior hominum in spiritualibus est lapsus: primum, ob divinorum naturam omni cogitatione humana superiorem: deinde, propter nostræ tum intelligentiæ cæcitatem, tum voluntatis depravationem. Quare si quis hac in parte delinquat & erret, mitior esse debet pœna, ac justior venia: & id quidem eo magis, si mulier, magisque, si decrepita muliercula cadat.

Determinatio Parisiis facta per almam facultatem Theologicam, Anno Domini 1398. super quibusdam superstitionibus noviter exortis.

UNiversis orthodoxæ fidei zelatoribus Cancellarius ecclesiæ Parisiensis, & facultas Theologiæ in alma universitate Parisiensi, matre nostra, cum integro divini cultus honore spem habere in Domino, ac in vanitates & insanias falsas non respicere. Ex antiquis latebris emergēs noviter errorum fœda colluvio, recogitare commonuit: quod plerunq; veritas catholica apud studiosos in Sacris literis apertissima est, quæ cæteros latet: nimi-

rum cum hoc proprium habeat omnis ars, manifestam esse exercitatis in ea, sic ut ex eis consurgat illa maxima, Cuilibet in sua arte perito credendum est. Hinc est Horatianum illud, quod Hieronymus ad Paulinum scribens assumit: Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

§ 2. Accedit adhæc in Sacris literis aliud speciale, quod nec experientia & sensu constant ut aliæ artes, nec possunt ab oculis circumvolutis nube vitiorum facile deprehendi. Excæcavit enim eos malicia eorum. Ait siquidem Apostolus, quod propter avaritiam multi erraverunt à fide. Propterea non irrationabiliter idolorum servitus ab eodem nominatur: Alii propter ingratitudinem, qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, in omnem idololatriæ impietatem (sicut idem commemorat) corruerunt. Porro Solomonem ad idola, Didonem ad magicas artes pertraxit dira Cupido. Alios postremo misera timiditas tota ex crastino pendens in observationes superstitiosissimas impiasque depulit: Quemadmodum apud Lucanum de filio Pompeii Magni, & apud historicos de plurimis notum est.

§ 3. Ita fit, ut recedens peccator à Deo, declinet in vanitates & insanias falsas, & ad eum qui pater est mendacii, tandem impudenter palamque apostatando, se convertat. Sic Saul à Domino derelictus, Pythonissam, cui prius adversabatur, consuluit. Sic Ochozias Deo Israël spreto misit ad consulendum deum Accaron. Sic denique eos omnes qui fide vel opere absque Deo vero sunt, ut à deo falso ludificentur, necesse est. Hanc igitur nefariam, pestiferam, mortiferamque insaniarum falsarum cum suis hæresibus abominationem plus solito nostra ætate cernentes invaluisse, ne forsan Christianissimum regnum, quod olim monstro caruit, & Deo protegente carebit, inficere valeat tam horrendæ impietatis & perniciosissimæ contagionis monstrum, cupientes totis conatibus obviare, memores insuper nostræ professionis, proque legis zelo succensi, paucos ad hanc rem articulos damnationis cauterio, ne deinceps fallant incogniti, notare decrevimus, rememorantes inter cætera enumerata dictum illud sapientissimi doctoris Augustini de Superstitiosis observationibus: Quod qui talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt aut interrogant, sciant se fidem Christia-

nam & babtiſmum prævaricaſſe: & paganum & apoſtatam, id eſt, retro abeuntem, & Dei inimicum, & iram Dei graviter incurriſſe, niſi eccleſ. pœnitentia emendatus, Deo reconcilietur. Hæc ille.

§.4. Neque tamen intentio noſtra eſt, in aliquo derogare quibuſcunque licitis & veris traditionibus, ſcientiis, & artibus: ſed inſanos errores atque ſacrilegos inſipientium & ferales ritus, pro quanto fidem Orthodoxam & religionem Chriſtianam lædunt, contaminant, inficiunt, radicitus, quantum fas nobis eſt, extirpare ſatagimus, & honorem ſuum ſincerum relinquere veritati.

§ 5. Eſt autem primus Articulus, quod per artes magicas & maleficia, & invocationes nefarias quærere familiaritates & amicitias & auxilia dæmonum, non ſit idololatria: Error. Quoniam demon adverſarius, pertinax & implacabilis Dei & hominis judicatur: nec eſt honoris vel dominii cujuſcunque divini vere ſeu participative vel aptitudinaliter ſuſceptivus, ut aliæ creaturæ rationales non damnatæ: nec in ſigno ad placitum inſtituto, ut ſunt imagines & templa, Deus in ipſis adoratur:

2. Quod dare vel offerre vel promittere dæmonibus *qualem*cunque rem, ut adimpleant deſiderium hominis, aut in honorem eorum aliquid oſculari vel portare, non ſit idololatria: Error.

3. Quod inire pactum cum dæmonibus tacitum vel expreſſum, non ſit idololatria, vel ſpecies idololatriæ, vel apoſtaſiæ: Error. Et intendimus eſſe pactum implicitum in omni obſervatione ſuperſtitioſa: cujus effectus non debet à Deo vel natura rationabiliter expectari.

4. Quod conari per artes magicas dæmones in lapidibus, annulis, ſpeculis, aut imaginibus nomine eorum conſecratis, vel *potius* execratis, cogere & arctare, vel eas velle vivificare, non ſit idololatria: Error.

5. Quod licitum eſt uti magicis artibus vel aliis quibuſcunque ſuperſtitionibus à Deo & Eccleſia prohibitis pro quocunque bono fine: Error. Quia ſecundum Apoſtolum, Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

6. Quod licitum ſit aut etiam permittendum, maleficia maleficiis repellere: Error.

7. Quod aliquis cum aliquo poſſit depenſare in quocunque caſu, ut talibus licite utatur: Error.

8. Quod artes magicæ & ſimiles ſuperſtitiones, & earum obſerva-

servationes sint ab Ecclesia irrationabiliter prohibitæ: Error.

9. Quod Deus per artes magicas & maleficia inducatur compellere dæmones suis invocationibus obedire: Error.

10. Quod thurificationes & suffumigationes, quæ fiunt in talium artium & maleficiorum exercitio, sint ad honorem Dei, & ei placeant: Error & blasphemia, quoniam Deus alias non puniret vel prohiberet.

11. Quod talibus & taliter uti non est sacrificare seu immolare dæmonibus, & ex consequenti damnabiliter idololatrare: Error.

12. Quod verba sancta & orationes quædam devotæ & jejunia & balneationes & continentia corporalis in pueris & aliis, & missarum celebratio, & alia opera de genere bonorum, quæ fiant pro exercendo hujusmodi artes, excusent eas à malo, & non potius accusent: Error. Nam per talia sacræ res, imo ipse Deus in Eucharistia dæmonibus tentatur immolari: & hæc procurat dæmon, vel quia vult in hoc honorari similis Altissimo, vel ad fraudes suas occultandas, vel ut simplices illaqueet facilius, & damnabilius perdat.

13. Quod sancti Prophetæ & alii sancti per tales artes habuerunt suas prophetias, aut miracula fecerunt, aut dæmones expulerunt: Error & blasphemia.

14. Quod Deus per se immediate vel per bonos angelos talia maleficia sanctis hominibus revelaverit: Error & blasphemia.

15. Quod possibile est per tales artes cogere liberum hominis arbitrium ad voluntatem seu desiderium alterius: Error. Et hoc conari facere, est impium & nefarium.

16. Quod ideo artes præfatæ bonæ sunt, & à Deo, & quod eas licet observare: quia eas quandoque vel sæpe evenit, sicut utentes eis quærunt vel prædicunt, vel quia bonum quandoque provenit ex eis: Error.

17. Quod per tales artes dæmones veraciter coguntur & compelluntur, & non potius ita se cogi fingunt ad seducendos homines: Error.

18. Quod per tales artes & ritus impios, per sortilegia, per carminationes & invocationes dæmonum, per quasdam insultationes & alia maleficia, nullus unquam effectus ministerio dæmonum subsequatur: Error. Nam talia quandoque permittit Deus contingere: ut patuit in magis Pharaonis, & alibi pluries: vel quia utentes seu consulentes propter malam fidem & alia

peccata

peccata nefanda, dati sunt in reprobum sensum, & demereatur sic illudi.

19. Quod boni angeli includantur in lapidibus, & consecrent imagines vel vestimenta, aut alia faciant quæ in istis artibus continentur: Error & blasphemia.

20. Quod sanguis upupæ vel hœdi vel alterius animalis, vel pergamenum virgineum vel corium leonis & similia habeant efficaciam ad cogendos vel repellendos dæmones ministerio hujusmodi artium: Error.

21. Quod imagines de ære, plumbo vel auro vel de cera alba vel rubea vel alia materia baptisatæ, exorcisatæ & consecratæ, seu potius execratæ secundum prædictas artes & sub certis diebus habeant virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur: Error in fide & philosophia naturali, & astronomia vera.

22. Quod uti talibus, & fidem dare, non sit idololatria & infidelitas: Error.

23. Quod aliqui dæmones boni sunt, alii benigni, *alii omnia* scientes, alii nec salvati, nec damnati: Error.

24. Quod suffumigationes, quæ fiunt in hujusmodi operationibus, convertuntur in spiritus, aut quod sint debitæ eis: Error.

25. Quod unus dæmon sit rex Orientis, & præsertim suo merito: & alius Occidentis, alius Septentrionis, alius Meridiei: Error.

26. Quod intelligentia motrix cœli influit in animam rationalem, sicut corpus cœli influit in corpus humanum: Error.

27. Quod cogitationes nostræ intellectuales & volitiones nostræ interiores immediate causentur à cœlo, & quod per aliquam traditionem magicam tales possint sciri, & quod per illam de eis certitudinaliter judicare sit licitum: Error.

28. Quod per quascunque artes magicas possimus devenire ad visionem divinæ essentiæ, vel sanctorum spirituum: Error.

§ 6. Acta sunt hæc & post maturam crebramque inter nos & deputatos nostros examinationem, conclusa in nostra congregatione generali Parisiis apud sanctum Mathurinum de mane super hoc specialiter celebrata, Anno Domini M. CCC. XCVIII. die XIX mensis Septemb. In cujus rei testimonium, sigillum dictæ Facultatis præsentibus literis duximus apponendum. Originale hujus determinationis est sigillatum magno sigillo facultatis Theologiæ Parisiis. Ego inveni subjectam in fine Magistri sententiarum.

Epi-

Epilogus operis.

Non dubium mihi est, candide Lector, plurimos fore, apud quos malam iniero gratiam, calumniam mihi pro opera qualicunque præstita reposituros: quorum plerique, quod iniquorum est judicium, id quod non intelligunt, criminabuntur: alii, opinioni longa annorum serie, hominum animis irradicatæ, & velut jure consuetudinario obfirmatæ, quacunque ratione patrocinari volent: nec deerunt qui dentis Theonini prurigine insolescentes ex more, mordendi occasionem avidius quærent. Ad causas naturales quarumcunque rerum miracula & monstra referent pugnaces Peripatetici: ac sacrosanctæ Scripturæ religioni, Aristotelis Platonisque rationes præscribere, vehementi pertinacia contendunt. Epilogus.

§ 2. Hic Petri Pomponatii Mantuani, summi & clarissimi suo tempore philosophi, de Naturalium effectuum causis, sive de incantamentis Opus, abstrusioris philosophiæ plenum, requiretur, accuratiusque evolvetur, ut oppugner, pessumque eam; nisi in inictis Christianæ philosophiæ fundamentis constabilitus, sermonis probabilitatem contemnam, ex D. Pauli, vasis electionis, consilio, qui studiosè præmonuit, videndum esse, ne quis sit qui nos deprædetur per philosophiam, & inanem deceptionem, juxta constitutionem hominum, juxta elementa mundi, & non juxta Christum. Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Pomponatium quoque ante redditum spiritus extremi halitum resipuisse ex singulari Dei miseratione, nec permansisse ἄθεον, asserere volo. Talem etenim fuisse, à clarissimo medicinæ ornamento D. Helideo Foroliviensi, ejus olim discipulo, non semel auditum est. Coloss. 2.

§ 3. At sibi injuriam fieri à medico, quædam Scripturæ sacræ loca exercente, & suæ vocationis metas transiliente, acclamabunt morosiores plerique Theologi: Ne sutor ultra crepidam, mordaces oblatrantes. His nihil aliud responsum volo, quàm, D. Lucam Evangelistam medicum Antiochenum fuisse: ac me ex eorum esse numero, quorum huc spectat studium, ut si quo modo tandem ex immensa Dei misericordia atque ineffabili Christi gratia, ad regale illud sacerdotium pertingere queant, cujus D. Petrus aposto- Regale sacerdotium. 1. Pet. 2.

 lus,

Apocal. 1. 5. 10. Esaia 62. lus, beatus, Joannes Theologus, & propheta Esaias meminerunt.

§ 4. Quod maleficii quosdam Ecclesiastici collegii homines impuros insimularim, si quoque ægre ferant: id certè non debui non facere, argumenti ratione: atque apertius etiam nominibus eorum expressis potuissem, nisi modestiam hanc ex Theologia edoctus, hos Christianæ fidei eversores ac reipublicæ sedatæ turbatores, ut adhuc desistant, statuissem præmonere. Cum magicorum flagitiorum reis mihi controversia est, non cum viris piis, quos unice veneror & colo, ut si quis alius. Si injuste se traductos illi conquerantur, ut in theatrum palam mecum prodeant, suamque tueantur causam, non detrecto.

§ 5. Doctioribus quibusdam nostri ordinis viris, vel etiam delicatioribus, si à me non sit factum satis (quod equidem libenter fateor: quam sit mihi curta supellex, non ignarus) iis tamen rem exactius perpendendi, altiusque perscrutandi, ac methodo doctiore, ordine magis cohærente, oratione dilucidiore, verbis aptioribus, & veritatis argumentis validioribus describendi, qualemcunque subministrasse occasionem pro ingenii tenuitate (quam certè magnam agnosco) videor. A quibus si alicujus lapsus etiam admonear convincarque, plurimum à me reportabunt gratiæ: quemadmodum reliqui omnes, eodem me prosequuti studio: nec me errata retractasse pudebit unquam. Non mihi usque adeo *Suffenus* sum, nec ita φιλαυτίας afficit libido. Est aliqua prodire tenus, si non datur ultra.

§ 6. Quod contra legum duodecim Tabularum autoritatem, de iis qui messes excantarunt, à vulgari opinione & Poëtarum figmentis dissentiam, si graviter tolerant Jurisperiti, mala mihi pro beneficio reponitur gratia: quod veritatis in hoc argumenti genere ab aliis inquirendæ, & criminalis sententiæ hic non secundum placita cæci in religione Christiana seculi, verum ex ipsis veritatis mysteriis, debitò ordine eruendæ pronunciandæque ansam porrigere qualemcunque voluerim. Enimvero si alicui in legitima sua vocatione præjudicandi animus mihi fuerit, temerarii hominis notam meo quodam merito haud recuso. Cæterum si hac mea purgatione non contentis mordacibus invidisque ingeniis, me conviтiis proscindere, imperitiæ redarguere, flagitii inique insimulare, & calamum petulanter in me stringere lubeat: ea me Deum omnipotentem confirmaturum tolerantia confido, ut quoscunque adversi-

adversariorum dentes & insultus, patiendo sim exuperaturus.

§ 7. Irritas præterea suas apud me vident machinationes impii sacrilegique magi, quorum nec præstigiis, nec terriculamentis culmum quidem latum moveor, etiamsi me diris suis imprecationibus aut diabolicis exorcismis transformare studeant: aut εἰς κόρακας, vel (si malint) cloacas execrandis suis artibus compellere nitantur monstrifici malefici. Delphica in me divinorum oracula, quibus nihil non sinistri mihi in Pythii templo cacanti, & ob id à Pisistrato tyranno statutæ pœnæ subjiciendo; vaticinabuntur homines perditi, prorsus contemno. Incassum me nocturnis lemuribus, aut defunctorum manibus vel larvis terrebit tenebricosus necromantes. Nec contra Geoticorum umbras aquæ lustralis asperginem, vel tædarum ignem juxta sepulchra arcesso: suis hi spectris me neutiquàm fatigabunt. Tartarearum vocum barbarie aut murmurum ludibriis si me lacessat nefarius exorcista, non mihi curæ est. Incantatorum ligaturas, quibus prodigiosos accersere morbos, congressum impedire naturalem, imò ejus organa pro suo arbitrio auferre & restituere posse creduntur, ne pili quidem facio, rideoque. Si quid maligna imprecatione aut vitiatæ voluntatis affectu in me possunt deliræ sagæ, eis & permitto, & remitto. Breviter, ut Horatius ait:

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Thessala risu
Excipio.——

§ 8. Unicam solummodo veneficarum pertimesco artem, quæ suis venenis vel propinatis, vel admotis, vel spiritus attractione ferientibus plurima vere, non phantastice inferre nocumenta valent: harum causam defendendam hic cepi minime, sed justa magistratus censura discutiendam decidendamque relinquo.

§ 9. At ex labyrintho præstigiarum dæmoniacarum incantamentorumque nonnihil extricatus, finem dicendo faciam de monstrosis his ludibriis, excogitatis certè ut gloriam Dei, & doctrinæ utriusque, sacræ & physicæ, veritatem obscurent, atque maleficas diaboli artes occultent vestiantque, quæ Domino Deo βδελύγματα sive abominationes sunt: has aversemur, fugiamus & execremur, quacumque etiam artificiosa proponantur specie. Repugnemus & earum illecebris & occasionibus objectis, quæ prima fronte blandiri & allubescere videntur. Nec solum corpora nostra, non sponte man-

tè mancipia & domicilia satanæ faciamus: verum etiam illi, *licet* astutissimo καὶ πανουργοτάτῳ, vera fide & vitæ sanctimonia omnes adoriundi nos aditus præcludamus, auxilium à Dei filio assiduè ardentibus votis implorantes, nosque vivo Dei verbo & Spiritus sancti ope vigilanter, veluti in excubiis sedulo constituti, ita munientes, quo etiam si hujusmodi munimento tanquam firmissimo vallo undiquaque obseptos audacius insultet juratus ille hostis, non tamen valida hæc septa perfringat, expugnetque.

§ 10. Qualescunque etiam afflictiones nobis impositas, æquo
Iob. 1.2. animo cum Jobo fortiter toleremus, adversus Deum nequiquam
Psalm. 2. cum gentibus frementes, nec vetitam opem cum Saule inquirentes.
1.*Reg.*28 Neque etiam curiosi, cum Ephesiis, vel lascivi, quæ novisse nos
*Actor.*19 aut non interest, aut non licet, sive minus expedit, anxiè indagemus: vel ex iis, à quibus exquiri severe inhibuit Deus, sciscitemur: sed illis quas Evangelii veritas commonstrat, semitis insistamus, inhæreamusque, furiosas diaboli præstigias & lubrica trivia declinantes, ne quemadmodum Jannes & Mambres resistebant *veritati*, nos quoque Dei præcepto recalcitrantes, cum his qui à sinistris e-
*Matt.*25. runt, horrendam olim Christi sententiam audiamus: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.

§ 11. Nihil autem hic ita assertum volo, quod æquiori *judicio* catholicæ Christi Ecclesiæ non omnino submittam: palinodia mox spontanea emendaturus, si erroris alicubi convincar. Proinde si adversus hos meos libros prius à quoquam pronuncietur, quam error evidenti demonstratione appareat, contra hunc, mihi summam fieri injuriam, jure optimo palam & libere protestor.

FINIS.


IOANNIS WIERI LIBER APOLOGETICUS.

Clarissimo virtute, prudentia ac eruditione Viro,

D. HENRICO WEZIO

LL. Doctori, & Cancellario Clivensi vigilantesimo,

JOANNES WIERUS S.



Oronæ honorem iis, qui civem ex hostium manibus, vindicassent, offerre solebant Romani, vir amplissime, pervetusta sane consuetudine, & exemplo haudquaquam improbando, ut partim quantum esset momenti in unius hominis assertione, intelligerent hostes: partim vero, ut reliqui hoc laudis ornamento invitati, frequentes ac seduli in suis defendendis strenuam navarent operam. Quum vero ante annos aliquot viderem innumeros passim citra justæ inquisitionis studium, multo minus exactam causæ notionem ob malefici suspicionem non modo crudeliter flammis objici devorandos, sed (negotium hoc vigilanter dirigente Satana) ipsos etiam judices sæpenumero in extremam perpetui exitii ruinam prolabi: non dissimili omnino ratione motus, viam qua priores à flammis liberarentur, alteros ab æternæ perniciei dispendio vindicarem, com-

monstrare studui sex libris de Præstigiis dæmonum in lucem editis. Licet autem hic operam certe non luserim, quum ex summis magistratibus non pauci hoc nomine ingentes mihi gratias egerint, quippe qui prudentiores cautioresque meis scriptis redditi, clementius delusas à dæmone vetulas jam habent, & suæ salutis felicitati providè magis consulunt: nihilominus quosdam adhuc insolentis ingenii, & parum grati erga me animi (quæ detestanda hujus seculi est labes) in me nescio quid molitos postea sensi, quibuscum in certamen progressus, monamachiæ leges minime detrectavi: num vicerim, penes æquum censorem judicium esto. Tu porro quum singulari illustrissimi Principis nostri delectu, & unitis totius summi ordinis senatorii suffragiis, tum & unanimi bonorum omnium applausu non sine divini numinis auspicio, in Concilii caput, & justitiæ antistitem, Cancellarium scilicet, invitus etiam sis constitutus: hanc nostram defensionem libro hoc Apologetico comprehensam, ut sub æquo judicii tui arbitrio, & ejusdem singulari patrocinio sarta tectaque haberetur, tibi cumprimis nuncupandam ratus sum: idque justis de causis. Quum etenim Clementissimo nostro Principi libros nostros superiores consecrarim ipsiusque tutelæ commiserint, tui erit officii, à cujus ore & consilio sane ipsius Clementia pendet, nostræ defensionis actus in tuam suscipere clientelam. Hoc & eo nomine mihi erit gratius, quod cum bona ob causæ nostræ certitudinem, conscientia fruar, talem consequor judicem, qui non modo solidioris doctrinæ, & prudentiæ haud vulgaris, modestiæque insignis testimoniis multis prælucet aliis: verum etiam quem variarum rerum usu pollere, amplissima illa testetur Waldsassia, cujus administratione aliquot annis multa cum laude feliciter es perfunctus. Sit profecto talis mihi πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Precor misericordissimum Deum, ut te totum regere, & suo spiritu confirmare dignetur, quo tuam vocationem, cui digne hactenus respondes, ad ipsius gloriam & Reipublicæ utilitatem feliciter finias.

DE

DE LAMIARUM POENA COLLATIO JOANNIS BRENTII, ET JOANNIS WIERI.

De Grandine, Concio Ioannis Brentii *Germanica, à* Wiero *Latina fideliter reddita.*

QUum incredulitas & idololatria, dilecti in Christo, non unius, sed varii sint generis inter homines occasionemque subministrent non levem ad corporis & animæ perniciem: ut utranque & agnoscere & declinare discamus, in nostra vocatione omnibus vitæ diebus pie persistentes, maxime opus erit.

§ 2. Cum primis vero fatendum, Idololatriam non modo nuncupari, quam olim infideles Ethnici sunt amplexi, cujusmodi est adoratio & cultus imaginum atque deorum, & id genus reliqua: sed &, ubi satanæ ejusque asseclis, lamiis & maleficis tribuitur, quod solum divinam spectat majestatem, dicitur ac est idololatria. Est item, ubi quis dispendium passus, animo prorsus dejecto, Deum superesse tutelarem, qui juvare queat, non credit, nec propterea ejus auxilium implorat, sed aliunde opem quærit: atque utinam numinis favore, dicta idololatria tam apud nos concidisset, quam apud Ethnicos interiit. Atqui tam multos esse, qui idololatriæ nomen modo commutarunt (teste ipsa experientia,) re ipsa autem vitam impiam atque adeo idololatriam veram conservant tuenturque, heu nimis dolendum. Hæc ita se habere, ostendunt publice actus haud ita pridem visi. Siquidem damnoso frigore & pruina, grandine & tempestate hactenus è cœlo nos aliquando afflixit Dominus Deus, ut se adhuc dominari & rebus gerendis præesse, testatum redderet: significatum & voluit, quid vel momento *Idololatria varia.*

mento adversus nos posset, quando suam declarare potentiam cogitaret. Sed quid vicissim à nobis fit? nihil aliud quam solet.

§ 3. Plerique. n. factam ex grandine vini frugumque jacturam, tam miserandis tulerunt modis, ac si præ impatientiæ enormitate Deum ipsum mortuum esse, nec quicquam auxilii sive in cœlo sive in terra sperandùm esse, credere visi sint. Alii ejuscemodi grandinem non esse divinitus immissum, sed à lamiis excitatum, ideoque eas simul Vulcano mox esse consecrandas, impudentibus vocibus proclamarunt: suorum interea flagitiorum immemores, quasi ne vel aquæ leviter unquam turbatæ essent rei, sed ante Christi tribunal omnino innocentes. En profecto manifestam idololatriam & gentilismum merum. Enimvero qui in necessitate de ope divina diffidunt, Deum velut vita functum suis gestibus testati: qui identidem numinis opus diabolo ejusdemque clientelæ asscribunt, se fidei Christianæ primordia nec scire nec intelligere, ostendunt palam. In primo siquidem fidei articulo Deum omnipotentem esse fatemur: & in oratione Dominica precamur nobis panem quotidianum donari. Similiter & in primo decem mandatorum Dei monemur deos cavere alienos, ac Dominum Deum adorare solum. Quid vero de talibus sentiendum? Hæretici redduntur, uti Marcionitæ, duos facientes deos, unum à quo bona, alterum à quo mala proveniunt: sicque ipsum diabolum constituunt deum, quæ profecto non infima est dicenda idololatria.

Marcionitæ.

§ 4. Hisce animadversis, operæpretium fuit visum, nonnihil hoc tempore de tonitru & grandine in hac concione sermocinari, & breviter indicare, unde illa tonitrua & grandines, à quibus tantopere exhorrescimus, prodeant, ut id quod hisce profligandis, ne noceant, usui erit, percipiamus: ut item invectam à grandine calamitatem in aliquod convertamus commodum. Hoc intellecto, cognoscemus & recte Deum patrem & filium ejus Jesum Christum, eundemque adhuc dominari, quamvis à grandine dispereat messis: & quod majus est, hac ratione Catechismum, id est, fidem, orationem Dominicam, decem præcepta rectius intelligemus, vitamque porro magis piam ducere satagemus.

§ 5. In primis vero præmonitos vos, charissimi, volo, me jam non ita de grandine dicturum demonstratione naturali, sed secundum Dei verbum. Enimvero eum procreari scribunt naturalium rerum periti, quando è terra sublevantur vapores humidi, & solis

Pluvia & grando unde.

calore

calore in aëris medium, ubi nubes hærent, attracti, ab aëris frigore in nubes coguntur condensanturque: quibus à solis calore dissolutis, gignitur vel pluvia vel grando tempore æstivo. Pluvia decidit, nisi rursus ex aëris frigore coalescant guttæ: grando autem, ubi eo modo illæ concrescunt durescuntque. Ita illi de grandine ex ratione loquuntur.

§ 6. Cæterum ex Scriptura sancta discimus, quis naturalis ejus ordinis omnipotens sit conditor & administrator, & qua occasione ita ordinet gubernetque. Nascitur & homo in corpore materno dispositione naturali: verum si non existeret Deus, qui ejusmodi naturalem occasionem crearit direxeritque, nequaquam in mundo nasceretur homo. Eadem est grandinis ratio, quem ordine licet naturali procreatum, Deus tamen ejusdem author in suum convertit usum. Impiorum est opinio, diabolum, maleficas & lamias grandinem ciere, eoque vinum & fruges concutere & perdere.

§ 7. Aliter autem longè ex sacrosancta Scriptura docemur, Deum videlicet ipsum condere grandinem & efficere, at in hunc finem, ut eo iniquos puniat, quo in peccatorum agnitionem perducti, convertantur: pios vero eodem probare conatur, num in vera fide persistere velint. Hujus luculenta habemus testimonia in Scriptura divina. In lib. 2. Mosi, cap. 9. legimus, à Deo Mosi mandatum esse, ut extensa manu super universam Ægyptum, in homines & jumenta grandinem provocaret. En apertum testimonium, quo Deum grandinis esse authorem, & immittere, ut hominum scelera & impietatem eo mulctet, ostenditur. Sic & cap. 38. Jobi, loquitur Deus: Pervenistine ad thesauros nivis, aut thesauros grandinis inspexisti? quæ reservavi ad tempus hostis persequendi, ad diem conflictus & belli, &c. Iterum audimus ipsum Deum testari, à se grandinem invehi. Adjungam exemplum ex cap. 10. Iosue, ubi Deum grandinis lapides objecisse populi Israëlitici hostibus dicitur, illisque plures perdidisse, quam gladius filiorum Israël absumpsisset. Et Aggæi 2. ait Deus: Percussi vos carbunculo, & robigine & grandine omne opus manuum vestrarum: nec tamen fuit ex vobis, qui ad me reverteretur, dicit Dominus. Duo hic insinuat vates: prius, grandinem à Deo provenire: alterum, ab eodem impiis offundi, ut puniantur, & ad pœnitentiam redigantur. Possit hic dici: Ergo nec satan nec lamia quic-

quam in concitando grandine efficiunt. Respondeo, Deum, non diabolum esse grandinis authorem rectoremque, jam demonstratum esse.

§ 8. Cæterum diaboli studium in hoc omnino propendet, ut tam in temporalibus quàm spiritualibus rebus homini nocere velit: at sine Dei consensu potest nihil, quemadmodum in Iobo apparuit, cap. 1. & 2. Perditum quidem illum prorsus cupiebat, verum absque Dei nutu ne pilum certè movere in ipsius capite valuit. Nec Achabi regis prophetas decipere potuit diabolus citra Dei permissionem, 1. Reg. 2. Velut etiam in Testamento novo, Matt. 8. in porcos quidem ingredi nequivit, nisi peculiari assensu permissus. Nec discipulos Christi tentare sine Christi suffragio potest, Luc. 22. Satanas expetivit vos, ut cribraret velut triticum: sed ego pro te oravi, ne deficiat fides tua, Petro Christus ait. Docemur his exemplis, hostem generis humani, licet pessimè erga nos affectum, tamen impotentem quoq; esse & nullarum virium, nisi à Deo consensum sortiatur. Si itaque aërem immutare tempestatemque ciere nequit dæmon, multo minus lamiæ valebunt.

§ 9. Quî ergo fit, quod lex Imperatoria pœnam maleficis & lamiis decreverit? Sic etenim lex habet: Sunt multi qui malis utuntur artibus, elementa turbantes inficientesque, nec etiam insontium vitæ parcentes, sed inferentes iis damnum: hi cum naturæ sint hostes, supplicio afficiantur. Sic & legimus Exodi cap. 22. Deum Mosi dixisse: Maleficas non patieris inter vos vivere. Si jam in rerum natura non existit malefica, vel grandinem excitare nequit, cur ex Imperatoris decreto, & potissimum ex lege Mosi, quæ suam habet ex Spiritu sancto originem, plectitur? *Hic* illud considerandum, maleficas ex jure Cæsareo & Mosi mandato affici pœna, non quod pro suo arbitrio tempestatem vel grandinem provocare possent, sed quod se totas diabolo manciparint, ita in satanæ spiritu immersæ. Ut nihil cum suo hero satana quam mortalium perniciem cogitent aut machinentur: nec aliter sentiant, quam à se fieri id quod Deo assentiente, ipsum efficit dæmonium. Cum enim dæmoni grandinis ciendi potestatem facit Deus, tum maleficas sibi devotas, ut sua incantamenta adornent, commonefacit diabolus: ubi jam dilabitur grando, non maleficarum potentia fit, sed quod in dæmonis manu ex Dei assensu fuerit. *Hoc* modo à satana deluduntur maleficæ, quasi ipsarum existat o-

pus,

pus, quod solum Deo permittente sit effectum. Proinde ejuscemodi vitam impiam, & infidelitatem maleficarum puniunt leges, non quod quicquam damni ex sese inferre illæ queant, sed quod se facere opinentur, ac dæmoni se totas in injuriam & perniciem hominum dediderint.

§ 10. Atqui cur grandine excitato vinum & fruges in agro dissipare satanæ à Deo conceditur? Me antea docuisse respondeo, Deum concedere demittereque grandinem, ut pios in sua fide probet, impios vero digno castiget supplicio, atque ad delictorum agnitionem pœnitentiamque coërceat: nec amplius hic addam.

§ 11. Nunc porro, quibus rationibus præveniri avertique possit grando, monstrare conabor. Hic denuò se multi offundunt errores. Plerique consecratas herbas igni imponunt, dæmonem ex aëre profligari earum fumo rati: sed luculenta est idololatria & incantamentum. Dæmones etenim sunt spiritus, nec omnino se ejusmodi rebus externis abigi sinunt: & qui in fugandis dæmoniis ac maleficis, talibus utuntur suffitibus, maleficis hos potiores non agnosco, nec sanè mitiorem merentur pœnam. Alii cornua Aquensia adversus tempestates inflant, non minori idololatriæ crimine. Nec campanarum sonitus contra grandinem & aëris concitationes intermittitur. Ea de re nonnihil dicemus. Pii certè tali sonitu rectè uti possent: impii autem baptizatarum campanarum pulsatione se dæmones ex aëre fugare, eademque grandinem præveniri credunt.

Idololatria. Incantamentum.

§ 12. Gravis hæc est idololatria: primum, quod campanis applicatur baptismus: secundo, quod clangori asscribitur id quod Deum modo concernit. Pii vero in suum convertunt usum; ut dixi, duabus rationibus, seculari nimirum & spirituali: priori, dum campanarum sonitu pusillanimes qualecunq; solatium concipiunt, quod homines adhuc præ manibus esse intelligant: altero, dum tali pulsatione ad indignationis divinæ agnitionem & preces excitantur ignaviores. Pulsando ad orandum monemur, ut suam remittat iram misericors Deus. In gruente tempestate, ad ædes sacras concurrendum, & flectendum ab ira cœleste numen. Sed cum eo tempore non semper templum ingredi liceat, campanas pulsarunt veteres, eo indicio significantes, ut domi non minus attenderetur precibus, quam in templo. Istiusmodi pulsatio campanarum esset toleranda: at pulsationi solum vel campanis à suffraganeo ba-

ptizatis tribuere fugandi dæmonis vel grandinis avertendi potestatem, summa est idololatria, cum hac in re nihil queant. Alii ad grandinem prævertendum, lamias Vulcano litandas proclamant.

§ 13. Quanquam magistratum oportet ex legum præscripto cum his lamiis agere, easdemque punire, non tamen ex illarum confessione, sed indubitatis indiciis ac testimoniis. At quid? etiamsi omnes lamias absumpsissent flammæ, non tamen propterea desinerent grando & tonitrua, quæ à Deo, uti dictum est, immitti queunt.

§ 14. Quibus itaque rationibus grandinem amoliemur? Supra dictum est, Deum grandinis authorem administratoremque esse, & ut grandinem evocet diabolo propter peccata nostra permitti. Quænam sunt illa peccata? quis, Deus bone, illa ordine posset recensere? Pauca solum, eaque non longè petita enumerabo. Quibus etenim rebus Deum offendimus, in iisdem nos punire solet, uti
Exod. 21. lex habet: Oculus pro oculo, manus pro manu, dens *pro dente*, pes pro pede. Prævaricamur vini & frumenti abusu, proinde iisdem quoque punimur. Tam dives hic labitur, quam pauper. Cuncta attrahunt divites, non secus quam si ipsis terra esset defectura. Ubi vero impinguati fuerint, horrea & penaria plena, nullus comessandi, compotandi & prodigalitatis finis. Inopibus autem communiter hoc studio est, quomodo suos dominos, quibus pecuniam, fruges decimasque debent, cautè defraudent.

§ 15. Hinc evenit, quemadmodum Amos 4. dicitur: Vos Samaritæ vi opprimitis tenues, & comminuitis inopes. Propterea *pluvi* super civitatem unam, super aliam non pluvi. Pars *una* agri compluebatur: & pars quæ non compluebatur, exarescebat. Item Aggæi cap. 1. Sic dicit Dominus exercituum: Diligenter perpendite vias vestras. Seminastis multum, & parum infertis: comeditis, sed non ad satietatem: bibitis, sed non ad inebriationem, &c. Quare? ob id scilicet, dicit Dominus exercituum, quod domus mea adhuc deserta est, vos autem curritis, ut quisque domum suam habeat. Idcirco cœli super vos rorem non dant, nec terra proventum suum. Ego quoque vocavi siccitatem super terram & super montes, super frumentum & vinum, super oleum, & super universum quod terra profert, super hominem & super jumentum, & super universum laborem manuum. Et apud

eundem cap.2. Sic dicit Dominus, Percussi vos carbunculo & robigine & grandine omne opus manuum vestrarum. Quare? quod domus mea nondum est extructa, dicit Dominus. Similiter & per prophetam Malachiam cap.3. loquitur Dominus: In decimis & magnificis donis execratione execrati estis vos, quod me universi vos adfigitis vel dispoliatis. Quot subditorum non illibenter, nec fraudulenter debitum solvunt? Ubi pecunia vel decimæ sunt satisfaciendæ, ad diaboli acervum pertinere murmurant: Quod certe luculentum animi impii est indicium.

§ 15. Tam itaque egeno, quam locuplete vitam agente dissolutam, & vino frugibusque abutente, subministratur Deo occasio, ut grandinem in vini frumentique exitium admittat. Quapropter lamias flammis evestigio tradendas, non est clamandum: ejusmodi etenim vocibus nos ipsos igni adjudicamus. Si vero urgeatur, lamias, similesque homines, qui grandinis causa extiterunt, esse exurendos, cedo unde ignis satis habebitur? Et quem tum omnino invenias securum? Imo ne magistratus quidem, nec subditus, nec dominus nec servus securitatem sibi polliceri possit. Proinde si tonitru & grandinis jacturam prævertere voles, ex eadem tua gravia peccata & impietatem agnoscere discito. Convertere ad Dominum, & pœnitentiam age, atque omni studio vocationi tuæ respondeto. Si tum quid forte detrimenti accidat, sua gratia & benedictione tibi id Dominus Deus præstabit sarcietque per suum filium Christum Iesum, cui laus honor & gloria cum Deo patre & Spiritu Sancto nunc & in ævum, Amen.

D. IOANNI BRENTIO, *sacræ Theologiæ Doctori, præposito Stutgardensi, &c.* Ioannes VVierus S. P. D.

SAlve in eo qui nos dilexit, suoque abluit sanguine, quotquot cum vera nostri ipsius abnegatione, ejus doctrinam amplectimur, & vestigia sectamur, ornatissime domine Brenti. Cum te justis de causis semper magnifecerim, observarim coluerimque ob insignem doctrinam & indefessum pietatis studium, quo ductus tam strenuam hactenus operam in expurganda à tam multiplicis idololatriæ monstro Ecclesia, navasti: jam vero multo ma-

jori à me loco haberis, & quidem tuo merito, ob eximiam illam, doctam & piam concionem à te habitam, & nuper typis publicatam.

§ 2. In ea enim eleganter & vere doces, idololatriam non solum esse nuncupandam, quam olim sectati sunt ethnici in idolorum suorumque deorum invocatione: sed in eo quoque eam consistere, si quando diabolo ejusque ministris, incantatoribus & lamiis attribuitur, quod ad solam majestatem divinam pertinet: Item, si cui infortunium obtigerit, ex eoque animum usque adeo dejiciat, quasi nullus supersit deus, qui subvinere queat: Nec amplius eum invocat, sed aliunde auxilium & liberationem quærit. Propterea graviter, nec injuria, cum iis expostulas, quorum in ducatu Wirtenbergico vites & fruges à denso grandine conquassatæ perditæque fuere, nec ii calamitatem à Deo invectam ob sua peccata agnoscerent, multo minus resipiscerent: sed quicquid id esset, lamiis imputandum, iisque igne absumptis hoc mali expiandum profligandumque conclamarent.

§ 3. Rectius hic auditores instruis, evidentissimisque rationibus & testimoniis exemplisque sacræ Scripturæ demonstras, grandinem, cujus & causas proponis naturales, minime à diabolo procreari nec ab eo ulla ratione excitari posse, multo minus à lamiis: sed Deum omnipotentem solum esse grandinis & authorem & creatorem, eoque nomine ab illo effici & produci, ut ejusdem potentia impios puniat, iique ad peccatorum agnitionem compellantur resipiscantque: pios autem ejus immissione probare studet, num in vera fide constanter persistere volent, Exod. 9. Job 38. Ios. 10. Aggæi 2. Nec certe vulgarem esse doctrinam fatendum est, ubi viam commonstras, qua tuto & cum bona conscientia ejusmodi calamitatem quilibet declinare queat.

§ 4. Hæc optime intelligo, mi integerrime Brenti: nec dubito, bonam operam hic reipublicæ Christianæ præstitam esse, à remuneratore cujuscunque boni uberrimo liberaliter rependendam: cum in hoc negotio hactenus densissimam caliginem plurimorum oculis obduxerit milleartifex, potissimum eorum quoque qui Evangelicæ veritatis lumen sibi præ aliis illuxisse confidunt, tam principes, & patricii quam vulgares, quinimo etiam ii quos ex assumpta vocatione, in aliam sententiam saniori doctrina alios traducere decuit. Hic cum à te mihi abunde satisfactum esse agnoscam, gra-

tiasque

tiasque eo nomine tibi agam quam maximas: in altera tamen ejusdem concionis parte, ubi mihi tecum minus convenit quid desiderem, candide proponere volui, meamque sententiam breviter explicare, ut ubi rectius me erudieris, eam commutem, quam sex libris De præstigiis Dæmonum & incantationibus ac veneficiis, inscriptis, vigilanter examinandam excutiendamque palam omnibus obtuli, sexto maxime libro.

§ 5. Docuisti lamias nullam posse producere grandinem, aut ullam procreare tempestatem, nihilque in iis ciendis conferre: Sed illas à diabolo illudi, ut quando huic grandine conquassandi grassandique potestatem permissurus sit Deus, hic lamias commonefaciat, quo sua incantamenta (vel potius quisquilias) adornent, ut ubi postea subsequatur plaga proposita & calamitas, à se inductas arbitrentur: eoque leges punire illas ob vitam impiam & infidelitatem, non quod induxerint aut inducere potuerint malum, sed quod se fecisse putent, ac diabolo se in hoc obligarint. Hic & legem Imperatoriam adducis in hæc verba: Plurimi sunt, qui malis artibus utuntur, elementa turbant & inficiunt, nec insontium hominum vitæ parcunt, sed damnum invehunt: Cum itaque hi homines naturæ adversentur, mortis supplicio afficiantur. Confirmas institutum lege à Mose promulgata, Exod. cap.22. Maleficas non patieris vivere. Hic non ægre feres, si libere id quod sentio, profiteri quoque audeam. Ex pia etenim & modesta collatione solet tandem erui veritas: Huc omnem spectare decet disceptationem: Nihil hic petulantur, temere aut præfracte à me proponi aut defendi, testor eum quem nihil latet.

§ 6. Fateris prius, lamias mente delusas à dæmone, nihil ejus mali in tempestatem concitanda, licet secus putent & fateantur, vere designasse, aut designare potuisse. Lex autem non de iis loquitur, qui nihil tale possunt, sed qui malas usurpant artes: Quas vero nostræ lamiæ usurpare queunt, cum sint indoctæ, ineptæ & stupidæ, tum ob sexum; tum ob ætatem? Lex eos quoque explicate nominat, qui elementa turbant inficiuntque: nec id posse à lamiis fieri, ipse doces: Quinimo ne ab ullo quidem homine fieri posse, admittes facile. Has item non lædere hominum vitas, de quibus identidem lex dicit, prolixius in meis libris demonstravi: Cum vero in hac concione te non contraiisse legam, hic verbosior esse nolo. Si enim veneno quempiam læserint, non

jam vulgares lamiæ, sed veneficæ dicendæ sunt, quas Moses, Cæsareæ leges, & quæcunque respublicæ jure optimo puniunt, nec in controversiam vel quæstionem unquam id venit. Propterea ad nostrarum lamiarum punitionis modum vel statuendum vel confirmandum, nullo modo debet torqueri lex Imperatoria, cujus ne ullum quidem verbum illas concernit, quarum phantasiam aut vim imaginativam, ut se fecisse opinentur quæ revera non fecere, aut quæ etiam sæpenumero in rerum natura non sunt, tantopere læsit veteratorius ille vertiginis spiritus.

Venefica punienda.

§ 7. Hinc multa confitentur, potissimum in tormentis enormibus subditæ quæstionibus, quæ meræ sunt fabulæ, nugæ, mendacia, & nec sunt nec fuere, nec quæ unquam rerum natura patietur, vel admittet. Nec plus his fidei debet apponi in ea confessionis parte, qua se dæmoni hoc vel illo modo consecratas dicunt, & propterea in ejus voluntatem & actiones malas consensisse, quam ubi se aërem conturbasse, grandinem noxium evocasse, segetes & vites dissipasse perdidisseq; vel quodvis aliud malum iis æque ἀδυνάτον, perpetrasse, libere dicunt & fatentur. Unius enim confessionis eadem hora & modo prolatæ ab eodem homine articuli & membra sunt. Quare igitur illusionem magis in hoc quam in altero articulo à præstringente spiritu in mente factam, credere malumus? Cum nulla sit probatio aut demonstratio, quam confessionis incarceratæ, excarnificatæ & dementatæ anus, cui in multis nullam esse dandam fidem convenimus, quodcirca non itidem in omnibus, cum nihil certi ex confessione erronea delusæ ejusmodi mulieris dæmoniacæ decerni aut statui queat.

§ 8. Diabolum etenim, qui illam agitat vexatque, mendacem esse & mendaciorum parentem, testatur ipsa Veritas. Illa autem à diabolo agitata, & fere semper obsessa, effatur id quod menti tam valide impressit dæmonium, ut nihil aliud credat illa, quam se rem veram proloqui: quinimo à diabolo ejus lingua frequenter dirigitur, ut secus loquatur quam ipsa mens dictet: quod in non raris mulierculis dæmoniacis fit, ut dictorum postea illas à satanæ vinculo liberas pudeat, si ea in memoriam ab aliis revocentur: id quod coram à monialibus ita læsis in examine non semel audivi: quæ etiam sanæ mihi fassæ sunt, quandam, quæ ejusmodi plurima facinora à se designata in carcere & tormentis confiteretur, eodem modo in cœnobio à dæmone fuisse vexatam, quo reliquæ, quas

Vide supra lib. 4. cap. 12.

quas ab ipsa maleficio affectas credebat: holocausti tamen materiem suppeditare ipsam, licet modo à satana obsessam, oportuit: quanquam in actione criminali probationes debere esse meridiana luce clariores, severe jubeant leges.

§ 9. Præterea, si in eo suo gravissimo animi morbo se diabolo mancipassent illiusmodi anus, non propterea essent comburendæ: sed cum ex intolerabili mœstitia in eam animi dejectionem & desperationem inciderint, saniori institutione revocandæ, atque ut Christo se rursum dedant, consecrentque resipiscentes ab errore, qui saltem propriam illarum animam (cujus judicium solus sibi reservavit Deus) attigit, nec in alios actu se expandit, sedula exhortatione erudiendæ. Sic earum animas lucrabimur, & à morte vindicabimus, ut D. Jacobus docuit. Omnis enim qui peccat, nec facit justitiam, & fratrem odit, ex diabolo, & non ex Deo est, inquit D. Joannes. Nec item scortatores, neque adulteri, neque simulachrorum cultores, neque molles, neque ebriosi, neque maledici, neque avari, regni Dei hæreditatem consequentur. *Iacob. 1.* *1. Ioan. 3.* *1. Cor. 6.*

§ 10 Hi quanquam non à Deo se voluntate solùm, sed ipso maximè opere separarunt scienter, ac diabolicas actiones nulla vitiata phantasia perfecere, non tamen flammis statim objiciuntur, etiamsi admissum delictum in alios quoque extendatur, qui ejus communione graviter peccant: punitionem interim divinam multo duriorem non evadent, nisi convertantur, conversi autem etiam ab ea pœna securi erunt: quemadmodum & illi quos Paulus describit in extremis diebus fore mente corruptos, & circa fidem reprobos. De hæreticis, qui falsa persuasione à satana seducti, Deo, sibi & aliis injuriam fecere, idem dictum volo, eos nimirum extremo supplicio non ita afficiendos, potissimum si errorem agnoscunt, ab eoque desistunt: legitime tamen coërceri posse, negare nolo. Minus certè à lamiis dictis, ferè omnibus vetulis & sexus fœminei, ac partim à dæmone vexatis delusisque, partim etiam obsessis: & nemini noxiis, in magistratum aut alios delictum erit. *2. Tim. 3.*

§ 11. Hinc eos qui miseras has, dementatas insontesque mulierculas, morte puniunt temere, coram Deo graviter delinquere, atque olim ejusce carnificinæ rationem reddituros, nisi resipiscentia propitium consequantur prius Deum, non dubito. Flagitiuma mente conceptum Deus punit, qui mentem novit: quemad-

modum qui maritus alterius conjugem aspexerit, ut ei conjungi desideret, hic in corde suo adulter factus, Dei manum minimè effugiet, à magistratu tamen neutiquam velut adulterii reus erit puniendus, quanquam tale animi desiderium, studium & affectum palam profiteatur, jactet & exclamet. Gladii potestatem nequaquam magistratui in ejusmodi peccatis mandatam sentio.

Lib. 6. cap. 21. supra. An voluntas punienda.

§ 12. Si insuper voluntatem & consensum puniri debere, quis contentiosius urgeat, hunc certè distinguere ad minimum oportet inter voluntatem hominis sanæ mentis, qui facinus aliquod in politiam publicam animo decreverit, idque exequi potuerit, atque in actum perducere cœperit tentaritque: & inter eum qui non itidem mentis confirmatæ, imaginetur se velle facere, imò fecisse, quæ nec fecit, nec in rerum natura etiam plerunque consistere queunt: alioqui tale voluntatis & consensus flagitium quoque impingi possit melancholicis, fatuis & pueris, qui sæpenumero falsa persuasione inducuntur, ut se hæc vel illa scelera commisisse credant fateanturque. Quid adhæc amplius in quacunque calamitate vel plaga à diabolo ex Dei voluntate inducta, commiserunt hic lamiæ, dæmonis justitiæ Dei executoris actionibus consentientes, quam quivis alii, qui ita læsis, fortè ejusmodi infortunium malitiosè invidia moti faverunt, precati sunt, & diaboli actiones hoc modo voluntate, consensu & imprecatione approbarunt, quemadmodum frequenter nimis usuvenire experimur?

Mulieres minus puniendas viris. Viduarum cura habenda. Exod. 22. Deut. 24. Psal. 145 Esa. 1. Hier. 22. 1. Tim. 5. Iacobi 1.

§ 13. Mulieres præterea in eodem delicti genere minus viris peccare, minusque puniendas esse, cæteris tamen per omnia paribus, ob imbecillitatem animi, mentis & ingenii, docent variæ leges, quemadmodum prolixè ostendi lib. VI. cap. 20. Singulari insuper ratione omnibus viduarum, qualis ferè sunt ejuscemodi vetulæ, præcipuam curam imposuisse Deum, testatur Scriptura sancta.

Lamiarum castigatio.

§ 14. Cæterum lamias nulli injurias castigandi puniendique non meliorem tutioremq; rationem novi, quam ut à pio ecclesiaste rectius instituantur, diabolo ejusque instinctui & actionibus renuncient, & si voles, palam in ecclesiæ rursus communionem recipiantur pœnitentes. Si graviorem temeritatis & delicti, quod diabolicæ suggestioni & ludibriis non satis fortiter restiterint, aliisque exemplo sint, quis velit urgere pœnam, sit exilium ad tempus: pecuniaria insuper mulcta pauperibus donanda, si sit res ampla domi,

vel quæcunque alia arbitraria pœna pro delicti qualitate & magnitudine, non tamen vitæ.

§ 15. Ad legem à Mose latam Exod. 22. & à te propositam, respondeo, in textu Hebraico legi מכשפה לא תחיה: hæc autem verba & decretum à septuaginta senioribus sic reddita sunt, φαρμακοὺς οὐ περιβιώσετε, hoc est, veneficos, vel si mavis veneficas, genere fœminino, ut volunt Hebræorum interpretes, non sinetis esse superstites: sic legis voluntatem explicuerunt illi septuaginta interpretes. Nec כשה Chasaph, & quæ ab illo deducuntur, vix usquam in prædicta Græca tralatione aliter exponuntur, quam ut veneficium significent, id est, hisce Græcis vocibus, φαρμακὸς φαρμακούς, φάρμακα, & quæ hujus sunt inflexionis. Ita decretum hoc minimè huc ad lamiarum nostrarum punitionem, quæ non sunt veneno usæ, sed phantasia deceptæ solum, torqueri debet: quanquam vulgaribus facilè persuaderi aliter potest versione veteris Testamenti Germanica, ubi vox Mechasepha redditur Zauberinne. Huc accedit ipsius Iosephi natione Hebræi manifestum testimoniuum, qui explicatius legem ita exponit: Venenum neque mortiferum, neque in alios usus noxios apparatum, Israëlitarum aliquis habeat: quod si habere deprehensus sit, morte mulctetur, & patiatur id quod facturus erat illis, adversus quos venenum paraverat. Adhæc illud ludibriorum dæmoniacorum genus, quo nostræ lamiæ aliquot multis annis vexatæ infatuatæque fuerunt, Mosis tempore fuisse visum vel auditum, nemo mihi facile ex veris historiis fidem fecerit. *Antiquit. Iudaic. l. IV. c. 8.* *Supra l. VI. c. 21*

§ 16. Moses siquidem & Testamenti veteris libri, solius quadruplicis incantatorum & maleficorum familiæ meminerunt. Primæ sunt illi præstigiatores Pharaonis, qui præstigiis regios fefellère oculos, ut pro veris ficta apparerent, Exodi 7. & 8. id nostræ Lamiæ neutiquam possunt. Illos hartumim potissimum à Mose appellari arbitror, nisi memoria fallar: Biblia etenim Hebraica inspicere non licuit, cum in arce venatoria hic Betsburgi inter montes circiter quindecim à mea bibliotheca Clivensi, miliaria, hæc scribam, dum illustrisśimo meo principi hic meam præsto operam. Alterius generis sunt, quos mechasepha, hoc est, veneficos appellat, qui nimirum veneno vel medicatis rebus homines vel jumenta è medio tollunt, vel similem inferunt noxam. Tertiæ classis sunt, qui vario & multiplici divinandi mo- *Quadruplex incantatorum familia.* *Supra c. 1. l. 11.* *Hartumim.*

do utebantur. Ad hos pertinent eæ voces, Kasam, Deut. 18. Hier. 27. Onen, Deut. 18. 2. Paral. 33. Hier. 27. Mich. 5. Nahas, Deut. 18. & 2. Paral. 33. Ob, Deut. 18. Esa. 19. 1. Reg. 28. & 4. Reg. 23. ac alibi passim. Iidoni, Deut. 18. Levit. 19. 20. 4. Reg. 23. Esa. 19. Utuntur quarto Hebræi vocabulo Habar, quando arcana quædam verba à magis mussantur, quibus inesse efficacia mira putatur: quam vocem David usurpat, simul & Lahas, Psal. 58. ubi aspidis ad incantantis vocem, aures obturantis mentionem facit.

§ 17. At quicquid est harum vocum, nullo modo eam dementationem, quam in vetulis his experimur, spectat. Si itaque decretum hoc Mosis contra veneficos promulgatum fuerit, ex præscripto iidem puniantur: horum patrocinium minimè suscepi, quos & lex Cornelia de sicariis & veneficis condemnat, Dig. lib. 46. tit. 8. Hanc meam sententiam eo libentius transmittere volui, quod te mihi responsurum sperem, id quod summopere oro atque obsecro. Interim faxit misericordissimus Deus, ut ipsius *spiritu* auctus, digne vocationi tuæ respondere queas ad Dei *gloriam*, *Ecclesiæ* Christi incrementum, & animæ tuæ salutem. *Betsburgi* 10. Octob. Anno 1565.

D. IOANNI WIERO, *Illustrissimi Ducis Iuliæ, Cliviæ, &c. medico*, Joannes Brentius.

S. P. D.

SAlve in Christo, observande vir. Quas è Betsburgo 10. die Octobris literas ad me dedisti, fuerunt mihi gratissimæ, non hoc tantum nomine, quod insignem erga me benevolentiam spirant: verum etiam, quod summum tuum studium in defendendis innocentibus, aut excusandis errore magis, quam malitia peccantibus testificentur. Nec dubito, quin Deus hanc tuam virtutem clementer approbet. Ut enim quondam, cum Ethnici adhuc grassarentur in Christianos, si quis accusabatur fidei in Christum, vulgus vociferabatur, Ad leonem: ita his temporibus, si quæ mulierculæ, quamvis honestæ, insimulentur tantum veneficii aut incantationis, clamare solent, Ad ignem. Quare si quis in medium processerit, & admonuerit magistratum, ne passim sine ullo discrimine, & exactissima cognitione in miseras illas mulierculas sæviat, eum ego arbitror divinitus excitatum.

excitatum. In quorum catalogo quum te quoque collocatum videam, laudo tuam humanitatem, & hortor, ut tuum officium, quod cœpisti, facere pergas.

§ 2. Cæterum quæ admonitu meæ concionis in lucem editæ, de legibus à Mose & Imperatoribus Romanis adversus incantatores & sagas latis, visum est tibi mecum conferre, agnosco animi tui candorem, & optarim ut similiter affecti essent multi, mei quoque ordinis homines, & eadem moderatione sua inter se dogmata conferrent: sic enim minus esset & rixarum & offendiculorum in Ecclesia filii Dei. Dicam igitur initio de mea concione, cui titulus est, de grandine. Hæc enim concio, etsi fatear eam à me in chartis conjectam, ut soleo, antequam ad concionandum processero, tamen non est à me in lucem edita, sed ab amicis una cum aliis quibusdam concionibus è chartis meis collecta, & typographo tradita, idque non hoc primum tempore, sed cum numeraretur à nato Servatore nostro 1539, & audio eam iterum à typographo superiori anno prælo exceptam esse. Hoc idcirco visum est commemorare, ne forte tua humanitas arbitraretur, me data opera eam concionem adversus tuum scriptum, cui titulum de præstigiis dæmonum fecisti, sparsisse. Deinde vidisti ipse, me in ea concione (quam certe nesciebam editam, priusquam tuas accepissem literas, & de ea ab amicis admonitus essem, qui & mihi exemplum ejus jam exhibuerunt) nullam instituisse prolixam disputationem de supplicio illis incantatricibus inferendo, sed tantum paucis attingere, ne viderer publicas leges damnare: quas ne adhuc quidem damnandas censeo. Sed illud summo studio & exactissima cura agendum & cognoscendum est, ut recte dijudicetur de personis, quæ adversus has leges peccasse accusantur, & tam severo supplicio obnoxiæ sunt.

§ 3. Ac video quidem, Imperatoriam legem uti his verbis: Qui malis artibus utuntur, elementa turbant inficiuntque & adhuc affirmo, elementa turbare, non esse diabolicæ per se, nec humanæ, sed tantum divinæ virtutis: non dubito autem, quin lex usurpet verba sua ex vulgari hominum sententia, & loquatur ex illorum magorum seu incantatricum opinione: hi enim à satana ita persuasi sunt, quod artibus suis turbent elementa. Punit igitur, inquies, lex voluntatem tantum, & falsam persuasionem? Nihilminus: sed repetat pro opere ipso perfectum, ut illi loquun-

tur, conatum. Nam cum misera mulier non solum simpliciter cogitat se coctu ris aut aliis artibus turbare elementa, verum etiam illud toto animi instituto agit, in hoc studium tota incumbit, ut herbas colligat, suis execrationibus præparet, ad ignem admoveat, ac nihil earum rerum omittat, quas edocta est à satana aut satellitibus ejus: hic certe lex expedit suam severitatem, & punit perfectum illum, quemadmodum jam dicebam, conatum.

§ 4. Nec novum est, nec insolens, quod conatus perfectus habeatur pro facto & opere ipso. Abraham jussus est unigenitum suum filium Isaacum mactare in sacrificium: etsi autem angelus revocat gladium ejus, quem jam in filium stringebat Abraham, & Isaac servatur incolumis, tamen Deus ipse reputat hunc perfectum Abrahæ conatum pro facto ipso: Quia fecisti, inquiens, hanc rem, & non pepercisti filio tuo, benedicam, &c. Quod de benefactis hic dicitur, idem intelligendum est etiam de malefactis.

§ 5. His diebus dixit juvenis quidam Stutgardiæ causam *suam* è vinculis, qui cum deperiret alterius uxorem *expectavit noctu* ante domum ejus bombarda instructus, dum maritus equo pabulum præberet. Itaque ejaculatus globum per patulum foramen, erravit quidem à marito, sed occidit equum. Habes hic perfectum conatum. Quare lata est in eum sententia, tanquam in homicidam, qualis etiam vere erat tam coram politico, quam coram cœlesti tribunali. Idem judicatur de eo qui cum uxore aliena deprehenditur in cubiculo clauso solus cum sola, nudus cum nuda, etiamsi adhuc nihil sceleris cum ipsa designaverit. Hæc accommodanda erunt ad incantatrices, quod etiamsi nec queant elementa turbare, nec quicquam nocumenti hominibus præstigiis suis aut incantationibus inferre: tamen quia voluntas eorum nocendi non consistit intra simplicem cogitatum animi, sed prorumpit foras in perfectum conatum, severitas legum hac in parte non potest jure damnari.

§ 6. Idem sanciendum puto de lege Mosi Exod. 22. Etsi enim video, vocabulum כשפה constanter transferri pro φαρμακοῦ: tamen non ille tantum judicatur φαρμακὸς, qui alteri exhibet potionem reipsa venenatam, verum etiam qui nocendi & interficiendi animo pro venenata potione arripit errore quodam & porrigit salutarem. Quare cum incantatrices illud unum agant, & in illum scopum totæ intendant, ut vel frugibus vel pascuis vel jumentis vel hominibus noceant, sive utantur veneno, sive aliis rebus plane impertinen-

Iudicium Ioh. Brentii de Incantatricibus puniendis.

tinen-

tinentibus, non possunt excusari, quin habeantur pro nocentibus. Lex Mosi dicit de teste mendaci, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit: Et quidem magna severitate addit, Non misereberis ejus, sed exiges animam pro anima, oculum pro oculo. Si de teste mendaci, qui nec veneno, nec aliis id genus rebus, sed tantum lingua ad nocendum proximo utitur, tam severiter judicatur, quid judicandum esset de incantatricibus, quæ qualibuscunque mediis utantur, certe cogitant toto conatu proximo incommodum inferre? Hactenus de autoritate legum: interea autem accuratissima cognitione opus est, ut recte dijudicetur, quis adversus has leges peccaverit, & supplicio earum obnoxius sit.

§ 7. Hic ut recte sentis, magnum discrimen habendum est inter vere sceleratos & melancholicos, ac eos qui læso sunt cerebro, quive simplici superstitione errant. Quis enim tam crudelis esset, qui in hos posteriores severiter animadverteret? Fuit apud nos juvenis non ineruditus, qui & scholis præerat, & se honeste gerebat: Sed tandem eò melancholiæ processit, ut cum audiret aliquem è præceptóribus suis, quos semper reverenter coluerat, morte extinctum, arbitraretur se, quamvis longe absentem, ejus mali autorem. Referebat nobis, sæpe venire ad se noctu homines nescio quos, qui nunc hoc, nunc illud ipsi conficiendum mandarent. Quis hunc judicaret homicidam? Imo inter nocentes ipsos magnum discrimen habendum esse censeo: Et malo ut decem nocentes impunes, si ulla probabili ratione fieri potest, evadant, quam ut unus innocens injuste plectatur. Insigne pietatis genus est, miserorum cura tangi.

§ 8. Quare optimi viri officium facere perges, si afflictas illas mulierculas malueris ad curam vel tuæ, hoc est medicæ, vel meæ, hoc est Theologicæ professiónis, quam ad gladium aut ignem carnificis remittere. Hæc pauca visum est non ad singulas tuarum literarum particulas, sed ad causæ statum respondere. Uterque enim eò respicimus, ut in maleficas exemplum ita statuatur, ne vel impunitate malum ingravescat, vel crudelitate innocentes aut quasi (quemadmodum Jurisconsulti loqui solent) opprimantur. Dominus te clementer custodiat. Bene ac feliciter vale, vir optime. Stutgardiæ, in die Stephani protomartyris, anno 1565.

D. JO-

D. IOANNI BRENTIO, *Theologiæ Doctori, & præposito Stutgardiæ, &c.* Ioannis Wierus

S. P. D.

DAtæ nuper tuæ ad me literæ, fuerunt mihi admodum gratæ, quod singularem animi tui candorem & modestiam declararent, cum meam patienter in meæ sententiæ explicatione audieris, tuamque vicissim ingenue proposueris, mi integerrime Brenti. Proindi ut me denuo audire eadem animi temperantia, & si minus recte sentiam, secus docere non dedigneris, te ob commune reipublicæ Christianæ commodum, obnixe oro. Maximi siquidem ponderis causam hanc esse sentio, in qua tam enormi tyrannide à Christiani nominis magistratu sævitur citra ullam commiserationem, quæ semper hominem *Christianum* in primis ornare solet. Hic autem legum rigorem defendi, suumque sortiri apud te locum, non obscure arguunt testanturque palam habita concio & post evulgata, deinde scripta mihi haud ita pridem epistola.

§ 2. At ego aliter justis de causis rationibusque manifestissimis & quidem non paucis persuasus, libro satis copioso jam aliquoties edito, hujuscemodi dira mortis supplicia in vitiatæ phantasiæ vetulis, nec ullo præstito revera malitioso vel aliis noxio opere notis, improbans, tales leges elevo ut irritas prorsusque supprimendas: quarum tamen authoritate magistratum recte gladium stringere, submergere item, & flammis horrendis dementatas objicere anus, quas lamias dicunt, astruere videris. Pœnæ siquidem formam licet non exprimas, tamen leges hac in parte defendis, quæ mortis supplicium decernunt: at modum ejus heu nimis truculentum, quinimo, si verum fateri liceat, plusquam tyrannicum, inde decreti virtute jam annis nimis multis à magistratu observatum, satis nosti. Ex mea vero sententia illiusmodi vitæ privatione coram Deo ita delinquitur, ut rationem in eo die, quo omnis elucescet veritas, redditurus sit transgressor.

L. Multi. C. de maleficiis & mathemat.

§ 3. Porro cum concedas, ex vulgari hominum opinione promulgatam legem de iis qui elementa turbant, &c. Respondeo, leges

leges minime ferri debere ex vulgari hominum ſententia, vel deluſarum vetularum opinione, potiſſimum eas quæ inde mortis alios damnant: ſed ex gravibus, indubitatis irrefragabiliuſque cauſis cum matura deliberatione promulgari oportere: quinimo in actionibus criminalibus probationes ipſa luce meridiana clariores, requirere leges, alias dixi. Nec juſtis rationibus hic objici debet perfectus conatus, quem vix imperfectum dici admitto, cum nullus perfectus poſſit appellari conatus, qui perfici nequit. Lamias autem non poſſe perficere quæ conantur, fateris. Concedis enim, deluſas mulierculas in turbando aëre nihil poſſe: ſive tum herbas colligant, execrentur, ad ignem admoveant, vel quaſcunque proferant ex corrupta phantaſia quiſquilias, quibus ne quidem aquæ guttam elicere, aut crepitum ciere (ut cum venia ſic loqui liceat) aut muſcæ nocumentum inferre queunt: quorſum hic conatus nuncupabitur & defendetur perfectus ejuſmodi delira perſuaſio, vel, ſi ita voles, inefficax & puerilis conatus? cur ex legum ſeveritate acerbiſſimo mortis genere plectetur? Quod Abrahamum adducis, qui in filium Iſaacum ſtringens enſem impediebatur ab angelo, atque hunc Abrahami conatum pro facto ipſo à Deo fuiſſe reputatum, & quod de benefactis ibi dicatur, idem de malefactis intelligendum eſſe, hic certè velim nolim, contradicere cogor.

§ 4. Primum Abrahamus ex Dei mandato conatum cœpit rei poſſibilis, & quæ mox perfici poterat, atque perfecta incunctanter fuiſſet mente ſana & inſtrumentis convenientibus, niſi à Dei angelo fuiſſet vetitum: hinc merito pro ipſo opere & quidem perfecto conatus hic inchoatus haberi debuit. Atqui multo ſecus in hoc noſtro negotio res habet, ubi perſonæ ad hujuſmodi verum actum vel conatum ineptæ ſunt, ubi phantaſia corrupta, ubi organa quibus operari putantur, ludicra, ſi culnea, & tali perficiendo operi inidonea ſunt, ut ſi nihil non ſic agant & machinentur, nihil efficient, imò aërem verberabunt & operam ludent. In foro quidem cœleſti criminale eſſe, etiam ſi quis mulierem aſpexerit, ut eam concupiſcat, non diffiteor: verum haud item in foro civili, ubi adulterium non mente, ſed corpore perpetratum vel incœptum, ita ut perfici mox potuerit, punitur: multo minus punietur vitiatæ mentis imaginatio, aut ludicrum aliquod inſtitutum vel voluntas, unde læſioni ſubſecutæ vel aliunde inflictæ *Conatus perfectus.*

ctæ nihil vel accessit vel decessit, aut accedere aut decedere potuit. Quare mirari non desino, quod lamiarum deliram voluntatem in perfectum conatum foras prorumpere, nec legum severitatem hac in parte damnandam esse scribas. Imò ego tales leges ex vulgi opinione & poëtarum figmentis latas, libero ore calamoque oppugnare audeo: & me conscientiam læsurum vererer, si conticescerem: propterea eas quoque explodere deceret quemlibet magistratum Christianum, ne rerum ignorantia tam impune hinc sanguis fundatur innoxius.

Sub tit. de injuriis, aliisque delictis, lib. 9. al. tit. 11. Supra l. 3 cap. 16.

§ 5. Talem habeo legem illam duodecim tabularum: Qui fruges excantasset, pœnas dato, néve alienam segetem pellexeris excantando. Si vero observantiam multam deberi legum vetustati & autoritati existimaveris, eodem jure nunc & olim in sanguinem, quem tu innocentem dixeris, sævietur ex quorundam Imperatorum & regum promulgatis sæpe legibus & edictis contra doctrinam tuam, Lutheri, & aliorum non obscurorum virorum. Quapropter ut non semper legum autoritati & *severitati* standum censeo: ita multo minus in hoc negotio *hactenus usque* adeo dubio, obscuro, & dæmonum præstigiis involuto, ad carnifices confugiendum esse, firma stat sententia. Nec locum hic habet in argumenti tui patrocinium, sed ad mei instituti confirmationem, exemplum à te citatum juvenis illius, qui occidendi *animo* equum interemit, dum in virum, cujus uxore fruebatur conjunctius, collimando ejaculatur: cum & interficere maritum, & cum ejusdem uxore congredi potuerit. Sic clarè ostendis, quid sit conatus perfectus, nempe studio incœpta actio, quæ ab ipso juvene perfici valuit instrumentis ad hoc idoneis apparatis, & in rei propositæ perfectionem jam operantibus sine ulla vitiatæ mentis delusione: proinde & optimo jure supplicium mortis perpessus est.

Exod. 22.

§ 6. Quod etiam huc Mosis legem rursus torquere velis, non certè mihi tecum convenit. Moses enim de iis loquitur, qui veneno vel rebus noxiis nocuêre, vel damnum dare conati sunt, idque potuêre: non de his qui se lædere aut læsisse imaginantur, à quibus nihil mali ulli aut bestiæ aut homini aut frugibus accessit: qui potius deliris hominibus, puerilibus, stultis & melancholicis comparari debent, & aliqua ex parte similem supplicii sortem cum iisdem sustinere, hoc est, redargui & rectius instiui,

tui, vel virgis coërceri, atque arbitraria mulcta, non corporali, ex magistratus æquitate in ordinem redigi.

§ 7. Quod item Mosen de teste mendaci citas, qui mente non delusus, studio destinataque opera suo mendacio graviter vel nocuit, vel nocere voluit, atque etiam potuit, nimirum qui alteri falso testimonio intentavit defectionis, ut Hebræi intelligunt, crimen, quare eidem quoque ex testimonii virtute fuisset moriendum: talis profecto mendax testis, author sanguinis injustè fundendi, optimo jure plectebatur, velut etiamnum plerisque in locis observari existimo. Sed quomodo hic cum Lamiis nostris conferri poterit, cur etiam severior iis infligi debet pœna? id quod tamen urgere videris, cum ille nocere voluit & potuit, & revera nocuit: hæ lamiæ nec nocuêre, nec eo modo potuêre. Ille lingua sua usus, qua falsum dare voluit & potuit testimonium: hæ solum corruptam usurpant imaginationem, delusam voluntatem, & suas quisquilias resque ludicras, quibus omnino nihil possunt, etiamsi minime impediantur. Deut. 19.

§ 8. Collatis itaque personis earumque ingeniis & organis, facilè totius negotii discrimen elucescet: inde & pœnæ formam minori conscientiæ læsione præscribet magistratus pius & Christianus: quam tamen conjuncta simul & opera vestra & seculari potestate in executionem deduci velim, ut nimirum rectius à tui ordinis hominibus doctis & piis erudirentur delusæ anus, & præstigiarum dæmoniacarum discussis tenebris ad veritatis lucem saniori mente reducantur: deinde modum pœnæ cum commiseratione pro transgressionis qualitate prudens statuat magistratus. Qua in re tibi mecum convenire, sat scio. Mihi sane bene volenti, ut pro singulari tua humanitate & candore ignoscas, quæso, quod seria tua studia & Christiana, dæmoniaco nostro argumento turbare non desinam. Deum misericordissimum oro, ut te suo spiritu in dies magis ac magis augere dignetur ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ utilitatem. Hambachi 18. Julii, anno 1566.

Nihil responsi inde tuli.

APOLOGIA

Adversus quendam Paulum Schalichium, qui se Principem de la Scala vocitat.

ME profecto optime meritum esse de Republica Christiana, & bonam apud omnes iniisse gratiam existimavi, quod tanto studio & diligentia pro indubitatæ religionis nostræ
Ephes. 6. hominibus pugnam cœperim cum principatibus, potestatibus, mundi dominis, rectoribus tenebrarum hujus seculi, spiritualibus
Ephes. 2. astutiis in cœlestibus, cum principe cui potestas est aëris, qui
Hebr. 2. mortis habet imperium, qui seducit totum terrarum orbem, imò
Apoc. 2. Iob. 41. cum rege super universos filios superbi. Sed opinionem meam longè fefellit insolens quorundam insultus, & mala ab iisdem mihi relata gratia.

§ 2. Enimverò præter omnem expectationem *insurgit adversus* me Paulus quidam princeps de la Scala & Hun, *Marchio Veronæ*, & Dominus Creutzburgi Prussiæ, qui numerosa hac titulorum supellectile, & generosæ familiæ satellitio instructus, mihi homini non huic simillima, sed tamen domo honestissima nato bellum denunciat, non certe justis de causis. Licet autem *principatuum* illius amplitudo, & plena terroris dominatio me non immerito in fugam conjicere potuissent: animum tamen erigit quæ mihi cum dæmone fuit luctæ victoria, quippe qui cum potentissimo generis humani hoste fortiter antea congressus, virium mearum periculum fecerim, tanto facilius nunc hujus principis *vim* atque impetum sustinebo, quanto & inferior is est, causa nostra melior. Neque enim velut ille, frivolis altercationibus aut impotenti ulla concertandi libidine flagro, sed solo veritatis indagandæ studio ardet animus: qui si aliter esset affectus, tamen & ingravescens ætas colluctandi fervorem extingueret, & scribendi libertatem ac ocium profectiones variæ occupationesque assiduæ surriperent. Quo fit, ut non sim tibi Paule princeps objecturus tuos errores, non calumniaturus tuas contrarietates non nudas alienarum vigiliarum rapsodias, non fabulas Poëticas, non denique quasdam Platonicorum nugas, quæ in *tuis* scriptis passim occurrunt: sed ad illa tantum loca, quæ circa finem

tertii

tertii tui Epistemonis contra me potuisti, responsurus, partim tuas calumnias eo quo collocasti ordine refellendo, partim infirma arcis tuæ fundamenta, quibus niteris, fortissimo veritatis vecte subvertendo. Ocyus ergo & alacriter in arenam descendamus, nosque pro virili exerceamus.

§ 3. In libri tertii Epistemonis tui Catholici exordio signa contra me præfers & titulum, quo confutationem Præstigiarum Ioannis Wieri, te parti Encyclopædiæ tuæ recoctæ adjuncturum polliceris: inde non diu cunctatus, de barbarismo differens, integram fere epistolam ad paginas circiter octo, continua orationis serie, Ioannis Pici Mirandulani ad Hermolaum Barbarum Florentiæ 4. Non. Iunii scriptam anno 1485. transcribis. Inde ubi de animæ ab humano corpore separatæ seu abstractæ oberratione & passione ex variis discurreris: Hinc & utrum peccatum temporis finiti, pœnam finitam recipiat, an infinitam tantum, ex ejusdem Pici tractatu de pœna peccati mortalis, argumentis sumptis & verbis exscriptis compilaveris: ad quæstionem tandem de anima separata, sive homine post mortem, antequam resurgat, prolaberis, quo copiosum illud cap. 41. lib. 3. Agrippæ de Occulta philosophia denuo de verbo ad verbum transtulisti, non tamen neglecta interim ea cautione, ut leviter nominis Agrippæ memineris in principio iis verbis: Cum moritur homo, corpus in terram „ revertitur (quod & Agrippa retulit) de qua sumptus est: mens, „ unde descendit, in cœlos remeat, &c. „

§ 4. Ea conjunctione copulativa vis innuere, quasi Agrippa in ea solum particula à te non dissentiat, & reliqua argumentationis demonstratio tua sit, quæ ad paginas circiter decem ex eodem capite transcriptas se extendit, ubi in Eubuli persona, verbis sex saltem orationem interrumpis continuam absque debita authoris Agrippæ professione: qui cum hanc mysticam disceptationem poëtarum testimoniis hinc inde confirmarit, ea solum studio à te prætermittuntur, ut quæ paulatim ex eodem capite adversus me in quæstionem producere statuisti, non admodum in hoc studiorum genere exercitatis, appareant catholica & mysteriorum plena. Quanquam in eo contextu, quem tuum ex phrasi indubitanter nemo non judicabit, qui in Agrippæ libris minus sit versatus, pleraque inveniantur, quæ à Catholica Ecclesia non ita probatum iri arbitrer: cujusmodi est & illud: Ut certum est, neminem sine fide „

„ Christi posse salvari: ita probabile est, hanc fidem adhuc multis „ Paganis & Saracenis post hanc vitam prædicari in illis animarum „ receptaculis ad salutem, atque in illis velluti in communi custo- „ dia detineri, donec tempus adveniat, quo maximus Iudex meri- „ torum facturus sit examen: à qua opione etiam multi Christiani „ scriptores non abhorrent.

§ 5. Cum vero huc transtuleris ex posteriori parte capitis dicti Agrippæ, quorundam patrum testimonia, velut Tertulliani, Clementis, Augustini, Ambrosii atque Lactantii, inserveris & tuo studio Chrysostomi sententiam, nihil minus iis ostenditur, quam Paganis & Saracenis post hanc vitam prædicari ad salutem in illis animarum receptaculis. Nollem autem longioris digressionis molestia me fatigare in iis quæ ex professo non in meam contumeliam scripta sunt. Inde sententiis non concisis ex eodem capite hinc inde de verbo ad verbum compilatis, orationis filum continuas de conditione inferni, de lemurum natura, & de spirituum loco, ubi hac occasione Agrippæ mentionem denuo obiter facis, „ in hæc verba: Legimus alibi, abstulisse Deum de spiritu qui erat „ in Mose, & dedisse septuaginta viris. Magnum hic (inquit Agrip- „ pa) latet, sed non temere revelandum mysterium. Postremo absoluta doctrina hac arcana Agrippæ verbis, ubi licentia dialogismi Eubulum induxeris tibi Eulogo respondentem, Rem ultra humanum captum, & omni admiratione admirabiliorem animo attentissimo audivi Euloge: Mox adversus me in sequentem erumpis formam:

„ § 6. Atque hic mihi occurrit quidam medicus, nomine Ioan- „ nes Wierus, qui hæc omnia nihil aliud asserit esse, quam præstigias „ dæmoniorum, de quibus libros quinque scripsit, & prolixius „ suam intentionem egit. Ita lib. 1. cap. 14. de transformatione al- „ legat Psellum, & exemplum quoddam militis. Atqui, inquit, fu- „ siorem ea quæ diximus, aliaque similia agendi modum & ratio- „ nem, Michaëli Psello explicavit quidam Marcus dæmonii cultor „ eximius, in Chersoneso Græciæ contermina vitam solitariam de- „ gens. Demones, ait, licet sexu & propria lingua careant, corpus „ tamen illud aëreum sibi concessum, pro arbitrio velut nubes vento „ flante, in varias formas mutant, contrahuntque atque extenduntur; „ quemadmodum lumbricis videtur accidere, ob substantiam molliorem, ductuque facillimam: neque solum magnitudine diversitas i-

eis accidit, verum etiam figuras coloresque variant multiformes. ,,
Corpus enim dæmonis ad utrumque est natura paratum: qua enim ,,
ratione est natura facile cedens, sic in varias figurarum species ,,
transformatur: qua etiam aëreum est, diversos aëris instar colo- ,,
res subit. Sed aër quidem extrinsecus coloratur, corpus vero dæ- ,,
monis juxta animi sui affectus species colorum mutat, velut & ,,
hominis, sed longe melius, ut quod animæ sit obedientius. Omnia ,,
tamen celeriter dilabuntur ob corporis mobilitatem tenuitatem- ,,
que. Sic tanquam vir apparet, & mox occurrit ut fœmina: leonis ,,
more fremit, saltat ut pardalis, latrat ut canis, atque ad utris vasis- ,,
que formam se aliquando transfert. ,,

§ 7. Lubet non inelegantem hoc loco historiam apte interpo- ,,
nere. Refert Helinandus monachus, se audivisse ab Ebaudo pa- ,,
truo suo, qui à cubiculis erat Henrico Remensi archiepiscopo, ,,
Lodovici Gallorum regis fratri, quod Henrico archiepiscopo ,,
æstate quadam in itinere somnum meridianum capiente, miles qui- ,,
dam inter cæteros aperto & hiante ore post prandium dormiret, è ,,
cujus ore visa est ab aliis vigilantibus quædam alba bestiola mu- ,,
stelæ similis exisse, atque ad vicinum ibi rivulum procurrisse: cum ,,
sursum deorsum in ripa rivuli anxia cucurrisset, nec transeundi ,,
viam inveniret, quidam ex astantibus accedens, evaginatum gla- ,,
dium rivulo angusto veluti pontem faciens, imponit. Bestiola ilico ,,
ivulum super gladium transgrediens, longius procurrit, & sese ,,
ubduxit. Paulo post redire visa, cum iterum notum pontem quæ- ,,
erit, atque eo jam sublato, discurrens transire non valeret, idem ,,
le qui antea, rursum rivuli ripas imposito gladio conjungit, at- ,,
ue abscedit. Tum transit bestiola, & ad dormientis adhuc pa- ,,
lum os rediens, videntibus omnibus ingreditur: ac ilico qui ,,
ormierat, expergiscitur: rogatusque num quid in somno passus ,,
[et? Respondit, se fessum esse & fatigatum, tanquam ex difficili ,,
longo itinere, in quo bis super pontem ferreum flumen transi- ,,
sset. Unde socii collegerunt, eum (quæ ipsi viderant) vere som- ,,
asse. Mihi vero diaboli ludibrium esse videtur, qui ut vigilan- ,,
s socios falleret, aut animam hominis corpoream esse, ideoque ,,
erituram cum corpore, ipsis ostenderet persuaderetque, ido- ,,
n hoc exiens dormientis corpus & ingrediens, oculis objecit. ,,

§ 8. Et paulo post: Simile quiddam, inquit, de Guntiano rege ,,
itur: Neque id mirum est. Nam ut idem Marcus loco paulo ,,

ante

„ ante citato deinde refert, spiritui qui nobis inest phantastico pro-
„ pinquant dæmones, utpote qui & ipsi spiritus sint : verba per-
„ turbationum & voluptatum nobis insinuant, non emittentes qui-
„ dem vocem pulsatione quadam & sonitu, sed sermones suos absque
„ sonitu, immittentes, &c. Capite tandem 15. id exemplis confir-
„ mat, illaque exempla variæ formæ larvarum, & actionum dæmo-
„ niacarum esse ait. Hactenus Wierus, qui passim eandem aut simi-
„ lem suis libris cantillat cantionem.

§ 9. Hoc epiphonemate, mi princeps Scalichi, laudi Wiero dari constantiam judicabunt alii, qui eam maximopere in te desiderant, quod contra tuam ipsius nuper editam Basileæ Encyclopædiam, ut scribis, depravatam, & majori ex parte diaboli artibus hæreticam, hoc epistemone catholico, palinodiam solemniter canis : quod tamen non usqueadeo in tui contemptum, quam mei defensionem obiter dictum volo.

§ 10. Adhæc quorsum tanto impudentiæ supercilio præjudicium statuere audes, me omnia (antea potissimum ex illo *Agrippæ* capite à te transcripta) nihil aliud esse asserere, quam *dæmoniorum* præstigias? quod constanter (cum bona tuæ Clementiæ gratia) tibi pernegare non erubesco. Reliqua mea verba à te Scalichi enarrata agnosco, quorum mire artificiosam auspicaris confutationem. Psellus, ais, dictis nostris non adversatur. Ponis *nudam* istam subsultationem. Tanquam legislator decretum aliquod sanciret: verum non contentus tuo excursu, sero me profecto tuæ eruditionis & sapientiæ mancipium fatebor, nisi meam prius de te expectationem saniori responsione expleveris. Psellus etenim mecum eas apparitiones dæmonis repræsentationi sub diversa *forma* attribuit, quas tu frequenter animæ obvagantis, & inhospitæ occursui affingis. Longe diversa, imo pene contraria utriusque elocutio. Pselli sententia aut vera, aut falsa. Si vera, quod innuere videris, cum non solum nihil contradicas, sed etiam subdole ab objectionis vadimonio te expedire coneris, tua necessario vacillabit. Si ipsius falsa est opinio, cur subticuisti responsionem? Enimvero qui tacet, consentire videtur. Psellus idem profert, quod in me accusas. Atqui à me dissentire certe statuisti, & recte, quando ita lubet: ipsius vero testimonium tibi non adversari scribis, & male. Aut enim uterque tuæ opinioni repugnat, aut neuter: sumus siquidem hac in statione individui comites.

Lib. III. *cap.* 41.

tes. At ambo tuam hanc phantasiam execramur merito. Quocirca posthac oppositiones, è quarum perplexitatè extricare te nequis, sinito intactas.

§ 11. Quod autem hanc historiam, inquis, Wierus præstigiis „ diaboli tribuat, ut persuadeat animam corpoream, & idcircò „ corruptibilem, non video quibus id rationibus & argumentis „ perficere contendat. Non difficulter ab hoc objectionis telo me „. vindicavero, quum nihil hic asseruerim, quod patrocinii adminiculum requirat: & præter meum sit institutum, de animæ extra corpus evagantis conditione, longioris disceptationis telam contexere & persequi: solum ad eam Helinandi conclusionem, socios nimirum inde collegisse, eum, quæ ipsi viderant, verè somniasse, meam subjunxi non assertionem, sed opinionem: quæ si ad tuum minus fecerit palatum, per me quidem licet, nec suaviorem samioremque ex generosi principis beneficio recusabo. Quod vero dicis, non sequi, omne corpus corrumpi: neque me hac in quæstione, à meo scopo peregrina, quicquam vel affirmare vides, vel negare: sed intellexisse de corpore materiali & composito, non diffiteor. Verum enimvero si tale quippiam promulgassem, quo supplicio ad pœnitentiam compelli deberem, haud intelligo. Quorsum insuper extra meum scopum collimabo ad incorruptibile cœlum & elementa non necessario, ubi & suum habet locum capitis 21. Apocalypseos exordium? Est & Empedoclis opinio, mundum manere eundem secundum substantiam, sed mutari secundum dispositionem.

§ 12. Quod deinde in orationis tuæ progressu adversus Pselli ex Marco sententiam à me recitatam transformationis diabo- „ licæ causam statuis, variorum subjectorum assumptionem, ea „ scilicet demonstratione. Sicut enim homo mediis utens, artifi- „ cio naturam omnem imitatur: sic diabolus medio non indigens, „ in momento subjectum suæ actioni & proposito conveniens fa- „ cit: atque in illud, sicut anima in corpus, se abdit, & illud pro sua „ voluntate regit. Hinc est, quod Apostolus ait, 2. Corinth. 11. Ipse, inquit, Satanas transfigurat se in angelum lucis. Inde sequeretur, satanam veri angeli subjectum assumere, & in illo se abdere, & pro voluntate sua illud regere. Sed longè aliam esse Apostoli mentem, testantur præcedentia & sequentia, ubi de perversa Pseudo apostolorum doctrina, & de operibus malis loquitur, perma-

nente subjecto integro, non de subita ejusdem mutatione, quemadmodum hîc invertitur quæstio de vario dæmoniacæ transformationis idolo, uti in capitibus sequentibus ostendo. Aliud enim est, dæmonem corpus aliquod verum assumere, & illud apparere, ac regere ubi & quomodo diabolus volet: aliud est, mali aliquid à diabolo suggeri, quemadmodum peccata multa, & mentem inde vitiari: (nam qui peccat, ex diabolo est, teste Joanne 1. cap. 3.) aliud item, à diabolo obsessum esse: aliud denique est, à dæmone simul & in peccata præcipitari, & ab eodem obsideri. Cæterum quod transfigurationis causam & modum spectat, æquum lectorem censoremque ad utriusque, nimirum Marci & Scalichii, sententiæ exquisitam collationem, & reliquam ejusdem nostri capitis partem, cui & Tritemii opinionem hujus argumenti annexuimus, relego, ut & ad alia loca huc facientia, quæ sparsim in meis libris ob materiæ oblatæ occasionem erunt obvia: quo etiam spectabunt Augustini sententiæ paulo post enarrandæ: prolixior alioqui foret propugnatio, *sed brevis esse laboro.*

§ 13. Toto autem cœlo hîc errare Scalichium, testatur ipsa veritas, commonstrant portentosæ, quibus Satan sæpenumero apparet, idolorum facies, docent luculenter larvæ in ejusdem nostri libri cap. 15. 16. 17. & infinitis aliis locis propositæ. Ubi sub alicujus ante annos multos defuncti forma terret, illiusne mortui corpus verum induisse dæmonem credemus? quod jam conspicitur ut vivum esse solet, quum cadaver illud in terris computruerit, squalidumque fuerit, vel etiam in patibulo aut rota exesum, vel à canibus alicubi dilaniatum. Quid, ubi monachum induerit, *monachine* corpore & cuculla sceleratam vere mentem exornavit satanas? Si hoc valet, fide sua falluntur, qui in Franciscani alicujus cuculla sepulchro mandantur, ut à diaboli machinis securiores sint. Atqui in cujus subjecti specie tentavit Christum diabolus? Si Agrippæ testimonium, quo te affici plurimum in tuis scriptis video, cum symbolicæ doctrinæ magnalia tractas, admiseris, cucullatum illum fuisse, ex picturis tradit in libro de Vanitate scientiar. cap. 25. de statuaria & plastica.

§ 14. Quomodo præterea cohæreant illæ particulæ, transformationis diabolicæ causam esse, subjectorum variorum assumptionem, & diabolum non indigere medio, item in momento subjectum

suæ

suæ actioni & proposito conveniens facere, non video. At ista prosequitur Scalichius: Cum ergo corpus quiescit, non nisi vegetativa potentia utitur. Ah miseram conditionem infantium, in quibus nullus animæ usus præter vegetativam potentiam: spatiatur interim rationalis.

§ 15. Subjungit deinde paulo post: Et si quidem animæ essentia angelis pares sunt, anne subjectum sive mustelæ, sive columbæ, sive hominis, sive alterius cujuspiam rei assumere possunt? Nequaquam, respondeo: & miror ab acutissimo philosopho, & doctissimo scilicet Theologo talia excogitari, proponi & defendi, nisi peculiari privilegio indultum tibi sit decernere quod voles. Animæ siquidem humanæ hanc corporaturam semper expetunt, cui à Deo destinatæ, & non corpus mustelæ. Sequeretur alioqui primùm, unam animam esse & hominis & bruti communem, & informare duo corpora. Non convenit bene institutæ civitati, ut princeps tum proprio, tum cerdonis vehiculo utatur. In suo Pimandro divine Mercurius Trismegistus dicit, aliud corpus quam humanum, non capere animam humanam: neque fas esse, in corpus animæ ratione carentis, animam rationalem corruere: Lege enim divina talem generationem prohiberi, multò minus figura humana exutam in corpora degenerare brutorum: atque hunc impium esse errorem. Si autem veræ mustelæ subjectum veram militis assumpsisse animam præfracte urgeas, cedo ubinam hæc mustela alba, quæ ex militis ore visa est aliis vigilantibus exisse, tam quiete citra ullius motus sensum antea in corpore latuit? per quos meatus milite non excitato eluctata est? œsophagus & arteria aspera viæ ad os communes & solæ, ob angustias neutiquam admittunt, nec rerum natura patitur: ubi item in corpus regressa mansit? redientem enim ad dormientis adhuc ôs patulum videntibus omnibus ingressam fuisse, tradit historia.

§ 16. Atqui rationis fulcimentum, quare animæ tali assumpto subjecto, hominibus appareant, subdis, scilicet, ut ea re aliquid portendant, inquiens, Deo ita volente, vel ut somniantem admoneant. Quæso autem, qua de re hunc militem admonuit hæc mustela induta anima, vel cujus eventus fuit portentum? De nulla siquidem re vera militem admonuisse animam hanc, docet ipsius interrogati responsio. Nam super ferreum pontem flumen non transierat miles, nec difficile & longum iter perpessus. Nec est quod

quod ad animam responsum referas: hoc enim postea negas, animam videlicet non esse prolocutam, sed militem locutum. At sit quod velis, quid inde admonitionis divinæ vel portenti successit? Non est quod longius subterfugias. Hanc mehercule responsionem à Wiero minime expectavit Scalichius: quare si propria ipsius verba sinistre in me dicta, pro genuinæ suæ mustelæ philosophica defensione, in ipsum retorsero, mihi veniam dabit. Quod attinet ad bestiolam similem mustelæ, si ea quæ dicta sunt expendisset, haud dubie hâc de re, & aliis permultis, quorum ibi meminit, longe rectius sensisset, & digito compescuisset labellum.

§ 17. Sed ad instituti confirmationem, alio virum senem trajicere conatur hic jaculo, scilicet: Si ludibrium diaboli fuit ista ,, mustela, quomodo igitur miles fessus & fatigatus fuit? quomodo illa evestigio referre potuit? Qua arte autem hîc evasero, ausculta paulisper. Experrectus miles, num quid in somno passus esset rogatus, respondit, se fessum esse & fatigatum, tanquam ex difficili & longo itinere, &c. Jam nemo diffitebitur, somnorinas imagines sæpenumero ex humoribus & spiritibus hic sibi convenientibus, à diabolo inphantasticis organis excitari, & idolis, quæ exhibere vult, confirmari, sive illa sint suavia, sive terrifica, sive etiam vana: ex quibus revera quoque vel voluptas, vel dolor consequitur, sentiturque inter somniandum, etiam ubi talis species nunquam antea menti fuerit objecta, aut visa vigilanti, vel nullo affectu quis erga talem in mente aut cogitatione ante ductus fuerit, imo ab ejusmodi simulachro vel objecta in somnis actione semper abhorruerit: vulgaria siquidem somnia pro humorum, cogitationum & affectionum dominio naturæ ductu ferè dirigi non ignoro. Sic fit, ut castissimæ vitæ viro (quanquam sanguinis etiam pituitosioris, qui nihil spurci pridem in animo concepit, vel admisit, quem nec vigilantem obscœna suggestione in consensum pertrahere potuit dæmonium) aliquando tamen alicujus fœminæ nunquam visæ, cum qua congrediatur, delectabile obveniat simulachrum in somno, unde tantus voluptatis sensus percipitur, ut cum multa titillatione seminis profusio consequatur. Eadem ratione in aliis turbulenta laboriosaque somnia in phantasiæ organis posse à dæmone inter dormiendum cieri judico, unde & manifesta lassitudo & fatiga-

fatigatio sentitur. Te stabuntur hoc ipsum & eorum somnia, qui incubum morbum patiuntur, quemadmodum lib. III. cap. 18. ostendi.

§ 18. Cæterum ut firmior huic defensioni accedat fides, eximium purioris Theologiæ antistitem Augustinum tibi adducam: Suadent, inquit, dæmones miris & invisibilibus modis per illam subtilitatem suorum corporum, corpora hominum non sentientium penetrando, seque cogitationibus eorum per quædam imaginaria visa miscendo, sive vigilantium, sive dormientium. Item lib. III. de Trinitate: Si corpora ipsa terrena nonnullis artibus & exercitationibus modificata, in spectaculis theatricis tanta miracula exhibent hominibus, ut hi qui nunquam viderunt, talia narrata vix credant: Quid magnum est diabolo & angelis ejus, de corporeis elementis per aëra corpora facere, quæ caro miretur: Aut etiam occultis inspirationibus ad illudendos humanos sensus phantasmata imaginum machinari, quibus vigilantes dormientesve decipiat, vel furrentes exagitet?

Lib. de divinat. dæmonum. c. 3. & 5. item lib. de Spiritu & anima.

§. 19. Idem de spiritu & anima, & legitur in Decretis: Quædam futura prædicunt dæmones, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt & seducunt. Unde quædam mulierculæ post satanam conversæ, dæmonum illusionibns & phantasmatibus seductæ, credunt se & profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum dea, vel cum Herodiade, vel Minerva, vel innumera mulierum multitudine equitare, vel earum jussionibus obtemperare. Quapropter sacerdotes Dei prædicare debent populo, ut noverit hæc falsa omnino: & non à divino, sed maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Ipse namque satanas, qui se transfigurat in angelum lucis, cum mentem cujusque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugarit, ilico se transformat in angelum lucis, in diversarumque formarum species & similitudines, & mentem quam captam tenet, in somnis deludens, per devia quæque deducit. Et quoniam solus hoc patitur spiritus infidelis, nec in animo, sed in corpore evenire opinatur. Quis enim in somnis & nocturnis visionibus non extra seipsum deducitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam vigilando viderit? Idcirco nimis stultus & hebes est, qui hæc omnia quæ in spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur.

Cap. 28. 26. q. 5. Episcopi ex concilio.

Contra Scaligerum, qui transformationis diabolicæ causam statuit subjectorum variorum assumptionem.

§. 20. Et de Civitate Dei libro XVIII. capite 18. Non solum

 animum,

animum ; ſed nec corpus quidem ulla ratione crediderim, dæmonum arte vel poteſtate in membra vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe converti : ſed phantaſticum hominis (quod etiam cogitando, ſive etiam ſomniando per rerum innumerabilium genera variatur, & cum corpus non ſit, corporum tamen ſimiles mira celeritate formas capit, ſopitis aut oppreſſis corporis hominis ſenſibus) ad aliorum ſenſum neſcio quo ineffabili modo figura corporea poſſe perduci, ita ut corpora ipſa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, ſed multo gravius atque vehementius, quam ſomno, ſuis ſenſibus obſervatis : phantaſticum autem illud veluti corporatum, in alicujus animalis effigie appare at ſenſibus alienis, taliſque etiam ſibi homo eſſe videatur, ſicut talis ſibi videri poſſet in ſomnis, & portare onera : quæ onera ſi vera ſunt corpora, portantur à dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora partim jumentorum falſa cernentibus. Reliqua vide in noſtro lib. IV. cap. 22.

„ § 21. Sed ad ſequentia mox Scalichii verba *progrediamur.*
„ Neque propterea, ait, corporeas animas, ut Tertu*llianus*, aſſeri-
„ mus : neque tranſire de corpore in corpus, quatenus animam, ut
„ Pythagoreis aſcribitur : transfigurari autem nemo dubitaverit,
„ hoc eſt, non eſſentiam, ſed figuram, id eſt, externam formam mutari aſſumptione. Sed ne hic quidem quicquam definimus. *Tantum* certe philoſophum hic ſibi in duabus contradicere lineis, nimirum transfigurari nemo dubitaverit, & Ne hic quidem quicquam definimus, tibi condono, calumniæ occaſionem hinc non quæſiturus, licet cum tanta modeſtia in me neutiquam inquiratur.

§ 22. Huc accedit, te hic negare animas de corpore in corpus tranſire, quod de animæ militis in muſtelam transgreſſione affirmaſti. Tu ipſe teipſum judica. Jam denuo circitur duas paginas cum dimidia ex dicto cap. 41. lib. III. Agrippæ de occulta philoſophia tranſcribis, ut Wieri præſtigiæ illuſtriores, uti ſcribis, fiant : ſed quanam fabularum emendicatione, penes benevoli lectoris cenſuram judicium eſto.
„ Videamus, ais, quid apud Saxonem Gram-
„ maticum, Danicæ hiſt. lib. v. annotatum ſit, ſcilicet : Aſuitum
„ quendam & Aſmundum inter ſe communibus votis conjuraſſe,
„ quemnam illorum vita prolixior excepiſſet, mortuo contumulan-
„ dum. Tandem Aſuitus morbo conſumptus, cum cane & equo

ſuo

suo vasto mandantur antro, cum quo & Asmundus ob amicitiæ jusjurandum vivus contumulari sustinuit, cibo quo in longum tempus vesceretur illato. Tandem Ericus Sueciæ rex, eo loci cum exercitu pertransiens, Asuiti tumulum, thesaurum inesse ratus, perfrangens, adaperta specu, eductum Asmundum luci restituit: quem videns tetro oris habitu, funebri tabe obsitum, & profluo ex cruda cicatrice sanguine cruentatum (quippe Asuitus noctibus redivivus, crebra colluctatione lævam illi aurem abruperet) secti vulneris causam referre jussit, quam ille narravit iis versibus:

Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis?
Obsolescit nempe omnis vivus inter mortuos.
Nescio quo Stygii numinis ausu,
Missus ab inferis spiritus Asuit,
Sævis alipedem dentibus edit,
Infandoque canem præbuit ori:
Non contentus equi vel canis esu,
Mox in me rapidos transtulit ungues,
Discissaque gena sustulit aurem.
Hinc laceri vultus horret imago,
Emicat inque fero vulnere sanguis.
Haud impune tamen monstrifer egit:
Nam ferro secui mox caput ejus,
Perfodique nocens stipite corpus.

§ 23. Non dissimile huic legitur in Cretensium annalibus, manes, quos ipsi Catechanas vocant, in corpora remeare solitos, & ad relictas uxores ingredi, libidinemque perficere: ad quod evitandum, & quo amplius uxores non infestent, legibus municipalibus cautum esse, surgentium cor clavo transfigere, totumque cadaver exurere. Miranda proculdubio sunt hæc, ait Agrippa, & opinioni inimica videri possent, nisi fidem facerent & latæ leges, & creditæ antiquitatum historiæ. Hic Scalichius præoccupans, ex suo interserit solennem interrogationem, si quis demonum præstigiis, quicquid id est, asscribere fortassis vellet: At præstigiis diaboli quid clavus ob est?

§ 24. Hic unico verbo lectori æquo & prudenti ex Arist. 1. de Cœlo cap. 6. satisfecero. Fieri nequit, quod non potest esse factum, inquit ille. Num vero in omnibus suis narrationibus sit credendum.

dum Saxoni Grammatico, in similis fidei historia à me confutata demonstravi lib. III. cap. 15. Accedat & testimonium Cardani docti & insignis philosophi, qui post enarrationem de Duffo rege ex Boëthio historiographo repetitam lib. xv. cap. 80. de Varietate rerum, suam subjungit sententiam de quibusdam historiarum scriptoribus in hæc verba: Quæ Boëthius refert, condendæ historiæ haud jucundæ non ignavus author, alliciendi lectores causa conscripsit: ut quos Scythica facta, moresque, tum regionis descriptio non delectarent, fabulæ saltem tædium minuerent. Neque id vitiosum historico: sed ubi historia per se sterilis est, licet eam jocis ac fabulis exornare. Quamobrem & jure ab his T. Livius abstinuit, & Herodotus juste damnatur, & Saxo Grammaticus laudatur.

Lib. 11. hist. Saxonum.

§ 25. Cæterum qui in hanc tecum palæstram progredi, & producta hæc tuorum mysteriorum arma eripere tibi volet, ad primum concides amplexum, cum anilium fabularum fulcris præter mentem, mea quidem opinione, nitaris. Hanc *profecto pertinacem* contra mea scripta, animi insolentiam non *possum non mirari* in tam celebri philosopho & viro principe. Quis leviter veræ philosophiæ rudimentis initiatus, tibi hanc mortui & vivi cum cane & equo contumulationem eo modo peractam consentiat? Quis catechumenus, religionis Christianæ elementis saltem perfunctorie imbutus, Asuiti noctibus redivivi mordacem colluctationem, cum Asmundo fideli amico in specu habitam, affirmare ausit? Quis stolidi sensus spiritum Asuiti (sic enim habet carmen) vel etiam ipsum Asuitum, si ita voles, ab inferis missum, dentibus alipedem canem & equum in sepulchro vorasse, *& amicissimi* lævam avulsisse aurem, deinde caput Asuiti in ea monomachia subterranea abscissum, & corpus ejusdem perfossum crediderit? O quantum est in rebus inane? q[illegible]m credula mens hominum, & arrectæ fabulis aures? Cur quæso Scalichi Pausaniæ testimonium præteriisti, quod eodem loco ex Delphorum interpretibus acceptum, intertexuit Agrippa? Esse videlicet dæmonium „ quoddam infernum, quem Eurynomum dixerunt, qui mortuorum „ carnes absumeret & devoraret, ita ut vix nuda relinquerentur „ ossa. Spiritum aliquem terrestri alimento cibari, & propterea carnes devorare, nemo nisi mentis luxatæ, Pausaniæ, Agrippæ, aut *tibi* concedat. At quis, Deus bone, Delphorum interpretibus fidem derogarit?

§ 26. Si

§ 26. Si insuper tu fidem nobis feceris, mortuorum mânes vel animas in corpora putredine & squalore deformata remeasse, & ad uxores hæc sic ingressa, cum eisdem libidinem exercuisse, necessario hos homines verè revixisse sequetur. Nam ad illius actus perfectionem necessario requiritur verus sanguis, spiritus, caro, nervi, tendines, & reliqua organa huic destinata merè viva: quinimò homo ipse non modo vivus, sed & cujus valetudo non sit omnino labefactata. Si itaque revixerint, & matrimonium concubitu coluerint, contra hos injuria sunt latæ leges: si non revixerint, quorsum in mortuos statutæ leges? quorsum defuncti cor clavo transfigendum? Sed leges ex informatione sinistra promulgatæ, nequaquam parem cum bene constitutis merentur existimationem. Atqui ad historiarum antiquitus creditarum prærogativam confugis. Verum si vetustatis ratione quibusvis narrationibus sit credendum, tibi examinandam non Apuleii metamorphosim, & veras Luciani narrationes, sed Turcarum Alcoranum offero: si & antiquas Christianæ religionis historias requisieris, libros Conformitatum D. Francisci evolvendos addam. Non semper quis scripserit, & quo tempore, sed num vera pronunciarit, inquirendum. At mentis oculos iis hominibus, qui suprà enarratas historias pro veris vendicarint, præstigiis obscuratos esse, jurarit profecto quilibet etiam barbarus. Nihilominus ut fidei pondus eædem sortiantur, ex eodem capite sic institutum prosequi non desinis.

§ 27. Neque demum, inquit idem Agrippa, à Christiana religione alienum est, animas multas ante universæ carnis resurrectionem suis corporibus restitui posse: quin & multos credimus singulari Dei beneficio cum corporibus in gloriam assumptos, multos etiam vivos in infernum descendisse: audivimusque non raro mortuorum corpora è sepulchris per dæmones sublata, procul dubiò non in alium usum, quam incarcerandis torquendisque suis manibus. Verum ad hos corporum carceres & vincula accedunt etiam vilissimorum & teterrimorum locorum habitacula, ubi Ætnei ignes, aquarum ingluvies, fulgurum & tonitruorum concussus, terrarum voragines, atque ubi regio lucis inops, nec radiorum solis capax, ignaraque syderum splendoris, perpetuis tenebris, & noctis specie caligat. Mirum est, cur hîc Homeri vetustissimi Poëtæ versus ad mysteriorum suo-

rum certitudinem firmandam non adjunxerit Scalichius, quos tamen Agrippa post verbum illud Caligat, sic annectit: Quo apud Homerum pervenisse fertur Ulysses, ubi canit:

Cymmerios fama est populos hîc esse, cavernis,
Perpetua nebula, cæcaque caligine mersos,
Quos oriens nunquam, nec cum declinat in undas:
Sol videt, æterna miseri sub nocte premuntur.

Sed Poëtarum testimonia non tantam fidem in mysteriis astruendis mereri, facile noverat Scalichius: propterea ex Agrippa sermonem „ ita perficit: Neque vero omnia illa inanes nugæ sunt, quæ „ de Patricii antro, Vulcani speluncis, Ætneis crateribus, Nur- „ siæ specu, multi memoriæ prodiderunt, atque quæ inibi vide- „ runt & cognoverunt, testati sunt. Narrant siquidem istis majora „ Saxo Grammaticus de Geruthi regia & Ogarthiloci cavo, &c. Reliquam Scalichii narrationem ex Agrippæ verbis de rerum monstris, hîc persequi nolo, ne lectori tædium parem, *& modi limites* transiliat propugnatio satis per se omnibus *jure* cognita & probata. Finita autem verborum Agrippæ repetitione, de- „ cretum promulgat hic noster Scalichius: Exempla illa rem veram testantur. Non certè omnia, quod manifestè demonstravi.

§ 28. Verum ut majorem, non mihi, sed Agrippæ fidem tribuat Scalichius, post consarcinata in suis libris sparsim quam plurima ex Agrippæ libris de Occulta philosophia, non etiam semper detecto auctoris nomine, volui ipsius Agrippæ censuram de suis iisdem libris maturiori ætate editam, ex libro de Vanitate „ scientiarum, cap. 48. de præstigiis, proponere in hæc verba: *De* „ magicis scripsi ego juvenis adhuc, libros tres amplo satis volumi- „ ne, quos De occulta philosophia nuncupavi: in quibus quicquid „ tum per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac „ palinodia recantatum volo: permultum enim temporis & re- „ rum in his vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, „ quod sciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie „ dehortari. Quicunque enim non in veritate, nec in virtute Dei, „ sed in elusione dæmonum, secundum operationem malorum spi- „ rituum, divinare & prophetare præsumunt, & per vanitates ma- „ gicas, exorcismos, incantationes, amatoria, agogima, & cæte- „ ra opera dæmoniaca, & idololatriæ fraudes exercentes, præstigias

Agrippæ censura de suis libris de occulta philosophia.

gias & phantasmata ostentantes mox cessantia, miracula sese operari jactitant, omnes hi cum Iamne & Mambre & Simone Mago æternis ignibus cruciandi destinabuntur. Hactenus Agrippa. Plura in sequenti Apologia.

§ 29. Non contentus vero superioribus in me calumniarum aculeis Scalichius, ad Augustinum inde confugit, recitantem, quomodo Ioannes monachus cuidam religiosissimæ mulieri, eundem impatienter videre cupienti, nocte in somnis apparuerit. Deinde evestigio infert: Quid ad id Wierus, præstigiam ne dicet? Non, inquam. Cur itaq; tu secus ex inani quodam tuæ imaginationis præjudicio, quid ego dicturus sim, statuis? Sed nimio contradicendi studio falleris, & à veritate multum aberras. Tam ex angeli ministerio in somniis potest apparere pio homini forma pii, quam impii species impio, dæmonis opera. At decreto præcipiti præcocique nimis, abs te citra causæ cognitionem condemnor hisce verbis: Errat igitur Wierus: & post denuo gravius. Hactenus me vel minimi quidem errati à te convictum esse non agnosco: & me præstigiis tribuere, quod angelis Dei, &c. tribui debet, quemadmodum & quod hic contra Augustini mentem sentiam, ut scribere non te pudet, id totum tibi pernego. Insimulare & probare semper diversa fuêre. Sed quæ hæc impudentia? quæ nam philosophiæ pars, quodnam juris privilegium eam tibi donavit licentiam, ut & actoris & judicis simul personam sustinere possis? Cæterum num à me errores tui hîc sint detecti, & inconditæ contrarietates tibi velut digito ostensæ, aliorum esto judicium. Errare quidem me posse non diffiteor: sed quod ullum tu mihi erratum vere adhuc commonstraris, minimè fateor. Fortassis æquioribus multo rationibus tuos libros erroribus refertissimos esse, quod in me citra demonstrationem malevole effutis, pronunciabunt alii, qui prius editos tuos ex autographo cum posterioribus contulerint. Atqui in tam erudito philosopho adeo protervam residere calumniandi libidinem, certè dolendum est. Si tam mihi pruriret calamus, suppeteret ocium, & aliena vitia gravius insectari permitteret conscientia, admodum sanè luxuriaret orationis argumentum. Sed frivolis altercationibus longè præstat modestia.

§ 30. Porrò nec alterius te denuò, Scalichi, pudet calumniæ, quam falsò impingis, dum universale pro particulari, aut genus pro specie mihi inique immutas obtrudisque. Si etenim te homi-

nem impudentem dico, non omnes tum homines impudentiæ insimulo, sed te solum. Scribis me lib. 1. cap. 22. dicere, præstigias dæmonum evanuisse, postquam Evangelium neopisti ferventius hominum mentibus insonare cœperunt, ut ne levia quidem ejus vestigia videantur reliqua, &c. Hîc collatis meis verbis innotescat veritas. Ubi in hoc capite nomina diversa dæmonum ex actionis varietate apud Ethnicos, distincta quoque ex officiis apud Latinos, dæmonum inde Poëticorum nomenclaturas, & dæmones familiares explicuissem, tandem argumenti ductu, diaboli quoddam terriculamentum, nostratibus dictum *Sibyllas albas*, annumero, olim mirè apud nos famosas, quæ tamen ardentiori Evangelii prædicatione evanuissent, iis verbis:

» § 31. Ludibria insuper quædam diaboli ad nostra ætatis crepundia, ante doctrinam Evangelii è superstitionum tenebris minus evolutam repurgatamque, in Germaniæ nostræ locis plurimis observabantur, familiaria adeo, ut publicæ lemurum (*albas mulieres & Sibyllas albas vernaculo sermone appellabamus*) *choreæ* hoc vel illo loco celebratæ narrarentur. Eratque hoc larvarum genus apprimè infestum puerperis, & infantibus lactentibus, cunis adhuc inhærentibus. Quod etsi olim erat frequentissimum, cum Satanæ præstigiis nimium tribueretur, Christoque ejus supplantatori, ac nostro patrono unico ignavius adhærerent animi, *diabolo ludente, ridente, variisque artibus, quibus ad se imperitam multitudinem illexerat, impium cultum stabiliente*: tamen post puriorem ferventioremq; Evangelii prædicationem mentibus hominum insonantem, id usque adeo evanuisse, est quod Deo *gratias agamus summas*, ut ne levia quidem ejus vestigia videantur *reliqua*.

§ 32. Jam me cognitioni, observationi & eventui *sisto*. Testimonium mihi perhibebunt nostrates, quotquot unquam de hoc ludibrio Satanico quicquam vel solo aliorum relatu cognoverunt. Sed octavo capite ejusdem libri vatum diabolicorum authoritatem præcipuam mansisse usque ad CHRISTUM æterni Dei filium: eoque nato, & suæ legationis ministerio in terris fungente, desiisse passim in terrarum orbe oracula & quascunque divinationes impias, ex Athanasio, Justino, Augustino, Eusebio, Lactantio, Plutarcho & Plinio ostendi.

§ 33. Scripsi & lib. 1. cap. 1. ex Genes. cap. 1. Deum ante visibilem terrestris globi creationem, prius invisibilem cœli machinam

chinam

chinam condidisse, eamque ornasse angelis divinæ suæ voluntatis futuris ministris. Nullum hac in re meum agnosco errorem, quem tu mihi objicis. Nam in primo secundi capitis Genes. membro, quod corollarium esse præcedentis declarat conjunctio copulativa, habetur, perfectum fuisse cœlum & terram, & omnem exercitum illorum: sub quo exercitu, vel si veterem malis translationem, ornatû comprehendi etiam angelos sentio. Idem mecum censent veteres Theologi, teipso teste: uti Epiphanius lib.II. tomo 2I, item Augustinus quæstione ad Orosium 2I. Junilius in Genesim: sic & Isidorus, Rabanus lib. I. de sermon. proprietate, cap.5. Giselbertus in lib. alter. cap.3. Ansbertus lib.5. cap.12. Lombardus lib.2. dist.2. Multa in sacris literis ex verborum consecutione & locorum collatione erui debent: Quid enim aliud est, scrutari scripturas? Pædobaptismum tu comprobes tam expresso, vel, si potes, clariore testimonio. Quare valeat isthæc tua calumniandi protervia.

§.34. Ut porro insatiabilem hanc concertandi libidinem magis expleas, aliud in me dicis ineptum, & nihil ad rem faciens, nec verum, & confutatione profecto indignum. His autem uteris verbis: Inquit etiam Wierus, magiam diabolicam post diluvium cœ- „
pisse: ego autem putarem, quod cum prima diaboli tentatione „
initium habuerit. Ubi vero Magiæ originem describo lib.III. „
cap.3. Hæc sunt mea in initio verba: Hujus artis originem ab angelis prævaricatoribus deducit apud Clementem Petrus lib.IV. Recogn. Deinde aliorum, puta Plinii & Justini sententiis adductis, subjungo: Zabulum & Zamolxidem in illicitas artes pronos, hanc primos excogitasse, vel potius propagasse, ut à patre diabolo haud dubie natam, ferunt alii. Inspecto itaque libro & verbis meis, inter Scalichium & me judicet æquus Lector: uti & de exorcismis, ubi me Waldensium & Wiclevitarum hæresim imitari, nullo mendacii pudore suffusus, malevole asserit, quanquam secus testentur mea duo integra capita de exorcismis lib.V. cap.37. & 38. Unde & dæmones vaticinari possent, tradidi cap.10. lib. I. Conferantur inde rationes meæ cum Scalichii opinione, atque ut sententia liberè pronuncietur, per me licet. Piget siquidem longioris confutationis adversus objectiones adeo futiles, imo meras calumnias.

§.35. Nunc ad Sibyllas transeat oratio nostra. Ne quæso in- *De Sybillis.*

 dignan-

dignanter feras, quod plerasque Sibyllas Pithiis vatibus annumerarim. Verba tua ista sunt: De Sibyllis, quæ Christi præconia „ celebrarunt, si dicam quod Wierus ait, respondebit mihi Chri- „ stus: Si Satan Satanam ejicit: adversus se divisus est: quomodo „ ergo stabit regnum ejus? Urbano admodum Laconismo citas adversus me tam severam sententiam, quam tamen te more tuo fatali cum multis aliis dictis retractaturum, si pauxillum sistas gressum, confido. Equidem cum de imposturis diabolicis commentabar, argumenti affinitate oportuit digito indicare, quomodo Satan, ut sub prophetico prædictionis veræ prætextu sua mendacia in doctiores ex insidiis etiam spargeret, nonnullas excitarit Sibyllas.

Ortus Sibyllarum incertus.

§ 36. Quo minus autem Sibyllarum omnium auctoritatem acceptare possim, facit primum de ipsarum ortu incertitudo. Prophetarum enim & familia & patria fere, ac ubi & quando vaticinati sunt, explicatur ad stabiliendam oraculorum fidem. *At non* pauca, quæ de variis Sibyllis scribuntur, aut apud fabulosos *leguntur* poëtas, aut etiam ab Ægyptiis habentur, qui penitus idololatriæ inserviebant, & vaticinia dæmoniaca ad Græcos, Romanos & posteritatem divulgarunt. De ipsarum vero origine, & poëticorum parentum diversitate & figmentis, non certe libet me hic esse diffusiorem longioremque, velut & de incertitudine nominum & patriæ.

Sambethe.

§ 37. Ut autem Sambethen omnium primam, aliis Noha patre procreatam, aliis Nohæ nurum (quod mihi non fit verisimile, cum illius sine dubio aliqua in sacris literis extaret mentio, quemadmodum aliorum liberorum Nohæ,) aliis Beroso patre, & Erymante matre natam, ex Babylone profectam, teste Justino philosopho & martyre, prætereanı: cui quoque (licet Erythrææ ab aliis, à plerisque etiam Cumanæ hæc asscribatur) vaticinia de Christo tribuuntur, de regnorum mutationibus, & aliis, quorum fragmenta in Lactantio & Theophilo extant: quæ & Sabbe, Persica, Hebræa & Chaldæa dicta.

In fine libri admonitorii gentium.

Lybica Elissa.

§ 38. Secundo loco Lybica, cognomento Elissa, numeratur, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo: hanc de Græcorum commentis ex Jove & Neptuni filia progenitam, à Lybicis gentibus Sibyllam cognominatam, Pausanias tradidit. Alias haud expressis parentibus ortas non recensebo.

§ 39. De

§ 39. De Erythræa præ aliis celebri nonnihil dicturus sum: eam nimirum ex regione Erythris, velut Græcis quibusdam placet, Delphis natam, Erythræis contra de carminum quæ reliquit sententia, in Coryco monte ab Idæa nympha prognatam, patre Theodoro quodam pastore, contendentibus. Sunt qui filiam Apollinis & Lamiæ esse affirmant, alii Aristocratis & Hidoles. Proprio nomine Hierophilen dictam narrant: ipsa sibi quoque Artemidis nomen in suis carminibus indidit: quandoque se Apollinis sororem, plerunque filiam jactitavit: quibusdam versibus ortam se matre immortali, nimirum una Nympharum, quæ Idam montem possidere credebantur, & patre mortali cecinit, inter quos extant hi: Erythræa

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαῶσα μέσον θνητοῖο, θεᾶς τε
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ σιτοφάγοιο
Μητρόθεν Ἰδογενὴς, πατρὶς δέ μοι ἐστὶν Ἐρυθρὴ
Μάρπησσος μητρὸς ἱερὴ, ποταμὸς δ' Ἀϊδωνεύς.

Hanc alii Siculam vocant, alii Delphicam, alii Sardam, alii Rhodiam, alii Libyssam, alii Samiam, alii Clariam, nominavere. Apollodorus & Suidas tempore belli Trojani vixisse, & Trojæ excidium prædixisse ferunt: Homeri item nugas & Æneæ errores, donec mensas ambederet. Cyrillus eam 9 Olymp. floruisse dicit: Augustinus sub Romulo. De hac ita scribit Hermias Platonicus, non Christianus, super Phædro Platonis: Αὕτη γε ἡ Σίβυλλα ἡ Ἐρυθραία, περὶ ἧς νῦν λέγει, Ἐροφύλη ἐκαλεῖτο ἐξ ἀρχῆς. λέγουσι δὲ αὐτὴν εὐθὺς προσελθοῦσαν προσειπεῖν ἐξ ὀνόματος ἕκαστον καὶ ἔμμετρα φθέγξασθαι, καὶ εἰς βραχὺν χρόνον τέλειον εἶδος ἀνθρώπου λαβεῖν. Hæc ipsa Sibylla Erythræa, de qua nunc loquitur Plato, à principio Erophile vocabatur.

§ 40. Ferunt autem eam continuo, ut edita esset, appellasse unumquemque proprio nomine, versusque numerosos elocutam, brevique in perfectam hominis speciem evasisse. Adolescentula νεωκόρος egit in templo Apollinis Smintheos, & somnia quæ in templo Hecates excubantibus objiciebantur, explicuit. Hujus amore captum Apollinem literarum monumentis proditum est, & ei poscendi quod vellet, arbitrium dedisse. Illa haustis pugillo arenulis, tantundem vitæ proposcit. Id fieri posse respondit Apollo, si Erythræam, in qua habitabat, insulam relinqueret, eandem nunquam revisura. Venit igitur Cumas, ubi defecta viribus, vitam in

in ſola voce retinuit. Quod ubi cives illius cognoviſsent, incertum invidia, an commiſeratione, ei epiſtolam creta antiquo more ſignatam miſerunt. Illa autem viſa terra patria, in mortem reſoluta eſt. Ita vati ſuæ verba dedit Phœbus. Unde nonnulli hanc eſse dicunt, quæ Romana facta conſcripſit, quod incenſo Apollinis templo, inde Romam allati ſunt libri, unde hæc fuerat. Virgil. 6. Æneid.

Olli ſic breviter facta eſt longæva ſacerdos.

Ovidius 14. Metam. fabulam paulo aliter recitat, ubi Sibyllam loquentem inducit his verſibus:

Lux æterna mihi carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas, &c.

§ 41. Si quæ hanc ſecutæ ſunt ordine recenſere vellem, eas omnes non fuiſse imbutas Spiritu S. intelligerent docti & pii, nullius malevolentiæ ſtimulo contra Wierum incitati: ſed non eſt noſtri inſtituti.

Cumana. § 42. Subjungam adhuc Cumæam ſeu Cumanam ex *Cuma, nomine* proprio Amaltheam ſeu Herophilen & Δημὼ *appellatam*, Jovis & Lamiæ Neptuni filiam, quam Virgilius Deiphoben Glauci filiam facit. Hæc novem oraculorum libros dicitur obtuliſse certo pretio regi Romanorum Tarquinio priſco, ac pro eis trecentos poſtulaſse, teſte Lactantio, philippeos: regemque aſpernatum pretii magnitudinem, & deriſiſse mulieris inſaniam: illam in conſpectu regis tres combuſſiſse, ac pro reliquis idem pretium poſtulaſse: Tarquinium multo magis mulierem inſanire putaſse: Quæ denuo tribus aliis exuſtis, cum in eodem pretio perſeveraret, motum eſse regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſse: quorum poſtea numerus ſit auctus, Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus & Italicis & Græcis, præcipue Erythræis, coacti allatique ſunt Romam, cujuſcunque Sibyllæ nomine fuerunt. Et nos, inquit paulo poſt Lactantius, confuſe Sibyllam dicemus, ubi teſtimoniis earum fuerit abutendum. Tres autem illos libros arcæ lapideæ incluſos, ſepoſitoſque in templo Iovis Capitolini loco ſubterraneo, magna cura juſſiſse cuſtodiri Tarquinium, ſcribitur, ubi & aſservatos ajunt ad Cornelium Syllam uſque: quo tempore, cum incendio Capitolium conflagraſset, ſimul perierunt. Suetonius ad Auguſtum uſque manſiſse incolumes, & ſub baſi Palatini Apollinis cum Martiorum vatum & Bagoes Nymphæ carminibus conditos ſtetiſse, auctor eſt. Ad eos quaſi ad oraculum, quindecim

Lactantius, lib. 1. cap 6. de falſa religione.

cim viros adiisse, cum dii immortales publice consulendi essent, narrat Gellius lib. 1. cap. 19.

§ 43. Quis Christianæ mentis, hoc Sibyllæ factum probaverit? Quis eam Spiritus Sancti numine afflatam conscripsisse novem divinorum vaticiniorum libros, & missæ divinitus vati licuisse inusitato pretio illa Spiritus Sancti dona vænundare affirmarit? Cum ea redimere cupiens Simon, illud à Petro responsum tulerit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, qui donum Dei existimasti pecuniis parari. Cum etiam Christus suos discipulos in prædicationis ministerium ablegaret, eisque Spiritus Sancti dona dedisset, potestatem nimirum adversus spiritus impuros, quos ejicerent, & sanarent infirmos, leprosos mundarent, mortuos suscitarent: illud simul mandatum subjunxit: Gratis accepistis, gratis date. Prophetiam vero donum esse Spiritus Sancti, docet Paulus 1 Corinth. 12. Si igitur oraculorum cœlestium mysteria continuerunt novem illa volumina, non temere, sed necessario in mortalium usum divinitus haud dubie promulgata fuere: Quorsum ergo à prophetide ipsa evestigio comburuntur? Ob denegatam postulatæ pecuniæ summam, ob auri ingentis aucupium. En quanta Spiritui Sancto fit injuria? Quam enormis blasphemia? Quid commodi ab illorum exustione accessit? Si veræ prophetiæ fuerint, à multis erroribus, peccatis, & potissimum idololatriæ contagio dehortari & avertere potuissent. Sed ubi exemplum? Ubi ab ullo vate auditum? Libri quidem execrationum comportati ex Pauli prædicatione exurebantur Ephesi: at hoc quid cum illo facinore? Conservari poterant debuerantque libri, si tam absconditum divinæ voluntatis thesaurum, qualem vere propheticum judico, incluserant. Si itaque hæc Sibylla oracula conscripserit, & inauditum postularit pro iis pretium, eoque negato tandem ea flammis perdiderit, illam fuisse Dei spiritu ductam, non mihi fit verisimile: divinitatem & quandam cœlitum societatem nobilissimam Sibyllæ ex fœminis cum Plinio tribuat, cuicumque libuerit: eandem simul apud Græcos Melampodi, apud Romanos Martio ascribat.

Actor. 8. *Matt. 10* *Act. 19.* *Plin. l. 7. cap. 33.*

§ 44. Demonstrata primum Sibyllarum ortus incertitudine, accedit & vaticinandi ratio revera non prophetica, quæ profecto talis est, ut qui divinam dixerit, hunc Spiritui sancto oraculorum certorum authori unico insultare existimarim. Quædam etenim sua

Vaticinandi ratio Sibyllarum.

ſua fundentes vaticinia, furibundos geſtus, deformitatum fœdiſſimarum plenos uſurpaſſe commemorantur. Hoc & Plutarchus non diffitetur in libello, quem inſcripſit, Cur Pythia metricè reſpondere deſierit, inquiens: *σίβυλλα δὲ μαινομένῳ στόματι, καθ' ἡράκλειτον, ἀγέλαστα καὶ ἀκαλλώπιστα, καὶ ἀμύριστα φθεγγομένη, χιλίων ἐτῶν ἐξικνεῖται τῇ φωνῇ διὰ τὸν θεόν.* Sibylla vero, ait, ore furenti, juxta Heraclitum, loquens, incompta, inordinata, irridenda, voce ſua ſuperavit annorum millia Deo afflante. Et hanc fuiſſe mirè celebrem nobilemque Erythræam ob vitam tot annis in ſola voce retentam, ex ſuperiori explicatione manifeſtum eſt. Accedet & Ciceronis teſtimonium 2. de Divinat. Sibyllæ verſus obſervamus, quos illa furens fudiſſe dicitur, quorum interpres nuper falſa quadã hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum quem revera regem habebamus, appellandum quoque eſſe regem, ſi ſalvi eſſe vellemus. Et Virgilius de Cumana loquens, cui mos erat, atteſtante Varrone, in palmarum foliis oracula conſcribere, ſic inquit 3. Æneid.

Inſanum vatem aſpicies, quæ rupe ſub ima
Facta canit, foliiſque notas & nomina mandat.

Sexus Sibyllarum. § 45. Num adhæc in genus fœmineum habenda ſit quæſtio in hac controverſia, iſta videndum occaſione, quod hic ſexus ſit ſimplicior, imbecillior & dicacior, nec ita inſidias & aſtuta conſilia cavere poſſit, & propterea dæmonum fraudibus convenientior obſequentiorque, quemadmodum prolixius libro VI. cap. 6. oſtendi. Ejuſmodi autem organa citius cooptare ſolet milleartifex, cum veris falſa, divinis terrena miſcere ſtudet, futurorum eventuum denunciationes addens, ut avidius cuncta indiſtinctè non ſolum populus novitatum cupidus, ſed & doctiores amplectantur. Quorumdam ſiquidem oraculorum Sibyllarum autoritas inde apud Ethnicos uſqueadeo crevit, ut experiri aliquid, vel incipere, niſi illis prius ſalutatis ac conſultis, haberetur nefas: nam tanquam à Deo cœlitus emiſſa ob prædictiones, quibus interim alia plerunque ad ſtabiliendum idololatriæ gentilitiæ ornatum adhærebant, cenſebantur. Hinc & tantus earum cœtus apud diverſas celebratur gentes, ut verorum Dei prophetarum ab Eccleſia probatorum receptorumque numerò non ſit inferior: librorum autem vatidicorum ſupellectile, ut ſcribitur, longe eoſdem poſt ſe reliquerit. Nec id mirum, cum genuinos ſemper numero vicerint mendaces diaboli vates, quemadmodum liquet ex libro III. Reg. capi-

capite 18. Ubi unico Eliæ Dei prophetæ res fuit cum quadringentis quinquaginta prophetis falsis.

§ 46. Præterea doctrinæ existimationem non immerito elevare debent figmenta de Saturno, Titane, Japeto, Junone, Venere, Dione, Jove, Neptuno, quæ certè mihi spiritum divinum sapere non videntur: eorum tamen meminit Sibylla lib. III. oraculorum. Huc facit & Ciceronis testimonium de Arusp. responsis: Ne hoc quidem tibi in mentem veniebat Sibyllino sacerdoti, hæc sacra majores nostros ex libris vestris expetiisse? Hinc pleraque gentilium sacra ex Sibyllarum scriptis originem traxisse, indubitate constat. Multa item referunt Sibyllarum libri de Christo, Ioanne Baptista & aliis, quæ potius à Græcis transcripta ex Evangelistis, postquam facta fuêre, quam Sibyllarum scriptis prædicta, non temere affirmarit, qui in receptorum vatum prophetiis de eisdem personis & rebus sit versatus. Tam siquidem singula cum omnibus circumstantiis nude & explicite ob oculos in Sibyllinis libris sunt posita & depicta, ut tenebras esse nostrorum prophetarum scripta cum illis collata, quis dixerit. *Sic* evangelistæ justius dicendæ essent, quam vates. Nec parum authoritatis propheticæ derogat Sibyllinis oraculis, quod nusquam in universo novo Testamento, horum vel nominis Sibyllarum meminerit sive Christus, sive apostoli: cum tamen ab iisdem allegentur alii prophetæ expressis nominibus: recenseantur & eorum testimonia passim, quemadmodum Matth. 1. Luc. 1. ex Esai. 7. Matth. 2. ex Ioël. 7. Mich. 5. Oseæ 11. Matth. 3. Lucæ 3. Esai. 40. Matth. 4. Esaiæ 9. Matth. 8. Esai. 53. Matth. 9. Oseæ 6. Matth. 11. Mal. 3. Matth. 12. Esai. 42. Matth. 13. Esai. 6. Psalm. 77. Matth. 15. Marci 7. Esai. 29. Matth. 16. Ionæ 2. Matth. 21. Zach. 9. Esai. 56. Ierem. 7. Psalm. 8. 117. Matth. 24. Marci 13. Dan. 9. Matth. 26. Mar. 14. Zach. 13. Matth. 27. Ps. 12. 22. Marc. 1. Mal. 3. Esa. 40. Actor. 1. Psal. 68. 109. Act. 2. Ioël. 2. Psal. 15. Act. 7. Amos 5. Esa. 66, & aliis ubique multis locis.

Doctrina Sibyllarum.

§ 47. Quod vero Sibyllarum sententias citarunt quidam veteres, idipsum non modo Christianæ religionis homines fecêre, sed & Ethnici. Ita D. Paulus quoque in testimonium vocat poëtam Epimenidem lib. de oraculis, alii ad Callimachum Cyreneum referunt: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri: ad Titum cap 2. & in Act. 17. Aratum Poëtam in Phœnomenis contra Athenienses allegat. Quos præterea Lactantius citat versus de

 Chri-

Christo Sibyllinos, si non falso Sibyllis tribuuntur, cum non leguntur in octo libris Græcis carminum Sibyllinorum, consentaneum est fuisse acceptos à patribus, quibus doctrina de filio Dei illuxerat. Quilibet etenim videtur Sibyllis affinxisse illis temporibus apud Ethnicos, quicquid à sanctis patriarchis, patribus, vel etiam prophetis collectum & scriptum forte ac conservatum reperiretur. Vatidicas interim quasdam etiam fuisse mulieres, *Sibyllas* nuncupatas, quæ vel divino spiritu incitatæ scripserunt quædam, vel à piis majoribus acceperunt, credibile est. Ejusmodi nonnulla producuntur Sibyllarum carmina, patrum doctrinam resipientia: ut sunt quæ cum Decalogo congruunt, de fugiendis idolis, homicidiis, adulteriis, incestis, libidinibus, furtis & mendaciis. Quæ à posteriore ætate neglecta, dicuntur à Phocylide aliqua ex parte collecta esse, & ejus nomine in populo deinde repetita.

Sibylla unde dicta. § 48. Sibyllæ siquidem nomen generale usurparunt *diversæ* mulieres vatidicæ. Suidas ut Romanam vocem *celebrat*, Græci Æolico sermonis genere dictam volunt, ὡς σίυ βυλὼ vel βυλαίαν, quasi Jovis aut Dei consilium vel consiliariam, σιὸς pro Διὸς posito. Sunt & qui Hebræam quærunt originem à Kabala quarundam literarum mutatione, voce à verbo Kibel formata: quemadmodum & Sambethen ex Sem & Iaphet compositam asserunt, & non tam ad personas, quam doctrinam à sanctis patribus acceptam referunt. Anxie autem hac de re disputationem ingredi longiorem nolo: satis est indicasse, quod nostri est instituti, quarundam Sibyllarum oracula à Dei spiritu non promanasse, nec omnes hoc nomine celebres eodem cœlesti spiritu esse agitatas.

Miracula Sibyllarum. § 49. Si earundem miraculis quid hic peculiare asscribendum esse quis contendat: respondeo, iis sæpe aliquid ad idololatriæ ethnicæ, vel alterius infidelitatis confirmationem fuisse mixtum. Extat exemplum in Plinio de Viris illustribus: Annibale, inquit, Italiam devastante, ex responso librorum Sibyllinorum, mater Deum ex Pessimonte accersita, cum adverso Tyberi veheretur, repente in alto stetit.

Vita & mores Sibyllarum. § 50. Si quis vitam & mores spectet cum ad prophetiarum mysteria promulganda selectos semper homines sibi delegerit *Deus*, inculpatorum morum magistros, vitæ innocentia, rerum peritia, spiritu, fervore & animi constantia illustres & prorsus admirabiles:

les: qualem de se ædat confessionem Sibylla in secundo lib. oraculorum, ubi impiorum pœnas, & bonorum præmia prædixit, hic ex Latina translatione subjungam. Ita loquitur:

Eheu me miseram, quid me illo tempore fiet?
Quæ demens omnes peccatis exuperarim,
Nescia conjugii, laudandæ nescia mentis:
Quinetiam, locuples cum vir meus esset, egenos
Ædibus exclusi, fecique nefanda scienter.
Tu me Servator tortoribus eripe diris,
Quamlibet infamem conspurcatique pudoris.

§ 51. Si vaticiniorum multorum fidem contentiosius urgeas, prædictionibus indubitatis me nunquam derogasse dico: sed ob res non sanas hinc inde à plerisque Sibyllis admixtas, recipere cunctas indiscriminatim, nequeo. Eam etenim esse mentiendi artem non ignoras, ut si quis suis vanitatibus fidem conciliare velit, non semper mentiatur, sed quandoque vera interserat. Ita diabolus, etiamsi pater sit mendacii, tamen pronunciavit verum, quando Evæ dixit: Deus novit, quod ipso die, quando comederitis de Genes. 3.
fructu ligni vetiti, aperientur oculi vestri, eritisque sicut dii, bonum & malum scientes. Quando Sauli sub forma defuncti Samue- 1. Reg. 28.
lis evocati, præsagiebat ipsius & filiorum mortem, & castra Israëlitica traditum iri à Domino in manum Palæstinorum postero die: quando Christum testabatur filium esse Dei: quando ex Psalmis Marci 1. Luca 4.
proferebat: Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, Psal. 90.
ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quando ex Pythia Matth. 4. Marci 1.
puella, de Paulo & Barnaba clamitabat: Isti homines servi Dei Luca 4.
excelsissimi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Item illud Act. 16.
ipsius responsum: JESUM novi, & Paulum scio: vos autem qui Act. 19. Matth. 8.
estis? Item: Quid rei nobis tecum est JESU fili Dei altissimi? Venisti huc ad cruciandum nos ante tempus. Non autem mirum est, eundem potuisse futuros prædicere eventus, qui prophetas noverat, qui patriarchas audierat concionantes, qui ante lapsum æternitatis secreta quadantenus noverat, qui aliquot millium annorum experientiam habebat, qui promissiones è patribus intellexerat, qui Adami delictum virginis partu expiari debere facile præsciebat ex omnium promissionum prima in tertio capite Genes. facta, dein ex Esaiæ 53. aliisque locis quampluribus.

§ 52. De Sibyllarum vero oraculis si meam adhuc demonstrationem mordicus recusus, Augustinum Steuchum episcopum Kisamum, abstrusioris doctrinæ authorem non obscurum, nec pœnitendum, postremo adducam, qui post reliquum contra vetitas prædictiones argumentum, de Sibyllis hoc infert decretum: Balaham fuit filiis Israël propheta eo modo, quo Mercurius Trismegistus apud Ægyptios, & Sibyllæ apud alias nationes: qui tametsi vera pleraque cecinerint, idololatræ tamen & dæmonum cultores fuere. Huc accedat quoque F. Sixti Senensis sententia in Bibliotheca sancta: Nominantur, inquit, præter alias celebres Sibyllas & multæ Sibyllæ, Sardica, Rhodia, Sicula, & aliæ plurimæ, quas Ambrosius in Comment. primæ ad Corinth. Autumat malo & improbo spiritu arreptas. Aristoteles vero in 30. sectione Problematum, easdem atræ bilis æstu circa mētis sedem succenso exagitatas demonstrat. Cornelius Tacitus scribit, Augustum, quum suis temporibus multa vana sub nomine Sibyllarum ostenderentur, jussisse, conquisita Samo, Erythra, Ilio, Africa, & per Italicas *colonias carmina* intra certum diem ad præfectum urbis adferri, *& judicium* censuramque quindecim virorum adhiberi, ne haberi privatim liceret, quod jam à majoribus erat cautum. Hæc post quadringentos annos carmina Stilico, Honorii Cæsaris socer, concitaturus in generum sub hujusmodi occasione seditionem, prorsus curavit aboleri. Quod facinus Rutilius Claudius non tacuit, dicens:

Lib. 1. tom. 1. pag. 116.

Nec tantum Geticis grassatus proditór armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.

Sed ne ultra clepsidram, hic receptui cano. Num ego jam princeps Scalichi, tuos errores & præstigias reddiderim illustriores, *quam* tu meas, judicium penes lectorem benevolum esto.

§ 53. Equidem inspecto primum tuæ magnificentiæ scripto, nihil ad hoc respondere decreveram, quæ veritatem in sui propugnationem satis protentem, à meis stare partibus confiderem: verum ne quod fastuosus tituli tui apparatus, præjudicium veritati apud vulgus pareret, atque confidentiam tibi augeret silentii nostri modestia: quin ut & illi, apud quos ante editum tuum Epistemonem, triumphum in Wierum exclamasse videbaris, intelligerent, num tantum mysterii in mentis tuæ aditis foveas, quam fronte polliceris, respondere fuit visum consultius. Forte & malam *nihil* dicendo apud te contradictionis studiosissimum inire potuissem

gra-

gratiam. Jam ex hac collatione magis innotescet alter alteri: unde & Wierum nunc albo tuorum inscriptum iri spero.

Adversus Leonis Suavii calumnias.

QUum bellum ante annos aliquod diabolo ejusque clientelæ in meis libris de Præstigiis dæmonum palam denunciarim, nec temere aut frustra hoc certamen tentarim cum mundi hujus Monarcha, nescio quo meo fato sit factum, ut suscepta inde non infeliciter propugnatione cum principe de la Scala, jam Leonem Gallum peregrinum odiose mihi excitarit opposueritque Rex ille super universos filios superbiæ, noster adversarius, qui ut leo rugiens obambulat, quem devoret inquirens. Enimvero nullo à me irritatus modo, mordicus tamen in me irruit. At quis cum tali Leone congredi auderet, qui tanquam Teucer sub clypeo septemplici, se magnifica & terribili inscriptione ostentat? Ejusmodi certe monstrosa specie neutiquam terreor, nec acceptare cum Leone monomachiæ leges recuso, quippe qui cum primo omnium virulentissimo serpente luctari, aspides & basiliscos oppugnare, atque Leones draconesque conculcare fuerim illæse conatus.

§ 2. Sed age mi Suavi, undenam in me rugiendi tantopere occasionem investigaveris, mihi prius fateri velim, quam in arenam progrediamur: eritne ea, quod Theophrasti Paracelsi patrocinium susceperis, nec Wiero Medico in sua functione cum ipsius paradoxis omnino convenire sentias? Quid igitur dentis Theonini aculeis quoque mordicas præter reliquos, eruditum Paracelsi Germani discipulum, & Chymicæ artis mire peritum Gerardum Dorn, quem natione Germanum in transferendis Paracelsi libris in linguam Latinam, tu Gallus & nostræ linguæ prorsus ignarus, palam calumniarum spinis configere audes? Quod tamen minus videbitur mirum, si id verum est, quod tibi in fauces retorquet Gerardus ille, te nimirum & ipsum criminari Paracelsum, & mendacii insimulare: hocque defendit in Apologia in lucem edita, & libris artificii Chymici adjuncta cum ejuscemodi inscriptione: Veneni quod (nescio quis) Leo Suavius sub J. G. P. velamine latens, in Theophrasticos evomere conatur, proprium in pectus ejus per Gerardum Dorn apologetica retorsio.

§ 3. In

§ 3. In hac profecto errorum & vitiorum, quæ à viro bono quam alienissima esse decet, non accusaris leviter. Ostendit, cum te discipulum Theophrasti, & ejusdem doctrinæ interpretem, & hujus supercilii præsumptione de ea compendium conscripsisse jactites, te nihil minus quam Paracelsi mentem intelligere, & autoritate Gebri non intellecta falsitatis arguisse Theophrastum præceptorem: propterea & laudem ex aliorum contemptu venari asserit, nec progenuino Paracelsi discipulo te agnoscit: sed Chymicæ artis imperitum nuncupat, larvatumque Philosophastrum & Pseudophrastistam. Inter calcinationem & sublimationem, quæ profecto admodum diversæ sunt, non distinguis. Caput mortuum Chymicum interpretaris alembicum, cum massam significet fæcum in fundo retortæ vel cucurbitæ post extractum liquorem relictarum. Tincturas Paracelsi falso nuncupas confectiones, quæ res compositæ sunt, cum illæ sint materiæ simplicissimæ à crassioribus corporibus separatæ, ut facilime penetrent, quemadmodum spiritus. Quid veri tuis insit scholiis, elucescet, si quæ *Paracelsus* de extractione tincturæ auri scribit, legantur. Has *autem literas* I. G. P. mihi explicuit illustrissimus princeps Chabaneus Ioannes Vidammus Carnutensis, philosophiæ abstrusioris indagator solertissimus, & pietatis eximiæ vir, nomenque reddidit, nimirum Ioannes Gorctius Parisiensis.

§ 4. Scribis adhæc, post aurum antimonii tinctura usum fuisse creberrime Paracelsum, ut ipse testatur, in morbis extremis & deploratis: Usurpasse & Laudanum vel Ladanum, quod secretum suum singulare nuncupat: atque à te explicatur, quasi sit velut gummi arboreum, sed è rore. Quanquam hoc ex Medicorum libris transcriptum huc transtuleris, Paracelsus tamen ejusdemque asseclæ nihil minus per Ladanum, quam Medicis vulgo cognitum, significant: sed eximium aliud compositum, cujus & mihi præparatio non est incognita.

Ladanum Paracelsi.

§ 5. In scholiis in cap. 4. de Epilepsia, legitur: Præterea occiput inunctum balsamo Eleniis (lego, de Eleniis, scribis) in vehementissimo paroxysmo: helenium herba est nota, subjungis. Sed helenium vel enulam non hic intellexisse Paracelsum judico, verum potius liquorem ex recenter enascente animalis alces, Germanis elent dicti, cornu extractum, quem & penes me habeo ex Prussia allatum, hicque singulariter laudatum: vel alium ex ejusdem

ungula

ungula in hoc affectu mirè commendata, præparatum, ob nominis affinitatem opinari malo: at nihil in illis nominum tenebris affirmare velim: quanquam etiam non ignorem, quendam Paracelsi discipulum Phedronem suo cuidam libello inscripsisse titulum, Eleenus sive perfecta epilepsiæ curatio. Hæc certe in Leonis gratiam obiter intersero præter institutum, dum in foliis ipsius Compendii Theophrasticæ doctrinæ & scholiorum, vertendis ea fuerunt obvia. Si quidem extra limites nostro certamini, ubi me adorsus es, præscriptos digredi nolo: quanquam ibi rei bene gerendæ campus offeratur: At infructuosæ pugnæ insolentiam aversatur nostra ætas. Verum ex ungue Leonem ut quis cognoscat, ostendere adnitar. Quæ hactenus dixi, eo referenda, ut videatur saltem, unde tam impudens in me dentes stringendi libido incesserit, quum ne à gravissimo quidem medico & subtilissimo philosopho, ut ipse nuncupat, suo ipsius præceptore, quem nec intellexit, nec à doctissimis ejusdem sectatoribus, ut interim alios summos & celeberrimos prætercam viros, abstinuerit: sed in quemvis non ita obvium, at studio quæsitum undiquaque, insilierit. Hæc autem insignis Leonis insolenter furentis protervia magis elucescet, ubi inconditum in me rugitum promulgavero.

§ 6. Mihi inconstantiæ crimen impingis, quod Agrippam aliquando laudem, aliquando non. Hic sane teipsum constituo judicem, quippe qui in tuo libello lucubrationes nostras laude aliqua dignas agnoscis, interim & tuas in easdem criminationes non prætermittis: Hippocratem, Galenum & Avicennam alias honore prosequeris, & quidem non immerito, rursus alio loco cavillarum morsibus impetis. Age vero, tune cuncta Agrippæ scripta erroris nebulis carere affirmas? Vix negare audes: quanquam illius testimonium locis multis sit obvium in adytis tuorum mysteriorum penetrandis, & magnalibus pervestigandis, ex occultæ Philosophiæ libris. At de hoc suo magiæ abditioris scripto, cujus tu fidem tantopere prædicas & amplecteris, quid ille ipse sentiat, ex præfatione in eosdem libros ad Lectorem accipe: Quod si quæ repereritis, ait, quæ vobis non placeant, mittite illa, nec utimini: nam & ego vobis illa non probo, sed narro. Fateor præterea, magiam ipsam multa supervacanea, & ad ostentationem curiosa docere prodigia: simul hæc ut vana relinquite. Item multa insuper Platonicorum cæterorumque gentilium philosophorum placita

cita secuti sumus, ubi instituto nostro scribendi suggerebant argumentum: ideo si alicubi erratum sit, sive quid liberius dictum, ignoscite adolescentiæ nostræ, qui minor quam adolescens hoc Opus composui, ut possim me excusare, & dicere: Dum eram parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus: factus autem vir, evacuavi ea quæ erant parvuli: & in libro nostro de Vanitate ac incertitudine scientiarum hunc librum magna ex parte retractavi. Et in fine: Quapropter iterum nunc quæso te candide lector, ne de præsenti tempore editionis ista libres: sed veniam des curiosæ juventuti, si quid forte secus quam placeat, in istis deprehendes. Hactenus Agrippa.

§ 7. Palinodiæ autem verba ex dicto libro de Vanitate scientiarum leges in priori mea Apologia adversus Paulum Scalichium. Qua nunc audacia à me probabitur, quod ab ipso retractatum est auctore? Injuriarum actionem in me jure instituendam mererer, si secus, quam auctor ipse vult, testarer. Atqui tantum abest, ut ad ullius cavillationis Agrippæ occasionem hæc ex *eodem repetam*, quo etiam ad ipsius laudes, quas extra *controversiam meretur* maximas, hoc subjungendum ratus fuerim, quippe qui curiosæ juventutis haud leve exercitium, nec ingenii vulgaris egregium specimen ostenderit: & ipse Tritemii, ut ais, discipulus, conscius de suis studiis in ætate maturiori, ubi judicium *accrevit*, libere fateatur quod res est, & quantum ejusmodi narrationibus & mysteriis sit tribuendum fidei, ingenuè explicet, & candide præmoneat. Et certè nota est non obscura philosophi haud præfracti in propugnanda opinione semel evulgata, velut *irrevocabili* decreto, sed integerrimi, ac viri sane pii & vere *Christiani*. Nec deest exemplum tum apud alios, tum ipsum Augustinum, qui sibi in suis amplissimis scriptis credi non vult, si quæ doctrinæ Apostolicæ minus consentanea deprehendantur, & quem propterea etiam Retractationum libros conscripsisse non puduit.

§ 8. Verum qua fronte tu fallaciter, me in Agrippa magiam probare, & assentationis meæ ratione dixisse, quartum de occulta philosophia librum falsò ejusdem manibus inscriptum esse, effari audes? Ubinam hoc probavi, ubinam assentatus sum? Nónne te tui, mendacisque linguæ pudet? Non autem hic est, quod me magnopere torqueam, ut à tuis vindicer unguibus, cum & hunc

hunc nostrum præceptorem crassè nimis præter Gallorum morem falsitatis arguas, iis verbis: Una quæque pars auri aurum est, quamvis spiritum quendam ejus extensinum extraxisse de massa, falsò Cornelius Agrippa glorietur. Adhæc quartum illum de Occulta philosophia librum Cornelii Agrippæ, furtim arreptum esse ex novissimo Razielis asseris in scholiis lib. IV. de Vita longa Theophrasti Paracelsi. Quem hîc animo parum ingenuo falsi redarguis, ejusdem testimoniis passim tuum exornas Compendium, quinimò & hoc elogio eum dignaris, suppresso tamen Agrippæ nomine (ne cujusdam prærogativæ merito illi id, quod Tritemio malis, tribuere videreris) ut in eam arduæ tuæ doctrinæ assertionem, Magi nuncupatione eundem cites iis verbis in Scholiis in Paracels. cap. 4. Quidam magus hæc: In nobis ipsis est omnium mirabilium effectuum operator:

Nos habitat, non tartara, sed nec sydera cœli:
Spiritus in nobis qui viget, ista facit.

Is est qui protestatus est se libros edere magicos, clave tamen operis solis amicis reservata. Hæc Agrippæ sunt verba in epistola ad Aurelium ab Aquapendente Augustinianum, adjuncta calci librorum de Occulta philosophia, in sequenti epistola ad eundem dicit, Clavem esse intellectum, &c.

§ 9. Antea me inconstantiæ insimulare, quod Agrippæ placitis haud semper consenserim, non erubuisti: quæ autem hæc tua insignis impudentia, quod tuæ temeritatis privilegium, cum à teipso hoc factum sine ullius modestiæ aut reverentiæ momento, ostenderim? quid de teipso præsumis? qualem te habebunt viri boni? An ne qui semel verecundiæ limites excessit, eum graviter oportet esse in omnes impudentem? Jam te meminisse oportuit, mendacem sui memorem esse debere, quod tu petulanter & falsò mihi objicis. Verum quicquid id est, non alio interpretari possum, quam quod ex insolentia juvenilis audaciæ te protervum auguror, maximè etiam ex tuæ orationis spurcitie in fine tuorum scholiorum in Paracelsum; ubi magnetis carnei, non ferrei, ad facilitandum partum coxendici alligandi prædicas usum: quamquam tuam ætatem ignorem, quæ tamen ubi maturitatis dignitatem fuerit consecuta, haud dubie modestius deliberatiusque (ut sperare volo) de viris bonis judicabit, nec eam calami freno libertatem permittet. At nullius magis testimonium in me urges,

quam Agrippæ, in Tritemii defensione, in quem me tanto *furore* debacchatum esse, & ejusdem memoriam esse execrabilem, *mihi* inique offundis: eaque præter veritatem à te scripta esse, repulsa maledicentiæ tuæ virulentia in tuas Leoninas fauces, ostendam meis verbis ex lib.2. cap.6. Quum fere nullam alias Tritemii mentionem fecerim: „ Steganographiæ Joannis Tritemii abbatis Spanheimensis in hæc verba meminit Carolus Bovillus, &c. *Et post* recitata Bovilli verba, subjunxi: Quem tamen mendacii & impietatis accusat Tritemius, se purgans in præfatione libri Polygraphiæ ad Maximilianum Imperatorem.

§ 10. Si hic solum addidero, Secus res ipsa docebit legentem eosdem accurate: num hoc est furere, debacchari, & memoriam alterius execrari? Unde hic nobis momus, unde hic petulcus interpres? Num quid sit, quod in quæstionem non immerito vocari debeat ex Steganographia, prudenti lectori, ipsius Suavii verba proponam ex scholiis in cap.10. de Vulneribus lib.11. Paracelsi: „ Ratio est, inquit, certissima, quæ nihil significent voces, *nullius* esse momenti aut ponderis: sed barbara quidem *verba fatebor* non esse nobis immutanda. Ideo Tritemius jubet in Steganographia, post jusjurandum à discipulo exactum, magistrum illi conjurationum formulas explicare, quæ videntur verbis omnino barbaris, vel potius nihil omnino significantibus esse *conceptæ*. Atque me Agrippæ testimonium de Tritemio audire vis, ex præfatione & epistola dedicatoria, quod nimirum suos de occulta philosophia libros, quos se magna ex parte retractasse ipse scribit, ut paulo ante monstravi, examini subjecerit Tritemii, viri harum rerum plenissimam peritiam tenentis, ut eosdem castigaret, *censeret*, & judicaret, &c. Huic Agrippæ instituto & opinioni de Tritemio conceptæ, à me non est contraitum: & ut alii, & tu quoque illi amplius, quemadmodum facis, asscribere satagatis, per me quidem licet, nec ea de re præter meum scopum, anxius ero. Verum quum tanti facis Agrippæ sententiam de Tritemio, quem pluris æstimas, vicissim auribus percipe hujus judicium de Agrippa, & ejusdem libris absque ulla exceptione, in suo responso: Ipsum videlicet à divinitate ingenio donatum esse & *amplo* & sublimi, asserit: Et lumen veræ sapientiæ, quo maxime & divinitius illustratur, etiam ut ignorantibus demonstraret, hortatur: *Secreta* pulchre & vere ab ipso in lucem prolata esse ait: Et opus hoc, quod

In epistola præfixa libris de occulta philosophia Agrippæ.

quod nemo doctissimorum etiam virorum satis laudare sufficiet, se probare, &c. Longior esse nolo in recitandis Ttitemii verbis.

§ 11. Hic non est quod tergiverseris: At fatearis necesse est, universum illud opus de occulta philosophia à Tritemio esse approbatum, cujus palinodiam ab ipso auctore in provectiori ætate promulgatam, candide supra commonstravi, in quo & à me quædam sunt ab orthodoxæ nostræ fidei sanctionibus aliena, in præcedentibus scriptis ostensa: Et te nescio quid falsi eidem impingere, paulo ante indicavi. At Agrippæ testimonium in epistola nuncupatoria de Tritemio tibi dono ea conditione, ut præcedentem in ejusdem epistolæ contextu sententiam Agrippæ non rejicias, cui nec ipse Tritemius contradixit, sed eodem decreto, quo totum opus suo confirmavit suffragio, & scriptus eidem de hoc labore epistolæ tenor est sancitus. Cujus hæc sunt verba: Mirabar admodum, neque minus etiam indignabar, neminem hactenus extitisse, qui tam sublimem sacramque disciplinam ab impietatis crimine vindicasset, aut illam nobis purè syncereque tradidisset: si quidem quos ex recentioribus ego vidi, Rogerium Bachonen, Robertum Anglicum, Petrum Aponum, Albertum Teutonicum, Arnoldum de Villa nova, Anselmum Parmensem, Picatricem Hispanum, Cicchum Asculum Florentinum, & plerosque alios, sed obscuri nominis scriptores, cum se magiam tradere pollicentur, non nisi aut deliramenta quædam nulla ratione subnixa, aut superstitiones probis omnibus indignas præstiterunt.

§ 12. Tu vero in tua præfatione in scholia, scribis, ex novissimis philosophis sapientiam occultam olfecisse Alchindum Arabem, Rogerium Bachonen Anglum, & Gulielmum Parisiensem, eosque tantum filiis doctrinæ scripsisse. De Bachone Rogerio tradit & Picus Mirandulanus insignis Philosophus in oratione quadam, ubi de magia edisserit, veram magiam ipsum olfecisse saltem. Dum autem omnibus longioris ævi tam philosophis, quam etiam incomparabilis scientiæ archiatris præferre studes Theophrastum Paracelsum, & immenso laudum cumulo in abstrusioris Philosophiæ mysteriis, & arcanarum medicinarum magnalibus ornare, circa tui Compendii initium, ex Rogerio Bachone Anglo hunc Paracelsum quamplurima hausisse videri asseris, & cum eodem in omnibus reconditarum rerum opinionibus maxime convenire. Conferantur jam calculi ex epistola à Tritemio probata, ex

insigni Philosopho Pico, & tuus: inde sententia pronuncietur, qualis sit philosophus, quem Paracelsus habuit præceptorem, & cum quo illi in cunctis sepultarum rerum opinionibus convenit. Jam te denuo tui esse memorem optarim, nec pudore suffusum elabi. Me Paracelsi librum quendam damnasse objicis, nec hoc agnosco (quanquam etiamsi fecissem, non magni referret:) sed me insignem impotentis animi maledicentiam contra veteres medicos in eo reprehendisse fateor, cujus necdum me pœnitet. Verum contra eundem peculiare aggredi certamen, non est nostri instituti, essetque hoc actum agere.

Thomæ Erasti doctissima in Paracelsum scripta.

§ 13. Tibi autem Leo Suavi, cum ad monomachiæ conflictum in Paracelsi protectionem nimis pruriant unguiculi, cum doctissimo exercitatissimoque in hoc belligerandi genere Thoma Erasto philosopho, & antiquæ medicinæ patrono multis nominibus laudatissimo congredere, si quid veræ philosophiæ, quid artis medicæ, quid animi aut virium in te resideat. Ille aperto marte ex professo Paracelsum aggreditur quatuor partibus *disputationum* de nova ejusdem medicina jam evulgatis: in *quarum prima*, quæ de remediis superstitiosis & curationibus magicis ille prodidit, exacte ad bilancem examinantur: Deinde quæ & qualis philosophia ejus fuerit, erudite consideratur. Posthæc medica examinantur, primum generatim: Mox etiam speciatim aliquot morborum causæ, origines, conditiones, curationesque expenduntur: Et ut apertius intelligas, epilepsiæ, elephantiasis seu lepræ, hydropis, podagræ & colici doloris vera curandi ratio demonstratur, & Paracelsica solidissime confutatur. Hanc stationem validorum præsidiorum robore tutatur strenue adversus *tuum* medicinæ Monarcham Erastus: cum hoc experire tuas furibundas fauces, tentato dentium tuorum vires, probato pestilentem unguium aciem. Mihi hoc incumbit, ut cum mundi monarcha Satana nuncupato, prælium designatum preficere contendam. Ita uterque nostrum habet, quod vigilanter agat.

§ 14. Sed ad characteristica progrediamur, quæ solum inconditarum calumniarum rugitu, vocis Stentoreæ strepitu, verborum inutilium fulmine, accitorum hinc inde quorundam patrocinio, sine ullius rationis adminiculo per fas & nefas mordicus defendere adniteris: Mire hic quandoque exclamas, fremis horride, criminaris iracunde, frendes torve, mordicas violenter,

ter, at illæse, truculenter lacerare tentas, licet frustra: Interim tamen phaleratis dictis & verborum lenociniis non parum tibi places, & orationis copia impense, ne dicam stulte, gloriaris. Veritatis patrocinium decet esse simplex, dilucidum & modestum. Quorsum tam dira animi impotentia, tam inanis arrogantia, & tantus aliorum contemptus? Quorsum odiosæ comparationes & calumniarum acervus? Equidem mirarer magis tuum concertandi cavillandique studium, nisi ad hoc te natum vel sola mihi nominis tui cum antiphrastica cognominatione impositio declararet.

§ 15. Cæterum quæ characteristica à te appellata ad doctrinæ Paracelsicæ magnalia (qua voce sibi mire vestri homines placent) illustranda usurpas, & quos in iis protegendis authores simul advocas, ex cap. 8. & 18. Nostri libri quinti descripsisti, ita ut non præterieris hax pax max Deus adimax: Quinimo ex eodem in tuorum mysteriorum penetralibus simul addideris, vocibus eisdem exaratum pomum à nobili contra canis rabidi morsus devorandum dari. At corruptas hauddubie esse voces, nemo in quæstionem vocabit, ubi rationis trutinam admovero. Nobilis ille linguæ Latinæ imperitus, in schedula forte conscripta reperit contra talem virulentum morsum hæc verba, immixtis, ut fieri solet in curationibus ejusmodi superstitiosis, passim crucibus: Hoc † po † mo † Deus adjuvet †. Inde tam fere lectionis, quam linguæ ignarus, literam x esse ob affinitatem ratus cruces, confidenter vitiatas voces, eo artificio mysticas jam redditas, pomo impressit: Quæ ex Suavii scriptis jam plus existimationis sortientur, mobilitate vigebunt, & vires acquirent eundo. Inde restat, ait Suavius, quod Wierus in Paracelsi contumeliam scripsit, domum à lemuribus turbatam illius asseclas liberare suspensis in quatuor angulis, membranis virgineis verba sacra continentibus. Deinde addit in medicorum ludibrium: Si eodem modo suæ artis statuunt principia, quo hanc commenti sunt curationem, non est quod veterem medicinam eversum iri metuamus.

§ 16. Quæ hic, benevole Lector, in nostræ artis medicæ laudem & honorem vere scripsi contra Paracelsi ejusque satellitii calumnias, ubi tam ineptus dæmonis fugandi modus ab illis præscribitur, impudentissimus hic Paracelsi interpres ludibrium esse contendit. Quo autem rationis firmamento illorum hic

hic deliria rejecerim, ex cap. 14. libri quinti intelliges: brevitati siquidem studeo. Num quoque contumeliæ in Paracelsum reus censeri debeam, licet nec id magnopere curem, quod ejusdem discipulos verbis rei propositæ inidoneis omnino, domum à lemuribus inquietam vendicare scripserim (nisi contumeliam mox Leo pronunciet, à Paraselsi ejusdemque factionis placitis dissentire, manumque veritati porrigere) alii judicent. Rationibus & patrum suffragiis in ipsius veritatis patrocinium, talem abigendi dæmonis modum esse supervacaneum, demonstravi, ac ea in sententia immotus persisto, donec me rectius instructum cedere deceat oporteatque. Quod in suæ superstitionis assertionem subjungat, à Chaldæis dici, plus posse characteres & figuras, quam materialem quamcunque qualitatem: id quidem Chaldæis liceat, verum occlamabunt omnes Physici vere philosophantes, & Christianæ fidei mysteriis imbuti, quinimo ipsa veritas, & ordo naturæ divinitus à rerum primordiis institutus. At hæc tua præsidiorum effugia eo machinarum robore oppugnavi demolitusque *sum*, *ut deditionis* jugum facile etiam cum gratiarum actione *sis una cum* tuo comitatu admissurus: licet nonnihil obstrepueris hactenus, quasi negare auderem novissimos, ut ais, philosophos illos: quos tamen expressis nominibus deliramenta quædam nulla ratione firmata, & superstitiones probis omnibus indignas magiæ loco obtulisse, ex Agrippæ assertione ad Tritemium, luculenter supra ostendi. Ad hos ut præcipuas adytuum tuorum columnas denuo hic confugis, horum antistitum opem imploras, eos interim execratus diris verbis, qui iisdem non consentiunt, me miserum exclamans, quod contra talium opiniones characteristica negem. Imo negavi, & adhuc pernego, donec rationum solidioribus munimentis, vel sacrosanctæ Scripturæ testimoniis aliter convincar, alioquin in suscepta hac opinione perseveraturus.

Lib. V. cap. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

§ 17. Rationis privilegium, dignitatem & prærogativam in rebus Physicis, cujuscunque auctoris existimationi, atque universæ antiquitatis majestati me præferre, inficiari nolo. Ab illa me transversum minime trahet insolens fremitus, aut vesanæ calumniæ, quarum tu zelo ductus me Augustinum etiam criminari occlamas. Ubi vero se ex creberrima fama scribere, nec quicquam temere diffinire velle de dæmonibus assidue cum mulieribus immunditiem tentantibus dicit: Hic si à me subjunctum fuerit, quæ rumore acce-

acceperat, narrasse ipsum, & nihil certi statuere voluisse, est ne hoc criminari Augustinum? quem singulari elogio, uti meretur, celebravi lib. II. cap. 10. Ubi argutissimum sanctioris Theologiæ censorem illum nuncupo: quanquam nec ipse sibi, ubi cum sacræ Scripturæ manifesta veritate non convenit, credi vult. Nec certe in naturalium rerum controversia, illi extra rationis limites est accedendum applaudendumve: Quinimo & ipse, ut ante dixi, Retractationum libros confecit. Galeni item, quem magni facio, ut si quis alius, testimonium contra me urgeri ab eo qui levius quam par est, de eodem sentit, admirarer profecto, nisi quo spiritu ducaris, persentiscerem: sed nec adeo illius authoritati, quam sententiæ rationibus munite standum sentio. Amicus enim & Plato, & Socrates, sed tamen amicior mihi veritas. Non itaque nares ringere Suavium tantopere decuit, si à Paracelso atque aliis, tam justis motus causis, quandoque digredior.

§ 18. Historias præterea vetustatis præjudicio & authoritate confirmatas non in omnibus semper à me commendari agnosco: Quemadmodum si quæ in iis deprehenduntur, quæ vel sacratissimæ fidei nostræ sunt adversa, vel ipsa rerum natura minime patitur: Cujusmodi est, quod à plerisque narratur, dæmonem vere cum fœminis coire, atque ex tali congressu prolem gigni: Quod argumentum tam nervose à me confutatum est lib. III. cap. 27. 28. 29. & 30. tum & lib. VI. cap. 22. Ut repetitionem fore supervacaneam arbitrer.

§ 19. Si Hectori Boëthio, qui in historia Scotica antiquitatis laudem non meretur, in talibus & similibus commentis, vel ex aliorum relatu, vel ex schedulis forte alicubi conscriptis, fidem dari voles, nescio cuinam vanissimæ narrationi tu eam jure derogabis. Si quoque evidentioribus tuæ philosophiæ rationibus sapientiam fœlicitatemque consequi aliquem ex pulmenti esu, cui sanies ex serpentum ore defluens fuerit mixta, quemadmodum narrat Saxo Grammaticus, commonstraveris, quum à me sit negatum, in vestra transgredi castra non me pudebit. Hujusmodi siquidem absurditatum monstris apud historicos inventis, quibus & bellum indixi, patrocinari studes: sed eam senserunt cladem lib. III. cap. 15. ut non recalcitratura posthac existimem. Delectu certe opus est in tanta historicorum varietate, si

Lib. 3. cap 30.

operam & bonas perdere horas nolis. Enimvero sunt qui *nihil* aliud agunt quam ludunt, & aures animosque otiosos demulcent adductis tantum ad hoc narratiunculis: quales sunt Heliodorus & Philostratus, & his vetustiores, nihilo tamen graviores, Herodotus & Ctesias, ob nimiam mendaciorum licentiam obliterati dudum, in quibus nix quicquam præter facundiam laudes.

§ 20. Si adhuc illiusmodi narrationum fidem urgeas, *patrocinari* non erubesces etiam quæ mendacissima proximo anno comperi, typis nihilominus Coloniæ excusa anno 1572. & scripta à Iusto Blancwalt Theologiæ Licentiato, nimirum statim ab horrenda clade in nuptiis Lutetianis anno 1572. Augusti die 24. perpetrata, in Innocentium cœmiterio Lutetiæ paliurum vel spinosam arbusculam, annos aliquot exuccam aridamque denuo effloruisse, foliaque simul & flores profudisse, quemadmodum & siccam arborem, cui Christum per mare gestans innitebatur divus Christophorus, incunctanter dactylos produxisse. Subjungit tandem is historicus Theologus, ut fidem suis historiis *conciliaret, circa* Embricam civitatem Clivensem in Observantum monasterio haud ita pridem imaginem D. Anthonii à pellione iis verbis conculcatam: Si quid in te est virium Anthoni, ostende. Et evestigio ignem è cœlo delapsum eousque ipsius inflammasse tibiam, ut intra triduum perierit, nec ad sepulturam, nisi extra oppidum, fuerit admissus.

§ 21. Quum autem proximè in nostra vicinia sit hæc urbs sita, in qua etiam quam frequentissime verser, figmentum esse certo certius novi, quod tamen veritatis fidem apud *posteros* superstitionis amantiores sortietur. Cæterum quod me novas approbare historias, quæ meæ suffragantur sententiæ, eo veritatis prætextu, quo reliqua, exprobras: quanquam à me hoc facile possit dilui, nimirum, quod pleræque à me non ita in cunctis approbentur, quam aliquando ea adducantur ratione ob argumenti affinitatem, ut etiam alios meæ esse sententiæ innotescat: tamen te quoque jam tertio hic tui meminisse deceret, & intelligere, in teipsum merito hanc cudi fabam, qui alio inique torques, *cujus* te reum esse fatearis oportet, velis nolis. In scholiis siquidem libri IV. de Vita longa scribis: Si qui pravitatis suspecti scriptores *quando*que nominentur (citentur dicere volebas) ab aliis bona *captari* velim,

velim, mala repudiari, ut Virgilius aurum è stercore legisse perhibetur. Cur mihi minus quam tibi hujus licentiæ privilegio frui concedetur? Hinc & Olaum me probare, quem saltem nominavi, calumniis & verborum inanitate commentum te esse, mihi testimonium perhibebit mea de eo sententia, lib. 2. cap. 7. Recitatis etenim prius ipsius verbis, mox subdo: Multa alia ejusmodi maleficorum opera enarrat Olaus impudenter satis in ejusdem libri capitibus diversis, quæ profecto non semper fidem merentur. Proinde in iis recensendis brevior esse volui.

§ 22. Quod insuper plerasque Sibyllas spiritu cœlesti afflatas fuisse negaverim, mirum quam indignanter excandueris, ut etiam ingenii ruditatem hîc mihi objicere libuerit. Verum si tu meam de Sibyllis sententiam, adversus te simul in præcedenti Apologia explicatam, tui ingenii subtilitate confutaveris, tuæ futilitati (subtilitati dixisse volebam) libenter, ô magister noster subtilis, cedam.

§ 23. Adversus item magiam naturalem clausis me ferri oculis, tantum abest ut agnoscam (quanquam & hoc mendaciter, ut soles, impingis) quo etiam eandem debito suo celebrarim encomio. Testimonio erunt mea hæc verba ex lib. 11. cap. 3. Penitissima illa naturalium rerum abstrusarum speculatio & cognitio, vera nimirum philosophia sanctiorque magia, à sapientibus solenni plausu excipienda colendaque, à me hîc non elevatur, cui etiam nulla ex parte derogatum volo, &c.

§ 24. Physicis ligaturis tantum abest ut abhorream, uti tu malevole clamitas, qui etiam tuas ex libri mei 5. cap. 6. transscripseris, ut eas etiam valde probem capite sequenti. Interim tamen me à periaptorum nulla ratione mixorum vanitate alienum tantisper fatebor, donec aliter saniori doctrina erudiar. Enimvero ea etiam detestatur execraturque, licet & sacris insignita sint verbis, os illud sincerioris nostræ fidei aureum: Dic, inquiens, sacerdos insipiens, nónne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur, & auditur *Chrysost. homil. 43. in cap. Matt. 23.* ab omnibus? cui ergo in auribus posita Evangelia nihil prosunt, quomodo possunt circa collum suspensa servare? &c. De his copiosius libro v. capite 8. & 9.

§ 25. A Tralliano, Aëtio, Gordonio, medicis à me citatis dissentire me in periaptis, quum tam indignanter & acerbe feras, quare tu iisdem in aliis curationibus legitimis, ubi à me illis tribui

 tur

tur, non parum, fidem cum Paracelſo denegas? Meam potius in ferenda ſententia æquitatem commendare debebas, qui in ſolius veritatis fidem juraverim, rationique dederim manum.

§ 26. Vegetii ſuffitum ad faſcinum tollendum, dæmones fugandos, & grandinem inhibendum, te in meam contumeliam quoque repetere, non alio interpretari queo, quam à te alicubi cauſam ſingulari affectu contradicendi Wiero inquiri, vel potius emendicari. Hujus ſiquidem controverſiæ, num ſcilicet ex materia naturali talis ſuffimenti conſcripta lib. noſtro v. cap. 41. valeant luſtrari animalia, faſcinum abigi, arceri maligni ſpiritus, grandines averti, cujuſcunque ſapientis & pii æquo arbitra tui committere neutiquam gravor: quinimò ut extrema mox experiar, ad ipſam provoco experientiam, certiſſimum noſtræ diſſenſionis judicem.

§ 27. Quod præterea dæmones habere corpus ſeminis capax, & eudæmonas nephelim, id eſt, filios Dei cum filiabus hominum copulatos, peperiſſe gygantes intelligas, aliorum auctoritatem ſecutus, ſine ullius demonſtrationis adminiculo, blaſ*phemia eſt maxima*: quod etſi impio auſu contra me in cœleſtium angelorum contemptum defendere non erubeſcis, nihilominus tam eſſe vanum quam quod vaniſſimum, ingenue & libere contra cujuſcunque ſecus affirmantis patrocinium affirmo: aliter perſuadeat ſuæ clientelæ ipſe Beelzebub, atque ſuum dementet ſatellitium ut ut volet. *In ſeminis* ſi quidem humani genimine, & ad ſobolis propagationem requiruntur cumprimis materia & organa convenientia: nimirum alimentum, unde caloris naturalis actione ſanguis generatur in corpore & ſpiritus: inde penis & teſticuli ex carne, venis, arteriis, nervis, ſanguine & ſpiritu compoſiti, & ſi quæ alia huic productioni neceſſaria, requiruntur.

§ 28. Ubi jam tu Suavi iis omnibus conſtare dæmones comprobaveris, quod etiamſi terræ cœlum miſceas, omnino nequis, clamites, fremas, frendas, rugias, mordices quomodocunque libuerit: me facilè in tuæ philoſophiæ carceres traduci ſinam. At validiora erunt perveſtiganda præſidia, quam ex jejuno Georgii Pictorii ſcripto de materiis ſublunaribus mendicate obtrudis, ubi hic ſcilicet pronunciat ſuæ exiſtimationis prærogativa, Lamias à dæmonibus iniri & parare. Euge, ipſe dixit & facta ſunt, *ipſe* creavit & creata ſunt. An ne Pythagoricorum illud αὐτὸς ἔφα Pictorio tribuis? Pictorii nomen unde tanti à te fit, qui ne Cardani quidem

dem philosophi haud vulgaris, uti & quorundam aliorum non obscurorum virorum mentionem à me tuleris? At tua maledicendi, criminandi & calumniandi libertate fruere, quamdiu voles, quum tibi connatum esse videatur: à me posthac fortassis non impedieris. Quid à meis sis expectaturus manibus, me in cœlestis contubernii communionem ex Dei gratia per sanguinis Christi aspersionem sublato, experieris, nisi ad mentem redeas, & alios dentibus tuis virulentis impetere desinas.

§ 29. Conversionem adhæc Arcadum in lupos transmisso stagno ex Plinio, veram transmutationem fuisse, Pomponatium dicere, uti & Paracelsum lib. I. tu quoque adducere audes: sed rationum evidentissimarum opera secus demonstravi libro IV. cap. 22. attestatur mihi & Augustinus lib. XVIII. cap. 18. de Civitate Dei. Bonas hîc horas diluendis calumniis & falsis opinionibus longius impendere, lectoremque benevolum inutili minusque plausibili argumento suspendere diutius non libet, quum iis passim in meis libris ita sit obviam itum, ut cujuis æquo censori satisfactum esse sperem.

§ 30. Per me licet ut vestrorum magnalium merces ad satietatem prædices, periaptorum monilibus glorieris, characterum fastu turgeas, symbolorum magnificentiam ostentes, ænigmatum nodos explices, mysteria, si quæ noveris, in aurem insusurres: sis sagacior Oedipo, nasutior Momo, severior Aristarcho: fremas, frendas, rugias, mordices: sed te nemini unquam, vel saltem paucis, ex abditissimo illo arcanorum puteo quicquam attulisse opis (num læseris, secretius tua tibi mens dictabit) dejerare ausim: quum veteri & methodica curandi ratione per numinis favorem me quamplurimis profuisse, quibus tuæ factionis homines malam certè navarunt operam, testimonium mihi perhibebunt spectatæ fidei homines tam nobiles, quam alii in his provinciis, ubi stipendio publico medicinam hactenus feci. Tantundem & amplius effecisse in artis nostræ operibus, ejusdem methodi adminiculo, insignis doctrinæ atque usus virum clarissimum D. Ioannem Capellam archiatrum regium, cujus beneficio te quibusdam gloriolæ insignibus ornari in epistola nuncupatoria ambiisti, dubitare nolo.

Censura quorundam doctorum piorumque virorum de hoc Opere, explicata literis ad D. Ioannem VVierum *datis: quarum hæc prima Theologi cujusdam eximii est, & abbatis doctrina, virtute atque existimatione clarissimi.*

SAlve vir, ut eruditissime, ita multis nominibus mihi commendatissime.

§ 2. Miraberis, sat scio, quid mihi in mentem veniat, quod cum te ne de facie quidem noverim, aliquid ausus sim ad te literarum dare. Verum non te lateat velim, me huc vel invitum, ac manibus pedibusque reluctantem esse adductum, ingenii tui pulcherrimis monumentis: quæ profecto ejusmodi sunt, ut vel saxa muta, nedum bruta animalia, in amorem pariter ac admirationem tui raperent. Nam liber ille tuus de Dæmonum *præstigiis*, Deus bone, quantum habet solidæ doctrinæ, acris *ingenii*, ac *judicii* consummati? Quis putaret tam longe lateque patere vestram Physicam? Nunquam mihi magis arrisit de vobis, quam in præsentia, gravissimum Homeri testimonium:

Vir medicus multis aliis præstantior unus.

§ 3. Certe librum illum nescio quo cum fructu, summa cum animi voluptate, non tam legi, quam penitus devoravi. Quem equidem video talem esse, ut haud dubie nomen tuum immortali cum gloria ad posteros transmittat. O fœlicem Cliviam, quæ tantos habet literarum heroas: fœliciorem, quæ, veluti eam decet, eos amplis stipendiis alit, meritissimisque auget fortunis: fœlicissimam, cui præest Princeps non modo doctus, pius, ingeniosus: sed etiam doctrinæ, veræ pietati, nobilibusque ac fœliciter natis ingeniis mire, & utroque (quod ajunt) pollice favens. Nam quanquam hic Princeps ob præstantes cum corporis tum animi dotes, ubique terrarum optime audit: tamen inter cæteras clarissimas ejus virtutes, clariorem existimo nullam, quam quod ut ipse doctus est, ita ad evehendos, quos singularis aliqua eruditio commendat, fictus, natus & educatus videatur, juxta illud clarissimi vatis:

Principis est virtus maxima, nosse suos.

§ 4. Gaudeo mehercule, & ex animo gaudeo, te divine vir primum

primum hanc glaciem per fregisse, & miseras aniculas ab atroci quadam tyrannide vindicasse. Cardanus quidem nonnihil velitatus fuerat in sycophantas illos: tu autem apertis velis eos ipsos invasisti:

Macte ô ingenio, macte virtutibus istis:
Rite Wierus eris, nunquam tua fama peribit.

§ 5. Crede mi Wiere, non modo hac opera multos sani judicii viros, quasi Herculeo nodo tibi devinxisti, sed optime de religione Christiana meritus es. An non erat in detrimentum nostræ Reipublicæ, plus concedere diabolo, & nescio quibus malis geniis, quam unigenito filio Dei? Paulus, ut vir prudens ac circumspectus, non audet se dicere, cum ad tertium usque cœlum à Deo esset sublatus, raptum extra corpus: sed sive in corpore, sive extra corpus, inquit: nescio: Deus scit. Et hoc in spiritu tantummodo accidisse, vel Lucas amplissimus in Gestis Apostolicis est testis. At nostri majores (si diis placet) credebant ope dæmonum mulierculas volitare per aëra, ingentia corporaliter spacia regionum transmittere, subinde in feles mutari: atque adeo, sit honos auribus, cum ipsis malis geniis actu venereo congredi, ac quasi permisceri.

2 Cor. 12

Differit hac de re plurimis D. Hieronymus in prologo Danielis.

Cum dæmones spiritus sint, spiritusque, ipsa Veritate teste carnem & ossa non habeat. Luca 14.

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca.

§ 6. Quis fascinavit quæso insensatum hunc mundum, ut tam imprudenter fabulis anilibus adhærentes, à nuda veritate aberrarent? Sed dicet mihi quispiam: Num tu H. credis, quæ ipsæ tormentis exagitatæ, ingenue confitentur? Certe tormentis fidem non esse adhibendam, doctissimi atque gravissimi quique dicunt. Nam in torminibus mentitur qui pati multa potest, mentitur qui nihil pati potest: dum hic non vult fateri quæ fecit, alter plura fatetur se perpetrasse quam unquam vel per somnium cogitavit. At quid sentiendum quæso, de mulierculis illis, quæ ea se fecisse ajunt, quæ in rerum natura sunt nusquam?

§ 7. Accidit hic intra triennium, hujus fere rei memorabile exemplum. Omnes monachi ex vino pessimo & pendulo, quo nimium sese ingurgitaverant, ad unum intra annum fere perierunt. Sacrificulus quidam persuasit prædecessori, ut vocant, meo G. in causa esse pauperculam quandam aniculam, quæ certis sub gradibus posuisset præsentissima veneficia, ubi monachis semper esset in choro standum. Quid multa? creditum est impostori, conjectaque

ctaque est misera anicula, Vulcano litanda, in vincula. Statuit veterator ille civibus diem, quando locus esset ab omnibus perlustrandus. Convenerunt statuto die multi mortales: evolutoque lapide, mira manuum celeritate è manicis ejus quædam emortuæ ranæ, lacertæ, quas è campis in hunc usum selegerat, ac limaces ceciderunt in foveam. Fuissentque hæc omnibus credita, condemnataque ad ignem fuisset anicula, nisi vir quidam acri judicio fucum ac stropham sagacibus oculis considerasset: qui tandem effecit, ut tota tragico comœdia in fumum evanesceret: parumque abesset, quin præstigiator cum suis quisquiliis putribus ovis à pueris & colu à mulierculis impeteretur. Verum de his satis superque Clarissimo vereque generosissimo Principi tuo me commendabis, atque in unicô conservatore nostro perpetuo valebis. Celerrime, E. tertio calendas Julias, Anno 1563.

Tui nominis amantissimus

A. H. H. A. E.

CAROLUS GALLUS, *Ecclesiastes Hammonensis.*

S. P. Per Christum. Ut tui codicis doctrinam diligentius perlegerem, singulaque accuratius pro judicii mei tenuitate examinarem, ponderaremque, effecit horribilis ea Satanæ rabies, quæ superioribus annis in hac ecclesia Hammonensi grassata est, & multos aliquantisper exercuit. Nosti mi Domine Wiere, vir præstantissime, huic malo multiplicia excogitate adhibitaque esse remedia, variaque de eo judicia, tam in nostra Republica. Quam inter moniales virgines vicini monasterii Kenterpen, unde hoc ipsum initio ad nos dimanavit.

§ 2. Interposuit suum judicium quidam Simon exorcista cæcus infœlicissime, qui mox à propria conjuge dæmoniaca miserabiliter interfectus, suæ impiæ audaciæ pænas dedit. Ad eundem modum quidam senex monachus Franciscanus, cui nomen frater Lindemannus, tentavit confidenter suis exorcismis: sed & ipse mox, dum etiam instructus ad Missam celebrandam iret, repentina morte percussus, interiit. Hos secuti sunt & alii duo ejusdem ordinis in hac civitate fratres, palam in nomine mille dæmoniorum excitantes diabolicam tragœdiam, longe omnium terribilissimam, cujus historiam te accepisse arbitror. Nec defuit quidam suffraganeus

neus episcopi, cum pastore quodam, adjunctis etiam medicis, omnes ab antiqui serpentis solertia delusi. Tandem etiam per Vulcanum ablatæ sunt, quæ has dæmonum larvas suis incantationibus peperisse credebantur. Sed neque hæc severitas medicamentum quod expectabatur, attulit. Quod etiamnum præsens calamitas inter virgines ejusdem cœnobii Kenterpen heu nimium testatur.

§ 3. Porro tuus codex mirum in modum exprimit Satanæ naturam, ingenium, solertiam, curam, studium & rabiem, quibus grassatur milleartifex, fallax & potens in incredulis: quorum aspectibus, variis artibus illudit, prout merentur eorum peccata. Et ego sane jam experientia compertum habeo, ejus generis diabolicis præstigiis & dementationibus, non aliter quam juxta sententiam in tuo libro pulchre expressam occurrendum. Nam nostri energumeni omnes, nempe quindecim numero, jam Christo propitio liberati sunt, non exorcismis, aut externis ceremoniis elementorum: sed virtute fidei in Spiritu Sancto, per fidelem verbi Dei instructionem, per assiduas preces & jejunia, quibus ceu veræ ad Deum conversionis optimis mediis usi sumus sedulo.

§ 4. Huc accessit manifestissima experientia de incantationum vanitate, quam etiam in tuo libro urges argumentis gravissimis, & meo judicio demonstrationibus certissimis, quantumvis illæ à communi veterum sententia dissentire videantur. Ego namque jam aliquoties deprehendi ex ipsis lamiis & sagis, artes, quas præsertim de carminibus & impossibilibus incantationibus & fascinationibus jactitare solent, meras esse ineptias, delirationes, & somnia, quibus se admiscet Satan.

§ 5. Et anno superiori cognovi multas ineptias ex privata confessione cujusdam vetulæ incantatricis; quæ cum audisset in mea concione explicari locum ex Actis apost. cap. 19. Quod multi Ephesiorum, ex eis qui curiosas artes exercuerant, comportatos libros exusserunt coram omnibus, &c. Protinus accessit animo plane consternato: Et cum lachrymis arcana sui pectoris in sinum meum effundens, institutionem Christianam admisit, & cum diabolicarum imposturarum vanitatem Dei beneficio intellexisset, & apertis oculis spectasset, facile relictis mendaciorum fumis, ad veritatis lucem conversa est. Hæc semel admissa veritate, sibi meridiana luce clarius eam apparere, satanamque suorum mancipio-

rum oculos tantum perstringere, & nihil in veritate geri confessa est constantissime, cum detestatione diabolicæ suæ artis. Hujus exempli historiam contexere plenius cum suis circumstantiis forte operæpretium foret, sed non ita tutum, propterea lubens supersedeo. Uno verbo dicam, me satis experientia didicisse, bonam partem incantationum mera esse insomnia. Quod cognoscit clarius, quisquis saltem vel doctrinam de insomniis penitius introspexerit.

§ 6. Probatur ex Aristotele, Hippocrate, Galeno, aliisque philosophis, imo & quotidiana experientia constat, insomnium naturaliter esse in homine simul & brutis, & visa versari plerumque circa phantasiam: Quod maxime præ cæteris experiuntur vel cæci, vel dormientes, vel melancholici, vel phrenetici, & alii qui sunt in sensu communi & mente vitiati. Quod si vero Sacras literas de insomniis tradentes inspexerimus, deprehendemus etiam præter naturam sæpissime immissa esse insomnia: Idque vel per bonum spiritum, vel malum, aliquando *obscurius*, interdum clarius: Et aliquoties in iis tam manifestas *visiones, imagines* & spectra objici, ut etiam sancte jurares, omnia si visibiliter, corporaliter, & in veritate agi. Obscurius & extra naturæ ordinem à Deo propositas habuerunt rerum futurarum formas Pharao, & ejus pincerna, & pistor, necnon Nabucadnezar Babyloniorum rex, Josepho & Daniële eorundem interpretibus. Evidentiores autem formas & species conspexerunt Jeremias, cui olla fervens ostenditur ad Aquilonem conversa, & alia quamplurima. Item Ezechiel, & impius Baltzazar, successor Nabucadnezar, dum cernit in pariete manus scribentis articulos. Omitto insomnio & visiones sanctorum in Novo Testamento, Josephi viri Mariæ Virginis, Petri, Pauli, Joannis, conjugis Pilati, & aliorum.

§ 7. Porro cacodæmon imitatur Deum ceu simia, in suis mancipiis: Quod præter quotidiana nostrarum Lamiarum exempla, etiam priscorum ethnicorum monumenta abunde testantur. Nunquid Satan olim sua oracula edidit in illis locis, ubi homines ad impetranda insomnia & visiones pernoctabant? Quale fuit Amphiarai, Amphilochi, Trophonii & Æsculapii: profecto iis in locis dormientibus malignus spiritus monstrabat pharmaca & remedia, quibus invarentur infirmi, simulque de aliis negotiis responde-

spondebat. Et ad obtinendum hujusmodi insomnia & visiones mandabantur sciscitantibus nescio qui delectus ciborum, & secubationes, puri quidam castique dies. Pythagorei fabis abstinebant, eo quod turbulenta somnia gignant. Hæc & similia, mi Domine Wiere, quisque exacte consideraverit, intellexeritque, facillime judicabit lamiarum artium vanitatem, probabitque tuum judicium. Manet enim satan semper sui similis, & quas olim inter infideles operatus est illusiones, & dementationes, easdem etiamnum exercet: Perpetuos nempe fumos, & vanissimas umbras, somnia recte dixeris, pro veritate vendens. Habes breviter, mi Domine Wiere, sententiam meam. Probo divinum collyrium tui codicis, quo multorum caliginosos oculos purgasti. Divinitus hoc datum esse, facile judicabunt, obviisque ulnis complectentur, quin & magicarum artium incantationes minus formidabunt, quotquot librum tuum cum sano judicio legerint, & intellexerint. Vale per Christum. Datum Hammonæ, 26 Decembris, Anno 1565.

Clarissimo viro BARTOLO RICHIO, *LL. Doctori, ac Illustrissimi Principis* Henrici *Ducis Brunsvicensis ac Lunenburgensis consiliario, Domino suo observando*, Caspar Borcholt S.

CUm nuper, clarissime vir, de Lamiarum vel sagarum fraude, quas veteres Striges vocabant, quæ jam à Magistratibus sine discrimine ad flammam rapiuntur, inter nos sermo erat: tua excellentia vere graviterque judicavit, magnam in hoc maleficio dijudicando prudentiam adhibendam, ne temere ac leviter in pœnis infligendis aliquid statuamus: Cum & leges civiles proniores ad lenitatem nos esse jubent, ita ut etiam in gravioribus pœnis benignitatis respectum habeamus. l. respiciendum. & l. absentem. de pœnis.

§ 2. Quam vero in hoc maleficii negotio multa nunc confuse, turbulenterque, ex sinistra, fanatica ac pestilenti solum suspicione agantur, ex hoc liquet, quod laubabile illud discrimen inter prophanos vel infames magos, Lamias, & veneficos, qui veneno vel propinato, vel illito, vel in eo loco ubi terram inficiat posito, bestias & homines lædunt, & propterea merito lege Cornelia gladio

feriuntur, sit confusum, & hactenus confuse de his actum & pronunciatum. Ut autem præclarius hæc differentia, unde pro qualitate delicti pœna infertur, magis magisque tuæ excellentiæ innotesceret: promisi me transmissurum tibi librum clarissimi hominis, doctoris Joannis Wieri, ante annos aliquot de Præstigiis dæmonum, incantationibus ac veneficiis, tam ingeniose, acute & docte scriptum, ut ab omnibus doctissimis viris in Burgundia & toto Belgico numinis loco habeatur.

§ 3. Ego profecto quoties præstantissimi hujus ævi Jurisconsulti Jacobi Cujacii, olim præceptoris mei Biturigibus in Gallia, mihi omnibus modis observandi, recordor (recordor autem sæpe) tum cogor cum eo hoc fateri, nullum me librum majori cum voluptate percurrisse: Et nænias fabulasque nostros legum Glossatores, si posito affectu cum hoc scriptore conferantur, nobis reliquisse, quoties hoc negotium tractandum susceperunt. Cum autem & tuam excellentiam optimi judicii esse non ignorem, peto, ut quantum temporis publicis negotiis suffurari queas, huic libro præsenti perlegendo impendas. Et mihi per occasionem tuam de hoc libro sententiam, quæ magni apud me ponderis est, rescribas. Si vero quid toto hoc libro perlecto ad propositam quæstionem de sagis vel lamiis non ita sine discrimine crudeliter comburendis, quod nunc tanta contentio ne in Republica agitur, recte justeque dictum inveneris: Tu illud amplectere, ac quantum potes, innoxium sanguinem defende. Ac utinam talem omnes in hoc sanguinolento negotio animum Principes gererent, qualem illustrissimus, experientia ac literis doctissimus Princeps GUILHELMUS Juliæ & Cliviæ Dux: cujus Principe viro digna sententia de Lamiis, in Procemio libri annexa est. Non etiam vereor, cum sis (uti Cicero de Catone refert) librorum helluo maximus, ut tædium aliquod in legendo tibi obveniat. Nam ita historiis, & jucundis narrationibus liber est refertus, ut vix ullum librum hoc jucundiorem extare, affirmare ausim. Vale: Datum in castro Sturwolt, 7 die Augusti, Anno 1564.

IOANNI WIERO, *Medico & philosopho clarissimo Theodorus Zwinggerus Basiliensis Medicus, S.*

HErculi monstrorum domitori summos olim honores à Græcia habitos pro repurgato terrarum orbe, gravissimorum auctorum monumenta testantur. Tibi vero, vir ornatissime, qui de Præstigiis dæmonum Commentario edito, πολυμηχανῶς illius veteratoris stratagemata & insidias eleganter & erudite detegis, respubl. literaria in primis plura quam vel cogitare unquam possit, se tibi debere, bonorum omnium incredibili cum consensu, non obscure fatetur: deinde etiam universus orbis Christianus nunquam intermorituris laudibus perpetuo prædicabit. Quæ cum mihi communis cum multis virtutes tuas suspiciendi atque colendi occasio fuerit, tum vero privata quædam, hoc est, ordini nostro conveniens, accessit.

§ 2. Quandoquidem subinde veterem medicinam contra furiosos impudentissimorum sophistarum conatus ita protegis, ut tuis successibus omnes, qui non penitus mentem densis fumis denigratam habent, merito gratulari debeant. Et certe tali opus erat ἀλεξικάκῳ contra tam multicipitem belluam, quæ sub artis medicæ prætextu, impietatem magicis deliriis suffultam, non obscure, subdole tamen, profitetur. Tibi igitur, vir doctiss. pro tam honesto certamine, pro tam felici successu, an reipubl. literariæ potius, pro tanto patrocinio gratulari debeam, revera ignoro: tuæ interim virtuti & eruditioni fausta & fœlicia omnia ex animo precor. Nam hortationes nostras, nec ætas, nec animus, nec eruditio tua ferunt. Cæterum ut ἐκ τοῦ θαυμάζειν non modo τὸ φιλοσοφεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ φιλεῖσθαι proveniat, etiam atque etiam à te contendo, ut in amicorum tuorum numerum me recipias. Quod si propter Peripateticos, qui ἀνομοιότητα omnem ex amicitiis tollere nituntur, facere non licebit, at certe inter dis. tuos locum nos obtinere patiaris. Ego, quantum in me erit, operam dabo, ut nec observantia, nec benevolentia vel tui studiosissimis inferior fuisse videar. Libertatem nostram, si hujus quoque causas exquiris, tua inprimis humanitas cum pari eruditione conjuncta, deinde etiam Oporini avunculi nostri commendatio fulciunt atque fovent: cumque te Oporino amicissimum esse sciam, in me fortassis, etsi nullo merito nostro, attamen jure quodam cognationis, partem amoris tui derivari posse confido.

§ 3. Id ut facias, vir eruditissime te etiam atque etiam rogo: & nisi molestum est, spem nostram non inanem fuisse, ex literis tuis intelligere cupio. Vale Wiere clariss. Basileæ, 10 Kal. Aprilis 1566.

D. BALDUINI RONSSEI *Medici, doctrina & artis usu celeberrimi, judicium.*

OPorinus ille noster, homo juvandis studiis natus, proximis nundinis Francofordianis ad me misit fragmentum operis tui (nondum enim, uti suspicor, supremam manum jam imposuerat) de Dæmonum præstigiis: Quod certe multo mihi gratissimum erat, tum quod D. Daniël noster Brouchusius Reipub. Gorcomiensi à medicinis, aliquando ejus apud me mentionem fecisset, & singularem supra communem hominum conditionem ingenii tui dexteritatem prædicasset: Tum quod sperarem, aliquando detectis hujusmodi muliercularum nervis, *idolomaniam*, quæ multis abhinc seculis hominum mentes *occupavit, penitus* eradicatum iri.

§ 2. Nam quantumvis annis ab hinc viginti Jacobus Savagius, Andoverpianus medicus, ejusdem argumenti mihi adhuc tum juvem librum communicasset, quem aliquando, ni mors in opina virum invasisset, typis commendare decreverat: non videbatur tamen is esse talis, qui insitam jamdudum opinionem evellere posset. Siquidem, etsi physicis quibusdam demonstrationibus deliramenta quædam esse declararet: Concessit tamen multa, quæ tu argutissime & maxima cum ratione refellis: Neque is (ut bona venia viri alioqui doctissimi dicam) usqueadeo Scripturæ *sacræ* testimonio innitebatur, ut qui sua professione contentus, *medicis* physicisque argumentis tantum stabat. Tu contra, antiquissimorum Theologorum, Jurisperitorum, atque eorum qui de Magia scripserunt (ut interim medicos taceam) argumentis innixus, cum aliquid se jam egisse putant, nihil prorsus jam actum convincis, & ut habet Græcorum diverbium, κυλλῷ πηριδιάλλεις. Dignum mehercule cedro opus, dignum quod omnium manibus sceleratissimo hoc tempore circumferatur, dignum quod omnium mentibus imprimatur, &c. Scriberem aliquanto accuratius, ni Brouchusii nostri propera quædam festinatio, dicere simul ac scribere coegisset. Vale in eo qui cuncta potest. Goudæ, nonis Maii, Anno 1563.

D. IOAN-

D. IOANNIS EWICHII, *Medici & eruditissimi & excellentissimi, sententia.*

QUantum voluptatis ceperim ex tuis libris de Præstigiis dæmonum, ὦ ἀγαθοῖς κλεὸς ἐσθλὸν ἐπὶχθονὶ πουλυβοτείρῃ Wiere, vix satis verbis explicare possum. Video enim singularem in iis prudentiam, judicium solidum, copiam rerum necessariarum, ordinem mirificum, sedulitatem incredibilem, denique animi pietatem (absit adulationis suscipio) & religionis Christianæ puritatem: eamque passim propugnandi adversus omnes impiorum hominum insultus, & dæmonum fraudes animositatem infractam. Deinde non solum, quod ipse sæpe mecum cogitavi, sed etiam quod unice & optavi & expectavi, in illis abunde sum consecutus. Illud autem est præcipue, quid de Lamiis (quas vocant) nostri temporis sentiendum sit, quid vanæ illarum incantationes efficere possint: Et tandem, an pæna illarum ad mortem usque extendi debeat. Quæ tria tam velim hodie omnibus esse recte cognita, persuasaque, quam plerumque indoctis doctisque temere credita. Pudet autem me propemodum nostri seculi, quod tanto veterno sopitum res tam utiles necessariasque non diligentius investigarit, & maturius in lucem ediderit.

§ 2. Omnes enim fere tam Medici quam Jurisconsulti & Theologi (quorum tamen maxime intererat, hæc ad unguem cognoscere) contenti majorum consuetudine, nimis faciles aures præbuerunt fabulis: nimisque temerarie, ne dicam inique, de vita morteque multorum pronunciarunt. Sed cum cogito, idem hodie & ante ætatem, nostram in illis observatum esse, qui judicabantur hæretici (scilicet quod à Rom. Ecclesia in interpretatione quorundam articulorum doctrinæ, vel usu ceremoniarum, nulla seditione dissentirent) quorum tamen, vel adversariis testibus, mens Deo devota vitaque inculpata fuit: minus mirum videtur, quod in hac Lamiarum causa, quæ plena semper fuit tenebris & dæmonum ludibriis, cæcutiant, cæcutiendoque insontes sæpe feriant. Equidem ab eo tempore, quo ætatis maturitate, accedente qualicunque institutione, usuque, res humanas cæpi intueri, valde semper deplorare soleo hominum ignorationem. Nam ea mihi causa videbatur universi mali, quod tam multiplex in vita nostra grassatur. Quod etsi ipsus maxime adhuc ignorans, Dei

tamen

tamen gratia cognoverim & defleverim: nihilominus communi cæcitate impeditus in præsenti materia, oculos altius adhuc attollere, & veritatem ipsam intueri nondum potui. Quare quando ingenii mei exiguitatem probe scirem, nec negare nec asseverare statueram. At nunc judicio tuo confirmatus, lucem mihi videre videor, & qua eundum & ubi sistendum sit, satis intelligo; Agoque immortali Deo gratias, quod tua opera eas res nobis patefecerit, quæ non eruditis modo & titulo doctoribus, sed etiam omnibus hominibus multo, vero maxime Christianis cognitu necessariæ sunt. Proinde nequicquam credam posthac illis, qui ita præsenti cuicunque usui inhærescendum putant oportere, ut nullo modo aliorum quamvis piorum eruditorumque virorum modeste propositam sententiam audiendam, cognoscendam, recipiendamque esse velint: longe à principis illius consilio dissentientes, qui cum necessitas postularet, Νῦν δ' εἴη ait, ὅς τις δή γ' ἀμείνονα μῆτιν ἐνίσποι, ἢ νέος ἠὲ παλαιὸς, ἐμοὶ δέ κεν ἀσμένῳ εἴη. Nam cum, ut dixi, omnis mali origo & fons ab ignorantia oriatur, & hæc primum à *peccato*, peccatum porro à diabolo (qui est vere pater *tenebrarum, falsitatis* & confusionis) principium suum ducat, merito omnis boni causa videri debet sapientia & cognitio: quippe quæ lucem, veritatem, & ordinem in tota vita & omnibus actionibus nostris pariat, conservetque. Facessat ergo omnis pertinacia & morositas: sitque libera ut audiendi, ita & dicendi scribendique facultas: eatenus tamen, ut is labor utriusque Reipub. insignem utilitatem spectet, & ad Christi Servatoris nostri regnum propagandum, diaboli vero & Antichristi tyrannidem labefactandam præclare faciat. Vale clarissime Wiere, monstrosarum opinionum nostri ævi non minime Hercules. Vale inquam: & perge porro esse, quod fœliciter glorioseque cœpisti, πατρί τε τῷ μέγα χάρμα πόληΐ τε, παντί τε δήμῳ, δυσμενέσιν μὲν πῆμα, κῦδος δ' ἄρα δαίμοσιν αὐτοῖς, Duisbergi, Anno 1563. ipsis Calend. Iunii.

FINIS.

PSEU-

PSEUDOMONARCHIA DÆMONUM.

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane?

LECTORIS.

NE Sathanicæ factionis monopolium usqueadeo porro delitescat, hanc Dæmonum Pseudomonarchiam, ex Acharonticorum Vasallorum archivo subtractam, in hujus Operis de Dæmonum præstigiis calce annectere volui, ut effascinatorum id genus hominum, qui se magos jactitare non erubescunt, curiositas, præstigiæ, vanitas, dolus, imposturæ, deliria, mens elusa, & manifesta mendacia, quinimo non ferendæ blasphemiæ, omnium mortalium, qui in mediæ lucis splendore hallucinari nolint, oculis clarissimè appareant, hoc potissimum seculo scelestissimo, quo Christi regnum tam enormi impunitaque tyrannide impetitur ab iis qui Beliali palàm sacramentum præstitêre, stipendium etiam justum hauddubie recepturi: quibus & perditas has horas libenter dedico, si forte ex immensa Dei misericordia convertantur & vivant: quod ex animo iis precor, sitque felix & faustum. Ne autem curiosulus aliquis, fascino nimis detentus, hoc stultitiæ argumentum temere imitari audeat, voces hinc inde prætermisi studio, ut universa delinquendi occasio praecideretur. Inscribitur vero à maleferiato hoc hominum genere Officium spirituum, vel, Liber officiorum spirituum, seu, Liber dictus Empto. Salomonis, de principibus & regibus dæmoniorum, qui cogi possunt divina virtute & humana. At mihi nuncupabitur Pseudomonarchia Dæmonum.

PSEVDOMONARCHIA DÆMONUM.

PRimus Rex, qui est de potestate Orientis, dicitur Baël, apparens tribus capitibus, quorum unum assimilatur bufoni, alterum homini, tertium feli. Rauca loquitur voce, formator morum & insignis certator, reddit hominem invisibilem & sapientem. Huic obediunt sexagintasex legiones.

§ 2. Agares Dux primus sub potestate Orientis, apparet benevolus in senioris hominis forma, equitans in crocodilo, & in manu accipitrem portans. Cuncta linguarum genera docet optime: fugitantes reverti facit, & permanentes fugere: prælaturas & dignitates dimittit, & tripudiare facit spiritus terræ: & est de ordine Virtutum, sub sua potestate habens triginta & unam *legiones*.

§ 3. Marbas, alias Barbas, Præses magnus, *se manifestans* in fortissimi leonis specie, sed ab exorcista accitus humana induitur forma, & de occultis plene respondet, morbos invehit & tollit, promovet sapientiam artiumque mechanicarum cognitionem, homines adhæc in aliam mutat formã. Præest trigintasex legionibus.

§ 4. Pruflas, alibi invenitur Busas, magnus Princeps & Dux est, cujus mansio circa turrim Babylonis, & videtur in eo flamma foris, caput autem assimilatur magno nycticoraci. Autor est & promotor discordiarum, bellorum, rixarum & mendaciorum. Omnibus in locis non intromittatur. Ad quæsita respondet abunde. Sub sunt huic legiones vinginti sex, partim ex ordine Throni, partim Angelorum.

§ 5. Amon vel Aamon Marchio magnus & potens, prodit in lupi forma caudam habens serpentinam, & flammam evomens. Hominis autem indutus speciem, caninos ostentat dentes, & caput magno nycticoraci simile. Princeps omnium fortissimus est, intelligens præterita & futura, hinc & gratiam concilians omnium amicorum & inimicorum. Quadraginta imperat legionibus.

§ 6. Barbatos magnus Comes & Dux, apparet in signo Sagittarii silvestris cum quatuor regibus tubas ferentibus. Intelligit cantus avium, canum latratus, mugitus boum & cunctorum animalium:

malium: thesauros item à magis & incantatoribus reconditos, detegit: Et est ex ordine Virtutum, partim Dominationum. Triginta præsidet legionibus. Novit præterita & futura: tam amicorum quam inimicorum animos conciliat.

§ 7. Buer Præses magnus conspicitur in signo *. Absolute docet philosophiam, practicam, ethica item & logica, & herbarum vires: Dat optimos familiares: Ægros sanitati restituere novit, maxime & homines. Quinquaginta legionum habet imperium.

§ 8. Gusoyn Dux magnus & fortis, apparet in forma zenophali. Explicate respondet & vere de præsentibus, præteritis, futuris & occultis. Amicorum & inimicorum gratiam reddit: Dignitates confert & honores conformat. Præest quadragintaquinque legionibus.

§ 9. Botis, alibi Otis, magnus Præses & Comes, Prodit in viperæ specie deterrima: Et siquando formam induit humanam dentes ostendit magnos & cornua duo, manu gladium acutum portans. Dat perfecte responsa vera de præsentibus, præteritis, futuris & abstrusis. Tam amicos quam hostes conciliat. Sexaginta imperat legionibus.

§ 10. Bathym, alibi Marthim Dux magnus & fortis: Visitur constitutione viri fortissimi cum cauda serpentina, equo pallido insidens. Virtutes herbarum & lapidum pretiosorum intelligit. Cursu velocissimo hominem de regione in regionem transfert. Huic triginta subsunt legiones.

§ 11. Pursan, alias Curson, magnus Rex, prodit ut homo facie leonina, viperam portans ferocissimam, ursoque insidens, quem semper præcedunt tubæ. Callet præsentia, præterita & futura: Aperit occulta, thesauros detegit: Corpus humanum suscipit & aëreum. Vere respondet de rebus terrenis & occultis, de divinitate & mundi creatione: Familiares parit optimos: Cui parent vigintiduo legiones, partim de ordine Virtutum, partim ex ordine Throni.

§ 12. Eligor, alias Abigor, Dux magnus, apparet ut miles pulcherrimus, lanceam, vexillum & sceptrum portans. Plene de occultis respondet atque bellis, & quomodo milites occurrere debeant: Futura scit, & gratiam apud omnes dominos & milites conciliat. Præsidet sexaginta legionibus.

§ 13. Loray, alias Oray, magnus Marchio, se ostendens in

forma sagittarii pulcherrimi, pharetram & arcum gestantis: author existit omnium præliorum, & vulnera putrefacit quæ à sagittariis infliguntur, quos objicit optimos tribus diebus. Triginta dominatur legionibus.

§ 14. Valefar, alias Malaphar, Dux est fortis, forma leonis prodiens & capite latronis. Familiaritatem parit suis, donec laqueo suspendantur. Decem præsidet legionibus.

§ 15. Morax, alias Foraii, magnus Comes & Præses: Similis tauro visitur: Et si quando humanam faciem assumit, admirabilem in Astronomia & in omnibus artibus liberalibus reddit hominem: parit etiam famulos non malos & sapientes: novit & herbarum & pretiosorum lapidum potentiam. Imperat triginta sex legionibus.

§ 16. Ipes, alias Ayperos, est magnus Comes & Princeps, apparens quidem specie angelica, interim leone obscurior & turpis, capite leonis, pedibus anserinis, cauda leporina. Præterita & futura novit: Redditque hominem ingeniosum & audacem. Legiones huic obediunt trigintasex.

§ 17. Naberus, alias Cerberus, Marchio est fortis, forma corvi se ostentans: Si quando loquitur, raucam edit vocem. Reddit & hominem amabilem & artium intelligentem, cum primis in Rhetoricis eximium. Prælaturarum & dignitatum jacturam parit. Novendecim legiones hunc audiunt.

§ 18. Glasya labolas, alias Caacrinolaas vel Caassimolar magnus Præses: Qui progreditur ut canis habens alas gryphi. Artium cognitionem dat, interim dux omnium homicidarum. Præsentia & futura intelligit. Tam amicorum quam inimicorum animos demeretur: Et hominem reddit invisibilem. Imperium habet triginta sex legionum.

§ 19. Zepar Dux magnus, apparens uti miles, inflammansque virorum amore mulieres, & quando ipsi jussum fuerit, earum formam in aliam transmutat, donec dilectis suis fruantur. Steriles quoque eas facit. Vigintisex huic parent legiones.

§ 20. Byleth Rex magnus & terribilis, in equo pallido equitans, quem præcedunt tubæ, symphoniæ, & cuncta Musicæ genera. Quum autem coram exorcista se ostentat, turgidus ira & furore videtur, ut decipiat. Exorcista vero tum sibi prudenter caveat: Atque ut fastum ei adimat, in manu suscipiat baculum corili, cum quo orientem & meridiem versus, foris juxta circulum manum

num extendet, facietque triangulum. Cæterum si manum non extendit, & intrare jubet, atque spirituum Vinculum ille renuerit, ad lectionem progrediatur exorcista: mox ingredietur item submissus, ibi stando & faciendo quodcunque jusserit exorcista ipsi Byleth regi, eritque securus. Si vero contumacior fuerit, nec primo jussu circulum ingredi voluerit, reddetur forte timidior exorcista: Vel si Vinculum spirituum minus habuerit, sciet haud dubie exorcista, malignos spiritus postea eum non verituros, at semper viliorem habituros. Item si ineptior sit locus triangulo deducendo juxta circulum, tunc vas vino plenum ponatur: Et intelliget exorcista certissimè, quum è domo sua egressus fuerit cum sociis suis, prædictum Byleth sibi fautorem fore, benevolum, & coram ipso submissum quando progredietur. Venientem vero exorcista benigne suscipiat, & de ipsius fastu glorietur: Propterea quoque eundem adorabit, quemadmodum alii reges, quia nihil dicit absque aliis principibus. Item si hic Byleth accitus fuerit ab aliquo exorcista, semper tenendus ad exorcistæ faciem annulus argenteus medii digiti manus sinistræ, quemadmodum pro Amaymone. Nec est prætermittenda dominatio & potestas tanti principis, quoniam nullus est sub potestate & dominatione exorcistæ alius; qui viros & mulieres in delirio detinet, donec exorcistæ voluntatem explerint: Et fuit ex ordine Potestatum, sperans se ad septimum Thronum rediturum, quod minus credibile. Imperat octogintaquinque legionibus.

§ 21. Sytry, alias Bitru, magnus Princeps, leopardi facie apparens, habensque alas velut gryphi. Quando autem humanam assumit formam, mire pulcher videtur. Incendit virum mulieris amore, mulierem vicissim alterius desiderio incitat. Jussus secreta libenter detegit feminarum, eas ridens ludificansque, ut se luxuriose nudent. Huic sexaginta legiones obsequuntur.

§ 22. Paymon obedit magis Lucifero quam alii reges. Lucifer hic intelligendus, qui in profunditate scientiæ suæ demersus, Deo assimilari voluit, & ob hanc arrogantiam in exitium projectus est. De quo dictum est: Omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Ezech. 28.
Paymon autem cogitur virtute divina, ut se sistat coram exorcista: ubi hominis induit simulachrum, insidens dromedario, coronaque insignitus lucidissima, & vultu fœmineo. Hunc præcedit exercitus

cum tubis & cimbalis bene sonantibus, atque omnibus instrumentis Musicis, primo cum ingenti clamore & rugitu apparens, sicut in Empto. Salomonis, & arte declaratur. Et si Paymon hic quandoque loquitur, ut minus ab exorcista intelligatur, propterea is non tepescat: sed ubi porrexerit illi primum chartam ut voto suo obsequatur, jubebit quoque ut distincte & aperte respondeat ad quæsita, & de universa philosophia & prudentia vel scientia, & de cæteris arcanis. Et si voles cognoscere dispositionem mundi, & qualis sit terra, aut quid eam sustineat in aqua, aut aliquid aliud, & quid sit abyssus, & ubi est ventus & unde veniat, abunde te docebit. Accedant & consecrationes tam de libationibus quam aliis. Confert hic dignitates & confirmationes. Resistentes sibi suo vinculo deprimit, & exorcistæ subjicit. Bonos comparat famulos, & artium omnium intellectum. Notandum, quod in advocando hunc Paymonem, Aquilonem versus exorcistam conspicere oportet, quæ ibi hujus sit hospitium. Accitum vero intrepide constanterque suscipiat, interroget, & ab eo petat quicquid voluerit, nec dubie impetrabit. At ne creatorem oblivioni tradat, cavendum exorcistæ, propterea quæ præmissa fuerunt de Paymone. Sunt qui dicunt, eum ex ordine Dominationum fuisse: sed aliis placet, ex ordine Cherubin. Hunc sequuntur legiones ducentæ, partim ex ordine Angelorum, partim Potestatum. Notandum adhæc, si Paymon solus fuerit citatus per aliquam libationem aut sacrificium, duo reges magni comitantur, scilicet Bebal & Abalam, & alii potentes. In hujus exercitu sunt vigintiquinque legiones: Quia spiritus his subjecti, non semper ipsis adsunt, nisi ut appareant, divina virtute compellantur.

§ 23. Regem Belial aliqui dicunt statim post Luciferum fuisse creatum, ideoque sentiunt ipsum esse patrem & seductorem eorum qui ex Ordine ceciderunt. Cecidit enim prius inter alios digniores & sapientiores, qui præcedebant Michaëlem & alios cœlestes angelos, qui deerant. Quamvis autem Belial ipsos qui in terram dejecti fuerint, præcesserit: alios tamen qui in cœlo mansere, non antecessit. Cogitur hic divina virtute, cum accipit sacrificia, munera & holocausta, ut vicissim det immolantibus responsa vera: At per horam in veritate non perdurat, nisi potentia divina compellatur, ut dictum est. Angelicam assumit imaginem impense pulchram, in igneo curru sedens. Blande loquitur. Tribuit dignitates

tates & prælaturas senatorias, gratiam item amicorum, & optimos famulos. Imperium habet octoginta legionum, ex ordine partim Virtutum, partim Angelorum. Forma exorcistæ invenitur in Vinculo Spirituum. Observandum exorcistæ, hunc Belial in omnibus succurrere suis subditis: Si autem se submittere noluerit, Vinculum Spirituum legatur, quo sapientissimus Salomon eos cum suis legionibus in vase vitreo relegavit: Et relegati cum omnibus legionibus fuere septuagintaduo reges, quorum primus erat Bileth, secundus Belial, deinde Asmoday, & circiter mille millia legionum. Illud procul dubio à magistro Salomone didicisse me fateor: Sed causam relegationis me non docuit, crediderim tamen propter arrogantiam ipsius Belial. Sunt quidam necromantici, qui asserunt, ipsum Salomonem quodam die astutia cujusdam mulieris seductum, orando se inclinasse versus simulacrum Belial nomine. Quod tamen fidem non meretur: Sed potius sentiendum, ut dictum est, propter superbiam & arrogantiam, relegatos esse in magno vase, projectos in Babylone in puteum grandem valde. Enimvero prudentissimus Salomon divina potentia suas exequebatur operationes, quæ etiam nunquam eum destituit: propterea simulachrum non adorasse ipsum sentiendum est, alioqui divina virtute spiritus cogere nequivisset. Hic autem Belial cum tribus regibus in puteo fuit. At Babylonienses ad hæc exhorrescentes, rati se thesaurum amplum in puteo inventuros, unanimi consilio in puteum descenderunt, detegeruntque & confregere vas, unde mox egressi captivi, in proprium locum porro sunt rejecti. Belial vero ingressus quoddam simulachrum, dabat responsa sibi immolantibus & sacrificantibus, ut testatur Tocz in dictis suis: Et Babylonienses adorantes sacrificaverunt eidem.

Scelerati necromantici verba sunt.

§ 24. Bune Dux magnus & fortis, apparet ut draco, tribus capitibus, tertium vero assimilatur homini. Muta loquitur voce: Mortuos locum mutare facit, & dæmones supra defunctorum sepulchra congregari: omnimodo hominem locupletat, redditque loquacem & sapientem, ad quæsita vere respondet. Huic legiones parent triginta.

§ 25. Forneus magnus Marchio, similis monstro marino, reddit hominem in Rhetoricis admirabilem, optima fama & linguarum peritia ornat, tam amicis quam inimicis gratum facit. Subsunt huic viginti novem legiones, ex ordine partim Thronorum, partim Angelorum.

§ 26. Roneve

§ 26. Roneve Marchio & Comes, assimilatur monstro. *Singularem* in Rhetoricis intelligentiam confert, famulos item fidos, linguarum cognitionem, amicorum & inimicorum favorem. Huic obediunt legiones novendecim.

§ 27. Berith Dux magnus & terribilis: tribus nuncupatur nominibus, à quibusdam Beal, à Judæis Berith, à necromanticis Bolfri. Prodit ut miles ruber cum vestitu rubro, & equo ejusdem coloris coronaque ornatus. Vere de præsentibus, præteritis & futuris respondet. Virtute divina per annulum magicæ artis ad horam scilicet cogitur. Mendax etiam est. In aurum cuncta metallorum genera mutat. Dignitatibus ornat easdemque confirmat: Claram subtilemque edit vocem. Viginti sex legiones huic subsunt.

§ 28. Astaroth Dux magnus & fortis, prodiens angelica specie turpissima, insidensque in dracone infernali, & viperam portans manu dextra. Vere respondet de præteritis, præsentibus, futuris & occultis. Libenter de spirituum creatore, & eorundem lapsu loquitur, quomodo peccaverint & ceciderint. *Se spontè non* prolapsum esse dicit. Reddit hominem mire eruditum *in artibus* liberalibus. Quadraginta legionibus imperat. Ab hoc quilibet exorcista caveat, ne prope nimis eum admittat, ob fœtorem intolerabilem quem expirat. Itaque annulum argenteum magicum in manu sua juxta faciem teneat, quo se ab injuria facile tuebitur.

§ 29. Forras vel Forcas magnus Præses est: visitur forma viri fortissimi, & in humana specie vires herbarum & lapidum preciosorum intelligit. Plene docet Logica, Ethica & eorundem partes. Reddit hominem invisibilem, ingeniosum, loquacem & vivacem: Amissa recuperat, thesauros detegit. Dominium *viginti* novem legionum habet.

§ 30. Furfur Comes est magnus, apparens ut cervus cauda flammea. In omnibus mentitur, nisi in triangulum intro ducatur. Jussus angelicam assumit imaginem. Rauca loquitur voce: amorem inter virum & mulierem libenter conciliat: novit & concitare fulgura, coruscationes & tonitrua in iis partibus ubi jussum fuerit. De occultis & divinis rebus bene respondet. Imperat legionibus vigintisex.

§ 31. Marchocias magnus Marchio est. Se ostentat specie lupæ ferocissimæ cum alis gryphi, cauda serpentina, & ex ore *nescio* quid evomens. Quum hominis imaginem induit, pugnator est optimus.

optimus. Ad quæsita vere respondet: fidelis in cunctis exorcistæ mandatis. Fuit ordinis Dominationum. Huic subjacent legiones triginta. Sperat se post mille ducentos annos ad septimum Thronum reversurum: sed ea spe falsus est.

§ 32. Malphas magnus Præses, conspicitur corvo similis: sed hominis idolum indutus rauca fatur voce. Domos & turres ingentes mire extruit, & obvios cito facit artifices maximos: Hostium vero ædes & turres dejicit. Famulos suppeditat non malos. Sacrificia libenter suscipit, at sacrificatores omnes fallit. Quadraginta huic parent legiones.

§ 33. Vepar, alias Separ, Dux magnus & fortis: Similis syreni: Ductor est aquarum & navium armis onustarum. Ut mare jussu magistri turgidum navibusque plenum appareat, efficit: contra inimicos exorcistæ per dies tres vulneribus putrescentibus vermesque producentibus homines inficit, à quibus tamen negotio absoluto sanantur omnes. Imperat legionibus vigintinovem.

§ 34. Sabnac, alias Salmac, Marchio magnus & fortis: prodit ut miles armatus, capite leonis, in pallido equo insidens. Hominis formam transmutat mire: Turres magnas armis plenas ædificat, item castra & civitates. Triginta dies ex mandato exorcistæ homini vulnera putrida & verminantia infligit. Familiares conciliat bonos: dominium exercens quinquaginta legionum.

§ 35. Sydonay, alias Asmoday, Rex magnus, fortis & potens: Visitur tribus capitibus, quorum primum assimilatur capiti tauri, alterum hominis, tertium arietis. Cauda ejus serpentina, ex ore flammam eructat, pedes anserini. Super dracone infernali sedet, in manu lanceam & vexillum portans. Præcedit alios qui sub potestate Amaymonis sunt. Cum hujus officia exercet exorcista, fit fortis, cautus & in pedibus stans: si vero coopertus fuerit, ut in omnibus detegatur, efficiet: Quod si non fecerit exorcista, ab Amaymone in cunctis decipietur: Sed mox cum ipsum in prædicta forma conspicit, appellabit illum nomine suo, inquiens: Tu vero es Asmoday. Ipse non negabit: Et mox ad terram. Dat annulum virtutum: Docet absolute Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, Mechanicam: Ad interrogata plene & vere respondet: Hominem reddit invisibilem: Loca thesaurorum ostendit & custodit, si fuerit de legionibus Amaymonis. In sua potestate legiones septuaginta duas habet.

Oooo § 36. Gaap,

§ 36. Gaap, alias Tap, Præses magnus & Princeps: *in signo* Meridiei apparet: sed quum humanam assumit faciem, ductor est præcipuorum quatuor regum, tam potens ut Byleth. Extiterunt autem quidam necromantici, qui huic libamina & holocausta obtulere, & ut eundem evocarent, artem exercuere, dicentes sapientissimum Salomonem eam composuisse, quod falsum est: imo fuit Cham filius Noë, qui primus post diluvium cœpit *malignos* invocare spiritus, invocavit autem Byleth, & composuit artem in suo nomine, & librum, qui multis mathematicis est cognitus. Fiebant autem holocausta, libamina, munera, & multa nefaria, quæ operabantur exorcistæ admistis sanctissimis Dei nominibus, quæ in eadem arte sparsim exprimuntur. Epistola vero de iis nominibus est conscripta à Salomone, uti & scribunt Helias *Hiero*solymitanus & Heliseus. Notandum, si aliquis exorcista habuerit artem Beleth, nec ipsum coram se sistere possit aut videre, nisi per artem: Quomodo autem eundem continere oporteat, non est explicandum, quum sit nefandum, & nihil à *Salomone de ejus* dignitate & officio didicerim, hoc tamen non silebo, *ipsum reddere* hominem admirabilem in philosophia & artibus omnibus liberalibus. Facit ad amorem, odium, invisibilitatem & consecrationem eorum quæ sunt de dominatione Amaymonis: Et de potestate alterius exorcistæ tradit familiares, & vera perfecte responsa de præsentibus, præteritis & futuris. Velocissimo transcursu in varias regiones traducit hominem. Sexagintasex præest legionibus, & fuit de Potestatum ordine.

§ 37. Chax, alias Scox, Dux est & Marchio magnus: Similis ciconiæ rauca voce & subtili. Mirabiliter aufert visum, *auditum* & intellectum jussu exorcistæ: aufert pecuniam ex qualibet domo regia, & reportat post mille ducentos annos, si jussus fuerit: abripit & equos. Fidelis esse in omnibus mandatis putatur: ac licet se obsecuturum exorcistæ promittat, non tamen in omnibus facit. Mendax est, nisi in triangulum introducatur: introductus autem loquitur de rebus divinis & reconditis thesauris, qui à malignis spiritibus non custodiuntur. Promittit insuper se collaturum optimos famulos, qui accepti sunt, si non fuerint deceptores. Huic subjacent legiones triginta.

§ 38. Pucel Dux magnus & fortis, apparet in specie angelica, sed obscura valde; loquitur de occultis; docet Geometriam & omnes

artes liberales: sonitus facit ingentes, & sonare aquas ubi non sunt, easdem & calefacit & harum balnea recuperandæ sanitati servientia certis temporibus, distemperat jussu exorcistæ. Fuit de ordine Potestatum, habetque in sua potestate legiones quadragintaocto.

§ 38. Furcas miles est: prodit similitudine sævi hominis cum longa barba, & capillitio cano. In equo pallido insidet, portans in manu telum acutum. Docet perfecte practicam, philosophiam, rhetoricam, logicam, chiromantiam, astronomiam, piromantiam, & earum partes. Huic parent viginti legiones.

§ 39. Murmur magnus Dux & Comes: Apparet militis forma, equitans in vulture, & ducali corona comptus. Hunc præcedunt duo ministri tubis magnis: Philosophiam absolute docet. Cogit animas coram exorcista apparere, ut interrogatæ respondeant ad ipsius quæsita. Fuit de ordine partim Thronorum, partim Angelorum.

§ 40. Caym magnus Præses, formam assumens merulæ: at quum hominem induit, respondet in favilla ardente, ferens in manu glagium acutissimum. Præ cæteris sapienter argumentari facit: Tribuit intellectum omnium volatilium, mugitus boum, latratus canum, & sonitus aquarum: de futuris optime respondet. Fuit ex ordine Angelorum. Præsidet legionibus triginta.

§ 41. Raum vel Raym Comes est magnus: Ut corvus visitur: Sed cum assumit humanam faciem, si ab exorcista jussus fuerit, mirè ex regis domo vel alia suffuratur, & ad locum sibi designatum transfert. Civitates destruit: Dignitatum despectum ingerit. Novit præsentia, præterita & futura. Favorem tam hostium quàm amicorum conciliat. Fuit ex ordine Thronorum. Præest legionibus triginta.

§ 42. Halphas Comes magnus, prodit similis ciconiæ rauca voce. Insigniter ædificat oppida ampla armis plena: Bellum movet, & jussus, homines bellicosos ad designatum locum mittit obviam. Subsunt huic viginti sex legiones.

§ 43. Focalor Dux magnus, prodit velut homo, habens alas gryphi forma. Accepta humana figura, interficit homines & in aquis submergit. Imperat mari & vento, navesque bellicas subvertit. Notandum omni exorcistæ, si huic mandetur, ne homines lædat, libenter obsequitur. Sperat se post mille annos reversu-

rum ad septimum Thronum, sed fallitur. Triginta legionibus imperat.

§ 44. Vine magnus Rex & Comes: se ostentat ut leo in equo nigro insidens, portansque viperam in manu. Amplas turres libenter ædificat: Lapideas domus extruit, rivos reddit turgidos: Ad exorcistæ mandatum respondet de occultis, maleficis, præsentibus, præteritis & futuris.

§ 45. Bifrons, monstri similitudine conspicitur. Ubi humanam assumit imaginem, reddit hominem in Astrologia mirabilem, planetarum mansiones absolute docens, idem præstat in Geometria, & mensuris aliis. Vires herbarum, lapidum pretiosorum & lignorum intelligit. Corpora mortuorum de loco ad locum transmutat: Candelas super defunctorum sepulchra inflammare videtur. Huic subjacent vinginti sex legiones.

§ 46. Gamygyn magnus Marchio: in forma equi parvi visitur: at ubi hominis simulachrum assumit, raucam edit vocem, de omnibus artibus liberalibus differens: efficit quoque, *ut coram* exorcista conveniant animæ in mari exeuntes, & *quæ degunt in* purgatorio (quod dicitur Cartagra, id est, afflictio animarum) & corpora aërea suscipiunt, apparentque evidenter, & ad interrogata respondent. Permanet apud exorcistam, donec ipsius votum expleverit. Triginta legiones in sua habet potestate.

§ 47. Zagam magnus Rex & Præses: ut taurus prodit cum alis ad modum gryphi: sed assumpta hominis forma, reddit hominem ingeniosum: transmutat cuncta metallorum genera in monetas illius ditionis, & aquam in vinum, & è diverso: sanguinem quoque in oleum, & contra: & stultum in sapientem. Præest triginta tribus legionibus.

§ 48. Orias Marchio magnus, visitur ut leo, in equo *fortissimo* equitans, cauda serpentina: in dextera portat duos grandes serpentes etiam exibilantes. Callet planetarum mansiones, & vires sidereas perfecte docet. Transmutat homines: confert dignitates, prælaturas & confirmationes: Item amicorum & hostium favorem. Præsidet legionibus triginta.

§ 49. Volac magnus Præses: progreditur uti puer alis angeli, super dracone equitans duobus capitibus. De occultis thesauris perfecte respondet, & ubi serpentes videantur, quos & viribus *de*destitutos tradit in exorcistæ manus. Dominium habet legionum triginta.

§ 50. Go-

§ 50. Gomory Dux fortis & potens: apparet ut mulier pulcherrima: ac ducali cingitur corona, in camelo equitans. Bene & vere respondet de præteritis, præsentibus, futuris, & occultis thesauris ubi lateant. Conciliat amorem mulierum, & maxime puellarum. Imperat legionibus vigintisex.

§ 51. Decarabia vel Carabia, magnus Rex & Comes: venit similis*. Vires herbarum & lapidum pretiosorum novit: efficit ut aves coram exorcista volent, & velut familiares ac domesticæ morentur, bibant & cantillent suo more. Parent huic triginta legiones.

§ 52. Amduscias Dux magnus & fortis: procedit ut unicornu: in humana similiter forma, quando coram magistro suo se sistit: Et si præcipiatur, efficit facile ut tubæ & symphoniæ omniaque musicorum instrumentorum genera audiantur, nec tamen conspectui appareant: ut item arbores ad exorcistæ genu se inclinent. Optimus est una cum famulis. Imperium habet vigintinovem legionum.

§ 53. Andras magnus Marchio: visitur forma angelica, capite nycticoraci nigro simili, in lupo nigro & fortissimo equitans, bajulansque manu gladium acutissimum. Novit interficere dominum, servum & coadjutores: author est discordiarum. Dominatur legionibus triginta.

§ 54. Androalphus Marchio magnus, apparens ut pavo: graves edit sonitus: Et in humana forma docet perfecte geometriam & mensuram spectantia: reddit hominem in argumentando argutum, & in astronomia prudentem, eundemque in avis speciem transmutat. Triginta huic subsunt legiones.

§ 55. Oze Præses magnus, procedit similis leopardo: sed hominem mentitus, reddit prudentem in artibus liberalibus: vere respondet de divinis & occultis: transmutat hominis formam: & ad eam insaniam eum redigit, ut sibi persuadeat esse quod non est, quemadmodum se esse regem vel papam, & coronam in capite gestare: duratque id regnum horam.

§ 56. Aym vel Haborym Dux magnus & fortis: progreditur tribus capitibus, primo serpenti, simili, altero homini duos * habenti, tertio felino. In vipera equitat, ingentem facem ardentem portans, cujus flamma succenditur castrum vel civitas. Omnibus modis ingeniosum reddit hominem: de abstrusis rebus vere respondet. Imperat legionibus vigintisex.

§ 57. Orobas magnus Princeps: procedit equo conformis: hominis autem indutus idolum, de virtute divina loquitur: vera dat responsa de præteritis, præsentibus, futuris, de divinitate & creatione: neminem decipit, nec tentari sinit: confert prælaturas & dignitates, amicorum item & hostium favorem. Præsidet legionibus viginti.

§ 58. Vapula Dux magnus & fortis: conspicitur ut leo alis ad modum gryphi. Reddit hominem subtilem & mirabilem in artibus mechanicis, philosophia, & scientiis quæ in libris continentur. Præfectus est trigintasex legionum.

§ 59. Cimeries magnus Marchio & fortis: imperans in partibus Africanis: docet perfecte Grammaticam, Logicam & Rhetoricam. Thesauros detegit, & occulta aperit. Facit ut homo cursu celerrimo videatur transmutari in militem. Equitat in equo nigro & grandi. Legionibus viginti præest.

§ 60. Amy Præses magnus: apparet in flamma ignea: sed humana assumpta forma, reddit hominem admirabilem in astrologia & omnibus artibus liberalibus. Famulos suppetit optimos: thesauros à spiritibus custoditos ostendit. Præfecturam habet legionum triginta sex, ex ordine partim angelorum, partim potestatum. Sperat se post mille ducentos annos ad Thronum septimum reversurum, quod credibile non est.

§ 61. Flauros dux fortis: conspicitur forma leopardi & terribili. In humana specie vultum ostentat horrendum, & oculos flammeos. De præteritis, præsentibus & futuris plene & vere respondet. Si fuerit in triangulo, mentitur in cunctis, & fallit in aliis negotiis. Libenter loquitur de divinitate, mundi creatione & lapsu. Divina virtute cogitur, & omnes alii dæmones sive spiritus, ut omnes adversarios exorcistæ succendant & destruant. Et si virtute numinis ipsi imperatum fuerit, exorcistæ tentationem non permittit. Legiones viginti sub sua habet potestate.

§ 62. Balam Rex magnus & terribilis: prodit tribus capitibus, primo tauri, altero hominis, tertio arietis: cauda adhæc serpentina, oculis flammeis, equitans in urso fortissimo, & accipitrem in manu portans. Raucam edit vocem: perfectè respondet de præteritis, præsentibus & futuris: reddit hominem & invisibilem & prudentem. Quadraginta legionibus præsidet, & fuit ex ordine dominationum.

§ 63. Alocer

§ 63. Alocer Dux magnus & fortis : procedit ut miles in equo vasto insidens : facies ejus leonina, rubicunda valde cum oculis flammeis : graviter loquitur : hominem reddit admirabilem in astronomia & in omnibus artibus liberalibus : confert bonam familiam. Dominatur triginta sex legionibus.

§ 64. Zaleos magnus Comes : apparet ut miles pulcherrimus in crocodilo equitans, & ducali ornatus corona, pacificus, &c.

§ 65. Wal Dux magnus & fortis : conspicitur ut dromedarius magnus ac terribilis : at in humana forma linguam sonat Ægyptiacam graviter. Hic præ cæteris amorem maxime mulierum conciliat : inde novit præsentia, præterita & futura : confert & gratiam amicorum atque inimicorum. De ordine fuit potestatum. Trigintaseptem legiones gubernat.

§ 66. Haagenti magnus Præses : ut taurus videtur, habens alas gryphi : sed assumpta facie humana, reddit hominem ingeniosum in quibuslibet : cuncta metalla in aurum transmutat, aquam in vinum, & ediverso. Tot legionibus imperat, quot Zagan.

§ 67. Phœnix magnus Marchio: apparet uti avis phœnix puerili voce : sed antequam se sistit coram exorcista, cantus emittit dulcissimos : tunc autem cavendum exorcistæ cum suis sociis, ne suavitati cantus aures accommodent, sed ille mox huic jubeat humanam assumere speciem, tunc mire loquetur de cunctis scientiis admirandis. Poëta est optimus & obediens. Sperat se post mille ducentos annos ad septimum thronum rediturum. Viginti præest legionibus.

§ 68. Stolas magnus Princeps : prodit forma nycticoracis : coram exorcista hominis simulachrum suscipit, docetque absolutè astronomiam. Herbarum & lapidum pretiosorum vires intelligit. Vigintisex legiones huic subjacent.

Legio 6666.

Secretum secretorum tu operans sis secretus horum.

§ 69. Observa horas in quibus quatuor reges, scilicet Amoymon rex Orientalis, Gorson rex Meridionalis, Zymymar rex Septentrionalis, Goap rex & princeps Occidentalis possunt constringi, à tertia hora usque ad meridiem, à nona hora usque ad vesperas.

Item Marchiones à nona usque ad completorium, vel à completorio usque ad finem diei.

Item

Item Duces à prima usque ad meridiem: & observatur cœlum clarum.

Item Prælati in aliqua hora diei.

Item Milites ab aurora usque ad ortum solis, vel à vesperis usque ad finem solis.

Item Præses in aliqua hora diei non potest constringi, nisi rex cui paret, invocaretur, & nec in crepusculo noctis.

Item Comites omni hora diei, dum sunt in locis campestribus vel sylvestribus, quo homines non solent accedere, &c.

Citatio Prædictorum spirituum.

Quam religiosus hic diabolus.

UBi quem volueris spiritum, hujus nomen & officium supra cognosces: inprimis autem ab omni pollutione, minimum tres vel quatuor dies mundus esto in prima citatione, sic & spiritus postea obsequentiores erunt: fac & circulum, & voca spiritum cum multa intentione: primum vero annulum in manu contineto: inde hanc recitato benedictionem tuo nomine & socii, si præsto fuerit, & effectum tui instituti sortieris, nec detrimentum à spiritibus senties: imo tuæ animæ perditionem.

Blasphemia mera, & detestandus nominum divinorum abusus.

§ 2. In nomine Domini nostri Jesu Christi † patris & † filii & † spiritus sancti: sancta trinitas & inseparabilis unitas te invoco, ut sis mihi salus & defensio & protectio corporis & animæ meæ, & omnium rerum mearum. Per virtutem sanctæ crucis † & per virtutem passionis tuæ deprecor te domine Jesu Christe, per merita beatissimæ Mariæ virginis & matris tuæ atque omnium sanctorum tuorum, ut mihi concedas gratiam & potestatem divinam super omnes malignos spiritus, ut quoscunque nominibus invocavero, statim ex omni parte conveniant, & voluntatem meam perfecte adimpleant, quod mihi nihil nocentes, neque timorem inferentes, sed potius obedientes & ministrantes, tua districte virtute præcipiente, mandata mea perficiant, Amen. Sanctus sanctus sanctus dominus Deus Sabaoth, qui venturus es judicare vivos & mortuos: tu qui es Α & Ω, primus & novissimus, Rex regum & dominus dominantium Joth Aglanabrath El abiel anathi Enathiel Amazin sedomel gayes tolima Elias ischiros athanatos ymas heli Messias, per hæc tua sancta nomina & per omnia alia invoco te & obsecro te domine Jesu Christe, per tuam nativitatem,

Insignis meritorum Christi contemptus.

tem, per baptismum tuum, per passionem & crucem tuam, per ascensionem tuam, per adventum spiritussancti paracliti, per amaritudinem animæ tuæ, quando exivit de corpore tuo, per quinque vulnera tua, per sanguinem & aquam, quæ exierant de corpore tuo, per virtutem tuam, per sacramentum quod dedisti discipulis tuis pridie quam passus fuisti: per sanctam trinitatem, per individuam vnitatem, per beatam Mariam matrem tuam, per angelos & archangelos, per prophetas & patriarchas, & per omnes sanctos tuos, & per omnia sacramenta quæ fiunt in honore tuo: adoro te & obsecro te, benedico tibi & rogo, ut acceptes orationes has & conjurationes & verba oris mei, quibus uti voluero. Peto Domine Iesu Christe: da mihi virtutem & potestatem tuam super omnes angelos tuos, qui de cœlo ejecti sunt ad decipiendum genus humanum, ad attrahendum eos, ad constringendum, ad ligandum eos pariter & solvendum: Et ad congregandum eos coram me, & ad præcipiendum eis ut omnia, quæ possunt, faciant, & verba mea vocemque meam nullo modo contemnant: sed mihi & dictis meis obediant, & me timeant, per humanitatem & misericordiam & gratiam tuam, deprecor & peto te adonay amay hortan vigedora mytay hel suranat ysion ysyesy & per omnia nomina tua sancta, per omnes sanctos & sanctas tuas, per angelos & archangelos, potestates, dominationes & virtutes, & per illud nomen per quod Salomon constringebat dæmones, & conclusit ipsos Elhroch eban her agle goth joth othie venoch nabrat, & per omnia sacra nomina quæ scripta sunt in hoc libro, & per virtutem eorundem, quatenus me potentem facias congregare & constringere omnes tuos spiritus de cœlo depulsos, ut mihi veraciter de omnibus meis interrogatis, de quibus quæram, responsionem veracem tribuant, & omnibus meis mandatis illi satisfaciant sine læsione corporis & animæ meæ & omnium ad me pertinentium, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate spiritussancti Deus per omnia secula.

§ 3. O pater omnipotens, ô fili sapiens, ô spiritus sancte corda hominum illustrans, ô vos tres in personis, una vero deitas in substantia: qui Adam & Evæ in peccatis eorum pepercistis, & propter eorum peccata mortem subiisti tu fili turpissimam, in lignoque sanctæ crucis sustinuisti: ô misericordissime, quando ad tuam

confugio misericordiam, & supplico modis omnibus quibus possum, per hæc nomina sancta tui filii, scilicet Α & Ω, & per omnia alia sua nomina, quatenus concedas mihi virtutem & potestatem tuam, ut valeam tuos spiritus qui de cœlo ejecti sunt, ante me citare, & ut ipsi mecum loquantur, & mandata mea perficiant statim & sine mora, cum eorum voluntate, sine omni læsione corporis, animæ & bonorum meorum, &c. Continua ut in libro * *Annuli* Salomonis continetur.

§ 4. O summa & æterna virtus Altissimi, qui te disponente his judicio vocatis * vaycheon stimulamaton ezphares tetragrammaton olyoram irion esytion existion eryona onela brasym noym messias sother emanuël sabaoth adonay, te adoro, te invoco, totius mentis viribus meis imploro, quatenus per te præsentes orationes & consecrationes & conjurationes consecrentur videlicet, & ubicunque maligni spiritus in virtute tuorum nominum sunt vocati, & omni parte conveniant, & voluntatem mei exorcisatoris diligenter adimpleant, fiat fiat fiat, Amen.

§ 5. Hæc blasphema & execranda hujus mundi *fæx* & *sentina* pœnam in magos prophanos bene constitutam, pro scelerato mentis ausu jure meretur.

FINIS.

JOAN-

JOANNIS WIERI

DE

LAMIIS

LIBER:

ITEM

DE

COMMENTITIIS JEJUNIIS.



AMSTELODAMI,


Apud PETRUM van den BERGE.

MDCLx.

Illustri & generoso Domino,

D. ARNOLDO,

Comiti Benthemii, Tichelenburgi, Steinfordiæ, Domino in Rheed & Wivelichoven, *Ioannes Wierus* fœlicitatem.



Psa re comperio verissimum esse, Comes illustris, quod tam multis retro annis divinus ille præco & Apostolus Christi Paulus, suum instituens Timotheum, vaticinatus est, in postremis scilicet temporibus futuros, qui à fide desciscent, spiritibus impostoribus & doctrinis dæmoniorum adhærentes. Quanquam enim ante Christi tempora suis ludibriis universum terrarum orbem varie conspurcarat diabolus, adventu tamen æterni illius Dei filii evanescere cœperunt innumeræ dæmonum præstigiæ, cessaruntque passim oracula, & quæcunque divinationum impiarum genera. Hinc & legationis suæ ministerio ultra annos triginta perfungens Christus, doctrina & opere fraudulentos Satanæ conatus fortiter oppugnando repressit infregitque. suis postea discipulis eandem provinciam committens: qui porro summa fide & indefesso labore strenuam hic navarunt operam & Satanæ regnum undique adorsi, tantum non funditus illud everterunt. Verum enimverò quum indormientibus huic studio posteris, Evangelicæ veritatis lux rursus cœpisset obscurari, nervum ille denuo nactus, variis technis, & quibuscunque novis illusionibus (cujusmodi sunt & illæ, quarum falsò insimulantur nostræ Lamiæ) Christi doctrinam pessundare, hominum mentes effascinare, oculosque perstringere conatus est. Quæ gra-

1 Timot. 4.

Iustinus in Dial. adversus Judæos.

Athanas. de Hum. verbi, ejusque corporali adventu.

August. de Civit. Dei

Euseb. lib. VII. cap. 6. & lib. V. c. 18.

vis tunc fuit ruina Ecclesiæ: cujus tamen reliquias multos annos, sub densa licet caligine, conservare adhuc ex immensa misericordia dignatus est benignissimus Deus. Interia vero singulari illo splendore destituti mortales, neque verum exquirere, neque falsa dijudicare potuerunt: sed imprudenter omnino, quasi luce menti erepta, huc & illuc fluctuantes, cæco quodam affectuum ductu, & illusionum dæmoniacarum impulsu, in quoscunque etiam crassissimos errores, ceu perpetuæ obscuritatis latebras prociderunt, donec tandem clementer suos respexerit cœlestis pater, & abactis quas Satan offuderat umbris, nos totos iterum veritatis suæ radiis ex gratia illustrarit. Eoque nomine quicunque nostro hoc ævo luminis illius sunt facti participes, gratias numini divino debent infinitas, quippe qui genuinam filii Dei doctrinam à vanis hominum persuasionibus, & insidiosis diaboli machinationibus solertius distinguentes, illam vera fide & ardenti zelo religiose amplexi sunt, has ediverso constanter damnarunt & rejecerunt. Quocirca etiam plures nunc annos conatuum suorum effectu multum frustrari se, sensit juratus ille generis humani hostis, & mille artium architectus: ut proinde ditionis Christianæ pomærium longius quotidie extensum iri, communis piorum omnium spes esset. Cæterum viceversa jam nunc extrema adesse tempora, quæ vas illud electionis tot annorum intervallo prædixisse monui. vel hinc manifesto liquet, quod præter enatas in civilibus hisce motibus ac intestinis bellis enormium flagitiorum erynnes, præter datam impune quidvis fere perpetrandi licentiam, amentium denuo anicularum mactationes & bostiæ (mira odoris fragrantia satanæ nares feriente) aliquandiu sepultæ, crudeliter in lucem revocentur, non modo à supremis tam Ecclesiastici quam politici ordinis Magistratibus, qui ad exortum cœlitus veritatis solem cæcutire, quam diabolica hæc stratagemata intelligere malunt. verum etiam ab illis qui divinorum mysteriorum cognitione & vocis cœlestis intelligentia mire sibi placent. At profecto non ab æterno illo bonitatis & misericordiæ fonte, innocentium hujusmodi

modi laniena ortum habent: verum ab immanissimo universæ mortalitatis, & potissimum Ecclesiæ Christi adversario tales suggeruntur carnificinæ. Quibus etsi me validis præsidiis opposuerim in editione sex librorum de Præstigiis dæmonum: tamen ubi phalarides denuo contra nostras Lamias nemini noxias citra exactam causæ cognitionem reparari viderem, meam de iis sententiam quam potui brevissime contrahere volui, ac omnium oculis clare inspectandam proponere, ut pluribus succincta hujus labyrinthi explicatione delectatis inserviatur, nec tantum innoxii sanguinis confuse effundatur. Huic appendicem de Commentiis jejuniis addidi, maxime ob ementitam Barbaræ Vnnensis, duodecim annorum puellæ abstinentiam, quæ tamen pro vera publicis scriptis non modo per Germaniam, sed apud exteros quoque evulgata celebrataque fuit. Hos obulos duos cum paupercula vidua ad templi ædificationem in gazophylacium offero. Si quis se ditiorem senserit, is meam inopiam pro sua facultatis ubertate citra controversiæ affectum supplere, vel saltem sublevare studeat: uni siquidem non quidvis datum esse, libenter agnosco: quicquid autem id est, pluribus quidem prodesse, nemini vero obesse poterit. Hunc porro laborem tuæ Clementiæ nuncupare consecrareq; volui justis de causis, eisque multis. Quum etenim ad ditionum tuarum administrationem perveneris, atque in eisdem, quemadmodum & in circumjacentibus provinciis, suos excitarit perpetuus mortalium hostis, homicida ab initio, atque efferatus omnis tranquillitatis eversor, qui ipsius ludibriis dementati, de iis imposturis & actionibus quæ Lamiis, quas dicunt, hactenus tumultuarie attribuuntur, imprudentius censent, tuæ Clem. hoc nostrum scriptum, velut filum cujus ductu ex hoc labyrintho extricari secure queas, offerre volui. Eò autem tibi gratius id fore, mihi persuadeo, quod optime in puriori doctrina Christi & vera religione institutus, non tam facilem te diabolicis machinationibus fallaciisque, vel humanis etiam fraudibus dedas. Cujus rei quam memorabile exemplum, mihi non ignotum, haud ita pridem à tua Clem. Benthemii

De commentitiis jejuniis.

editum

editum est, ubi heroico filio fœliciter, auxilio cœlestis gratiæ donabaris loco aliis inauspicato; ex illustri insigniterque pia tua vitæ socia, Domina Magdalena vetustissimæ Nivenariorum Comitum domus filia. Adhæc, quum in optimis sis enutritus disciplinis, de nostro hoc labore, vel potius paradoxis, tu doctus, pronunciare certius poteris: talem profecto lucubrationum nostrarum censorem requiro & patronum. Hic insignem tuam modestiam, innatam naturæ bonitatem, ac illustrem tuam humanitatem, eximiæ magnitudini conjunctam, cum reliquis egregiis tam animi quam corporis dotibus, ne quidem attingere volo, ne magis hoc laudum tumulo, adulationis suspicionem incurram, quam te justo celebrem encomio, quod doctiorem requirit stylum, & longiorem postulat orationem. Quapropter & nihil dicam de pervetusta generis claritate, avorum & proavorum ordine nobilissimo: Nihil de matre Domina Anna indolis raræ matrona, ex illustrissima Hessorum stirpe oriunda, optime de me merita: Nihil item de affinitate, qua potentissimo piissimoque totius Germaniæ Principi, Palatino Electori D. Friderico per Dominam Æmiliam nunquam satis laudatam ipsius Celsit. conjugem, ac tuæ uxoris sororem, conjunctissimè unitus es. Quorsum hic jejunè recensenda, quæ cunctis multa cum laude tua innotuere? Hoc solum quam submisse oro, ut benevolo animo hoc meæ erga tuam Clem. observantiæ argumentum complectaris. Sic me non impegisse in tetrum illud ἀχαριστίας crimen, in animum inducam: quam etenim tuæ Clem. sim obstrictus ob tuorum in me beneficiorum cumulum, non sum nescius. Vicissim itaque me totum, & quicquid in me est, tibi offero dedicoque, ac meam posteritatem tuæ Clem. commendo: Deum Opt. Max. à quo uno salus omnis petenda, suppliciter deprecans, ut pro immensa bonitate sua te & piissimam conjugem ab omni malo conservare cunctis diebus vitæ vestræ dignetur, quo Spartam quam nactus es, feliciter exornare, & commisso gregi fideliter beateque præesse queas.

DE

DE LAMIIS.

ATIS justas Deo Opt. Max. gratias agere nequeo, quod meo calamo tale suppeditarit scribendi argumentum, cujus publicatione effectum sit, ut & plurimis in locis deferbuerit sævitia grassandi in sanguinem innocentem: & truculenta atrocitas ac diaboli tyrannis à laniena humana, qua nullum ipsi fragrantius est holocaustum, arceatur. Video enim, librorum de Præstigiis dæmonum editione me eam consecutum usuram, ut celebriores quidam magistratus miserrimas anus, quæ odioso lamiarum nomine apud plebeia judicia notantur, non solum mitius tractent, verumetiam à capitali supplicio absolvant contra consuetudinem diuturna temporum præscriptione & auctoritatis præjudicio inductam. Quinetiam frequentes congratulationes hominum eruditissimorum cujuscunque etiam professionis, status, & religionis, prolixe testantur meas lucubrationes non esse omnino infructuosas, quum in meam sententiam sua approbatione descendere multi certe videantur. Postquam vero longioris tractationis (quam tamen argumenti difficultas & magnitudo postulat) tædio eosdem libros subsultim vel inspici solum, vel persunctoriè legi à quibusdam, nec argumentorum vim satis perpendi intelligam: quæ de Lamiis discutienda obveniunt, brevibus proponere volui, ne quid delicatulum Lectorem à judicii nostri cognitione penitiore tardaret.

§ 2. Cæterum ferme fit, ut mota disputatione de lamiarum actionibus, sacræ mox Scripturæ testimonia objiciantur, in quibus magi vel malefici sive incantatoris aut etiam præstigiatoris, ut alii interpretantur, sive venefici nomen legitur, eoque denotari nuncupatas vulgo lamias vel sagas, statim indistinctius asseratur. Comperio autem, prodigiosos hos homines cum suis artibus, præstigiis illicitisque divinationibus, varie à Rabinis & Hebræis interpretibus exponi, diversis etiam nominibus reddi à nostris Latinis, nec Hebraismo exacte, vel Latinæ translationi consonare Græcam. Manifestius id erit, si contextum Hebraicum cum quacunque versione non oscitanter contuleris, Rabinorumque & interpretum judicia attentius observaveris omnibus his locis, ubicunque ulla horum portentorum fit mentio: Quemadmodum

Exodi cap. 7. 8. 9. 22. Levit. 19. 20. Deuteron. 18. Hierem. 27. Daniel 2. 2 Reg. 21. 2 Paralip. 33. & reliquis.

§ 3. Convenientiſſimum itaque arbitratus ſum, exulceratiſſimo potiſſimum hoc ſeculo, & tam adhuc in dæmoniacarum ejuſcemodi impoſturarum dignotione & cenſura indocto rudique, primum Lamias ab aliis quibuſcum ſine diſcrimine utplurimum confunduntur, ſejungere, ne tenebras offundat in illa opinionum varietate, vocum & nominum permixtio, unde res ſæpenumero inextricabilibus adeo implicantur involucris, ut vix ullus poſtea ſe Theſeus offerat, cujus ductu aliquis commonſtretur exitus. Talis profecto hactenus extitit infamis magiæ, incantationum & veneficiorum labyrinthus. Hac ratione internoſcentur clarius, de quibus mihi hic ſermo erit: Conſtabit & palam, ubi ab aliorum malè inolita opinione, rationis & ſacroſanctæ Scripturæ baſi firmiter innixus, non temere diſſentiam.

Quid magus infamis.

CAPUT I.

Magus infamis. MAGI infamis nomen generalius erit, nec tam anguſtis conſtrictum cancellis: Lamiarum vero & veneficarum appellatio ſtrictioribus circumſcribetur limitibus. Magum ſiquidem nuncupo, qui à dæmone vel ab aliis aut è libris voluntariè edoctus, præſcripta barbarorum, ignotorum aut cognitorum verborum formula, recitata, ſubmurmurata applicatave: Vel characteribus quibuſcunque aut exorciſmis diriſque execrationibus aut ceremoniis, ſolennibus ritibus, aut rebus plerunque adjunctis, pro ſuo arbitrio, dæmonem in præſtigioſum, fallax vel alioqui ludicrum miniſterium, illicitè evocare conatur, ut aſcititia ſeſe vel conſpicua oſtendat imagine, vel aliter prodat, & ad quæſita vel voce vel ſuſurro, ſive picturis, ſive notis, ſeu quocunque alio modo reſpondeat: vel qui aliud opus ſimili ratione præter naturæ legem perficere nititur. Sub hoc etiam nomine illos comprehendo, qui ab Hebræis, Græcis & Latinis hic variis dicti nominibus ſuperſtitioſe modoque vetito futura prædicunt.

ἐπῳδός. § 2. Hunc magum γόητα vel ἐπῳδὸν (licet hæc vox minus generale magorum ſit nomen) Græcis dictum, ſupra naturæ ordinem

sæpe etiam aliquid moliri apparet in formando multifariam aëre ficto, in quacunque specie ostentanda, in mortuorum spectris educendis, in rerum abstrusarum aut alioqui longe dissitarum commonstratione: breviter, miracula hic facere creditur: Quem honestiore vocabulo etiam θεουργὸν vocare audent, licet quodam discerniculo, quasi illum ut artibus illicitis deditum censeant damnandum, hunc vero laudabilem: quamvis utrique sint ritibus dæmonum fallacibus obstricti sub angelorum nominibus. *θεουργὸς.*

§ 3. Hujus factionis fuere famosi illi Pharaonis magi, qui mox ubi de Lamiis disceptatur consultaturve, ab omnibus obtruduntur, quasi iidem utrorumque sint actus, quos longe lateque differre sentio. Ut igitur omnium obtutui hæc magorum potestas vel potius fabula & ludibria magis pateant, clariusque innotescat horum & illarum discretio, agite oculis minime delusis contemplemur, solertique indagine investigemus magorum vel maleficorum Pharaonis conatus, opera & potentiam.

§ 4. In manu Mosis, electi omnipotentis Dei ad Pharaonem legati, virga revera in vivum, Dei verbo, transformatur draconem vel serpentem. Quo documento se à Deo cœli & terræ & omnium quæ in eis sunt, conditore unico (cujus quippe solius est creare, & res vere transmutare) missum esse testatur. Quod autem idipsum à Pharaonis magis, carminibus factum Scriptura dicit, rem altius introspiciens, non eandem quæ à Mose vere ostensa est, metamorphosin, sed saltem serpentis præstigiosam formam, obtutibus impii regis offusam apparuisse intelliget: Quare etiam mendax serpentis magicæ vanitatis facies, in præstigiis revelationem à vero Mosis serpente devorabatur, uti mendacium à veritate vincitur absorbeturquè. Propterea, Josepho teste, Moses inquit: Jam declarabo manifeste; non esse hæc præstigias veritatis specie parum cautis imponentes, sed ipsissimam Dei virtutem, argumentum omnipotentis illius voluntatis apud incredulos futuram. Et cum dicto virgam in terram mittit, jubens ut fiat serpens: Quæ mox dicto parens, Ægyptiorum virgas; quæ serpentum specie reptabant, unam post aliam aggressa, omnes ad unum devoravit.

Exod. 7. Veritas transformationis in opere Mosis. Præstigia Magorum Pharaonis. Lib. 11. cap. 5. Antiq. judaic.

§. 5. Enimvero si verus extitit magorum serpens, dæmonis ope ex virga ita transformatum esse oportuit. Ineptam autem prorsus esse ut in vivam bestiam transmutari queat, virgæ materiem,

riem, cuivis liquido constat: Quemadmodum creare etiam ex nihilo, vel rem in multo dissimillimam aut etiam contrariam pro suo arbitrio vere transfundere essentiam, penes diabolum est minime. Corpoream materiam non subjici potentiæ dæmonis, quantum ad transmutationem ipsius ad formam, confirmat Augustinus: Non est putandum, inquiens, istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc rerum visibilium materiem, sed soli Deo. Fatendum, tamen, dæmones etiam celeritate incredibili quibusdam rebus emotis, serpentes, dracones vel quid aliud earum loco subjicere posse. Magi signa videbantur potius facere, quam faciebant, ait Clemens. Recte hic Jamblichus de Mysteriis: Quæ fascinati imaginamur, præter imaginamenta, nullam habent actionis & essentiæ veritatem. Ejusmodi nanque finis est magicæ artis, non facere simpliciter, sed usque ad apparentiam imaginamenta porrigere, quorum mox nec vola (quod dicitur) nec vestigium apparet.

3 Trinit.

3 Recogn.

§ 6. Eodem censendum modo reliquis signis, quod *nimirum* Moses elevans manum, virga ferierit fluminis aquam *coram Pharaone* & servis ejus, quæ tota mutata est in sanguinem: *Mortuisque* piscibus tantus extitit fluminis fœtor, ut Ægyptii de ejus aqua bibere non possent, totaque Ægyptus sanguine redundaret. Idem suis incantationibus Ægyptiorum magi effecerunt, à quibus plerique omnes Ægyptii idololatræ & idonea satanæ organa pendebant, quorum oculis cujuscunque coloris aut imaginis spectrum fraudulenter offerre, Dei permissu, dæmonio facile erat, ut cor illud Pharaonis (quod Deus prævidebat fore ut induraretur) justo Dei judicio, majori occallesceret duricie; *meritamque* tandem ille lueret pœnam. Magorum autem fuisse *præstigias* facinus illud, vel hinc palam est, quod unicus ille Ægypti fluvius Nilus in sanguinem conversus erat, ejusque pisces computruerant opera Mosis servi Dei. Nec ulla præterea erat reliqua universæ Ægypti aqua non tincta, ut Ægyptios omnes undique circum flumen aquam effodere quam biberent, oporteret. Unde proculdubio colligendum, magos tantummodo pauculæ aquæ antea in vase conservatæ vel effossæ rubicundam præstigiose faciem ostendisse suis carminibus vel fascino, ut testatur Scriptura, hoc est ludificante dæmonum operatione. Hi etenim agitatis ad hanc delusionem commodis humoribus, spiritum opticum vel visualem quibuscunque imaginibus imbuere queunt, quem-

quemadmodum plerisque melancholicis usuvenire observamus.

§ 7. Sic in hypochymatis vel suffusionis oculorum initio ex humoris affluxu ad visus organa veluti pusillos culices obversari intelligimus, interdum quasi ducentia quædam corpuscula, plerunque veluti caliginosa se oculis offerre, nonnullis tanquam lanarum filamenta & aranearum telas apparere, quibusdam circa lucernas circulos videri. Plerisque item regio morbo laborantibus, propter suffusam bilem omnia lutea & flavescentia sese ostendere apparet: atque hæc fiunt magis vel minus, hac vel illa forma, secundum humorum & spirituum visoriorum constitutionem, quemadmodum naturæ peritis cognitum perspectumque est.

§ 8. Quid aliud dicendum de ranis ex Ægypti fluminibus eductus, quibus terra est cooperta, Aarone ex Dei mandato manu virgam in fluvios & lacus protendente? Magorum ranas solummodo fuisse eadem ratione mere imaginarias, hinc luce meridiana clarius evadit, quæ tantam ranarum colluviem eos creare oportuisset, munus soli Deo peculiare, nec ulli unquam creaturæ, multo minus satanæ ejusve clientelæ concessum. Singularis hæc Dei ab initio fuit & mansit prærogativa, qua alium nullum dignatus est unquam. Adhæc, si veras in terram ex aqua magi produxissent ranas, utique & reducere universum hoc ranarum genus eadem arte potuissent. Proclivius etenim fuit multo, visas in nativum naturalemque suum locum, fluvium quippe & lacus repellere, quam in domos, penetralia, cubicula, cubilia, furnos, cellas, loca hisce animalibus aliena, imo adversissima, primum eas non apparentes excire, ubi illis moriendum esset: Quum in aquis, ut designato his vivario, libere victitent: Aut saltem vitam illis adimere, quibus donasse videbantur, facilimum fuisset. Vel quam sortitos credemus magos nocendi aut perficiendi potentiam, si ne ranas quidem lædere, aut carminibus, quibus eductæ putabantur, tantum abigere valuerunt? Hoc usqueadeo nequiverunt, ut Pharao rex posito priore supercilio coactus fuerit suos adversarios Aaronem & Mosem hortari, ut Deum pro depellendis à se suoque populo ranis deprecarentur. Quod etiam ita factum est, definitoque die ranæ sunt exterminatæ à domibus, eisdemque mortuis in cumulum coacervatis fœtebat regio.

Exod. 8. Ranæ Ægyptiæ.

Genes. 1.

Creare solius Dei est.

§ 9. Sic Pharaonem etiam invitum Domino Deo incomparabili honorem deferre oportuit: Quemadmodum & ipsos magos, pe-

nes quos ea potestas minime fuit. Nam quum Deo non amplius præstigias permittente, cyniphes vel pediculos, tum homines tum bestias infestantes producere, Aaronem & Mosem imitati, nequicquam tentassent: coram Pharaone confessi sunt, Digitus Dei hic est: quasi dicerent, Digitus vel potentia Dei est, quæ vere progignit & condit ex pulvere, vel etiam nihilo, quicquid pro suo arbitrio vult, & quando illi placitum est. Id vero quod à nobis effectum vidisti, satanæ digitus est, qui nihil unquam revera procreare, sed phantasticam solum rerum imaginem dolose ostentare potest: Quare nos ejus clientes, ministrorum ipsius omnipotentis Dei veritatem imitati sumus præstigiis, quibus te ac tuum populum hactenus illusimus, Deo vero ob tuam incredulitatem & cordis duriciem connivente. At cessat nunc illa permissionis hora, ut non amplius dæmonii ludibriis relinquatur locus, sed Dei viventis veritati testimonium perhibere cogamur. Ita Dei manum jam agnoscunt, qui ei antea suis imposturis derogarunt: Dei gloriam prædicant, qui suis eam fucis prius obscurarunt. Nec postea vivum usqueadeo Deum glorificassent, nisi antea impediti, frustra suam tentassent artem. Nec Deo tam justa puniendi contumaces occasio fuisset reliqua, nisi ad præstigias prius connivisset, deinde impediisset, quo se suamque potentiam notam faceret, ostenderetque illam longe esse aliam, ac veluti ex diametro pugnantem cum ea quam Ægyptii idololatræ & magi in veri Dei contemptum hactenus adeo venerati essent. Iustinus martyr in explicationibus quæstionum Christianis propositarum quæstione 26. asserit, magorum Pharaonis miracula non fuisse vera, sed spectantium fascinatione oculorum opera dæmonum. Id ipsum & in Decretis legitur, in 2. parte cap. 26. quæst. 5. Episcopi. Quin & Avitus Alcimus episcopus Viennensis, qui claruit sub Zenone & Anastasio Imp. anno 490. eandem quam tuemur sententiam, elegantissimis versibus exprimit lib. 2. de peccato orig. Hos Ægyptios incantatores Iannem & Mambrem fuisse, scribit Fulgosus lib. VIII. cap. II.

Luc. 11.

§ 10. Hi incantatores, magiam prophanam exercentes, aut si voles, præstigiatores, Hebræis dicuntur hartumim, Græcis ἐπῳδοί. Vox item illorum Habar traducitur Latine incantare, ἐπᾴδειν Græce, quando scilicet arcana quædam verba à magis mussantur, quibus efficacia inesse mira putavit. Quale illud est Virgilii nostri:

Eclog. 8.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Quin

Quin & David ejuſcemodi miracula fieri per tales incantationes videtur de aſpide ſurda ſignificare, cujus mentionem facit Pſal. 58. Quo loco utitur verbo iſto Habar, & ſimul verbo Lahas, quod idem ſignificat.

De Malefica in Endor.

CAP II.

HINC porrò ad mulierem in Endor maleficam, vel Pythonis ſpiritu impraegnatam confugitur, quaſi & illa fuerit una ex Lamiarum noſtrarum numero, ſed & eam fuiſſe magicæ artis conſciam, quæ dæmonis adminiculo freta illudebat decipiebatque, & propterea à Lamiis noſtris fuiſſe alienam, oſtendere conabor.

§ 2. Hæc Samuelem excitaſſe legitur, è terra aſcendentem ſolito corporis habitu & veſtitu, ac futura in Dei manu adhuc poſita prædicentem. Eccleſiaſtici quoque author tradit, ipſius Samuelis hæc acta & vaticinia fuiſſe, quum ait: eum dormiviſſe, regi notum feciſſe finem vitæ ſuæ, exaltaviſſe vocem ſuam è terra, & vaticinatum eſſe, Delendam eſſe impietatem gentium. *1. Reg. 28* *Eccleſ. 46*

§ 3. Etſi verò hiſtoriæ circumſtantiæ, & Jeſus Syrach aſſerere videantur, ipſum apparuiſſe Samuelem: penitius tamen rem intuenti oſtendam, non ipſum Samuelem, ſed hujus imagine diaboli ſpectrum, Pythiæ fœminæ libenter obſecutum, ut ludificaret, viſum fuiſſe.

§ 4. Primò disertè ſeveroque edicto, à mortuis quæri veritatem, vetuit divina vox, mulcta mortis conſtituta: nec per eos doceri vult vivos, nec ab iis aliquas expectare patefactiones. Non inveniatur in te conſulens mortuos: qui hoc facit, eſt βδέλυγμα Deo ſuo: hoc eſt, res talis quam odit Deus, abominatur, & in æternam abjicit damnationem. Proinde nos ſuo verbo, in quo ſeſe & voluntatem ſuam expreſsè declaravit, inniti firmiſſimè voluit Chriſtus, inquiens: Moſen habent & prophetas. *Deut. 18.* *Luc. 16.*

§ 5. Adhæc piorum animas maleficarum carminibus è deſignata à Deo ſede evocari, & in corpora inhumata compelli, vel falſiſſimum eſt: vel ne in ſinu quidem Abrahæ, loco beatis aſſignato, tutæ exiſtunt eorum animæ, in Domini manu conſervatæ. At ſatanam *Magorum carminibus non obediunt beatorum animæ.*

nam nihil unquam ab hac morte in sanctorum animas potuisse, nec bonos spiritus magicis artibus obedire: nec secretas semel à corporibus & collocatas in definitis sedibus animas, si revocentur, redire, ut ethnicis persuasum erat, confessum est hactenus: Sed ascititia se illarum imagine ostentant dæmones. Quocirca non à mortuis ipsis, verum à dæmonibus illorum habitu vestitis νεκυομάντεις responsa accipiebant: quæ, si illi integris & expressis mortuorum corporibus cernerentur, νεκυομαντεία: Sin vero tenues, nebulosas & evanidas sibi circum funderent umbras, σκιομαντεία nuncupabantur. Vere nimis Chrysostomus ait: Non anima defuncti est quæ dicit, Anima talis ego sum, sed dæmon, qui hæc, ut homines decipiat, sic confingit. Ibidem: Animæ sunt in loco certo, & expectant judicium, neque se inde possunt commovere.

νεκυομαντεία. σκιομαντεία. In Matth. homil. 29.

§ 6. Antea quoque Samuel plus minus biennio mortuus fuerat, & ejus corpus si non omnino computruerat, tamen ita deformatum fuisse certum est, ut eximia illa specie viva, *qua antea innotuerat*, & qua nunc se denuo fictus sistit Samuël, *apparere nequiverit*: neque etiam deorum magnificentiam referre potuisse cadaverosum corpus, quilibet novit: Quum tamen deos è terra ascendere, se contueri affirmaret divinatrix. Multo quivit minus loqui & vaticinari.

§ 7. Quorsum etiam Samuëlis piissimi vatis tam diu sepulti corpus, pallium consuetum eodem momento ex impiæ fascinatricis mulierculæ imperio incorruptum assumpsisset, quod in sepulchrum secum non assumpsit, nec eo amiciebatur *mortuus*? Hoc autem sanctissimi viri spectrum ostentare, illi fuisse *facile*, inficias ire nolo, qui se in lucis angelum transformat, *cumprimis* apud impium regem, tum perditam satanæ servulam.

2 Cor. 11.

§ 8. Deinde quum ipsa historia paulo ante testetur, Deum contumaci & abjecto regi Sauli ipsum consulenti responsa dare noluisse, vel per viventes prophetas aut sacerdotes, vel per somnia: Multo minus per divinum vatem ex morte suscitatum, quem nec vivum audire voluit, vel per angelum è cœlis missum respondit regi, quem in furore suo omnino repudiarat. Quo etiam nomine motus Saul, Pythiam divinatricem professionis ergo publico *edicto* juxta Dei voluntatem ex Israël exulantem, furtive vero *latentem*,

sem, iniqua ratione consulere statuit, quasi indignabundi animi institutum fuisset.

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Ideo non potuit non odisse & execrari hoc factum Deus, & justo judicio deploratam illusione dæmoniaca Saulis impietatem contra suum & ipsius præceptum, contra etiam conscientiæ testimonium designatam punire, ut in præfracti Saulis mentem satanæ fascinum merito permiserit. Nec novum aut inauditum hoc est, ubi quos pertinaces impietatis homines esse prævidet præscitque, magis solet excæcare, indurare, spiritui mendacii relinquere, & in reprobam tradere mentem. Exemplum esto Pharaonis invicta pertinacia, fides mendacibus spiritibus data, & extrema inde punitio.

§ 9. Quod porro historia commemorat, Samuëlem senem pallium indutum, indigne tulisse, quod è sua quiete excitus esset, atque eum Sauli regi locutum vaticinatumque fuisse: hinc non convincitur, verum extitisse Samuëlem hoc spectrum: Quod diabolo spiritui milleartifici non sit difficile quamcunque formam mentiri, quidvis fingere, simulare, & de futuris jam antea vaticinio patefactis prædicere: Maxime vero, de quibus manifesta præludia, & eventus minime dubii indicia in foribus fere videbantur. Nec ignoravit Satan, certissima esse quæ Sauli vaticinatus fuerat vir Dei Samuel: Ideo à Samuële antea prædicta repetit, potuitque non temere conjecturam facere ex apparatu hostium magnifico & instructis copiis, item ex dictis, factis & circumstantiis reliquis belli præsentis, quam sortem in eo conflictu assequeretur Saul: Potissimum quum ipsum à Deo abjectum, nec resipiscentem, & adversus Dei mandatum postremo Pythiam vatem, diaboli mancipium consulentem, in sua haberet potestate, atque pro suo impellere nutu, & præsentis prælii objicere posset exitio. Ideoque Saulem mortuum testatur Scriptura in transgressione sua, qua prævaricatus erat contra Dominum, nempe contra Domini verbum, quod non custodivit, & quod Pythonem consuluit interrogando, neque requisivit Dominum: Ob hoc interfecit eum, translato regno ad Davidem filium Isai. *1 Paral. 10.*

§ 10. Porro si Jesu Syrach testimonium urgeatur (quanquam Hieronymo teste, illi ab Ecclesia non concedatur authoritas dogmata confirmandi ecclesiastica, nec rerum earundem controver- *Iesu Syrach authoritas.*

sias dirimendi: Hæc tamen quoque addere libet, ne pia hujus libri doctrina elevari putetur, Jesum Syrach solummodo ex primo Samuëlis libro historiam proponere: Quod factum est, simplici enarrare oratione, quemadmodum legitur, ut ad avitæ virtutis æmulationem posteros invitaret provocaretque: Samuëlis item laudes succincte recensere, minime differere voluisse, verane an ficta fuerit Samuëlis apparitio.

Illusionem fuisse Samuelis apparitionem, censent Hebræi.

§ 11. Inter Hebræorum autem Rabinos quanquam pauci *aliter* sentiant, tamen Pythonum opus esse, fere omnes censent: Et nihil aliud præter præstigias, vanitatem, mendacium & deceptionem: Samuëlem intelligunt spiritum Pythonicum, qui induerat Samuëlis speciem: Item Samuëlem visum esse dicere Sauli. Mulier videbat Samuelem, neque tamen audiebat eum alloquentem Saulem: Sicuti nec Saul videbat Samuëlem, hoc est, illusionem illam diabolicam, quæ videbatur illi Samuël. Sunt inter eos qui hæc omnia mulieris putant arte conficta, quæ ex certis conjecturis sic deluserit Saulem. Kimhi contra adversarios sic arg*uit: Si Deus* suscitavit Samuëlem, ut futurum eventum indicaret *Sauli:* Cur eventum illum non magis revelavit per somnia, aut per prophetas, aut per sacerdotum oracula, quam per maleficam mulierem? Huic nostræ sententiæ subscribunt Tertullianus in libro de anima, Iustinus martyr in explicat. quæst. 52. Argutissimus ille sanctioris Theologiæ censor Augustinus libro Quæstionum veteris & Novi Testamenti, quæst. 27. item part. 2. cap. 26. quæst. 5. nec mirum. Idem Augustinus ad Simplicianum, quæst. 3. lib. 11. & ad Dulcitium quæst. 6. & in libello de cura pro mortuis agenda: Item lib. 11. de doctrina Christiana, cap. 26. Author quoque *libri de* mirabilibus sacræ Scripturæ, si is sit Augustini: Rabanus *adhæc* in epist. ad Bonaf. abbat. Bonos spiritus non obedire carminibus magicis, testatur Origenes in historia de Bileamo.

De Simone mago, & artis magicæ ejusdemque librorum condemnatione.

Cap. III.

Iam ad Simonem magum progredior, qui idem nomen apud nostros Germanos sortitur, quod lamiæ. Ex hoc ortus *ingens* hæreticorum numerus, qui sicut Jannes & Mambres *Mosi* restiterunt

terunt, sic & illi Apostolicæ veritati oblatrarunt artibus fraudulentis. Hic Simon ille Samaritanus Romæ sub Claudio Cæsare propter hanc rem statua donatus est, cum hac inscriptione: Simoni sancto deo. Siquidem & Samariæ gentem magica arte ita dementaverat, ut à minimo usque ad maximum universa ab illo penderet, dicens: Hic est virtus Dei magna. Post varias autem præstigias, quibus populum à Petri doctrina sedulo avertere conatus est, tandem velut in aëre volans, à dæmonibus vectus, Petro orante, exaltatus dilabitur, misereque interiit. Hujus blasphemias prolixè recensent Clemens in Itinerario, Egesippus lib. III. de excidio Hierosolymit. cap. 2. Ambrosius in Hexamer. Irenæus, Eusebius, Nicephorus lib. II. Ecclesf. hist. cap. 27. Fulgosus lib. VIII. cap. II.

Simon Samaritanus. Actor. 8.

Abdias episcop. Bab lib. I cert apost.

§ 2. Ejusdem fuit professionis famosissimus magus Cinops, quicum Joanni Evangelistæ jussu Domitiani in Pathmo insula, quæ una est ex Sparadibus, exulanti controversia erat, quem & Ioanne precante, fluctus absorpsisse legimus.

§ 3. Hanc magorum artem omnium placita legum exterminant & execrantur. Ejusdem assectatores interdicuntur & damnantur severissimo Dei mandato in Levitico, tum etiam Deuteronomio: Non inveniatur in te ducens filium aut filiam in ignem, divinans divinationem, observans dies, non divinans ex sortibus, non incantans aut exercens præstigias diabolicas, non consulens Pythonem, non interrogans mortuos: Quia abominatio est Domino omnis faciens hæc. Hinc & inter sacrilega Manassis regis flagitia, quibus Deum irritavit, connumeratur, quod fuerit maleficus, magiam exercuerit, & Pythonem consuluerit. Quod vero hi tolerarentur audirenturque, Esaias vaticinatur casum & interitum Babylonis, cui & inprimis exitio fuit hujus sceleratissimæ artis studium, quum ad ultimum à Cyro rege sub Persarum imperium redigeretur. Ita clamat divinus Vates: Venient tibi duo hæc subito in die uno, sterilitas & viduitas, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiem incantatorum tuorum vehementem. Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi. Quasi diceret: Non te liberabunt plurimi magi aut divini suis incantationibus variis aut præsagiis. Merito itaque semper apud priscos in quæstione fuit, incanta-

Levit. 19. 20. Deut. 18.

2 Reg. 21 2 Paral. 33.

Esaia 47.

menta valerent ne aliquid, quum meræ sint præstigiæ.

§ 4. Porro de magicis curiosarum harum artium vel præstigiarum libris quid decerni debeat, ne quidem in quæstionem vocandum, quum non modo Romanorum exemplo (qui licet ethnici essent, tamen mathematicos & incantatores senatusconsulto Italia pellendos & eorum libros concremari voluerunt) eos aboleri oportet: verum etiam, quod memorabile & posteris omnibus sine
Act. 19 controversia imitandum hic exemplum legamus in Apostolorum Actis, ubi Pauli apostoli prædicatione Ephesi comburuntur cuncti eo comportati execrationum libri, pecuniæ quinquaginta millium
Abdias lib. IV. hist. apost. pretio æstimati. Hermogenes item magus librorum magicorum copiam magnam offert Iacobo apostolo, qui exurebantur. Eos qui magiam admirati fuerant, volumina combussisse, tradit Athanasius de Humanit. verbi. Imperatores item Honorius & Theodosius constituerunt tales libros sub episcoporum oculis concremandos flammis. Ejusmodi quoque congestos tenebrarum libros ut damnabiles, improbatæ lectionis vocavit, prorsusque corrumpi voluit Ulpianus Iurisconsultus, l. cæteræ. §. 1. ff. familiæ hercisc.

§ 5. Atqui ab hac magorum vel incantatorum familia longe peregrinos esse, quos Veneficos, & quas Lamias dictitamus, nunc porro demonstrare conabimur.

De Veneficis.

CAP. IV.

VENEFICOS, vel si liceret, venenificos, Græci φαρμακοὺς, φαρμακοποιοὺς, φαρμακεύεις, item φαρμακεύοντας, & φαρμακευτρίας fœminas, perniciosissimæ artis (quam magiam veneficam, si voles, appellare licet) conscias, dicunt. Illos pharmacis vel venenis ex quacunque materie, sive ex metallorum, sive ex stirpium, sive ex animantium vel excrementorum genere, vel ex corporibus mixtis propinatis illitis, aut alicubi reconditis ut halitu feriant, periculosos ciere morbos cum atrocissimis symptomatibus constat: ut alii in corporis extenuationem viriumque imbecillitatem inducantur: quibusdam juncturarum compages dissolvantur: cæteri varie cruciatibus excarnificentur: nonnullos vero diuturna torqueri ægritudine: plerisque præcipitanter, quasi vitæ filo mox

rupto,

rupto, interdum & cum intolerabilibus doloribus vitam præſcindi videas. Non interim ignoro, veneficorum nomine & alios maleficos vulgo comprehendi.

§ 2. Horrenda ſunt quæ de Veneficis ſcribit Antonius Sabellicus in hæc verba: Infamis inde annus ſecutus, M. Claudio Marcello, & T. Valerio Flacco (ſive Potito, ut alii ſcripſerunt) conſulibus, quum multi ex primoribus patrum ſimili morbo & eventu mortui eſſent: Ancilla quædam ad Q. Fabium Maximum Ædilem Curulem venit, cauſamque ejus cladis prodituram ſe profeſſa eſt, ſi fides ſibi daretur, quod id indicium apud dominos haud futurum eſſet ſibi noxæ Fabius re ad Conſules delata, à Conſulibus ad Senatum, fide conſenſu ordinis indici data, patefactum eſt muliebri fraude eam cladem accidere: multas eſſe quæ in virorum perniciem coquerent venena: ac ſi ſecum eant, fore ut multæ veneficio occupatæ deprehenderentur. Miſſi qui ancillam ſequerentur: Hi quaſdam medicamenta coquentes, apud alias recondita inveniunt. Quibus in forum delatis, vigintique numero matronis, apud quas id pharmaci genus fuerat deprehenſum, publice accerſitis, & in his Cornelia & Servilia patritiæ gentis: Quæ quum ſalubria eſſe contenderent, a confutante indice bibere juſſæ, ſpatio ad colloquendum ſumpto, inter ſe locutæ, id haurire ſtatuunt: Medicamento in conſpectu populi epoto, ad unam interiere. Inde ad centumſeptuaginta ejuſdem ſceleris convictæ, capitali ſunt ſupplicio affectæ. Attrocitas rei, quia ad eum diem in nullam de veneficio unquam fuerat inquiſitum, prodigii eſt loco habita, velut alienatis furore mentibus, id flagitium perpetrari contigiſſet.

Enneadis 4 lib. IV.

Veneficia horrenda.

In nullam antea de Veneficio inquiſitum.

§ 3. Venefica fuit Creſcentii illius ſeditioſi Romani, eoque nomine ab Ottone tertio vili jumento facie averſa impoſiti, perque urbem circumvecti, & tandem ad portam ſuſpenſi uxor: quam quum Imperator virtute & ſapientia alioqui præſtantiſſimus deperiiſſet, illa quod Ottone in Germaniam reditum apparante, ſe videret conjugii ſpe excidiſſe, chirotecis veneno infectis, eum necavit, anno 1001. quinto Calend. Febr.

§ 4. Veneno ab uxore Zoe procaciſſimæ & intemperantiſſimæ libidinis fœmina, quum deperiret Paphlagonem quendam Michaëlem, ſublatus Romanus Argyrus Imperator Orientis, qui priorem antea reliquerat conjugem.

§ 5. Veneno item lento interemptus Joannes Cimiſces Orientis Imperator à Baſilio quodam eunucho, cui ſe potentiam derogaturum fuerat interminatus.

§ 6. Veneficium adhæc fuit, quod Caſali in urbe Salaſſiæ regionis Italiæ contigit circiter annum Domini D M XXXVI. Conjuraverunt viri ac fœminæ, quadraginta fere numero, inter quos & carnifex erat, ut quum peſtis antea ſæviiſſet, & jam cœpiſſet miteſcere, unguentum conficerent, quo illitis portarum vectibus, inficerentur qui vectes tractarent: Appararant & pulverem, quem veſtibus clam inſpergentes, noxam inferebant. Latuit aliquandiu dolus, ſublatique multi à conjunctis ſanguine vel affinitate: Data etiam veneficis, ut ferebatur, pecunia hæreditatis ergo. Sed quum cujuſdam Neci nomine fratrem atque unicum filium enecaſſent, vixque alii quàm domini ipſi domuum aut filii perirent: Simulque animadvertiſſent Androgynam ſe in domos inſinuare, atque eos maxime interire, quorum ædes ingrederetur: Deprehenſa conjuratione, omnes exquiſitiſſimis tormentis interempti ſunt. Faſſi etiam, quod in celebri cujuſdam Divi pompa ſubſelliis perunctis univerſos trucidare cives decreviſſent: Paratoſque in hunc uſum fuiſſe ſupra viginti ollas. Idem poſtea Genevæ tentarunt nonnulli, qui & pœnas dederunt. Alios ſimiliter Mediolani vectes inunxiſſe conſtat: Sed quæſtionibus ſubjecti, quum nihil confiterentur, nec quiſquam obiiſſet, dimiſſi ſunt. Baſſianus Landus ſcribit, Patavii monachum quendam cum aliis pleriſque identidem conſpiraſſe, qui peſtis tempore infecta linteamina in domos occulte conjiciebant, ut in multos derivaretur contagio: Sumptum quoque ab his eſt ſupplicium. Quam ſanè hic locum meretur locum illud Naſonis I. Metamorph.

—— Non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt,
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti,
Lurida terribilis miſcent aconita noverca,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Venefici capite plectendi.

§ 7. Hos Veneficos lex Moſi è vita ſublatos voluit Exodi 22. hoc decreto, מכשפה לאתחיה, id eſt, Veneficam non patieris vivere. Nomen enim מכשפה Mechaſſepha, quo lex utitur, à ſuo Chaſaph deflectitur: poſitumque eſt id fœminino genere, ut ajunt

Mechaſſepha.

inter-

interpretes: Non quod viros impunes esse lex velit, sed quia ille sexus ob genuinam simplicitatem dæmonis insidiis frequentius patet. Quare Græca tralatio, quam Septuaginta senioribus asscribimus, decretum illud liberius reddidit, φαρμακοὺς οὐ περιβιώσετε: hoc est, Veneficos (ut masculino genere fœmininum comprehendatur) non retinebitis in vita. Animadvertendum vero, prædictum vocabulum כשף Chasaph, & quæ ab ipso deducuntur, vix usquam in prædicta tralatione Græca aliter exponi, quàm ut veneficium significent: hoc est, hisce Græcis vocabulis, φαρμακὸς, φαρμακεὺς, φάρμακον, & quæ hujus sunt inflexionis. Nec temere mihi à plerisque sinam eripi elevarive translationis Septuaginta interpretum fidem, qui sine dubio & peritissimi fuerunt idiomatis Hebraici, & Spiritus sancti inspiratione & ductu ad tam pium congregati opus, ut non facilè erroris notam mereantur, propter illorum multitudinem, & idcirco major illis fides debeatur quàm Eliæ Levitæ aut non nullis recentioribus, qui Mechassepha Lamias interpretantur, Germanicè Zauberinn. Nam φαρμακοῦ nomen quando in malam accipitur partem, fere apud Dioscoridem, Galenum, & totam Græcorum antiquitatem sumitur pro veneno aut medicamento venenoso: Et qui cum ejusmodi medicamentis nocere student, vocantur φαρμακεύοντες vel φαρμακοί. *Pharmacum.*

§ 8. Præterea huic nostræ sententiæ suffragatur Flavius Josephus ex regio & sacerdotali sanguine ortus Mathathiæ sacerdotis filius, natione Hebræus, patria Hierosolymitanus, genere sacerdos, qui decimumquartum agens annum eam laudem consecutus est ex literarum studiis, ut à Pontificibus & urbis Hierosolymitanæ primoribus de penitiori legum sensu consuleretur. Propterea & à D. Hieronymo Græcus Livius appellatur, à recentioribus vero Judæis Joseph Berengarion. Eundem Hieronymus in Catalogo Ecclesiasticorum scriptorum digna cum laude constituit. Hic quum animadvertisset, solos quinque libros Moysi apud Græcos extare, opera Ptolomæi regis Ægypti translatos, ut dixi, statuit Epaphroditi viri doctissimi adhortationibus incitatus, universam veteris Testamenti historiam Græcis auribus tradere: Quod & effecit, conscriptis primum Hebraica lingua, deinde & Græca, De antiquitatibus libris viginti, in quibus servatis simul & sanctarum scripturarum veritate, & historiæ legibus, quandam veluti paraphrasim in omnes ferme veteris Testamenti libros accommo-

davit.

davit. Is ipse legis ejusdem sententiam, Antiquit. Judaic. lib. IV. cap. 8. his explicuit verbis: φάρμακον μήτε θανάσιμον, μήτε τῶν εἰς ἄλλας βλάβας πεποιημένων ἰσραηλιτῶν ἐχέτω μηδὲ εἷς. ἐὰν δὲ κεκτημένος φωραθῇ τεθνάτω, τοῦτο πάσχων ὃ διέθηκεν ἐκείνους καθ' οὓς τὸ φάρμακον ἦν πεποιημένον. Id est, Venenum neque letale, neque in alios noxios usus præparatum, Israëlitarum aliquis habeat: quod si habere deprehensus sit, morte mulctetur, & patiatur id quod facturus erat illis, adversus quos venenum paraverat. Idem fere sonat lex Cornelia de sicariis & veneficis: Qui venenum malum necandi hominis causa fecerit vel vendiderit vel habuerit, plectitur.

Lex Cornelia. ff. l. 36. tit. 8.

§ 9. φαρμακεία Jesabelis, veneficia vertit D. Hieronymus 2 Reg 9. Adhæc si vetus Testamentum applicare velimus ad novum, comperiemus eodem vocabulo divum Paulum uti in cap. 5. ad Galat. φαρμακειῶν, hoc est, veneficiorum, inter opera carnis, quod Germani vitiose traduxerunt Zauberey, in quo ab Italis vincuntur, qui converterunt auvetenamento recte. Si Paulus aliud genus maleficii intellexisset, alia voce potuisset uti, aut repetere verbum βασκαίνεσθαι & βασκαίνειν, quod fascinari & fascinare designat: quo significato Theocritus, Dioscorides & veteres utuntur, quinimo & ipse Paulus in eadem epist. cap. 3. O amentes Galatæ, τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε, quis vos fascinavit, ut non obediatis veritati? Ubi Germani recte transtulerunt, wer hat euch bezaubert? In Apocalypseos quoque Joannis cap. 9. ubi Homicidia tanquam generalis vox cædis ponitur prius, mox φαρμακεία sequitur, id est, maleficia quæ per venena fiunt: sic & cap. 18. 21. 22.

βασκαίνεσθαι. βασκαίνειν.

§ 10. Non interim ignoro, mechassepha & mechassephim, φάρμακον, & φαρμακεία quandoque liberius usurpari, & ad magicas extendi artes: at non ad alias, quam ea novere secula. Lamiarum autem à me descriptarum conatus ab actibus illorum Magorum, quorum Moses & sacrosancta meminit Scriptura, penitus sunt diversi. Nihil hic firmi ex historiis veris illo ævo conscriptis ad rem attuleris. Quæ postea de illis poëtæ scripserunt, vanissima utplurimum sunt commenta, & meræ fabulæ, vel potius mendacia. Testimonio sunt Virgilius 4 Æneid. & in Pharmaceutria, Ovidius 7. Metamorph. Horat. Epod. 5. Tibull. lib. 1. Eleg. 2. item & alii, quos videre licet lib. III. de Præstig. dæm. cap. 1. quemadmodum & legem duodecim Tabularum de incantatis frugibus confutatam cap. 16.

Mechassepha. Mechassephim.

§ 11. Per

§ 11. Per mechassephim Exodi 7. v. 13. designari præstigiatores, ipsa res docet, qui carminibus vel nefariis artibus apud Ægyptios familiaribus, quædam incredulorum oculis apparenter objiciebant, quæ revera non erant: Id vero nequaquam nostræ possent lamiæ, quum etiam maxime velint. Ad experimentum provoco. Reliquis locis, (legitur enim ea verbi positio in sacris Bibliis tredecim omnino locis) nimirum in Exod. cap. 22. v. 17. in Deut. cap. 18. v. 10. in 2 Reg. cap. 9. v. 22. in 2. Paral. cap. 33. v. 6. in Isaia cap. 47. v. 9. & v. 12. in Jerem. cap. 27. v. 8. in Dan. cap. 2. v. 2. in Mich. cap. 5. v. 12. in Nahum. cap. 3. v. 4. bis: Denique in Mal. cap. 3. v. 5. à D. Hieronymo conversa ea vox Malefici vel Maleficia, pro verbi inflexione scilicet: magos infames eorumque actus ego intelligo. De loco Exod. cap. 22. controversia est. Veneficia Jesabelis reddidit ille 2 Reg. Maleficia alii: quum tamen magicas artes nusquam legatur illa exercuisse, verum cædibus in prophetas sæviisse: Nabothum insontem ob denegatam sui agri venditionem, obrui lapidibus jussisse: Achabum maritum Israëlitarum regem ad idolorum cultum perduxisse: Quæ simulachris immolabantur, comedisse, artibusque fuisse usam fornicariis. Hinc dilucidè vides, mechassephim ad diversa in Bibliis usurpari flagitia. Adhæc cæteris locis supra citatis, utplurimum cum conjectoribus & somniorum interpretibus atque auguribus, & hoc genus hominibus annumerari, unde quandam actionum communionem licet colligere, deprehendes. Omnes vero tales divinationum vetitarum modos ignorant nostræ lamiæ. Quocirca si vocem illam spectare nolles veneficos, ad magos quos dixi, inauspicatos, & quidem secundum leges puniendos, si hoc malis, referre per me licet. Tales enim ex Israële exulabant vel pœnæ subjiciebantur, quales & præstigiis Pharaonem illusisse supra dixi.

2 Reg. 9. Maleficia Iesabelis. 1 Reg. 18. 21. Apoc. 2. Exod. 7.

§ 12. Similiter indistinctius licentiusque Germanis nomen Zeuberer torquetur, ad quod exhorrescit, fascesque apparat fere quilibet, citra exactam circumstantiarum totius causæ inquisitionem, multo minus notionem. Uno illis eodemque nomine Zeuberer nuncupatur magus ex professo illusor præstigiatorve, frequenter etiam eruditus, ex libris illicitis, vel alioqui dæmonum institutione utens verbis, characteribus, figuris, sigillis, amuletis, suffitibus, ceremoniis, & reliquis id genus quisquiliis: Item veneficus studio venenum usurpans: Atque Lamia, ob mentis imbecil-

 litatem,

litatem, & phantasiam à diabolo vitiatam delusa, ut se fecisse credat, quæ illi saltem per somnium cognita, vel etiam rerum natura non agnoscit. Alii certe nulli Mosis lege condemnari debent, quam quos Moses & illud seculum novit. Lamias autem vulgo dictas, & jam à me describendas, ne quidem Christi tempora norunt, multo minus Mosis: Quorum vero incantatorum meminit Scriptura, cuncti fuere infames magi. Hinc evenit, si quando lamiarum fit mentio vel veneficorum, ut confestim Pharaonis præstigiatores vel incantatores, longe à lamiis & veneficis diversos opponant, æquivoco Germanico falsi. Agedum igitur, jam lamias quoque propius spectemus.

Exod.7. Levit. 19.20. Deut. 18 Esaia 8. 29.47. Psal.57 2 Paral. 33. Eccl.12.

Quid Lamia.

CAP. V.

LAMIAM appello, quæ ob fœdus præstigiosum aut imaginarium cum dæmone initum, proprio ex suo delectu voluntate, vel maligno dæmonis instinctu impulsuve, illiusque ope, qualiacunque mala vel cogitatione vel imprecatione, vel re ludicra atque ad institutum opus inepta designare putatur: velut aërem insolitis ignire fulminibus, tonitru terrifico concutere, damnosa grandinis insoliti multitudine ferire, tempestates excitare, segetem in agro lætam alio transferre aut depopulari, morbos præter naturam hominibus bestiisque ciere & mederi, paucis horis longissime evagari, choreas cum dæmonibus ducere, epulari, succubum agere, homines in bestias commutare, & mille monstrosa rerum ludibria ostentare. Hæc lamiæ vulgo attribui video, maxime ex poëtarum authoritate: verum

Horat. de arte poet.

—— Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Quocirca eam utplurimum vetulam, mente stupidam, indoctam, absque ullis libris, à spiritu dæmoniaco præstigiis illusam, phantasia solum à diabolo imbuta vitiataque usqueadeo simulachris, ut fecisse constanter fateatur, quæ nec facere potuit, nec in rerum natura unquam fuere, nec ipsa patitur natura, demonstrare conabor, ubi prius professionis modum & fœdus, quod semper mordicus objicitur, & velut irrevocabilis sententiæ perpetuum decretum urgetur serio nimis, exposuero.

Lamia-

Lamiarum profeſſionis modus & fœdus

C A P. VI.

UT vero omnia dæmonis inſtituta minime cohærent, variaque & mendacia comperiuntur: ita & profeſſionis lamiarum modus ineptus, futilis mancuſque eſt, ac diverſe à quolibet ejus factionis reo quæſtionibuſque ſubjecto narratur. Exempla ſunt obvia in Malleo maleficarum, libro ſic inſcripto, ubi legitur: Modus profitendi duplex eſt: Unus ſolennis, per ſimile, ad votum ſolenne: Alius privatus, qui ſeorſum dæmoni quacunque hora fieri poteſt. Solennis inter eos fit, ubi lamiæ in certam concionem ſtatuto die veniunt, & dæmonem in aſſumpta hominis effigie vident: Qui quum de ſervanda ſibi fide admonuerit, ſucceſſumque in rebus mundanis proſperum, & vitæ longitudinem promiſerit, quæ præſentes ſunt, novitiam ſuſcipiendam ipſi commendant. Et dæmon ſi in abneganda fide, cultu Chriſtianiſmi, & extenſa muliere (ſic enim beatiſſimam virginem Mariam nuncupant) & in ſacramentis nunquam venerandis invenerit novitiam ſeu diſcipulum proclivem, tunc dæmon manum extendit: Ac viceverſa diſcipulus ſeu novitia ſtipulata manu, illa ſervaturum ſe pollicetur. Hinc dæmon ſubjungit, ea non ſufficere, ſed omagium deinde petit, continens, ut anima & corpore ſe in æternum illi dedat, & pro viribus alios quoſcunque utriuſque ſexus illi adjungere velit. Addit denique, ut certa unguenta ex oſſibus & membris puerorum, & præcipue renatorum fonte baptiſmatis, ſibi conficiat, per quæ omnia ſua inſtituta, ipſius adminiculo explere poterit. Hunc modum nos inquiſitores (ſcribunt Mallei maleficarum authores) cognovimus in oppido Briſiaco Baſilienſis diœceſios, plene à ſaga juvenculo informati. Deinde poſt legitur: Præfato inquiſitore mihi referente intellexi, in ducatu Lauſanenſi quoſdam magos coxiſſe & comediſſe proprios infantes. Modus autem diſcendi talem artem fuit, ut dixit, quod magi in certam veniant concionem, & opere eorum veriſimiliter dæmonem in aſcititia hominis ſpecie conſpiciant: cui diſcipulus neceſſario dat fidem de abnegando Chriſtianiſmo, de euchariſtia nunquam adoranda, & de calcando ſuper crucem, quando latenter poſſet.

Prima ſecunda partis q.2.c.2.3

Non manum, ſed ejus ſimulachrum extendit, quum ſpiritus carnem & oſſa non habeat: fallax itaque eſt ſtipulatio, nec ullius momenti.

§ 2. Fuit inſuper fama communis, Petro judice in Boltingen

narrante,

narrante, quòd in terra Bernensium tredecim infantes à lamiis essent devorati: quamobrem etiam in tales parricidas satis duriter exarserat publica justitia. Alius postea juvenis, tamen uxoratus, hunc refert ordinem: Oportet primo Dominico die, antequam aqua benedicta consecratur, discipulum futurum cum magistris templum ingredi, & ibidem abnegare, &c. Deinde omagium præstat magisterulo, id est, parvo magistro: Ita enim dæmonem, nec aliter, vocant. Sequitur postremo: De utre bibit, ut audies: quo facto, statim intrinsecus sentit se imagines nostræ artis concipere, & principalibus ritibus hujus sectæ imbui confirmarique. Quum autem modum quo infantes comederent, à saga capta inquireret Petrus: Hæc respondit, illum talem esse. Infantibus nondum baptizatis vel etiam baptizatis insidiamur, præsertim quando crucis signo & orationibus non muniuntur. Hos in cunabulis, vel ad parentum latera jacentes ceremoniis nostris occidimus: Quos, postquam putantur oppressi esse, vel aliunde mortui, ex sepulchro clam suffuramur, & in olla decoquimus, donec evulsis ossibus, velut cera ferè potabilis efficitur. De solidiore materia unguentum facimus, nostris voluntatibus, actibus & transvectionibus commodum: De liquidiore vero humore utrem implemus, ex quo quicunque biberit, additis ceremoniis paucis, evestigio nostræ artis conscius redditur & magister. Hæc ille.

Verè imagines, id est, vitiatam phantasiam.

Vnguentum terribile.

Potus tartareus.

Professio Lamiarum diluitur, ostenditurque fœdus esse præstigiosum, stultum, & nullius ponderis.

Cap VII.

Quam hæc non cohæreant, sint absona, indignaque quibus fides vel leviter adjungatur, quilibet, dummodo non omnino mentis inops, & præfractè concepta opinione præoccupatus esse velit, facilè judicabit. Fœdus autem esse præstigiosum, phantasmate aut imaginatione vel phantastico præstringentis spiritus corpore fallaciter apparente: vel nervis opticis seu visoriis indita subdole, quam satan vult, specie, commotis huc humoribus & spiritibus idoneis: vel sibilo, susurro aut murmure in organis auditus vitiatæ formis imagini respondente, spiritus maligni arte excito, conflatum stabilitumque, ac inde nullius esse ponderis, haud obscure cognoscitur: potissimum si diversa contrahen-

trahentium essentia, contractus forma, modus & circumstantiæ perspicaci mentis acie inspiciantur, atque rationis fideique nostræ æquilibrio exactius pensiculentur. Sic plerasque omnes actiones lamiæ hactenus attributas, quas suas esse male sana quoque fatetur, ex corrupta à præstigiatore virtute imaginativa, non lamiæ, sed ipsius satanæ existere, palam fit. Huic etenim minime opus est alterius adminiculo in sua potentia ostendenda, aut actionibus declarandis, qui nec ullius voluntate aut imperio cogitur, quam Dei & hujus ministrorum bonorum: Malis non coactus, sed sponte & quidem libenter obsequitur, Deo permittente, malitiosus ille veterator, secus licet fingat simuletque, teste Porphyrio, ut suis præstigiis nos magis irretiat. Non vero stricte colligari pactum imaginarium, doloque malo mendaciter ab altera parte initum necesse est, quum à præstringente spiritu apud stupentem, nec mentis compotem satis hominem aliter fieri nequeat. Siquidem quod dæmon extensa manu firmaque stipulatione lamiam recipiat, falsissimum esse, neminem dubitare oportet, quum spiritus carnem & ossa non habeat, ipsa Veritate teste. Tatianus adhæc contra Græcos hic recte scribit, dæmones omnes non carnea, sed spirituali concretione constare, qualis est ignis & aëris: Quæ corporum constitutio à solis illis perspici potest, qui spiritu Dei muniuntur, non item à cæteris hominibus quos anima regit.

§ 2. Præterea dolosa hæc stipulatio, maxime in perniciosum finem conficta sine testibus aut vadibus contra Dei voluntatem, si tantum habebit momenti, ut nulla queat rescindi ratione, & necessario ejus virtute alter alterius voluntatem sequi, illiusque præcepto morem gerere compellatur: Cur pactum illud prius in baptismo ex peculiari Dei voluntate & mandato, solennibus verbis vere sancitum, & quidem interpositis fidejussoribus, tanquam prærogativa non præponderabit? Alia profecto contractus est firmitas inter Deum veracem & sanæ mentis homines. Quicquid ille stipulatur, & in suo verbo addicit, hoc fideliter & indubitate præstat, nec data manu præstigiosa deludit, non saltat, nec convivatur, vel similibus rebus ludicris quibuscum paciscitur, nequiter fallit dementatve, quemadmodum hic commentitio carnali corpore amasius. Disparitatem hic qui negaverit, nescio quid veritatis idem sit admissurus. *Dolosa stipulatio.*

§ 3. Atqui fidem Christianam hic abnegasse miseram anum, objicies. *Fidem Christianam abnegantes.*

objicies. Et nos, quotquot aliam salutis viam quærimus, quam Christum Jesum, ejus præcepta observantes, vestigiisque insistentes, viva in ipsum fide, per dilectionem operante fidem abjicimus, re ipsa testati mente sana, quod illa vel ætate stupida, vel sexu inconstans, vel impotentia mentis lubrica, vel animi morbo desperans, aut imaginariè aut maligni arte delusa, fecisse putatur. Aures hic Pauli verbis, quibus fidem Christianam vere abnegantes scite depingit, paulisper accommoda. Illud scito, inquit, quod in extremis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines sui amantes, avari, fastuosi, superbi, malefici, parentibus immorigeri, ingrati, impii, carentes affectu, nescii fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quam amantes Dei: Habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegarint. Et istos aversare: ex his enim sunt qui subeunt in familias, & captivas ducunt mulierculas peccatis oneratas, quæ ducuntur concupiscentiis variis, semper discentes, nec unquam ad cognitionem veritatis venire valentes. Quemadmodum autem *Jannes & Mambres* resistebant Mosi, ita & hi resistunt veritati: Homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Sed non proficient amplius: Siquidem amentia eorum evidens erit omnibus, quemadmodum & illorum fuit. Hæc Paulus.

Gal. 5. — *1 Tim. 3.* — *1 Tim. 4.* — *Pietatem qui abnegarunt, circa fidem Christianam reprobi.* — *Exod. 7.*

§ 4. Ad chrisma in fœderis contractu è fronte exemptum, quemadmodum plerisque aliis persuasum, si confugias, licet vel unico verbo hic satisfacere possem: Id tamen ne plus facessat negotii, tutius erit respondere: Si qua vis erit chrismatis, eam non in externa illinitione magis consistere, quam in externa aquæ superfusione in sacramento baptismi, qui fide intercedente sanctificatur, atque ita confirmatur, ut si postea centies aqua corpori infusa abluatur, imo universa cutis abradatur, nihilominus ex charactere fide impresso permanet baptismi essentia: Etiamsi ejus virtutem homo quandoque lapsu abneget, tamen si resurgat à peccatis ad vitæ emendationem, resipiscentia conversus, eadem stabit baptismi semel administrati energia. Ratio chrismatis erasi erit eadem apud pœnitentem, si ita voles: alioqui vel vulnere syncipiti inflicto, aut putrido ulcere ea in parte exorto, illud quoque interire sequeretur: Quanquam etiam non vere synciput in fœdere collidi crediderim, sed imaginariè: quemadmodum reliqua multa hic

Chrismatis vim, si qua est, non posse externa exemptione tolli.

hic contingere animadvertimus, quo credulum hoc maleferiatorum hominum genus persuasione mala inducatur, ut se diaboli retibus jam inde implicitum usqueadeo servumque credat, quasi omnis resipiscentiæ via deinceps sit præclusa, quo hac ratione tandem extrema cogitet moliaturque: quamvis non magis huic, imo multo minus, ut vitiata phantasia deluso, quam quibusvis aliis graviter peccantibus conversionis locus erit præcisus. Petrus siquidem antea brevi à Christo præmonitus, contra conscientiæ testimonium ter Christum, addito etiam juramento, negat: Atqui agnito errore, lachrymisque fusis, in gratiam recipitur. De hoc & reliquis huc facientibus copiosius postea cap.24.

Matt.26 Marc.14 Luca 22. Ioan.18.

Fæderis vani demonstratio reliqua.

CAPUT VIII.

ADHAEC, quod ullis ceremoniis pueros occidere quis posset, falsissimum est, meraq; satanæ suggestio, & inanis credulitas. Item quod illos ex sepulchris clam effodiant, nihil esse nisi dæmoniacam persuasionem ex imaginativa vi corrupta, aut alto somno vitiata, palam constabit, si monumenta inspiciantur, unde eos extractos esse narrant lamiæ: Ibi etenim adhuc invenientur reconditi. Nec hæsitare volo, eodem modo in mentem illis inductam esse infantis decoctionem in olla confectam, donec exemptis ossibus caro redderetur potabilis. Tam enim istud existit inhumanum, tetricum, crudele, & propterea creditu difficile, ut si vel meis hoc intuerer oculis, citius horribilis hujus spectaculi fascino eos mihi præstrictos crediderim, quam nefandum hoc & plusquam tragicum, omnemque exuperans fidem condimentum vere apparatum esse fatear.

Ceremoniis non posse occidi pueros. *Infantes mortuos ex sepulchris effodi, delusorium est.* *Potus ille Stygius imaginarius, uti & unguentum.*

§ 2. Sed esto, quod ex Stygia palude proserpant ejus unguenti artifices horrificæ striges, quæ omnem humani sensus imaginem prorsus exuerint: Cedo tamen, unde illi unguento ea virtus, ut si quis eo inungatur, fiat sceleratarum voluntatum, execrabilium artium, & transvectionum incredibilium particeps? vel si eo sedile aut lignum illinatur, mox alter huic innixus per aëra feratur: Quemadmodum Lamiæ persuasum habent, & Malleus maleficarum testatur? Non libet hic anxie de mortuæ putidæque & virulentæ hujus carnis decoctæ temperamento & viribus disceptare.

Siqui

Siquidem in rerum natura eam ita paratam non inveniri, firmiter credo: idem de liquidioris materiæ in utre, ut dictum est, conservatæ præparatione, potatione & virtute dictum volo. Interim negandum non est, miseras has mulierculas ita formis virtuti phantasticæ impressis à dæmonio dementatas, non aliter ac si hæc ita vere fierent, scire; Uti fere omnes illarum præter naturam actiones, imaginariæ saltem videntur: Et propterea quæstionibus adactæ flammisque propinquæ sua aperte confitentur flagitia, per somnum vel simulachrum illis solummodo cognita.

§ 3. Idipsum extra omnem controversiam ponunt confirmantque Decreta ad hunc modum: Quædam mulierculæ inservientes satanæ, dæmonum illusionibus seductæ, credunt se alia nefanda quoque agere: Puta parvulos à lacte matris avellere, assare & comedere: Domi per caminos seu fenestras intrare, & habitantes variis modis inquietare: Quæ omnia & consimilia solum phantastice accidunt eis. Cum ea vero quæ fossula facta, & lotio infuso vel aqua, digitoque moto se tempestatem ciere arbitratur, colludit dæmon aërem turbans, ut illam sibi addictam, in officio contineat.

In secunda parte, caus. 26. q. 5. episcopi. Et Augustin. de spiritu & anima cap. 28.

§ 4. Hujus ergo ex utre potionis tartareæ, sed imaginariæ in fœdere usus, ipsum quoque præstigiosum esse, præter multam ejus diversitatem, apertius demonstrat: Lubetque hic cum Horatio dicere.

1 Carm. ode. 36. 1

Ne quodcunque volet, poscat sibi fabula credi,
Neu pransa Lamia vivum puerum extrahat alvo.

§ 5. Pacti item vanitatem id quoque docet, quod eo inito ceremonias quasdam contra Ecclesiæ statuta cogantur observare: Quemadmodum diebus Dominicis jejunare, aut sextis feriis (ut ajunt) carnibus vesci, aut crimina in confessione celare, vel tempore elevationis in terram spuere, vel sub Missæ actione verba proferre inutilia, vel aliquid simile designare: Ita Mallei referunt fabricatores. Hæc qualia & quanta sint delicta, quilibet pius, tenuiter modo sacrarum literarum cognitione tinctus, intelligit. Etenim quum dies Dominicus sit audiendo Dei verbo, orationibus, & divino cultui inprimis consecratus, his nemo fructuosius vacarit, quam qui mentem à cibi nebulis serenam conservarit. Est, inquit Christus, aliquod dæmoniorum genus, quod non ejicitur, nisi orationibus & jejuniis. Sobrios hinc nos esse jubet Petrus,

Die Dominico utiliter jejunari.

Matt. 17.

1 Pet. 4. 5.

tus, & vigilantes ad orandum: Quia adversarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, obambulat, quærens quem devoret. Item Paulus suos docet Corinthios: Ne fraudetis vos invicem, nisi si quid ex consensu pro tempore, ut vacetis jejunio & præcationi. Ita jejunium & oratio fere conjunguntur, & quidum ordine optimo: Ut quod apud Tertullianum legitur, jejunare die Dominico, nefas existimari, non immerito mirer: Minusque Melchiadis papæ edictum videatur commendandum, quo ne die Dominico jejunaretur, cavit.

Carnibus vesci diebus à pontif. Rom. vetitis quando liceat. § 6. Quod vero carnibus vesci urgente necessitate (si modo absit offendiculum, contemptus & gula) liceat diebus à pontifice Romano vetitis, alii defendunt ex his Christi verbis: Audite & intelligite: non quod ingreditur in os, impurat hominem: sed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem. *Matt. 15* Item ex Paulo ad Coloss. 2. Ne quis vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Et post: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi viventes in mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, neque contrectaris: Quæ omnia pereunt abusu juxta præcepta & doctrinas hominum, quæ verbotenus quidem speciem habent sapientiæ per superstitionem ac humilitatem animi, & læsionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis. Ad Timotheum hic quoque *1 Tim. 4.* scribit: Spiritus certo loquitur, quod in posterioribus temporibus descíscent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis, quos Deus creavit ad vescendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem: Quod quicquid creavit Deus, bonum sit, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur: sanctificatur enim per sermonem Dei ac precationem. De his si commonefeceris fratres, bonus eris minister JESU Christi, enutritus in sermonibus fidei, bonæque doctrinæ, quam usque secutus es. Cæterum profanas & aniles fabulas rejice. Hæc Paulus. Item: Omne quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. *1 Cor 10.* Domini siquidem est terra & plenitudo ejus. *Psal. 23.*

Celare crimina § 7. Adhæc, quod ex pacto certa celare crimina in confessione

 cogan-

conversæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt se & profitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum dea, vel cum Herodiade, vel Minerva, vel innumera mulierum multitudine equitare, vel earum jussionibus obtemperare. Quapropter sacerdotes Dei prædicare populo debent, ut noverit hæc falsa omnino, & non à divino, sed maligno spiritu talia *phantasmata*
2 Cor. 11. mentibus fidelium irrogari. Ipse nanque satanas, qui se transfigurat in angelum lucis, quum mentem cujusque ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugarit, ilico se transformat in angelum lucis, in diversarumque formarum species & simulitudines: Et mentem quam captivam tenet, in somnis deludens, per devia quæque deducit. Et quoniam solus hoc patitur spiritus infidelis, nec in animo, sed in corpore evenire opinatur. Quis enim in somnis & nocturnis visionibus non extra seipsum deducitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam vigilando videret? Idcirco nimis stultus & hebes est, qui hæc omnia quæ in spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur, &c. Hactenus Decreta.

§ 7. Proinde non absurde ἐκστατικοῖς assimilari possent ejusmodi maleferiatæ anus: Qui velut rapti extra sese, sensuque omni & motu privati, quum jacent exanimis similes, & post ceu ex profundissimo expergefacti somno, aut à morte ad vitam revocati, redeunt ad sese, & miras fabulas miraque commenta narrant. At in has cogitationes se ingerens dæmon earum seriem texit, hancque variat mira arte & scite, repetitis præteritis, annexis præsentibus, & aspersis etiam quibusdam admonitionibus de futuris, ne in suspicionem anilium fabularum, aut temere cogitatarum ineptiarum veniant, inducta etiam persuasione, ut coram spectasse quæ diabolus offudit, imaginentur, ita dementat eos, quos ad talia usurpat ministeria, ut sui prorsus non sint compotes, sed velut νυκτιβατοῦντες, ea agitent mente, in eaque intueantur, quæ dæmon objicit: Ex sese nihil faciant, nisi quantum aliquando permittitur, & id quidem utplurimum est ridiculum.

Quomodo in corrumpenda phantasia naturalibus quandoque pharmacis soporiferis utatur diabolus.

CAP. XI.

INterdum & in hunc finem naturulia quædam pharmaca Lamiis suppeditat fraudulentus ille magister, quibus ubi se inunxerint confricuerintque, per fornacem mox se evolaturas ac per aërem longe lateque evagaturas ad tripudia, dulcissima symposia, concubitus, & gratissima rerum spectacula, confidunt: quæ tamen per insomnia ipsis ingerit milleartifex, ubi ab inunctione somniferi omnino unguenti, in profundissimum lethargicumque somnum delabuntur insciæ.

§ 2. Hæc ne somnia videantur, libuit adducere, quid solertissimus occultarum causarum indagator Joannes Baptista Porta Neapolitanus lib. 11. cap. 26. Magiæ naturalis, sive de miraculis rerum naturalium, scribit: Adeo dira, inquiens, cupido hominum mentes invasit, ut quæ natura mortalium commoditati elargita est, abutantur, ut multis horum simul coacervatis componant Lamiarum unguenta: quæ quanquam ipsæ superstitionis plurimum admiscent, naturali tamen vi evenire patet intuenti: quæque ab eis acceperim, referam. Puerorum pinguedinem aheneo vase decoquendo ex aqua capiunt, inspissando quod ex elixatione ultimum novissimumque subsidet. Inde condunt, contitinuoque inserviunt usui: Cum hac immiscent eleoselinum, aconitum, frondes populneas, & fuliginem. Vel aliter sic: Sion, acorum vulgare, pentaphyllon, vespertilionis sanguinem, solanum somniferum, & oleum (etsi diversa commiscent, ab iis parum diffidebunt) simul conficiunt, partes omnes perungunt, eas antea perfricando ut rubescant, & revocetur calor, rarumque fiat quod erat frigore concretum. Ut relaxetur caro, aperianturque pori, adipem adjungunt, vel oleum ipsius vicem subiens, ut succorum vis intro descendat, & fiat potior vegetiorque, id esse in caussa non dubium reor. Sic non illuni nocte per aëra deferri videntur ad convivia, sonos, tripudia, & formosorum juvenum concubitus, quos maxime exoptant: Tanta est imaginationis vis, impressionum habitus, ut fere cerebri pars ea quæ memorativa dicitur, hujusmodi sit plena: Quumque valde sint ipsæ ad credendum naturæ pronitate

Lamiarum unguentum.

faciles,

faciles, sic impressiones capessunt, ut spiritus immutentur, nihil nocte dieque aliud cogitantes: Et ad hoc adjuvantur, quum non vescantur nisi betis, radicibus, castaneis & leguminibus.

Historia memorabilis. Striges.

§ 3. Dum hæc pensiculatius perquirendo operam navarem (ancipiti enim immorabar judicio) incidit mihi in manus vetula quædam (quas à strigis avis nocturnæ similitudine striges vocant, quæque puerulorum sanguinem è cunis absorbent) sponte pollicita, brevis mihi temporis spatio allaturam responsa: Jubet omnes foras egredi, qui mecum acciti erant testes: Spoliisque nudata, tota se unguento valde perfricuit, nobis è portæ rimulis conspicua: Sic soporiferorum vi succorum cecidit, profundoque occubuit somno. Fores ipsi patefacimus, multum vapulat: Tantaque vis soporis fuit, ut sensum eriperet. Ad locum foras redimus. Jam medelæ vires fatiscunt flaccescuntque. A somno sevocata, multa incipit fari deliria, se maria montesque transmeasse, falsa depromens responsa. Negamus, instat: livorem ostendimus, pertinaciter resistit magis. Hucusque Joannes Baptista.

§ 4. Quid hic tam pertinaci studio insulsi *fœderis sanctitati* stabitur? Quid invectum à spiritu satanico somnium pro sanctissima veritatis fide mordicus defendetur? Serii ne locum & pondus sortietur phantasiæ ludibrium? Quæ Lamiæ longius se evagatas brevi temporis spatio, admirandisque rerum spectaculis recreatas contendunt pactionis virtute, eas altissimo ex inunctione, vel naturali humectatione cerebri, somno immersas, in eodem ea vidisse, artificio dæmonis, phantasiam talibus imaginibus imbuentis, comperiet is qui solerti indagine tempus, locum & reliquas circumstantias pervestigarit. Quæ vetulæ per arctissimum foramen ad corporis humani magnitudinem minime proportionatum se evolasse affirmant, his contra dicit rerum natura, ratio, & ipsissima philosophia. Quæ conventus egisse choreasque duxisse hoc vel illo loco & tempore fatentur, eas in lecto suaviter hujusmodi nænias tunc somniasse, intelliget is qui singula sagacius inquisierit. Pecuniam stipulatus satan, offert, sed imaginariam, quæ fumi instar evanescit. Quæ hic mutuæ obligationis fides?

Aërem nullo modo à Lamiis turbari posse, nec fruges excantari.

CAPUT XII.

ATQUI & posse aërem concitare pro sua libidine pactionis ratione has aniculas dices: verum singulari arte etiam hic illud untur, uti & in aliis, à dæmone: qui simulatque ex elementorum motu & naturæ cursu citius faciliusque quam homines, mutationem aëris & tempestates fore prævidet: vel alicui infligendam ex abstrusa Dei voluntate plagam, cujus ipsum spectat executio, intelligit: tunc harum muliercularum mentes agitat, variisque imbuit imaginibus & suggestione multiplici, quasi ob invidiam in proximum, vel ob vindictam adversus inimicum, sint aërem turbaturæ, tempestates excitaturæ, & provocaturæ grandines. Itaque eas instruit, ut quandoque silices post tergum, occidentem versus projiciant: Aliquando ut arenam aquæ torrentis in aërem conjiciant: Plerunque scopam in aqua intingant, cœlumque versus spargant: Vel fossula facta & lotio infuso vel aqua, digitum moveant: subinde in olla porcorum pilos bulliant: Nonnunquam trabes vel ligna in ripa transverse collocent, & alia id genus deliramenta efficiant? Atque ut arctius eas satan illaqueet, diem & horam sibi dictis rationibus notas præfigit. Quum vero hæ successum vident, nimirum quascunque desideratas in aëre turbationes, magis confirmantur, quasi eventus hic subsequatur ipsarum operationem, qua ne aquæ quidem stillam elicere possent. *In aere concitando quemodo à dæmone illudantur Lamiæ.*

§ 2. Nec sanæ mentis hominem opinari decet, futili vesanarum muliercularum actioni obedire elementa, & ad harum nutum institutam à Deo naturalium rerum seriem impediri vel inverti: Quod haud dubie contingeret, si harum arbitrio tempestates, pluviæ, grandines & fulmina inservirent, ut quandocunque & quomodo hæ jubeant, ea insequantur: Sic quoque divina potentia ab humana voluntate superaretur tanquam in servitutem redacta, ut pulchre docet Hippocrates. Recta itaque erit sententia hæc Senecæ: Rudis adhæc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus & repelli: Quorum nihil posse fieri, tam est palam, ut hujus rei caussa nullius philosophi schola sit adeunda. *In libel. de Epil.*

§ 3. Cæterum de tempestatum plagarumque lucidissimis authoribus & caussis, exemplum minime dubium in Iobo proponitur: Minæ item earundem evidentissimæ in Prophetis leguntur adversus eos, quibus ad divinæ vocis monitionem aures obdurueré. Ut Aggæi 2. Percussi vos vento urente & aurigine, atque omnium manuum vestrarum opera, & non fuit qui ad me converteretur. Et cap. 1. Ponite corda vestra super vias vestras, dicit Dominus. Seminastis multum, & collegistis parum, &c. Et infra: Respexistis ad amplius, & factum est minus: Et intulistis in domum, & ego exufflavi illud. Propter hoc, inquit, prohibiti sunt super vos cœli, ne darent rorem: Et terræ prohibitum est, ne daret germen suum, &c. Item Johel. 1. Dissipata sunt horrea, disjectæ apothecæ, confusum est triticum, ingemuit animal Levit. 26. Si non feceritis mandata mea, dabo cœlum vobis desuper ferreum, & terram æneam, & consumetur incassum labor vester, &c. Si autem in præceptis meis ambulaveritis, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum. *His & Iohel.* cap. 2. rerum ubertas promittitur: Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo: Et dicit, Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum & oleum, & replebimini in eis, &c. Ecclesi. 39. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis & ferrum, *sal*, lac & panis similagineus, & mel & botrus uvæ, & oleum & vestimentum. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur. Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua. Et in tempore consummationis effundent virtutem, & furorem ejus *qui* fecit illos confundent. Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt.

Copiose item Deut. 28.

§ 4. Ansam vero hujus infidelitatis pronam admodum obtulerunt rustici, fide in Deum viva minus instructi: Qui multifariam hoc etiam tempore secundum eorum incredulitatem vexantur à Satana, ut alias lac ademptum, aliam fœtum, alias segetes, alias armentum etiam à Lamiis interemptum putent: Et universam agriculturam non Deo acceptum ferant, sed soli malevolorum hominum subjiciant arbitrio.

§ 5. Porro à contrario quis forte opponet, pluviam cieri posse carminibus in perniciem à maleficis: Quum ex jure scripto constet,

stet, aliquos in salutem provocare pluviam. Nam lex 4. C. de mathem. & malefic. Constantini est, qua admittit eos qui precibus, carminibus aut medicamentis pluviam impetrare valent, aut aliquid quod ad hominum salutem spectat, &c. Bartolus ibi: Summa & mens legis est, mea opinione, ut si quis istis artibus ad utilitatem hominum utatur, permissæ sint, ut scribit Josephus de Solomone lib. VIII. cap. 2. quæ alioqui vetitiæ per se sunt, & maximè si in alicujus perniciem convertantur.

§ 6. Hic paucis cum bona venia respondeo, Christianum Imperatorem credidisse aliquam in his esse vim, haud secus atque multi alii, & quidem plerique ἄλλοι ac poëtæ. Ex quo consequitur, magnam hunc ea in re injuriam Deo fecisse, qui non piis votis & culpæ deprecationibus supplicandum, sed contestationibus impiis ac adjurationibus cogi Deum posse, ut hoc aut illud nobis donaret, arbitrabatur: quin & amplam diabolo aperuisse fenestram, quum vero Deo relicto, per Satanæ aut ministros aut ministeria quid se consecuturum confideret.

§ 7. Hic & explodenda venit illa duodecim Tabularum lex: Qui fruges excantasset, pœnas dato: neve alienam segetem pellexeris excantando: ne incantanto, ne agrum defruganto. Nullo siquidem modo incantationum verbis aut imprecationibus fruges lædi queunt: sed à dæmone quidem, Deo concedente, aut veneficiis. Multo minus eæ traduci alio possunt: At hujus persuasionis colostrum ex poëtarum uberibus suxerunt veteres, ad nos quoque derivatum. *Sub tit. de injuriis, aliisque dilictis l. IX. al. tit. 11.*

Concubitum Dæmonis & lamiæ esse imaginarium.

CAP. XIII.

NUNC ad faces nuptiales & concubitum dæmonis ac lamiæ progrediamur. Atqui tam stupere mortalium genus, ut ejusmodi congressum vere perfici inter spiritum ossium & carnis expertem, & hominem carnalem, credant, profecto dolendum. Quod autem ipsæ lamiæ id confiteantur, sensus communis usu illas à satana privatas dementatasque, eo magis convincitur. Nec enim natura fieri potest, nec assentitur philosophia, spiritus corpore nudatos, amore fœminarum carnalium capi, aut ex iis generare posse. Siquidem fontem habet suum & inferiores ortus, *Luc. 24.*

 cupidi-

cupiditates: Si desit causa, desit effectus. Ubi non sunt membra genitalia, non est coeundi studium aut potestas. Ubi nullus in venis sanguis & in arteriis spiritus, nec eorundem fomes cibus & potus, ibi nec sperma. Ubi non fuit quaerenda successio & propagatio, non adhibuit generandi cupiditatem natura. Sicut spiritus nudi esurire aut sitire nequeunt, sic nec Veneris libidine possunt inflammari. Se amore captos esse quandoque mentiuntur daemones, ut amentes vicissim foeminas in officio arctius constringant, ardenter animarum perditionem depereuntes.

§ 2. At à praefractioribus suaeque opinionis tenacibus obtruditur ea Mosis sententia, Quod filii Dei ad filias hominum ingressi sunt, atque hae genuerunt potentes & celebres viros: Atque hinc cum multis alioqui doctis viris, daemones posse mulierum concubitu frui & generare, convincere student. Verum hic non est difficile erroris fontem agnoscere: Nec durum probare, solitas sacras literas filios Dei nuncupare dilectos illi, illumque colentes. Ut de Israële: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et in Exodo: Filius meus Israël. In Psalmo quoque clara existit differentia, cum homines sunt filii Dei, & cum non sunt: Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes: Vos autem sicut homines moriemini. Ecce eosdem filios Dei & homines appellat: Sed filios Dei, qui creati ab illo, factique velut dii, futurique si Deum coluerint: Homines autem, quia in terrenam fragilitatem dilapsi, regis coelestis imagine denigrata. Tales erant illi eluvionis tempore filii Dei, bona progenies ex Seth, quae cummista cum filiabus hominum, scilicet corruptissimis foeminis, quae sicut uxor Adam, deincepsque ferme omnes sic maritos suos corruperunt: unde corruptiores filii nati, origo mali, sanguinis pii cum impio commistio: Propterea nati bellicosi, superbi, contumeliosi. Haec sunt veriora, à natura non abhorrentiam: Cum illa sint poëtarum fabulis similia.

Genes. 6.

Filii Dei qui.

Osea 11. Num. 24. Matth. 2. Psal. 81.

§ 3. Caeterum peculiare daemonis prius cum viro, deinde cum muliere congressus figmentum commentantur nimis impudenter, & absurde admodum argumentantur plerique Theologi (velut Mallei maleficarum architecti Henricus Institoris & Jacobus Sprenger ordinis praedicatorum, ejusdemque ordinis Petrus de Palude, atque Martinus de Arles theologiae professor, & alii) eundem scilicet daemonem viri scelerati prius succubum effici mulieri deinde incubum: semenque viro antea ademptum, mulieris inde finui in

De eodem daemone succubo & incubo absurdum.

in ipso actu instillari, atq; hinc fœtum concipi progignique: quem tamen Grillandus ait non dicendum filium dæmonis, sed ejus cujus erat sperma. Proinde dum ad choreas translatæ sunt uxores, satanam alium dæmonem in forma succubi marito substernere, qui adeo bene se accommodet coire volenti, ut etiam callidissimum quenque falleret, ut ait Thomas d. tit. q. 5. Næ id ridiculum nimis videtur, quam quod multis debeat confutari argumentis.

quorundam Theologorum argumentum. Volum 10. tract. de sortil. 7. q. num. 13.

§ 4. Hoc solummodo dicam, illam seminis ex sanguine & spiritu humano temperiem generationi aptam in ordinatis à Deo locellis, extra propria conceptacula, qualicunque præsertim translatione corrumpi & interire: propterea quod spiritus ac calor ille cordis totiusque corporis nec adsit, nec quantitate & qualitate justa sit in eo temperatus. Quamvis eam temperiem à dæmone conservari posse nugetur Thomas, tum propter motus celeritatem, tum fomenta adhibendo, quibus illa defenditur. Si enim hoc fieri posset, quam fœcunda monstrorũ mater tam longo tempore extitisset humanum genus, semine ex feris vel bestiis permutato, translatoq; ab incubo dæmone, & mulieris sinui infuso? En horribilem consequentiam.

§ 5. Quæ vero se passas illiusmodi veneream cum diabolo velitationem asserunt iis mentem talibus idolis & imaginibus somnorinis vitiavit satan, potissimum altioris somni illusione oppressis, ut infima corporis parte succussata quandoque ad eum modum, qui Veneri communis est, libidinem explesse fateantur: quemadmodum etiam quotidie usu venire in sanis observamus, quibus ex ejusmodi simulachris voluptas tanta pro objecta in somno specie delectabili gignitur, ut cum multa titillatione, seminis subsequatur quandoque effusio. Infinitis partibus citius faciliusque his in hominibus id evenire potest, quorum phantasiam proclivem servilemque quibuscunque vult imaginibus imbuit soporis spiritus.

§ 6. Horribile hujus delusionis spectaculum in monasterio Nazareth Coloniæ anno M D L X I V. visum, & à me descriptum lib. IV. cap. 12. de Præstigiis dæmonum, nec absimile aliud in fine cap. 10. ejusdem libri. Docetur & lib. III. cap. 24. historiis aliquot, cur ex diis ac virginibus homines nasci confictum sit, & qua ratione spiritus ac dii cum mulieribus coeant: ostendo item cap. 30. commixtionis diabolicæ figmentum comprobantes historias omnes esse fabulosas. Fui autem in eodem libro uberior studio de fœdissimo ludibriosæ hujus commixtionis negotio, ut quum omnis illa-

illa sagarum turba se ea vitiari confiteatur, & unaquæque suum certo indigitet nomine procum, si huic congressui nihil inesse veritatis obtinuero, promptius universa præstigiosæ pactionis & dæmoniacorum phantasmatum machina collabatur, veritas elucescat clarius, diaboli regnum eat pessum altius, & unio in populo Christiano citius renascatur, conserveturque inviolatius.

Homines ullius rei potentia in bestias transformari nequire.

CAP. XIV.

AD Lamiarum omnipotentiam tandem quoque refertur, quod se in lupos, hircos, canes, feles aut alias bestias pro suæ libidines delectu vere & substantialiter momento transmutare, & tantillo tempore in homines rursus reformare posse fateantur, idque deliramentum ab eximiis etiam viris pro ipsa veritate defendatur. Cæterum admirari satis nequeo, ullum mortalium saltem leviter mentis sensu tinctum inveniri, qui eo dementiæ sit dilapsus, ut hominem ad Dei similitudinem & imaginem creatum, conformatumque ex corpore, anima & spiritu, Dei & spiritussancti templum, rationis hospitium, cupidum scientiarum organum, sublimem, erectum, & ad cœli quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitatum, imo μικρόκοσμον, cui Deus omnia subjecit, oves, boves, campi pecora, volucres cœli & pisces maris, eaque propter solum hominem condidit, hunc inquam in lupum, bestiam irrationabilem, pestilentissimum brutorum gurgitem voraginemque, sive in ullam aliam creaturam, rei ullius potentia, vel virtute manifesta, occulta aut specifica vere transmutari credat.

Genes. 1. 1 Thess. 5. 1 Cor. 3. 6 Lactant. l. 11. c. 12 inst. divinat. & de opif. Dei, vel form. hominis cap. 28. Seneca ad Lucil. epist. 77. Cic. de leg. & 1. off. Aristot. 1 Metaphys. & lib. 2. Physic. Psal. 8. Chrysost. super Matth. 2 Parte 8. q. 5. episc. De civit. Dei l. 18. c. 18. & libro de Spir. & anima c. 26 In quæst de Mirac.

§ 2. Ordinis enim divini providentia non admittit, occlamant sacræ literæ, contradicunt Decreta, ipse Augustinus aliquot locis, D. Thomas, ipsissima rerum natura atque ratio minime patiuntur. Si itaq; obtinuero, illam metamorphosin non revera fuisse factam, quod etiam nemo mentis sanæ inficiari poterit, & propterea imaginariam esse confessionem, atque hac in parte falsissimam: Quam fidem quæso merebuntur reliqua quæ confitentur flagitia, quæ in ea transformatione & larva lupina solum fuisse designata, nec aliter eo modo fieri potuisse, jam in confessum venit? At mera profecto sunt deliria, & plusquam nugæ, imo insania. Dolendum sane,

pruden-

prudentium virorum oculos hactenus tam densa caligine fuisse obductos, ut sibi vel fidei momentum in his ludibriis extorqueri permiserint. Sed ea fuit superioris potissimum seculi labes & cæcitas, quo pro libidine cum hominibus crasse nimis, ridicule & nocentissime collusit veterator ille.

§ 3. Utinam animo cujuslibet hoc obstricti fascino etiamnum ex immensa Dei misericordia insonet dulcissima illa vox Ephata: *Marc. 7.* Ut quemadmodum ea ex Christi ore potenter prolata surdo aures aperiebat, veritati inde convertendas: Et linguæ vinculum solvebatur, qua porro veritatem prædicaret: Ita ex hac gratia luminis divini radius effulgeat, quo offusis tam impotenter à diabolo tenebris semel tandem cœlesti luce discussis profligatisq; in clarissimæ veritatis conspectum & cognitionem citra præstigiarum impedimentum rectà perveniri possit. Facessant hic poëtarum figmenta, Circes omnipotentia, Demarchi fabula, Apulei metamorphosis, & Luciani transformatio. De lycanthropia morbo, quo se in lupos converti credunt homines, consule lib. IV. cap. 23. de Præst. dæm. & de naturali sexus humani mutat. cap. sequens ejusdem libri.

§ 4. Si qui vero obvagari in Livonia & locis finitimis videantur lupi noxii, quos lamias putant, Germanis Werwolff dicti: ii certe vel veri sunt lupi, in ejusmodi tragœdiam exagitati à dæmone, qui interim horum vagis erroribus & actionibus, delirorum λυκανθρώπων phantasiæ organa imbuit vitiatque, ut ii se esse excursionem erronearum & actionum authores corrupta imaginatione arbitrentur fateanturque: quod quidem diabolo non esse difficile, ex descripto λυκανθρωπίας morbo cuilibet non omnino rudi constat, dum humores & spiritus in hæc ludibria idoneos commovet, potissimum quibus atræ bilis nebulæ cerebrum vitiare solent: Cujusmodi existit fatuum monstrosumque id genus hominum. Vel certe dæmones censendi sunt ejuscemodi lupi, qui eam assumpsere formam, ut male credulos hos homines magis irretirent suis vaframentis, insontes gravarent, & sanguinis innocentis reum redderent magistratum. Interea ii qui se in lupos credunt transformatos, alto immersi somno diaboli studio, alicubi jacere comperiuntur, quorum somnia iis confundit imaginibus, quas hominum oculis præstigiose in pueris vel insectandis vel vorandis, sive armento lædendo, aut longe latequæ hinc inde vagando, aut vario impetu insiliendo objicit veterator ille:

Werwolff.

§ 5. Ut profecto non leviter denuo mirer, cordatos inveniri viros, qui delusorum horum hominum confessioni tanquam veracissimæ innexi, mortis sententiam contra eosdem pronunciare non graventur. Sed uno ab illis verbo categorice mihi velim responderi, utrum vere in lupos transmutari homines credant, necne. Nihil condere aut vere unquam transmutare diabolum potuisse, multo minus ejusdem clientelam, copiose in nostris de Præstigiis dæmonum libris demonstravi. Solius id Dei munus & opus est, cujus privilegii prærogativa neminem dignatus is est unquam, occlament ut volent, furiantque quicunque viri sanguinum.

Rediculas esse res quibus lædere creduntur lamiæ.

CAP. XV.

MALEFICIUM adhæc, aut si mavis, veneficium, etiam sine contactu inferre nonnunquam posse creduntur Lamiæ, cum aliquo ejus excremento cui nocere *debet* maleficium, cujusmodi est urina, stercus sanguis, *capillorum & unguium* præsegmina, atque ea hoc vel illo modo tractari, aut generaliter includi membris canis, similibus aliquo modo his quorum in homine sunt partes aut excrementa, claudiq; osse mortui hominis, ac in illius nomine sepeliri, alia in vestibulo, alia in viis crucis formam habentibus, alia in torrentibus. Hæc autem mere inania esse & ridicula, atque satanæ instinctu in usum vocari ad eum finem, nemo dubitet, quasi aliquid hic possent res prorsus nihili, inefficaces ac frivolæ, quo à se designatum id quod apparet malum, à dæmone constructum, vel alias occulta Dei voluntate aut naturæ vitio natum, credant non sanæ fœminæ, potissimum quum eas nova imbui virtute, ex inepta vel blasphema aliqua admurmuratione, aut imprecatione maligna, falsa opinentur persuasione.

§ 2. Sic nuper Hammonæ judex quidam Hessus narrabat, se quæsivisse è quadam celebri & famosa saga (quam tum vinculis coercebat, postea autem Vulcano consecratam) qua ratione quis lamiarum maleficia evitare posset? Quisque, respondit illa serio, detrita & vetustate multoque usu consumpta calceamenta custodiat. Quasi vero eorum opera inferri vel etiam arceri maleficia valeant. Cui mens ita stupet, ut has non sentiat nugas?

Res viles aut phar-

§ 3. Quod etiam res viles aut noxia pharmaca alicubi reposita, ex

ex intervallo transcensa aut præterita, noxam, inducere, vel ex disjunctissimo etiam spacio, ceu nervo emissa excussaque violenter ferri in eos quos petunt, nonnulli arbitrentur etiam insignes & docti viri, non mihi fit verisimile. Si enim congenita veneni virtute ejusmodi infertur virulentia, eam quoscunque vel transcendentes vel prætereuntes ferire necesse est, quum delectus sit expers materia venenosa. Secus autem experientia & res ipsa docet. Proinde si solummodo quibus male volunt illæ vetulæ, leduntur, non veneni halitu continget noxa, sed maleficii ratione. Id porro nihil eatenus posse, jam demonstravi: Si tamen nocumentum hinc subsequi videatur, certum est ab ipso satana, ex Dei assensu, ob hominis lædendi incredulitatem, vel etiam ut hic probetur cum Jobo, idipsum excitari. Ille est qui excæcat mutilatque. Interim deliræ huic anui, quæ materiam venenosam vel qualemcunque aliam sepeliit, id, ut dixi, quod ab ipso perpetratum est, vel alias contigit, ita in mentem firmiter suggerit persuadetque dæmon, ut à se factum esse illa credat asseratque.

Maleficia in locis semotis sepulta non posse nocere.

§ 4. Cæterum ea diaboli ludibria utplurimum vim suam sortiri, ut dixi, ob impiam hominum credulitatem, qua in ejusmodi potentiam dæmonis consentiunt, certum est. Enimvero si serpens sub ostii limine repositus, fœcunditatem amoliri potuit, ut in Maleficarum malleo legitur: Cur in illis regionibus, ubi serpentum numerus domos pervagatur, non omnes sterilescunt fœminæ? Si quoque olla in fundo putei arcis recondita, ad congressum reddere potuit impotentem quendam Comitem, uti ibidem narratur: Cur non omnes ex communi puteo aquam usurpantes elanguêre? At organa generationi destinata præpediit dæmon (id quod varie naturali ratione potest) donec ollam ex institutione mulieris dæmoniacæ concremasset male credulus Comes: Tumque destitit ille dæmon libenter, quo in falsam de vetula opinionem Comitem reliquosque pertraheret.

Ephes. 1.

Prima 2. partis. q. 1. c. 1. 6 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. ubi varia in hanc rem leguntur exempla, multa item superstitiosa & impia per totum sparsa librum.

§ 5. Carmine adhæc vel maleficio testiculos totave pudenda plerisque auferre dicuntur lamiæ: At si quid ejuscemodi apparet, sensus illorum à dæmone obtundi, & oculorum aciem perstringi censeo. In integrum siquidem restituuntur, quum testibus aliquandiu orbati fuerint visi. Hic satanæ potentia & arte nervi horum pudendorumque ad suam convelluntur originem, quemadmodum plerunque in deploratis morbis fieri videmus, malæque

Clem. l. v. recogn.

Testes carmine non adimi.

Lib. 2. 10 præsag. notæ argumentum dicit esse Hippocrates: Testiculi pudendaque retracta, vehementes dolores atque lethale periculum significant. Intermoritur enim facultas vitalis, & nervi versus originem retrahuntur. In dæmonis vero operibus minime illud vitæ naufragium hic pertimescendum: nec naturalis ea perpetuo subest causa. Ille etenim ad tempus fascino objecto deludit, vel dolosa nervorum retractione fallit. Ita fit, quod postea, ubi ad vetita consilia sic affectos adegerit, impietatisque reos effecerit, libenter ab opere desistat, coactus minime, licet se compelli simulet, ut superstitionis studia confirmet, aliosque iisdem arctius irretiat. Si etenim hæc membra vere adempta fuere, quando hoc factum est, & quibus mediis? Num citra sanguinis effusionem, partium læsionem & vulnerationem omni adempto sensu id fieri potuit, & vel momento sanari? Et si hoc quoque, licet ἀδύνατον, donemus, unde quæso contigit restitutio, si prorsus ea à corpore avulsa, & proinde alimento & vitali fomite destituta, tanto tempore mortua, putredinique obnoxia fuere? Num satanæ est & angelorum ejus nova creare: aut ablatis omnino partibus vitali virtute destitutis, redintegrare pro suo arbitrio vitam, ac veluti colla eas agglutinare, aut sua potentia genuino affigere loco: quemadmodum à Christo aurem Malchi à Petro abscissam, indubitanter credimus restitutam? Minime gentium. Antea auditum est, nihil plane dæmonem posse condere, explicatumque quid illi ἀμήχανον vel inimitabile.

È juncis lac non emulgeri. § 6. Easdem quoque è juncis lac emulgere fertur: quorum substantia levis, rara, ferèque exucca, id sane non admittit, adversatur ratio & ipsissima veritas. Qui ergo fit? Si alicui juncos trahenti appareat lac, hoc profecto à dæmone eo transfertur, præstigiarum fuco lamiæ oculis obducto, ut sua emulctione lac è juncis extractum credat: quod tamen delusorium est, nec rei veræ historia. Idem dictum volo, si ex alia inepta materia lac provocari asseratur. Si lacte destitui præter naturam comperiantur vaccæ, eisdem lactis receptacula & canales impedire potest dæmon non aliter aut minus, quam dixi congressum in hominibus posse inhiberi naturalem.

Lac glutinosum. § 7. Lac insuper à lamiis vitiari, ut dissoluti glutinii more, tenacibus filamentis ductile reddatur, generali asseritur decreto. Naturæ autem vitium hic illis tribuitur. Sic etenim rei veritas habet. In lacte tres sunt substantiæ commixtæ, nimirum butyrum, caseus & serum. Si jam lac vetustate nonnihil subacescere incipiat,

quod

quod æstate citius, hyeme tardius evenire solet, & tum coquatur: mox caseus cum butyro coit concrescitque, ut ad ductilis collæ modum etiam longissime deduci extendique possit: Et si circum distensa circumvolvatur expandaturve ligna, ad tantam pervenit siccitatem, ut fragile reddatur, & pulverem redigi queat.

Imprecationes mala inefficaces.

§ 8. Atqui se intuitu, prava voluntate, & imprecatione dira inferre noxam posse confitentur. Sed nec oculorum corruptos radios, nec Plutarchi ἀπορροίας, id est vaporum defluxus & potentiam eousque nostra vibrare ferireve corpora posse, ostendi lib. III. c. 35. de Præstig. dæm. Quæ connata sunt, nullum hic locum habent, ubi, num delectu certo aut peculiari voluntatis privilegio quis nocere valeat, controvertitur. Nec ulli vetulæ aut obstetrici (quæ corrupta multorum est opinio) nec ulli mortalium, quantumvis maligno aut scelerato diaboli mancipio, concessum est, imprecando vel bestiis vel hominibus detrimentum inferre: alias satanæ potentiam exuperaret hominis maligna virtus, si homo pro depravato suo arbitrio hic posset, quod dæmoni scimus denegatum: Quum hunc nihil omnino aut intus aut extra posse citra peculiarem Dei assensum, ex sacrarum literarum traditione manifestum sit: quo suffragante, in procinctu stat spiritus ille nequam, opinione celerius corpus vel ingrediens vel collidens.

Malum imprecandi consuetudo vulgaris.

§ 9. Hæc unica est ejus voluntas, spes & expectatio: Dei nutum observat & calculum expetit, non vero malitiosam ullius hominis imprecationem: Quæ si tantillum haberet momenti, vix homo in rerum natura superesset, qui non vel dæmonum myriadibus infarciretur, vel ab iis auferretur, vel peste tolleretur, vel lue Gallica, aut Jobis ulceribus fœdissimis conspurcatus lugeret: Ita domos, compita, vicos & urbes his diris & imprecationibus personare ubi libet audias, ut nec parentes liberis, nec liberi parentibus parcant, imo seipsos levi de causa plerique devoveant horribiliter, sitque ejusmodi execrabilis salutatio conjugi à marito plerumque etiam hora matutina expectanda, & e diverso. Sæpenumero ira perciti nonnulli, usqueadeo his assuescunt votis, ut in habitum ea degenerent: Et pro decoro tandem habeatur atque orationis lenocinio, si in familiari colloquio vel amica salutatione vel risu jucundo, horrendæ ejusmodi concrepent voces: Quas tamen nullum sortiri effectum in alium, palam cernimus: Tantum maledici hominis olim rationem reddituri, nisi pœnitudine converta-

vertatur, lædunt animam. Atqui potius, si quid imprecationes valere quis urgeat, omnibus erit indubitate æterna salus expectanda: Quum nemo sit, cui non aliquis salutem precetur perpetuam: Quæ precatio ex Dei voluntate fit, quemadmodum ex satanæ impulsu illa maligna. Si quandoque ex malitiosa parentum in *filios* imprecatione sinister aliquis eventus sit visus, nihil contra nos *facit*, ob peculiarem ingenitamque parentum cum filiis sympathiam, *cujus* nomine exemplum quandoque horrendum proponere solet Deus.

Lib. 7. de Legibus. Gen. 27. 49. Tob. 5.

Quamobrem Plato quoque nihil parentis imprecatione filiis censet periculosius. Contra vero accidit piis: Quemadmodum in Isaaco, Jacobo, ejusque liberis, item Tobia & ejus filio apparuit.

Quotquot vulgò Lamiarum maleficio affecti creduntur, & quorum ita læsorum sacra meminere Biblia, omnes à diabolo vel exerceri vel obsessos esse.

CAP XVI.

Maleficio affecti.

NUNC eos spectemus, qui à lamiis cruciari *existimantur*. Ii certissime sunt, qui variis & insolitis plerunque modis præter naturam, Dei assensione, à dæmone in suis corporibus exercentur, sive homines sunt, sive bestiæ: Quum ille ea alias vel subit, vel etiam non intro subit, sed utiles corporis humores exagitat & inficit, aut noxios in partes traducit principes, vel hisce venas ductusque naturales obstruit, vel instrumentorum structuram luxat, vel spiritus cerebri turbat, multifariisque imbuit formis: Quos interdum quoque excitat, ut in iis hominibus virtus animalis se exerat potentius quam in sanis: sive venenata *materia*, sive halitu intus aut foris conspurcat defœdatque, ac id genus reliqua, quibus ex causis morbi progignuntur innumeri, graves & admirandi. Nec interim hominum substantia & facultates ab hujus subtilis artificiosiq; hostis maleficio immunes liberæq; permanent.

Iob. 1.

§ 2. Exemplum luce meridiana clarius in Jobo cernimus, cujus, diaboli studio, primum quinquaginta boum juga, & quingentæ asinæ abripiuntur, puerique cæduntur: Secundo, ovium septem millia cum pueris igne cœlitus demisso consumuntur: Tertio, camelorum tria abducuntur millia, & famuli occumbunt: *Quarto*, domus, ob procellas impetuosissimas à satana excitatas, *ab imis* sedibus convulsæ ruina opprimitur omnis soboles. Ubi nec harum

cala-

calimitatem acervo Jobum à Dei cultu transversum agere posset, quin adhuc nomen Domini ille constantius glorificaret: Demum, consentiente Deo, eum ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem percutit, deformatque tam fœde direque satanas, ut ille in sterquilinio sedens miserabiliter, saniem testa abraderet, adeo atroci excruciatus dolore, quo etiam mortem illi precaretur conjunx, nec ab amicis eum visitantibus agnosceretur. Quid aliud de eo, quam ipsum maleficio affectum fuisse & incantatum in cunctis ad illum pertinentibus, quis dicet? Quæ hic intercessit dæmonis cooperaria malefica, quæ perversa lamiæ malevolentia, quod execrabile veneficæ pharmacum? Quibuscunque malis rebus perficiendis satis per se potens est, & voluntate promptissimus diabolus, si divinæ majestatis tantummodo accedat permissio: Cujus nutui morem gerere, velit nolit, cogitur.

§ 3. Nabugodonezarem regem Babyloniorum furore percitum, & inserta ab hominum consuetudine pulsum, fœno vescentem more bovis, figura vitiata, capillis ejus in aquilarum similitudinem crescentibus, & unguibus ejus quasi avium, mente adhæc turbata, acerbissime exagitat totum septennium diabolus. *Maleficio læsus Nabuchadonezar. Dan. 4.*

§ 4. Satanæ maleficio multis cruciabatur temporibus dæmoniacus in regione Gadarenorum: è monumentis, suo quippe domicilio egressus, nudus, ac supra modum sævus, adeo ut per illam viam transire posset nemo: Neque enim catenis eum ligare poterat quisquam, propterea, quod cum sæpe compedibus constringeretur, & catenis vinciretur, iis ab illo discerptis comminutisque, à dæmonio in deserto agebatur. Vociferabatur autem: Quid rei tecum nobis est Jesu fili Dei? Venisti huc ad cruciandum nos ante tempus. Dæmones vero rogabant, ne imperaret, ut in abyssum abirent, sed eos in porcorum procul in monte pascentium gregem demigrare permitteret. Christo hic annuente, egressi in porcorum gregem abierunt, eumque præcipitem impetu egerunt in mare, ut suffocatus interierit. Hic & porci ferme bis mille dæmonum maleficio agitati, in suam ruunt perniciem. *Dæmoniacus apud Gadarenos maleficio correptus. Matth. 8. Marci 5. Luc. 8.*

§ 5. Nonne & ille, quem spiritus immundus discerpens, projiciensque in medium, qui & Christi jussu exiit, nihilque nocuit, inter maleficio correptos suum sortietur locum? *Marc. 1. Luc. 4.*

§ 6. Huc referatur lunaticus, qui à puero spiritū habebat mutum, quo ubi agitaretur, lacerabatur spumans ac dentibus stridens atque *Maleficio læsus lunaticus. Matt. 17 Marc. 9. Luc. 9.*

arefcens: quem frequenter etiam in ignem conjecit spiritus, *& in aquas*, ut eum perderet: neque à Christi discipulis, ob eorum incredulitatem, expelli potuit: puerum vero tandem ad Christum accedentem, continuo discerpebat, ut in terram prolapsus, volveretur spumans: usqueadeo à spiritu exeunte Christi jussu, *iterum* dilaniatus, ut mortuus à multis haberetur: donec manu illius *arrepta*, à Jesu erigeretur.

Luc.13. § 7. Nonne paria cum nostris, qui maleficium pati creduntur, sensit mulier quæ infirmitatis spiritum habuit, à satana alligata octo & decem annis, atque ita contracta, ut omnino caput erigere non posset, vinculo isto à Christo sabbathi die soluta?

§ 8. Habeat & is hic locum, cui lingua erat alligata à dæmone, ut loqui nequiret, Matth. cap. 9. item qui cæcus & mutus à diabolo factus fuerat, Matth. cap. 12.

§ 9. Quis nisi animi plane præfracti, inficias ire audebit, si hi quos recensui, nunc temporis spectarentur, uno ore acclamaturos plerosque omnes, hos perversæ alicujus *vetulæ artificio ita* præter naturam varie exagitatos esse, miserè *dementatos, contractos*, lancinatos, distractosque? Atqui cujus arte, dira hac calamitate illos opprimi testatur Scriptura? Dæmonis. Cujus cooperatione aut imperio? Nullius, sed tantummodo propriæ dæmonum voluntatis malitia, & Dei permissione ex arcano *ipsius* consilio, ut illi vel probarentur, vel castigarentur, emendarenturve. Nec usquam in vasto veteris & Novi Testamenti volumine exemplum, ubi in affligendis corporibus alicujus Lamiæ operam usurparit, aut etiam requisierit satan, comperies: *Nihil* illic tamen prætermissum esse, quod hujus potentiam, actiones fraudesque ostendere queat, fatendum est. Neque etiam alicujus opera indiget veterator ille, abunde suo marte potens *ludificare* homines, eorum mentis & oculorum aciem præstringere, morbis præter naturam cruciare, ulceribus ferire, aërem multifariam turbare. Per se maleficia operari diabolum, in Malleo legitur, nec in his indigere mulieris malitiosæ consensu. Sed *Secunda 2. partis quæst. 2. cap. 7.* & sagæ perditionem quærit: Unde & ipsam cooperari aliquo modo cogit. Permissu illi tantum opus est, teste Gregorio, cui voluntas semper mala. Interim tamen à se designari ejusmodi flagitia, aliosque severe torqueri, & in rebus externis *felicem* impediri successum, & quæcunque alia diaboli miracula perfici,

fici, habent persuasissimum, confitenturque delusæ quædam aniculæ.

§ 10. Eas jam dixi, diversis de causis à dæmone ita obsidione vallatas, earum mentem tam graviter fascino læsam, cerebrum cogitatuum imaginationumque organum tam raris fraudulentisque phantasmatibus & formis ob incredulitatem implicitum confirmatumque (quemadmodum in gravibus somnis atque etiam melancholicis usuvenire quotidie, ostendi supra) ut aliud nesciant, torturisque subjectæ fateantur sua esse facinora, quæ ipsarum saltem sunt phantasia, revera autem satanæ, Deo huc connivente. Sic aliquem crebro à se læsorum recensent numerum, quorum alios occæcatos, alios mutilatos, nonnullos hoc vel illo modo à se excarnificatos, falsa opinione dicunt: quo nomine non tam maleficæ, quam maleficio affectæ effascinatæque appellari merentur. Quotquot vero tam crudeliter & multifariam quibuscunque etiam convulsionum generibus, morbis prodigiosis, vomitu & dejectione præter naturam torqueri, hunc vel alium imitari sonum, vocem edere, certos mendaciter notare, denominare atque accusare homines, uti atrocis spectaculi architectos, observamus, cunctos à dæmone maligno mendacique citra alterius cooperationem agi vexarique (nisi quandoque venenum vel propinatum vel applicatum accessisse intelligatur) ingenue fateor, atque adeo sanctissime astruo. *Lamiæ maleficio affectæ.*

De rebus monstrosis ore rejectis, quas non fuisse in corpore, multis ostenditur argumentis.

CAP. XVII.

HUC spectat rerum monstrosarum per os rejectio, qua præstigiator ille quorundam sensus ita præstringit, ut eas ex corporis meditullio eductas esse, dubitare nollent. Sunt autem panni lanei rudioris laciniæ utplurimum, item clavi ferrei justæ interdum magnitudinis, eorumque fragmenta, fibulæ ferreæ & æreæ, acus, aciculæ, eæque complures numero, quandoque colligatæ, vel panno insertæ, fili involucra. Hæc à me visa sunt. Nonnunquam & ossa evomuntur, subligacula, atque reliqua id genus longe absurdiora monstra: Sæpius magnitudine œsophagi etiam, quoad fieri possit, in homine vivo tensi distractique naturalem diductionem exuperantia, quibus nec alius ab ore introrsum laxior patet. *Materias ore rejectas, non fuisse in corpore.*

patet meatus. Quo vel unico irrefutabili argumento facile convicero, ea dæmonis subtilitate velocitateque imperceptibili, ori ingesta, nostris adhæc oculis vel celeritate ejus victis, vel fascino delusis, vel interjecto corpore aëreo, aut aliter motis eo intus vel foris vel utrinque humoribus aut spiritu, caligantibus. *Sic* nos fallaci suo machinamento multiformiter exercet ille milleartifex.

§ 2. Quum Neomagii apud Geldros quidam arrogantius in Paschæ feriis deglutiret ovum gallinaceum integrum, quod naturalem œsophagi expansionem superaret, illud in eo coarctatum residere nequivit, unde quoque compressa arteria mox suffocabatur,

§ 3. Si porro instes urgeasque, ea non ex ore solum, sed penitius ex corpore rejecta esse: Dic quæso, quo loco antea in corpore hæserint aut delituerint: Quum nullus sit corpori reliquo cum ore meatus communis, excepto œsophago, præter arteriam asperam, cujus caput larynx ex tribus componitur cartilaginibus. Ejus orificium, dum respiramus, dilatatur: *Quum devoramus*, comprimitur utplurimum, nonnunquam exacte, *ob quod* ligamentis membranosis nervosisque coarctatur. Ea arteria solummodo spiritum purum & impurum, recrementitiumque efflatu inspiratuque transmittit: Aut humidum quiddam, puta sanguinem, pituitam, saniem, aut pus tussi expectoratum: *nihilque* gravius hanc, nisi cum vitæ naufragio, etiamsi exigua admodum materies dura hac casu aberret, tolerare, manifestum est.

Arteria aspera. Larynx.

§ 4. Enimvero quam graves laterum dolores cum sicca quadam tussicula triennio cum mortis periculo prius excitarit, *quam* ex pectore tussi propelleretur avellanæ magnitudine lapillus, narrat Antonius Benivenius. Recitat quoque Alexander Tralianus exemplum de quodam, qui longo tempore tussi vexatus, non potuit, ne valde tussiret, liberari, quousque calculum expuisset levem, durum & renitentem: Et nisi consilio usus fuisset, illum similiter iis qui tabe laborarent, moriturum censebat. Idipsum cuidam civi Duisburgensi accidisse memini. Hac itaque ratione strictius hoc vas, durum, cartilaginosumque ab illa multa, ampla, solida, varieque conformata substantia liberum esse oportere constat.

Lapillus ore rejectus. De abdit. morborum caus. cap. 24.

§ 5. Hinc per œsophagum cibo potuique destinatam viam, atque alterum oris interiorem meatum, è ventriculo illa rerum mira-

Oesophagus.

cula

cula vomitari, si imis corporis partibus antea inhæserint, necessario sequetur. Eum autem strictiorem, deinde & omnino nervosum existere, cumprimis vero ejus extremitatem, nimirum ventriculi orificium, ideoque exactissimo tactus sensu præditum esse, ac levi flatu aut halitu putrido facile affici, humore etiam acri vel acido graviter pungi, sævissimaque cieri mala, norunt medici. Plerosque adhæc ex flatibus in ventriculo generatis ex pituitosis aut alioqui vitiosis humoribus, aut ex cibis in vapores ab imbecilli calore resolutis, gravissimis videas torqueri doloribus: Alios ex coacervatis crudis succis, vel etiam vitiosis aut acribus in ventriculi ore, in syncopen aut præceps animi deliquium incidere. Quosdam etiam ex alimentorum pravitate, aut malignorum humorum qualicunque copia, ut à bile admodum corrupta, aut à pituita salsa acri, excruciat cholera morbus: In quo vomitibus & dejectionibus tanto plerunque impetu biliosa excernuntur, ut cum humoribus, multis quoque exhaustis spiritibus, vires affatim prosternantur, sitiant ægrotantes ac sudent, tremor cordis syncopeque succedant, interdum & mors acerbissima.

Orificium ventriculi nervosum, & valde sensibile.

Ventriculi dolores ex flatibus & humoribus.

Cholera morbus.

§ 6. His exactiore lance pensiculatis, collataque gravissimorum morborum, symptomatumque exitialium causa materiali, cum ingentis durissimæ atque adeo acutissimæ materiei, velut ferreæ, æreæ, ligneæ, osseæ, præstigiosa vomitione, tum etiam expulsione rei lineæ laneæque, ventriculo & ejus sensili apprime orificio ita noxiæ, ut suffocationem plerumque quis vereatur, si in faucium partes exquisiti admodum sensus vel pilus impegerit, nedum acicula, aut acus (quas etiam cum periculosa vitæ lucta vel dispendio ignoranter subinde deglutiri cernimus:) una profecto consensu, ideoque ore una, ab rationis veritatisque robur, hic asserendum atque proclamandum erit, dictam rerum ore egestarum congeriem, à præstigiatore subtili, celerique dæmonio in os solum & fauces immas, nec ulterius impelli impingive, quasi strangulationem minitantem: Acie oculorum nostrorum interim elusa, vel spiritu optico turbato, vel ejus radiis obscuratis, ne prodantur præstigiæ. Sic simpliciores exiguæque fidei homines expeditius in suam illicit nassam veterator. Aliqui vero affecti ita, ab aliis insontibus, & se magis forte piis, ipsisque Christo fidelioribus, ejusmodi sibi irrogatam injuriam, malumq; inflictum mendaci satanæ suggestione, imo ipsius factitia voce ebuccinant: id quod meis coram accepi auribus.

 § 7. Adde

§ 7. Adde quod sæpenumero nihil doloris in stomacho ante acutæ, pungentis, radentisque hujus substantiæ rudioris expuitionem violentam senserint: Quum fieri nequeat, quin in ea hujusmodi rerum copia, una transverse acta, facile alicubi inhæreat, quæ suos pariat continuos postea cruciatus: Quemadmodum de muliere quadam, quæ acum æneam deglutierat, tradit *Benevenius*: Unde primum nihil sensit incommodi, inde cœpit eam circa ventriculum urgere dolor satis acutus: Quo dum indies magis magisque affligeretur, plures consuluit medicos, nihil de acu vorata, quæ memoriæ penitus exciderat, referens. Variæ fuerunt hinc inde sententiæ: Alii enim ab acriore humore, alii à vento inter stomachi tunicas recluso, cæteri vero ex malo habitu excitari hoc malum putabant. Sicque jam annis decem ex una acu, urgente dolore acerbo, miserrimam illa trahebat vitam: Donec acus perforato ventriculo se prodidit prodiitque. Jam ad institutum.

De abd. morbor. caus. cap. 20.

§ 8. Ad cujus assertionem insuper facit, quod tametsi mox vel paulo longius à cibo subsequatur vomitus hic *ludibriosus*, nihil tamen cibi vel chyli appareat mixtum: Quod à me diligenti inspectione observatum est. Adhæc evestigio ab ejusmodi dura, acuta multiformique re expulsa, qua omnino ventriculum & œsophagum lancinari radique, si profundius quam ex oris cavo rejiceretur, oportuit, innoxie quasi in iis locis illæsi comedunt. Hoc à me non semel circiter annum MDXLVIII, apud Geldrorum Arnhemiam, ubi tum stipendio publico medicabar, visum est: Quo hominum hisce modis à dæmonio exercitorum adducebantur plaustra, quorum ventriculum (in quo eas res portentosas supradictas resedisse necesse est, si ex imis corporis partibus, quod omnium prope erat judicium, expellebantur) quum ante & post vomitionem summa diligentia vigilantique studio in multorum conspectu contrectarem, valideque sursum ac deorsum pugno, palma & digitis vario torquerem modo, ut si quid grandioris, asperæ, acutæque materiæ illo contineretur sinu, non amplius posset latere, sed renisu in duriorem ultro citroque impellentem manus meas, hinc etiam suam læsionem sensuræ, contrectationem se detegeret: Vel nausea, ob non levem certe ejusmodi palpitationem, violenter concita rejiceretur: Nihil prorsus tamen animadversum est unquam eo momento evomi, nec ullam à contentis putatis injuriam sensit ventriculus. Quod omnino fieri nequivisset, si altius quam

ex fumoso oris hiatu profiliisset objecta oculis nostris ex ore materia. Huc facit singulare D. Pauli Grillandi Jurisconsulti clarissimi judicium, Tractatum volumine decimo de Sortilegis. *Vide l. IV c. 5. de praestig. daemonum.*

Ridiculus modus res duras in corpus insinuandi.

CAP. XVIII.

PORRÒ modum quendam ineptum futilemque, quo ejusmodi materies duræ in corpus ope diaboli à Lamiis ingeruntur, describit Doctor quidam in libello Germanico, qui Jacobi domini in Lichtenberg nomine prædicatur circumferturque. Ejus insuper fuisse sententiæ, à me non nisi evidentissimis rationibus rejectæ, Theophrastum Paracelsum, non est quod ægre ferant plerique religiosi nimis ejusdem admiratores. Hanc item rationem fuisse amplexum Ludovicum Milichium, virum alioqui pium & eruditum, in lib. Germanico, Magicus dæmon, inscripto, miror. Ab his asseritur, corporis poros à diabolo extendi, per eosque inseri stramen, setas porcinas, assulas, corium, præsegmina, fila, piscium & fruticum spinas, & quascunque materias acutas: Deinde poros occludi, ut quandocunque volet architectus, reconditæ res rursus extrahi queant. Subjungit Doctor ille has similitudines: Quemadmodum, ubi quis sub aqua lapidem recondit, & eo ibi relicto manuque retracta, quomodo eo devenerit lapis, nescitur: Sic quoque naturali ratione vaginæ poros absque læsione penetrat, ferrumque liquefacit fulminis radius. Non dissimile modo in hisce delusionibus fit, quæ magis noxia stigmata vulneraque inferunt. Hæc ejus verba Latine reddita.

§ 2. Rationes has admodum esse jejunas, quilibet rerum naturalium cognitione leviter tinctus, intelliget haud difficulter. Siquidem poros illos natura ex prima creatione strictissimos, à dæmone eousque distrahi innoxie posse, ut stramina, coria, vel cultros transmitterent, deinde conciderent, emitterentque suo tempore ad satanæ arbitrium libidinemque, conservatam tot diebus vel mensibus substantiam, prorsus ἀδύνατον esse, nec ullo modo fieri posse, quilibet sanus mecum fateri debet. Pori enim corporis à conditore tam anguste constricti ab initio sunt, ut præter tenuissimum liquorem, velut sudorem vel vaporem crassius aut solidius nihil transmittant: Quemadmodum etiam in duris crassisque lapidibus,

dibus, maxime coctilibus, & lignis observamus: quorum pori quidem liquorem transmittunt, at nihil durum aut solidum sine incisione fractioneve. Talia certe phantasia facile imaginatur, at in actum non item deducuntur.

Similitudo absona.

§ 3. Similitudo ab illis subjuncta, de lapide in aquam manu demisso, profecto multum absona existit: ridiculumque est, conferre hominis corpus solidum compactumque cum humida, tenui & fluitante aqua, omnium capace, quæ naves & quodcunque voles, natura admittit. Sic nec igneus ille subtilissimus radius vaginæ poros pervadens, quicquam habet similitudinis cum crassa & dura re, quam in corpus humanum per poros illæse intrudi contendunt adversarii. Nisi demonstrationis vanitatem quilibet palam cerneret, in confutando prolixiorem me ostenderem: probationes vero non dissimiles sparsim in illo Doctoris libello sunt obviæ. Quædam autem naturaliter in corporibus quandoque reperiri, quæ ad maleficia nonnunquam referuntur, ostendi fusissime cap. 16. *lib.* IV. de Præst. dæm. ubi & cap. 13. admirabilis legitur *historia de puella*, è cujus latere culter fuit exectus: Et cap. 9. *de quodam, cui vivo* excisus clavus, & post mortem cultri, lignum, ferramenta: Et cap. 10. religiosæ adducuntur virgines dæmoniacæ, quæ Lamiarum maleficio exagitari credebantur: Similes cap. 6. enarrantur: Atque omnibus illis locis obscura lucide explico.

Animantia naturalibus morbis varie affligi, qui Lamiis attribuuntur falso.

CAP. XIX.

Pestes jumentorum.

JUMENTA adhæc à Lamiis affligi perdique atrociter, vulgaris constansq; est opinio. At ea numerosa sæpius ad internecionem gravissima prosterni peste his peculiari, hominesque non infestante, item præcipitibus aliis morbis in suo quæque genere, partim hominibus quoque familiaribus, partim plerisque pecoribus propriis, subito tolli, ab optimis agriculturæ & veterinariæ artis vel mulo medicinæ scriptoribus tam veteribus quam recentioribus memoriæ proditum est: qui tamen morbi à vulgaris ingenii hominibus, ne alios nominem, maleficia frequenter creduntur.

§ 2. Sæpenumero id contuemur, & superioribus annis proximis contigisse meminimus, ut solos jugularit boves pestilentia

quæ-

quædam: Sævit etiam nonnunquam, quæ sues, quæ oves, alia quæ gallinas interimat. Pecudes ferasque tollentem pulchre describit Virgilius: 3. Georg.

Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumni incanduit æstu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

§ 3. Discrimen vero paulo ante expresserat:

Quam multæ pecorum pestes, nec singula morbi
Corpora corripiunt.

§ 4. Pecudes etiam pharmacis pabulo injectis, aut alicubi sparsis ut degustentur vel halitu attrahantur, affrictu item vel applicatione perniciose quandoque lædunt perimuntque venefici. *Veneni tolli pecora.* In ducatu Wirtenbergico non procul à Tubinga carnifex veneficii non ignarus, anno MDLXIV. in pecudibus hac arte tollendis specimen edidit. Etenim quum ex pacto huic cederent morticinorum animalium coria, atque alia quæ huic usui esse possent, hic boves, oves & porcos in pascua ex more deductos, veneno clam perimit, ut inde frequenti nimis pellium numero, sævi item & pinguedinis talentis non paucis Augustæ Vindelicorum & Argentinæ venum expositis distractisque, dives brevi evaserit. Proinde & suspicione oborta, veneficii accusatur, quæstionibusque ipsi familiaribus subditus, rem universam confitetur. Dat & pœnas forcipibus ignitis distractus in principio Augusti. Huc ii quoque pertinent, qui pugiunculis jumentum certis locis confodiunt, retracta prius seorsum cute, ut ubi ea remissa vulnus impressum tegitur, lateat dolus, atque ea ratione mortuum, periisse maleficio judicaretur.

§ 5. Plerique item agyrtæ studio lupi stercus clam in præsepibus condunt, quod olfactu animadvertentia pecora, voracemque hostem verita, ob antipathiam quandam, miro exagitantur furore, ut maleficio ea torqueri, firmissime credant ignari, apud hujus artifices consilium inquirentes. *In pecoribus exagitandis dolus.* Eadem ratione fertur, caudam lupi in boum vel equorum præsepi suspensam, eos ab esu exterrere. Metu etenim ob odorem perculsi, obliviscuntur cibi esurientes: Quemadmodum hominibus quoque in magnis timoribus usuvenire experimur.

§ 6. Pestem similiter pecorum, quemadmodum & frugum sterilitatem, quo & vinearum pernicies referenda, interdum à divina *Ob nostra peccata pestem*

pecorum, & frugum sterilitatem inferri. Laud. 7. voluntate ob populi flagitia provenire, observandum est. Sic ob Pharaonis duriciem pestis grassatur in pecus, ulcera in homines & jumenta, grando item in universa Ægypto. Luculenta hujus testimonia apud divinum vatem Joëlem cap. 1. Aggæum cap. 1. & 2. item Levitic. 26. Vide hujus libri cap. 12.

§ 7. Ejuscemodi vero rerum suarum jacturam quidam fiducia in Deum viva minus confirmari impatienter tolerant, universam agriculturæ rationem non ad Dei benedictionem in vera fide, sed ad meras aniicularum voluntates referentes: ideoque non cum Jobo, quicquid detrimenti accedit, Deo acceptum ferunt, verum ad divinos & ariolos, sacrificos, diabolicarum actionum patronos, quasi à Lamia, satanæ adminiculo, ad eam devenerint stragem jumenta, confluunt: qui inde ementitis votis, & quacunque possunt fallaci persuasione, hos damno & incredulitate bis miseros, in malitiosa opinione semel concepta obfirmant, adhibita etiam non solum superstitiosa, sed & impia curatione.

Experimenta in dignoscendis Lamiis fallacissima.

CAP. XX.

HINC tanquam ad sacram anchoram in Lamiis citra hæsitationem cognoscendis, & velut digito commonstrandis, ad aquas confugitur, ubi manibus pedibusque colligatis, vel pollice manus dextræ, magno digito sinistri pedis, & vicissim pollice sinistræ, digito magno dextri pedis transverse vinculo astrictis. Lamias maleficii reas, aquæ injectas nunquam submergi, at supernatare, velut certum experimentum, nec fallax indicium esse, apud magistratum & carnifices in plerisque ditionibus observatur. Næ illud nimis est ridiculum, mirumque huic insulsæ persuasioni ullum hominem, vel leviter rationis sensu præditum, fidei tantillum apponere. Quandoquidem maleficium si quod est, cumprimis è mente emergit, dum cum diabolo confœderatas Lamias, Deo renunciasse creditur. Quid hic caussæ comminisceris, quo minus in aquis subsidere, quam aliæ, debeant? Natationis siquidem *Natationis causa.* caussas, uti levitatem, raritatem, spiritus sustinentis conclusionem, corporis vivi habilitatem, idque genus reliquas naturales occasiones, non magis inesse his corporibus, etiam sontibus, ut quidem fateor, ita asserere audeo, si quid ejusmodi præter naturæ ordinem

specte-

spectetur, id fieri suffulciente fœminas, de quibus etiam falsa est suspicio, diabolo, ne submergantur (connivente Deo ob incredulitatem magistratus, fallax hoc experimentum admittentis) quo in sententiam iniquam judicem inducat tandem hac fraude impostor ille, ab initio sanguinarius. Corpus nullo pacto immutat, ut rarius aut levius & natationi convenientius reddatur, fidei abnegatio, voluntas mala, vel corrupta phantasia. Hic profecto credi magis oportet naturali rationi, quam ementitæ experientiæ, stultæ & ineptæ, nulli etiam nixæ rationis basi, & observatæ sæpenumero falsæ, propterea quoque à diabolo inventæ, & ab homine Christiano profligandæ.

§ 2. Similis temeritatis, & superstitiosæ dæmoniacæque falsitatis experimentum est, quod in Malleo legitur. Die Dominico sotularia juvenum, axungia seu pinguedine porci, ut moris est pro restauratione fieri, perungunt: Et sicubi ecclesiam intrant, tamdiu maleficæ ecclesiam egredi nequibunt, donec exploratores aut exeant, aut illis exeundi licentiam expresse concedant. Nec absimile erit, quod in hanc dignotionem plerisque in locis observatur admodum impie, ubi ex terra quam ter spata primum in sepultura injiciunt pastores, portiuncula Missæ sacrificio scilicet sanctificata, calcando templi limini supponitur: Nec Lamiam, si in templo, sit tum posse egredi putatur. Item assulas sume ligni quercini, in quo aliquis fuerit suspensus, vel se strangularit: inspergantur illæ aqua lustrali, collocenturque ad templi ingressum: nec nisi assulis summotis, exire valebit. *2. Secunda partis, quæst. 2. in initio.*

§ 3. Huc spectat id quod in libello Conjurationum Romæ & Avinioni impresso legitur: Ad corrigendum & notificandum maleficam, accipe mulctram novam, & formulam casealem novam, & stanneam novam, & mulge de omnibus vaccis quas habes, tantum lactis, quod possit formare vel facere unum caseum in nomine illius maleficæ, & forma per prædicta vasa unum caseum: Et quum factus est caseus, perfora cum armilla acuta totum caseum, & per hoc denudabitur ipsa malefica in facie. Considera item maleficam in fronte illius, quia diabolus abradit eam cum ungula post consensum ad delendam sacram unctionem baptismatis, ita ut stigma in fronte gerat: Id quod tamen semper, quantum potest, cum peplo velare nititur. Hoc à me dilutum est capite superiori septimo.

Quo

Quae in maleficii inquisitione sunt facienda: *Nec soli confessioni standum esse.*

CAP. XXI.

PORRO regulam hanc minime fallacem à quaestionibus observare decuit, ut de singulis illis flagitiis jam confessis, accurate cum judicio inquiratur: quas alios passos dicunt, fatenturque aerumnas & calamitates à se illatas Lamiae, num ita se habeant, vel in rerum sint natura: Et si comperiatur quosdam ita laesos, vel morbos aut damnum perpessos esse, ut jam ab aliis haec confessis, designata hujusmodi mala putentur: Inde quibus mediis, materiebus aut organis perpetrata sint, penitius investigetur: Et num illa media, materies aut instrumenta istiusmodi effectibus producendis sint aptae consonaque. Ubi naturalium rerum & virtutum cognitione celebrium medicorum judicia in consilium accerseantur, quemadmodum in aliis quoque casibus eos spectantibus fieri volunt leges.

Confessioni mente laesi non esse standum.

§ 2. Ut enim non est alicujus melancholici aut mente vitiati standum confessioni: Ita etiam ex illarum confessione non est infligenda temere punitio, nisi ex certis circumstantiis & demonstrationibus evidentibus indubitatum constet veneficium vel venenatio, pharmaco videlicet propinato aut illito: Aut eo loci, unde halitu certo ferire potuit, deposito. Oportet siquidem probationes luce meridiana esse clariores, maxime in actione, quam vocant, criminali, quae Jurisconsultorum laudabilis est sententia. Nam in hoc maleficii negotio multa turbulente, vel ex sinistra opinione aut suspicione: Vel malitiose ex maligno affectu: Vel ob morborum difficultatem aut rerum jacturam, ex incredulitate, quod non satis Dei justae voluntati ex animo se totos quidam tradant subjiciantque, dicuntur. Multa insuper confuse de aliis sparguntur, confessione item illusarum à daemone vetularum sanciuntur, diabolo frigidam hic suffundente, & machinationis clavum fideliter dirigente: ut si quis aurem allicet facilem, accusationem & confessionem ratas existimans, ita se tandem delusum sentiet, quo tanquam in labyrintho inexplicabili involutus, nunquam sit exitum inventurus, si ad legum normam & juris rigorem cuncta ex auditis exequi statuat.

In actione crim. oportet probationes esse clariss.

§ 3. Ea satanae ars est, res usqueadeo tricis subtilissimis implicare

care confundereque, ut nec ulla Thesei sagacitate extricari, nec Oedipi prudentia explicari queant. Sic vel in principiis omnino substitisse, & intra metas se continuisse, aut mature retrogressum esse præstare, ne diabolo ab initio homicidæ, ob aperta mendacia aut veritatem dolo falsitateque vitiatam, aperiatur fenestra, per quam se in actiones nostras insinuet, ipsa re & usus observatione comperi. Nec omnem longius grassandi occasionem satanæ præcidendi, compendiosior unquam erit via: Alioqui mendaciorum calumniarum falsarum, veritatis momento interdum mixto, ut dolus lateat, criminationum atque accusationum nullus videbitur modus aut finis. Proinde hic suum habere nervum sententiam vere auream Juris Pontificii optarim, 30. q. 5. cap. Nec illud: Et sunt verba Victoris ad Theophilum: Interea nullatenus judicemus, quousque veniat Dominus, qui latentia producet in lucem, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quamvis enim vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur, &c.

§ 4. Nec prætereundum fuit quod omnium est iniquissimum, Confessiones hic sæpenumero tormentis exquisitissimis & cruciatibus intolerabilibus extorqueri à tortoribus tyrannidis prærogativa famosis, ut pleræque vetulæ semel momento flammas, quibus à tam enormibus & continuo repetitis acerbius torturis liberentur, sustinere malint, quam in ejusmodi eculeis & Phalaridis tauris tam inhumana atrocitate perpetuo recludi, extreme rursus excarnificandæ. Hinc & confessiones si ad veritatis canonem exigantur, rationum trutina pensiculentur, & investigatione justa discutiantur, adhibita possibilitatis & impossibilitatis cognitione exacta, comperientur dubiæ, non cohærentes, frequenter & insulsæ, futiles, mendaces, & utplurimum erroneæ, iis quibus mentis oculi ab affectuum nebulis, & erroris semel pertinaciter concepti præjudicio fuerint abstersi.

Torturarum tyrannis.

Confessiones torturis expressæ, sæpius erroneæ.

§ 5. Ad truculentæ hujus tragœdiæ actus egregie perficiendos, accersuntur sanguinarii utplurimum spiculatores, qui flagitiorum inauditorum, & sæpe in rerum natura non existentium confessionem potionibus eliciant: quæ profecto non ex aliis possunt apparari substantiis, quam quæ vel inebrient aut dementent. Ab iis itaque quibus mens ejuscemodi potionum vilæsa est, quo-

Potionibus dementantibus veritas non elicitur.

modo veritatem, cui in re criminali fidendum, inquisieris? Quum etiam constantia tanta fateantur hæ anus, quæ vanissima & mera esse mendacia in superioribus capitibus aliquot demonstravi, cur in reliquis tantopere confessionis certitudo opponitur, quæ si in uno erronea fuerit, in aliis quid solidioris fidei merebitur? Quinimo hic mihi eximiorum Jurisperitorum consilia & decreta suffragantur. Joannes Franciscus Ponzivibius de Lamiarum confessione ita argumentatur: Cum tales personæ sint illusæ, ut dictum est, ergo dici debet, earum confessionem etiam esse erroneam, nec admittendam. l. error. No. in l. de ætate. §. fin. ff. de interroga. action. Confessio enim debet continere verum vel possibile: ut per gl. Bald. & alios in l. 1. C. de Confess. per gloss. in c. si. de confess. in 6. ff. ad leg. Aquil. l. inde Neratius. §. fin. Sed ista respuunt jus & naturam: Ergo non sequitur: Istæ mulieres sic confitentur, ergo sic est. Nam confessio longè distat ab actu (vel actus possibilitate:) Et quicquid est contra naturam, deficit in suis principiis, ergo naturaliter est impossibile.. Præterea in criminalibus regulariter non standum soli confessioni rei, ut per *Bald. & Aug. in l. 1. C.* de confess. Nec obstat, quod dicit Bald. in d. l. si quis non dicam rapere: Quia ejus dictum procedit in hæresi, in quantum perficitur in sola mente & cogitatione: quo casu bene, ut inquit ipse: quia cogitatio mentis, quam solus Deus novit, non potest aliter probari, quam per confessionem, ideo statur soli confessioni. Sed confessio, de qua in casu nostro, continet actum ab extra, & minus possibilem de jure & natura, ac etiam minus verisimilem: Et ideo potest dici, quod licet, quoad ea quæ credunt, sit standum confessioni earum, quoad punitionem: quia talis credulitas pendet ab animo & voluntate: non autem quoad hoc, ut quia sic sit, vel sic fiat, sicut asserunt.

Tractatuum volumine x. de Lamiis.

In criminalibus non est standum soli confessioni. Ex sola confessione non judicatur, nisi in hæresi.

De vanitate confessionis Lamiarum, earundemque innocentia, insignium Iurisconsultorum sententia.

CAPUT XXII.

PRius maturiores illustrium quorundam Iurisperitorum sententias proponere volui, quam ad pœnæ formam in mulctandis Lamiis progrederer. Narrat insigne illud legum lumen Andreas Alciatus, hæreticæ pravitatis (ut vocant) inquisitorem in-

Li. VIII. Parergon juris, capite 22.

subal

subalpinis vallibus, adversus hæreticas mulieres, quas veteres Lamias, nos Striges vocamus, inquisivisse, & supra centum flammis consumpsisse: Quotidieque ceu nova holocausta, alias super alias Vulcano obtulisse, è quibus non paucæ helleboro potius quam igne purgandæ videbantur: donec rustici arreptis armis vim illam inhiberent, & negotium ad episcopi judicium deferrent.

§ 2. Inde post: Et quamvis aliqui ex maritis, magnæ fidei homines, asseverarent, eo potissimum tempore, quo illæ in ludo & choreis sub Tellina arbore fuisse dicebantur, se exploratum habere, in lecto potius secum fuisse: tamen respondebatur, non illas, sed cacodæmonem potius, uxoris forma assumpta, marito illusisse. Atqui ego replicabam: Cur non potius cacodæmonem cum suis dæmonibus, illam verò cum marito fuisse præsumis? Cur verum corpus in ficto lusu, phantasticum in vero lecto comminisceris? Quid hic opus est usqueadeo augere miracula, & non tam Theologum quam τραγῳδὸν agere, severioremque partem in pœnis eligere? Constabat ex illis actis, semel in eo ludicro per quandam mulierculam nomine Jesu appellato, omnem illum apparatum, omnes saltrices cum amasiis suis repente evanuisse: qui fieri id potuit, si vera fuissent corpora, & non phantasmata, & Tantali horti? Quod apud Philostratum lib. IV. etiam Apollonius Tyanæus censuit, & apud Plutarchum in Bruti vita C. Cassius. Nam & medici maximos affectus corruptæ menti, imaginariæque ludificationi tribuunt: Unde ephialtici, afflati, superstitiosi, incubitati, amore furentes, imaginosi, lycaones, cynanthropi, qui tamen medicamentis curantur: Videnturque hæc esse quæ Plinius & alii veteres Faunorum ludibria appellant, pœoniaque herba emendari censuerunt: Ut etiam harum plerasque curari posse sit verisimile, nisi quod pauperes & fœmellæ omnes sunt, quibus talis facultas non suppetit. Ego certe magis juri Pontificio communique nostratium Doctorum interpretationi hac in quæstione, quam Theologis istis tribuerim, maxime in re à Synodo decisa in Concilio Anquirensi c. I. ubi talia phantasmata mentibus à maligno spiritu irrogari ait. Et rursus: infidelis, inquit, non in animo, sed in corpore evenire opinatur: quis enim in somniis & nocturnis imaginibus non extra seipsum deducitur? Quæ etiam videtur fuisse Augustini sententia lib. XVIII. de Civit. Dei, c. 18. ubi: verum, inquit, corpus nulla arte dæmonum converti potest, sed phantasticum:

Quod etiam cogitando seu somniando per rerum innumerabilia genera variatur: Et quum corpus non sit, corporum tamen formam capit, sopitis aut oppressis corporeis sensibus, ita ut vera corpora alibi jaceant sensibus obseratis. Nec refert, quod ibi Herodiadi aut Dianæ honor exhibetur. Hactenus Alciatus.

§ 3. Paulus item Grillandus de Sortil. 10. volum. Tract. Quidam maritus ex oppido agri Sabinensis habebat uxorem maleficam sive strigam, ut vulgo dicunt. De crimine autem solum erat suspicio, non certa notitia. Nam quum aliquoties à marito rogaretur, num ejus esset professionis, negabat constanter. Crescente porro rumore, & viris fide dignis apud maritum ejus flagitii morem insimulantibus, quod ea familiariter uteretur aliis mulieribus hujus criminis ratione cognitis, cum quibus etiam se turpibus miscere sceleribus, & nocturnos agere cœtus videbatur: decrevit maritus ipsam in ejusmodi operibus observare & apprehendere: Et cœpit pluribus noctibus diligenter & attente invigilare, noctesq; circiter duodecim egerat insomnes, attendens studiose, num illa aliquò ad dæmonum lusum, vel aliud maleficium noctu evagaretur, & num penes se in lecto permaneret nocte tota, quando lectum conscendisset: nihilque fraudis unquam comperit, sed manibus illam semper in lecto contrectavit.

§ 4. Quum vero post dies paucos unà cum quibusdam aliis de eodem crimine accusatis, in carcerem conjiceretur, subderenturque quæstionibus, confessa est demum, se tali interfuisse lusui unà cum aliis mulierculis incarceratis, flagitiique hujus reis, tali die undecimo mensis, &c. tali nocte, hora tali, &c. idem fatebantur & aliæ. Maritus vero in conjugis patrocinium asserebat præstito juramento gravissimo, eam illa nocte designata, & maxime illa hora, secum decubuisse in eodem lecto, & se eam tum studiose non semel tantum tetigisse, sed pluries, ac cum ea locutum fuisse.

quæst. 7. fol. 44. pag. 133. § 5. Idem ibidem: Nota, ait, unum valde singulare, quod istorum apostatarum duæ sunt species. Una est, quæ simpliciter retrocedit à fide, & sequitur cultum & obedientiam dæmonis: Altera est, quæ postquam Christi fidem abnegando reliquit, & dejecit ex corde suo, iterum se baptizat expresse in nomine diaboli, & aliud nomen sibi superimponit. *Lamiæ pœnitentes evitant pœnas corporales.* Licet utraque species sit damnata, prior tamen, si peccatum suum revocat, admittitur ad pœnitentiam, & evitat pœnas corporales, sicut hæretici, ut l. Manichæos. C. de hære-

hæreticis. Identidem Theologi authores Mallei, in tertiæ partis initio, quæst. 35. his verbis docet: Ex corde vero apostatæ, si nolunt resilire, ut hærètici impoenitentes, tradentur curiæ seculari. Si autem velint, recipiuntur prout hæretici poenitentes, juxta c. ad abolendam. §. poenit. de hæret. libro VI. Concordat Raymund. tit. de Apostol. c. revertentes. Ubi dicit: Quod revertentes ab apostasiæ perfidia, cum fuerint hæretici, tanquam revertentes ab hæresi, sunt recipiendi: Et hic sumitur unum pro alio. Et in 2. parte Decret. cap.26. quæst.5. Episcopi: Ex præmissis authoritatibus colligitur, quod arioli, aruspices, incantatores & sortilegi, atque cæteri ejusmodi sectatores ab ecclesia sunt eliminandi: Et nisi resipuerint, perpetuo excommunicandi. Sed quod in ultimo Anquirensi ca. ea quæ fiunt per incantatores, non in corpore, sed in spiritu fieri dicuntur, Augustinus in lib. de Civit. Dei, idem videtur asserere, ita dicens: Quæ magorum præstigiis fiunt, non vera, sed phantastica esse probantur. Quare criminali actioni in lamias hic nullus erit locus.

Et Isido. cap.9. lib. VIII etym. 26. q. 5. cap. nec mirum.

§ 6. Qua insuper moderatione, nimirum certa ignominia & exilio easdem puniat magistratus Bononiensis, descripsi lib. VI. cap.19. de Præstig. dæm. quæ profecto nonnihil adhuc vetustatis Italicæ prudentiam sapere videtur, & infinitis præferenda modis aliorum quorundam tyrannidi, qui ad flammeum illud holocaustum præcipites nimis feruntur, olim justam talionem, nisi resipiscant, sensuri.

Quomodo Lamiæ mentis errore à diabolo affectæ, nec ulli noxiæ, sunt reducendæ, & quæ eis statuenda pœna: Nec omnem voluntatem esse puniendam.

CAP. XXIII.

QUAE ergo Lamiæ errore & phantasia delusæ, & satanæ perversa institutione seductæ cognoscantur: Nec alicui ab eisdem malum revera, at solum imaginatione illatum esse certo sciatur, saniori doctrina informandæ erunt, ut repudiatis dæmonii ludibriis, Christo sacramentum rursus præstent, atque uti luxata ex corporis compage membra, debita ligatura restituantur poenitentes. Quantopere hic fidelem mysteriorum Dei dispensatorem eniti deceret, ut ad Christi ovile reduceretur ovis,

perdita, nemo non novit. Suum quoque hic habebunt locum publicæ & communes preces ex animo fusæ. Admodum hic piè D. Jacobus admonet: Fratres, si quis inter vos erraverit à veritate, & converterit quis eum, sciat quod qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvam faciet animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Iacob 5.

§ 2. Nec hæresis solum in errore, quod quis dæmoniorum doctrinæ adhæret, figitur: Sed in sui confidentia quoque, concepto fastu & præfracta pertinacia, ubi nulla admittitur admonitio: Errorem etenim seductionemque mentis confessus hæreticus, semper remissionem veniamque ex Patrum consensu & Christiana mansuetudine meretur. Nam, teste Seneca, quem pœnitet peccasse, pene est innocens. Et apud Ecclesiasticum: Pœnitentibus dedit viam justitiæ. Ejusmodi itaque male à dæmonio persuasæ & resipiscenti fœminæ, rectiusque jam in Christianæ fidei sanctissima basi confirmatæ, pecuniarum quoque (si ejus res ferant) mulcta in pauperum subsidium imponi potest, & quæcunque *alia arbitraria*, non tamen vitæ pœna, pro delicti ratione & *magnitudine*. *Vel si* injungere voles mulctam ejusmodi fœminæ irrogatam à Romanis Pontificibus in taxa sacræ pœnitentiariæ, ut ipsi vocant, per me licet. Ibidem legitur: Mulierem incantatricem, postquam superstitiones abjuravit, in quolibet supradictorum casuum *taxari*, Turon. 6. duc. 2. Si etiam ex usu ob reipubl. tranquillitatem conservandam videbitur, ut exilio ad certum tempus puniatur, donec vitæ innocentia vere se conversam esse, & fidelem, persistereque comprobet: Ac deinde libertate hospitii pristina rursus donetur, non contrajerim. Ejusmodi esto pœna temeritatis, *quod dæ*moniacæ suggestioni & ludibriis non satis constanter *restiterit*, imo etiam consenserit fatua.

In Thyeste.
Ecclesi. 17

§ 3. Huc accedit, quod mulieres minus puniendas esse viris in eodem delicti genere, cæteris tamen per omnia paribus, universus legum consensus velit, nimirum ob animi, mentis & ingenii imbecillitatem, & sexus infirmitatem l. sacrilegii pœnam, in prin. D. ad legem Jul. pecul. & l. si adulterium. §. stuprum, & §. fratres, & §. incestam. D. ad legem Iul. de adult. & c. sicut dignum, in princ. extra de homicid. & c. indignantur. 32. q. 6. Et text. in l. quisquis. §. *ad* filias. C. ad legem Iul. majest. &c. Nec est quod hic lex *Cornelia* de sicariis & veneficis mihi obtrudatur, quæ suum solummodo

Lex Cornelia. ff. lib. 46. tit. 8.

locum

locum habet, ubi de veneficis, aut iis qui venenum malum necandi hominis causa fecerint vel vendiderint vel habuerint, agitur.

§ 4. Quod si quis contentiose voluntatem severius puniendam defendat, is primum distinguat inter voluntatem hominis sani perfectam, quæ in actum vere dirigi cœperit: Et inter vitiatæ mentis sensum, vel (si voles) corruptam amentis voluntatem, cui suo opere, quasi alterius esset, colludit diabolus, nec alius insulse volentem subsequitur effectus. Tale voluntatis vitium impingi etiam possit melancholicis, fatuis & pueris, qui facile inducuntur, ut vel hæc vel alia se designasse mala falso imaginentur fateanturque, qui tamen à Deo renes & corda scrutante, non æque plecti permittuntur, ac alii mentis compotes: Multo certe minus ab hominibus id fieri oportuit. *Non omnis voluntas punienda.*

Quarundam objectionum confutatio.

CAP. XXIV.

HAUD me hic latet, non infimæ doctrinæ viros inveniri, qui prioribus meis de Præstigiis dæmonum libris, & hujus Compendii capitibus aliquot superioribus consentientes, fatentur, quidem mecum, lamias mirifica opera, quæ vulgo facere creduntur, præstare non posse, nec tactu, afflatu, imprecatione, voce, murmure, verbis, nutu, vel aliis instrumentis corporeis noxiæ facultatis expertibus aliquem lædere: Ac fere superstitiosas esse fabulas & phantasmata, quæ de earum viribus referuntur, quod nimirum per fornacem strictum vel aliud angustius foramen in aërem vi cujusdam unguenti ferantur, plerunque & baculis insidentes: Quod per clausas fores ingrediantur: Quod momento in bruta transmutentur, & tantillo tempore in homines redeant: Quod tempestates cieant: Quod morbos pro sua libidine immittant quibus volunt: Quod denique rerum minime perniciosarum exhibitione interficiant: Quia illa nec ex propriis naturæ viribus efficere queunt, nec per facultates instrumentorum quibus uti solent, nec opera diaboli, cujus potentia sit limitata, neque excedat aut vires insitæ substantiæ, aut aptitudinem agentis & patientis, aut habilitatem materiæ.

§ 2. Hæc inquam, & plura alia mecum agnoscunt: at cum ad postremam instituti mei partẽ pervenitur, in qua lamias non ita temere suppli-

supplicio vitæ mactandas ostendo, à me ad opposita deficiunt castra, & fasces ad incendia conclamitant. Opinionem vero penitius imbibitam sex conantur stabilire argumentis: Quorum primum est, quod comprehendantur sub lege Dei jubentis apud Moysen Exodi 22. maleficas occidere: Secundum, *quod* fœdus ineant cum diabolo, abjurent Deum, aliumque colant: *Tertium*, quod homicidæ sint: Quartum, quod nefariam libidinem cum *im*mundis spiritibus exerceant, & conviventur: Quintum, quod seducant alios: Postremum, quod portentosas & vetitas artes ediscant.

§ 3. Cæterum quamvis hasce rationes & copiose & efficaciter in libris meis refutatas sperassem: quia tamen quosdam esse intelligo, qui sibi nondum à me per omnia satisfactum arbitrentur, ordine sumam refellenda quàm brevissime præscripta sex capita. *Ac* quoad primum, satis demonstratum existimavi cum ex etymologia Hebraicæ linguæ, tum ex Septuaginta interpretum suffragio, tum Rabinorum consensu, tum Josephi explicatione, *legem Moysis* in cap. 22. Exodi intelligendam de veneficis: *Ad hoc objicitur, Ve*neficia comprehendi sub titulo talionis & homicidii. Non enim illum homicidam saltem esse, qui lapide, fuste, pugno, gladio, securi aliquem interfecit, sed etiam qui pulvino, laqueo, manibus quempiam suffocavit, vel ex alto præcipitavit, vel veneno *su*stulit: Ac proinde non fuisse opus peculiarem promulgare legem de veneficis, & idem diversis locis repetere.

Objectionis primæ confutatio.
Supra cap. 4.

§ 4. Frivolum omnino istud esse argumentum, is cognoscit, qui non admodum jejunè in Moysis lectione versatus est. In Levitico enim quoties non repetuntur leges Talionis? In Deuteronomio quum pleræque species homicidii cap. 19. recenseantur, constituta in quamlibet pœna, tamen cap. 27. rursus maledictio in eum pronunciatur, qui clam percusserit proximum suum. Sic cap. 22. Exodi legitur: Advenam non contristabis neque affliges: Advenæ siquidem & ipsi fuistis in terra Ægypti. Quod tamen cap. 23. iisdem verbis reiteratur. Ita in Levitico cap. 19. habetur: Non attondetis comam, nec radetis barbam. Quod cap. 21. repetitur. Et Deuteronomii cap. 27. jubetur, ne accipiat homo uxorem patris sui, aut revelet operimentum ejus: quod antea cap 22. etiam præcipiebatur. Nihil siquidem frequentius apud Moysen, quam quod multa aliquoties repetantur: Cujus luculentum de hac nostra

Lex talionis, Exod. 21. Livit. 24. Deut. 19.

materia habemus exemplum apud Leviticum, in quo tribus diversis locis prohibentur artes magicæ, quum potuisse videatur unus sufficere.

§ 5. Enimvero cap.19. mandatur: Non augurabimini, nec observabitis somnia, non declinetis ad magos, nec àb ariolis aliquid sciscitemini. Dein cap.20. Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra ipsam, & interficiam eam de medio populi sui. Postea sub finem ejusdem capitis: Vir sive mulier, in quibus Pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur. De causis repetitionum non magnopere laboro: Sufficit mihi, ita placuisse Spiritui sancto. Quapropter etsi de lege talionis & homicidii Moyses dixerit c.21. Exodi: Nihil tamen vetat, quo minus peculiari decreto damnaret eam interficiendi vel nocendi rationem, quæ per venena patratur, maxime quum multis conditionibus discrepet à cæteris homicidii speciebus. Facinus enim istud committitur & clam, ut sibi ne fortissimus quidem vir ab insidiis imbecillæ mulierculæ vel famuli cavere possit, & sub prætextu salutaris poculi, & plerunque in illos quos aut propter officia aut necessitudinem amare debebas, & ab inferioribus in superiores. Itaque quum tale scelus sit longe indignius & & crudelius simplici homicidio vel noxa, cur non eguit proprio articulo? Nec omnis veneficus vel maleficus mox homicida erit, quum citra hominis necem, jumentis vel frugibus damnum etiam dare posset.

§ 6. Porro quum animadvertant ex 22. Exodi nihil posse contra me firmum adduci, ad aliud confugitur argumentum, quod magicæ artes sint capitales: Et quia sub illarum complexu contineantur lamiarum conatus, eas pari supplicio afficiendas concludunt. Antecedens à me non negatur, quinimo in libris meis constantissime defenditur: Verum applicatam consecutionem nequaquam admitto. Magnum etenim discrimen existit inter magos & lamias, uti cap.1. & 5. explicui. Adhæc, magi à seipsis habent initium discendi artem vetitam conquisitis præceptoribus & libris, ac ad eam impelluntur propriæ naturæ curiosa inclinatione: Lamiæ vero extrinsecus. Siquidem non petunt instrui, nec præceptorem habent aut quærunt: Sed diabolus sese insinuat apud illud quas suspicatur aut propter credulitatem nimiam, aut ætatis senilis stuporem, aut naturæ melancholicæ tristiciam, aut ex paupertate vel

perpessa jactura desperationem, fore obsequentia suæ deceptionis illusionisque organa, ut earum phantasiam variis possit simulachris præstringere. Et sane ut differentiam palpes, duo tibi statuo homicidii exempla: Unum ex proposito & deliberatione malefaciendi emanans, alterum ab illecebris aliunde exhibitis profectum. Primi generis internecionem pronunciabis, *sat scio*, capitalem: Posterioris aut excusabilem, aut longe mitiori *mulctandam* poena. Cur ita? Quia illud homicidium internam habet caussam, & ut cum Evangelista loquar, ἔσωθεν ἐκ τῆς καρδίας τῶν ἀν-
Matt. 15 θρώπων ἐκπορεύεται: Hoc autem ab externa irretitione oritur. Eadem ratione Adam & Eva non à seipsis in paradiso comedebant pomum, nec comedere constituerant, quia divinum obversabatur mandatum: Sed externis dolosi serpentis insidiis ad facinus illiciebantur. Quare lenius etiam à Deo puniebantur. Non enim semper Deus respicit tam factum, quam animum & voluntatem: Et quis asseverare audebit, aniculas illas miseras *gravius* quam magos mulctandas?

§ 7. Præterea quum Mosis ætate non fuerint *cognitæ ejusmodi*, de quibus disputamus, striges, non video quomodo contineantur sub lege in magos constituta. Quin potius, quum Satan nunquam ab insidiarum aucupanda opportunitate feriettur, diversis præliis miseram mortalitatem videtur antiquitus *obsedisse*, reservato hoc ludibrii genere, tanquam novo *inescationis* supplemento, ad hanc senescentis mundi ultimam ætatem: Ut quia non sufficiebat aut per falsam religionem, aut per pravas concupiscentias, aut per alias technas allexisse in errorem homines, hac sua etiam dementatione & credulas anus multiplicium formarum imaginatione confessioneque imbueret, & magistratus manus effusione innoxii sanguinis contaminaret, & eorum qui tum eruditionis tum pietatis tum professionis Theologicæ nomine clarent, aciem in animadvertendis & dijudicandis imposturis suis præstringeret obnubilaretque.

§ 8. Postremum quod adferunt, scelera ad mores pertinentia, quæcunque Moses capitalia fecit, ultimo quoque supplicio hodie à magistratu puniri debere: Quanquam non versetur isthæc quæstio circa punctum nostræ controversiæ, tamen non tam
Deut. 19. facile mihi persuaderi potest, ut credam. Nam apud Mosem fal-
22. sum testimonium mortis vindicta eluitur: Sponsa, si non comperia-

periatur virgo, lapidatur: Is qui furem interdiu in ædes irrumpentem occiderit, morte punitur: Et multa inveniuntur ejusdem severitatis exempla, quæ tamen mitigantur. Fuit tunc tempus rigoris, nunc alicujus gratiæ. Quare quum scribæ & pharisæi mulierem in adulterio deprehensam juxta Mosis mandatum lapidibus obruere vellent, quodnam ex Christi servatoris nostri ore decretum audiebatur? Qui sine peccato est vestrum, primus in illam jaciat lapidem. Ita eam non solum in foro Mosaico defendit, sed sua etiam beavit misericordia, commiserationis documentum relinquens. Item: Audistis dictum esse: Oculum pro oculo, dentem pro dente. At ego dico vobis, ne resistatis malo, &c.

Exod.22. *Joan.8.* *Exod.21.* *Levit.24* *Deut.19.* *Matth.5.* *Luc.6.*

§ 9. Proinde quum in criminali judicio ne quidem Mosis vestigia sequamur semper aut oporteat sequi, quid est, cur in foro conscientiæ & Ecclesiastico ejus gladium evagines? An nos qui sub Evangelii libertate vivimus, reducere vis ad jugum Israëliticum? Vetulas igitur illas, quas confuse vestris clamoribus, incendiis & contumeliis exosas redditis, constantissime nego indiscriminatim posse morte puniri. Politicum siquidem forum, in quo mille sophismata quotidie perstrepere dicitis, recusatis: Mosaicum ostendi in hac controversia non esse admittendum: Ecclesiasticum vero non debet nostro tempore alium agnoscere gladium quam spiritualem. Quanto sane prudentius Gallio Achaiæ proconsul denegabat seculare forum Judæis, qui Paulum accusabant, quod de cultu Dei docuisset contra legem? At respondet: Si aliquid iniqui patrasset aut malum facinus, merito vos audirem: Si vero quæstio sit de doctrina & nominibus & lege vestra, vos videritis, quia ego horum nolo esse judex. Et ita Judæos abegit à tribunali. Cum Divo igitur Augustino concludere volo, Hoc in Ecclesia nunc agere excommunicationem, quod in republica Mosaica interfectio.

Act. 18.

§ 10. Secundum adversariorum est argumentum, quod fœdus lamiæ ineant cum Satana, & abjurent verum Deum. Hoc licet antea cap. 7. & 8. copiose sit confutatum, ut tamen ad illud simul respondeam denuo, quæro, unde hoc, quod pactum cum dæmone conflarint, tibi constet? Certe hoc mihi donabis, quod nec videris, nec à fide dignis qui viderint, habeas. Ergo ex propria

Secundæ objectionis refutatio.

stupidarum delusarumque anicularum confessione. At quæ fatentur, vel faciunt coactæ, vel sponte: Si coactæ, confessio est mutila & nullius ponderis, quia cruciatibus torturæ intoleralibus expressa. Quid autem periculosius, quam in diabolicis negotiis sine maleficii patrati testibus, pendere saltem ex confessione anus dementatæ, per vim expulsa? Sileres haud dubie, si vidisses oleum tibiis illarum infundi fervens, candelis ardentibus torreri axillas, & infinita summæ barbariei & immanitatis tormenta exerceri in decrepitas vetulas, sicut nos in insontibus, partim etiam dimissis ob innocentiam ex nostro patrocinio, spectavimus. Si sponte, aut impossibilia sunt quæ fatentur, uti grandines provocasse, per aërem volasse, in bestias se fuisse transmutatas, cum dæmonibus venerem exercuisse, & similia: Aut fatentur quæ factu sunt possibilia, ut venenum exhibuisse alicui, sed tamen non est factum: Aut fatentur quæ facta sunt & verè acciderunt, sicuti eo in loco aliquem morbo correptum, infantem interiisse, segetes tempestatibus damnum perpessas. Confessio primi generis non potest puniri, quia versatur circa ἀδύνατον: Secunda multo minus, quod caret effectu: Tertia manca est, quoniam diabolus ex eventu rei statim inculcat miserarum muliercularum phantasiæ, ipsas fecisse, quod naturaliter factum, aut ipsemet fecit. Et hæc est rupes, ad quam offendunt sua capita plerique nimis sanguinarii judices, ut animadvertere nequeant dæmonis dialecticum sophisma, Non caussæ pro caussa, ut cum barbaris balbutiam. Profecto id satis evincit, illarum phantasiam vana persuasione imbutam, quod sponte & voluntarie agnoscant sæpe fœdus & mirabilia quæ faciunt: Si etenim saperent, non tam prompte aliquando faterentur, quum de earum vita agatur.

§ 11. Neque etiam verum est quod objicitur, lamias summo studio scelera sua tegere, tantaque constantia negare facta, ut ne quæstionibus quidem subditæ confiteantur, quantisper tormenta ferre possunt. Contrarium ego sæpius deprehendi, quum citra quæstionum rigorem ultro fateantur à se facta, quæ nec facta fuere, imo ne quidem natura rerum passa fuisset, propterea & impossibilia. Unde mihi non inanis suspicio movetur, adversarios vel res ignotas proponere, vel quarum admodum tenuem habent experientiam. Si namque ipsarum sensus non forent effascinati, certe talis non consequeretur confessio: At multo magis ipsum facinus

suppri-

supprimerent, nec de illo gloriarentur. Quod autem tam atrocia sæpius sustinent fortiter tormenta, fit quod ejusmodi flagitiorum confessio expostuletur, quæ in illarum phantasiam nunquam pervenere.

§ 12. Sed antequam hinc abeamus, proprio adversarium gladio confodere conabor, ut agnoscat fœdus esse imaginarium & præstigiosum. Fatentur se per aërem volare, in bruta transformari, tempestates excitare, morbos immisisse imprecatione: Et hæc quidem omnia affirmare videntur tanta cum sensuum integritate, ut vix possis de iis dubitare. Attamen & ego demonstravi, & tu ingenue fateris mecum, omnia illa esse vana & commentitia, diabolicisque tincta figmentis. Si illa vana, cur reliqua quæ fatentur, debent esse vera, nempe apostasia à Deo, fœdus cum diabolo, homicidia, & id genus scelera tum & deliria? Posteriora enim si fatentur sensibus integris, cur in fatendis prioribus sensus erunt corrupti? Aut si in prioribus confitendis erravit vitiata phantasia, quid est quod minus in posterioribus etiam aberraverit? Cuncta siquidem hæc dicunt agnoscuntque in una hora conjunctim, separatim eadem constantia, iisdem moribus. Quid hic philosophum decipiat, non ignoro. Illa omnia videt fieri non posse, & propterea mecum falsa & inania pronunciat: Hæc autem quia fieri possunt, & ipsæ Striges fatentur fieri, putat hic etiam facta. Annon Animadvertit novam diaboli fallaciam, quod ex possibili concludere velit impossibile? Ast non opus est multa ut adducam ad refellendum, nosti à posse ad esse non procedere argumentum: Decebat in defensionibus posteriora cohærere cum antecedentibus.

§ 13. Ad aliud pergamus argumentum. Quum ad supplicium pertrahuntur lamiæ, aut in fœdere diabolico perseverant, non implorata Dei misericordia: Tunc diserte dico, non esse mox occidendas, alioquin non solum corporis, sed etiam animæ eritis carnifices & interfectores, aut à Deo veniam poscunt, nec alicujus vitæ nocuerunt, tum multo magis dignæ commiseratione & arbitraria pœna. Omnes autem fere lamiæ, antequam exuruntur, invocant æternum Deum, ipsiusque implorant misericordiam, & sæpe etiam testem suæ innocentiæ appellant, sanguinariis præsidibus ad cœleste tribunal citatis. Jam rogo, quum se juxta vestrum decretum diabolo emanciparint, unde ulla resipiscentia? Non à Sathana: Astutior enim est quam ut secum pugnet: Ergo à Deo. Si

itaque Deus agnoſcit & recipit animam, cur tu Prætor uſqueadeo inclementer agis, quum nulli injuriam fecerint, ut corpus repudies, maxime quum in tuo non deliquerit foro, & tibi nullum in divino judicio relinquatur tribunal? Quin ex me audi ſapientiſſimum Theologi recentioris conſilium, cujus nomen propter invidiam prætereo. Is ſtudioſum quendam, qui variis deſperationis ex paupertate inſidiis adactus, animam ſuam tradidiſſet Satanæ, ad præſcriptum diem ab eo poſſidendam, deduxit in templum, & cum piis aliquot viris pro ipſo Deum oravit, ſervavitque afflicti hominis animulam. Ita etiamſi noſtræ vetulæ à vera fide defeciſſent, non oportuit eas in illa defectione enecari, ſed ſanis admonitionibus in viam reduci: At in carceribus Deum æternum profitentur & invocant, & multo magis in agone. Non diu eſt, quod quædam animam ſuam Deo commendabant juſto judici, & miſericordi, quia putabat ſe ſubmerſum iri, quum in Rhenum præcipitaretur juxta plebejum falſumque experimentum, num lamia eſſet. *Si enim ſupernatet, nec ſubſidat,* πυρμίερον *creditur eſſe, illam criminis ream.* Verum ſupra cap. 20. hujus *experientiæ vanitatem demonſtravi.*

Matt. 26 *Marci* 14 *Lucæ* 22. *Ioan.* 18. *Petri abnegatio.*

§ 14. Præterea non eſt ad hoc connivendum, ut quis difficiliora loca prætergrediatur, & circa faciliora nonnihil velitare conetur. Quare te velim ſiſtere, donec paulo limatius examinemus D. Petri exemplum, non ſolum abnegantis, ſed etiam licet mox præmoniti, Chriſtum Dominum ſuum præſentem abjurantis. Non etenim Petrum infirmitate lapſum dicere ſufficit. Ecquæ illa eſt infirmitas? Non carnis (ut ſic opinari liceat) imo ex ejus nimia vaſtitate & potentia peccamus: Ergo ſpiritus. *Sic & lamias meas excuſabo.* At ut Petri transgreſſionem *non prorſus* fuiſſe leviorem intelligas, elargieris mihi peccata eſſe inæqualia, unum altero majus.

Peccata inæqualia.

§ 15. Suppoſita jam una eademque ſpecie, primum rogo, an non illud gravius, quod homo excelſus & illuminatus committit, quam quod vulgaris & infimus peccator? Enimvero quo altius quis aſcendit, eo decliviorem & periculoſiorem patitur ex caſu ruinam, quam is paſſurus ſit, qui pauciores abſolvit gradus. Secundo quæro, an non ille magis ſuum abneget principem, quo ipſi vicinior eſt, & ornatus ab eo tum ſpectabiliori dignitate, tum pluribus beneficiis? An non abominabilius, ſi legatus deficiat

ficiat à suo Imperatore, quam si in defectionis crimen impegerit gregarius aliquis miles? Tertio sciscitor, an reliquis paribus pastor non delinquat inexcusabilius tum ob repræsentationem sublimioris personæ, tum ob scandalum, quam unus aliquis ex grege? Quarto, an non peccatum eo censebitur indignius, quo plures & vehementiores conspirant illecebræ, quam ubi minores? Quinto, an non turpior sit nota peccati in eo qui haud ita dudum antea præmonitus, non tamen sibi cavet à delinquendo? Postremo, an non ad simplicem ancillarum & famulorum interrogationem ter negare cum juramento herum, sit peccatum majus, quam si quis flexuosis Satanæ persuasionibus excæcatus, simile committat? Ejusmodi propositionibus subscripturum te arbitror: Concludas ergo ipsis. At nemo ista à me adducta existimet ad D. Petri apostoli exaggerandam abnegationem: Sed ad castigandum eos qui propriis viribus tantum asscribunt, & non divinæ soli gratiæ, quo minus in singulas horas, imo momenta nomen Christi abjuremus: Deinde etiam, quod sicuti Petrus suæ pœnitentiæ interventu consecutus est misericordiam, ita & Lamiæ & nos omnes mortales impetrare queamus à Deo delictorum remissionem, quamvis semel atque iterum defecerimus.

§ 16. Tertium erat argumentum, quod sint homicidæ. Fateor, si homicidii convincuntur, interficiendas juxta legem Mosaicam & jus commune. Atqui agnoscis: Striges exhibere res innoxias: Ergo quum illæ ne hilum prorsus noceant, multo minus periment: Non igitur criminis reæ sunt. Proinde nec hac ratione de iis supplicium capitis sumi debet. Si dixeris, in eis necandi esse animum & voluntatem, quamvis non respondeat successus: Etsi hic responsum abunde putarim in fine proximi capitis, tamen hoc præterea tibi objiciam, voluntatis delictum à Deo puniri, non, nisi in actum cœperit dirigi, à magistratu, cui exteriora saltem commissa sunt: Alioquin quotidie eorum aliquot myriades ad carnificinam traherentur, qui aliorum necem desiderarunt & voluerunt. *Tertia objectio. Exod. 21.*

§ 17. Quartum argumentum, quod spurcam libidinem cum immundis spiritibus exerceant, plerunque & sub forma canis aut hirci aliave specie. Quanquam hoc copiose supra cap. 13. confutarim, appendicis tamen loco adhuc subjungere volui, in hoc *Quarta objectio.*

me

me non tam vanam illarum confessionem mirari, quam stultam adversariorum credulitatem. Quum enim libido coitionis caussam habeat lasciviam, non potest ea esse in ejusmodi exuccis, exanguibus & stupidis vetulis. Deinde membrum diaboli semper fertur frigidum, ex quo nulla accedit voluptas, quum hinc multo suavius libidinari queant cum propriis maritis. Denuo concludo, hunc carnalem congressum esse phantasticum, ex inani Satanæ profectum impressione. Dæmones siquidem possunt sua subtilissima essentia humores spiritusque movere, & per eos varias formas in organa excitare, perinde ac si extrinsecus occurrerent non solum dormientibus, sed etiam vigilantibus ut extrinsecus & esse & fieri credamus, quæ tamen nec sunt nec fiunt. Ita dæmonum illusionibus seductæ quædam mulieres crediderunt se cum Diana noctu equitasse.

August. de spiritu & an. cap. 28. Decret. 26. q. 5. episcopi ex concilio.

§ 18. Et ut à simili procedam, scio aliquos optimè raciocinantes, & omnibus sensibus integrè sine læsione utentes, *ut ne suspiciuncula* esse possit melancholiæ, qui tamen non *potuerunt cum* uxoribus aut aliis coire, eo quod virgam virilem *amisisse se putarent* excantatione magica, quam meretrix, cum qua prius conversabantur, struxisset. Jam ipse concesseris membrum non ablatum, quum postea restituatur. Interim mille juramentis adseverabant rem aliter se non habere, quicquid contra dixeris. Proinde si hominis fortissimi imaginatio potest imbui tam vana persuasione, quare ab hoc ambitu senticosi labyrinthi segregas miserrimas Lamias? Enimvero si quod minus videtur esse, est: Erit & illud quod magis. Et ut clarius tibi constet, quantum libidinis impressio valeat, audias locum ex incerti autoris Epistola de incantatione & adjuratione: Memini, inquit, quendam nobilissimum virum jurasse, se esse ligatum ne cum mulieribus coiret, quem adjuvare volui impugnando ipsius persuasionem variis argumentis: Sed quum nihil proficere possem, approbare cœpi hominis sententiam, & eandem confirmare, producto Cleopatræ libro de fœminarum speciositate: Ex quo quum legerem, ligatum, si corvinum acciperet mixtum cum sesamelæo, & corpus totum eo ungeretur, iri curatum: ipse hoc audito, confisus libri verbis, exequebatur consilium, & restituebatur cupiditati coeundi. Remedium tantæ potentiæ non erat: Sed quia imaginatio erat occupata in falsa caussa, necesse etiam erat ut tolleretur eo remedio, in quo acquiesceret

imaginatio. Quapropter & istam superstitiosæ credulitatis nebulam à sui judicii oculis detergant adversarii.

§ 19. Quod porro velut inexpugnabile munimentum opponatur, eum qui cum jumento concumbit, morte ex Mosis decreto mulctari: Ideoque infinitis partibus truculentiorem mortis pœnam mereri, qui dæmonis spurcitiem veneream pateretur: Hoc profecto tibi non negabo, ubi eam libidinem revera expleri posse, hinc & perfici ostenderis. At quum satis superque demonstratum sit cap. 13. hic & alibi, congressum hunc non nisi merè esse imaginarium, aliam autem cum bruto coitionem, indubitanter peragi sciamus, explodenda hoc loco ea oppositio. *Exodi 22.*

§ 20. Quintum succedit argumentum, quod seducant alios Lamiæ. Quum phantasia sint delusæ, quomodo alios seducere queunt? Nisi phantasmata sibi falso à dæmone impressa pro veris actionibus, tanquam res gestas narrare, appelles seducere: quod etiamsi fit, esse quam rarissimum, nemo dubitet: secus licet fateantur, quemadmodum & multa alia quæ solum per somnia ipsis apparuêre, & tamen pro veris defendunt. Quodquot vero hoc fascino divexatæ sunt, nullum universæ hujus delusionis agnoscunt alium magistrum quam dæmonem, suis illas technis deludentem. *Quinta oppositio.*

§ 21. Quantum adhæc virium in seducendo illis sit tribuendum, attestantur & iners sexus & stupida ætas. Si etiam apud illas quæ seducere & seduci dicuntur, diligenti attendatur animadversione eorum quæ in hanc rem fatentur, tam insulsa intelliges, varia, nec cohærentia, ut utrasque in ea institutione fuisse deliras, nec mentis compotes, & à dæmone agitatas obsessasque, imo ipsum satanam in eisdem locutum, facile agnoscas, si veritatis æquilibrium spectes solum, sepositis affectibus, perversæ opinionis jamdudum imbibitæ præjudicio obfirmatis. At Lamias in fœderis contractu diabolo pollicitas esse, quæ in hanc societatem alias quoque traducere satagent, dices. Nimis certe multis diversisque supra docui testimoniis, pactionem illam esse phantasticam, & varia simul in ea agitari tum de vetularum volatu, tum de coitione dæmoniaca, tum de præcipiti hominis metamorphosi, tum de reliquis ad nauseam non repetendis, quæ ipse velis nolis, falsa & imaginaria esse fateberis.

§ 22. Huc sexta simul & postrema pertinet objectio, quæ monstrosas vetitasque ediscant artes. Hic mihi easdem explicari velim: *Sexta objectio.*

 lim:

lim: Nullas siquidem norunt, nec eas decrepita ætas patitur nimis obtusæ mentis: Unde & à satana citius delusæ, quibusdam apparitionibus, umbris, præstigiis, & inanibus imaginationibus hîc, velut bis pueri senes, quæcunque ludibria pro veris amplectuntur. Eo autem pertinacius hoc urgetur argumentum, ut *cautius* nostræ Striges possent comprehendi damnarique decreto promulgato, l. multi. C. de maleficis & mathematicis: Multi magicis artibus usi elementa turbare, vitam insontium labefactare, non dubitant, & * manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos: Hos (quoniam naturæ peregrini sunt) feralis pestis absumat. Lamias autem nostras, ut indoctas, vetulas, & deliras, artes exercere nullas, nec ulla ratione elementa movere aut vitiare posse, uti nec ullus potest mortalium: Item neque omnino dæmones cogere, ut aliis noceant, posse, satis superque demonstratum est. Quocirca eas decretum hoc minime concernit. Si quæ sunt, quæ vitæ hominum insidiantur, eique vim faciunt, veneno id fieri oportet: Proinde etiam veneficæ tales dicuntur & sunt: Hæ ex hoc edicto puniantur, quas *non suscepi patrocinandas*.

* *alias, manes accitos.*

§ 23. Adhæc quemadmodum nostræ Striges nec longiori peregrinatione, labore aut studio, corruptæ mentis doctrinam cum Magis sceleratis conquirunt: Ita nec ullos habent libros, quorum adminiculo in sua professione instituantur promoveanturque: Nullas etiam præscriptas conjurationum formulas, quas sequuntur: Nullum præterea annulo incarceratum, aut crystalli soliditate obseptum dæmonem in suum ministerium, velut plerique Magi circumferunt: Corruptam multiplicibus imaginibus ab immundo spiritu ingestis, phantasiam solummodo doctorem venerantur & colunt, cui utplurimum propensius confisæ, misere decipiuntur & in perniciem ruunt. Nec quidem præter vulgarem morem quicquam peculiare ob indolis crassitiem & spirituum inhabilitatem valent: Secus autem diabolus potest ob tenuitatem, subtilitatem, celeritatem, & longum rerum usum. Non est itaque quod ullarum peculiarium artium prodigiosarum & inhibitarum insimulentur nostræ insensatæ anus. At qui curiosas magicasque exercuere artes, magi fuerunt prophani, qui & libros habebant flammis postea traditos jure, ex Pauli doctrina, Act. cap. 19. Quoscunque hujus factionis homines condemnat Moses, & lex Imperatoria.

Supra cap. 8.

§ 24. Hinc

§ 24. Hinc tandem ex animo omnes cujuscunque status, qui in prædictis erroribus adhuc conquiescunt, iniquis incendiis animam aggravantes, manusque innocenti defœdantes sanguine, præmonitos volo, ut præjudicio inveteratæ opinionis semoto resipiscant adhuc: Ad quam vocem si eorum ut nimis præfractorum occalluerint aures, in tam inextricabilem diaboli labyrinthum eos involutum iri præsagio, unde nullum poterit educere Thesei filum, sed solius miserentis Dei filius: Tam frequentes carnificinas architectabitur accumulabitque Dei & hominum hostis ut juratissimus, ita & sanguinis innoxii cædiumque impiarum sitientissimus Beelzebub. Nec dubito, quin oculis palam hæc proponet sinister eventus, quod pro ineffabili sua bonitate clementer avertere dignetur misericordissimus Deus. Falsus enim malo audiri vates: Sed me vestigia terrent. Exempla novi complura. Quid jam alii cum magno suo malo & reipublicæ detrimento experiuntur, ipsi certiores erunt testes. *Epilogus cum admonitione.*

§ 25. Telam contexere longam & inexplicabilem in hominum ruinam exitiumque, milleartifici non erit difficile, potissimum apud quos ex voto succedere institutum videt: Ubi nimirum ob peculiare suum ex Dei assensu factum, in vitam insontem porro sæviri animadvertit, tum nervum consecutus, alia similia, vel etiam tetriora molitur, quibus in sua nassa arctius constringit, atq; ex Charybdi in Scyllam propellit, quos suis strophis pronas offerre aures comperit. Hic sane connivet sæpenumero Deus merito, ob invictam eorum credulitatem, qui, licet aliter sacrarum literarum lectione, maxime ex Jobo instituti, non tam Dei justi manum vel probantem vel castigantem agnoscunt in valetudine afflicta, in segetum, vinearum & pecorum perditione, quam singularem ejus misericordis benedictionem & gratiam in prospera valetudine, felicitate & annonæ affluentia amplectuntur. At ipsam universæ hujus controversiæ veritatem patefaciet extreme justissimum Christi tribunal, cujus ineffabili censuræ, quicquid à me hic dictum est, libenter submitto.

DE COMMENTITIIS JEJUNIIS.

AB hoc imposturarum dæmoniacarum, quibus & humanæ suffragantur, argumento non erit aliena fraudulenti cujusdam jejunii longioris explicatio. Quum anno M.D.LXXIII. illustrissimam, & tam ob animi quam corporis dotes nunquam satis laudatam, Mariam Leonoram, Clementissimi potentissimique nostri principis Guljelmi, ducis Juliæ, Cliviæ & Montium, &c. Seniorem filiam per varias provincias in Borussiam, ejusdem duci Alberto Friderico *juniori*, comitatu equestris nobilitatis admodum insigni, *conjugem* deduceremus, de miraculis rerum diversis frequens *in tam longinquo* itinere apud doctos fuit agitatus sermo. Clarissimi etenim, & doctrina ac pietate ornatissimi viri se nobis cum benevola hospitii oblatione, ex pii eruditique alicujus colloquii occasione non raro obtulêre: cum primis vero inter reliqua Borussiæ ornamenta *minime* vulgaria Doctor Matthias Stojus, Regiomonti ducis *illustrissimi* medicus dignissimus: Stetini D. Jacobus Schadius Clementiss. Pomeraniæ ducibus à medicina, vir profecto cui singularis eruditionis testimonio, & artis nostræ usu eximio, vix parem alat Pomerania. Ad hunc numerum referendi quoque D. *Severinus* Gebelius Dantiscanus Medicus, Elbingæ D. Bartholomæus Calckreuter: identidem Francofurti ad Oderam insignis vir. D. Casparus Hoffmannus, Clementiss. Marchionissæ medicus, D. Ioannes Knoblochius medicinæ Professor, D. Wolffgangus Iustus medicus & mathematicus: Rostochii., D. Levinus Battus, Henricus Bruseus, Petrus Memmius excellentissimi medici, Lucas Bacmeisterus Theologiæ Doctor & universitatis Rector, Ioannes Borcholt LL. Doctor & Syndicus, Nathan Chytræus poëta minimè vulgaris: Wismariæ Ioannes Peristerus Theologiæ Doctor, *Superintendens*: aliis item locis cum viris doctissimis sua laude non fraudandis, gravissimæ fuerunt inquam habitæ quæstiones.

Maria Lenora Prussia Ducissa.

§ 2. Inter

§. 2. Inter reliqua vero de quibus unquam strenue fuit disceptatum, argumentum suppeditavit multifariam admirabilis illa historia de quadam puella Unnensi, quæ circiter annum absque ullo cibi aut potus usu vitam protraxisse, & in ea abstinentia continuo adhuc perdurare incolumis, asserebatur. Licet autem narrationi fidem non darem, de ea tamen comperi verissimum quod ille ait:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum, 4. Æneid.
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Quò siquidem diutius in itinere perseverarem, eo versibus Latino & Germanico idiomate evulgatis, oratione item soluta in concionibus, conciliis, symposiis, colloquiis familiaribus, in principum quoque aulis res miraculorum lenociniis ornatior sanctiorque reddebatur.

§ 3. Proinde ut natura in veritatis abstrusæ sacrosanctis mysteriis solerter investigandis paulo sum religiosior, admirabilium eventuum narrationi, si lateat ratio, non temere confisus, Unnam in Comitatu Marchiæ, quæ nostri Principis imperio subjacet, contendo, quid rei esset, coram exploraturus, die 18 Decembris Puellam accerso, Barbaram nomine, decem annos natam, ex patre Hermanno Kremers & Anna matre, quæ jam ad tertias cum Everhardo Leidecher transierat nuptias. Miraculi hæc summam exponit: filiam nimirum secundo Februarii, morbo correptam haud vulgari: eodemque à 25. Martii ad 12. Maii perdurante, illam pauxillo vini, cerevisiæ & lactis protraxisse vitam: inde ex lethali decubitu redditam mutam usque ad 24. Octobris, quo loqui rursus cœpisset, constante semper mente, interea tamen ne vel momentum cibi aut potus assumpsisse, nec alvum, nec vesicam quicquam toto hoc tempore usque ad illum diem exerevisse. Prædicat & filiæ pietatem eximiam: & quanto studio à nobilibus, consulibus, atque aliis minimè obscuris hominibus in eam fuisset observatum, num quid subesset fraudis, explicat: & reipsa compertum, fuci nihil latere. Puellam inde scipionibus subalaribus, quorum adminiculo ad gressum fulciebatur, innixam contueor, facie venusta, colore vivido, genis roseo rubore decoris, manibus pedibusque, quinimò & corpore toto bene habitam & agilem, sed ventre collapso, ut mater spinæ dorsi umbilicum tanquam adnatum, esse affixum affirmaret; at eundem ubi contrectare tentarem, fletu petulanti

Barbara fabula ætrix.

Matth. 3. Marci 1. quatuor jejunium tulit. Joannes Baptista in deserto prædicans, vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos suos, vescebatur locustis & melle sylvestri.

§ 8. Si qui alii in historiis ob jejunii opinionem celebrentur, horum nonnullos certis quibusdam diebus, at non continuò jejunasse, plerosque parco cibo victitasse legitur: tales fuêre Antonius *Marul. lib. IV. cap. 1. 2. Ravisius Volater. lib. XXI.* Ægyptius abbas, Severus abbas natione Syrus, D. Hieronymus, & aliquot alii viri pii ac eremitæ continentissimi, tum alibi, tum in remotissimo Ægypti deserto commorantes: Item sanctæ aliquot virgines, velut Euphraxia, Paula, Cecilia, atque aliæ similis continentiæ virgines. Sic etiam illum eremitam, fratrem *Hieron. ad Eustoch. Nicolaus eremita Underval-densis.* Nicolaum Undervaldensem Heluetium, ex radicum esu aliquot vixisse annos quidam fatentur, tametsi sint qui religiosius de eo sentientes, secus velint, at mea quidem sententia, temere: *quod non* obscure intelliget, qui ad lucis aciem singula quæ in ipsius vita describuntur, oculatius expenderit, sua laude interim ob *non* vulgarem pietatem & incomparabilem continentiam *sanctus ille vir* dignissimus & perpetuo celebrandus. Alios insuper *hic claros* reddidit jejunii simulatio: tales etiam absoluta hac nostra narratione subjungam, ut rerum similitudine docti mortales, non tam faciles propositis ejusmodi exemplis aures posthac offerant.

§ 9. Si quid hic calor nativus, humidi substantifici *conserva*tio, tenacis humoris copia, pororum densitas valent, uti *profecto* valere diffitebitur nemo: præcidi tamen longius temporis jejunii filum oportet: alioqui sane subtrahitur historiæ fidei fulcimentum, etiamsi viri inveniantur non indocti, qui aliter demonstrare ex dictis causis contendant, fortassis etiam seducti scriptorum variorum authoritatis præjudicio, qui etiam falsis narrationibus vel fraudulentis longioribus jejuniis falli potuêre. Dictis vel *scriptis* extra rationis limites non perpetuo fidendum existimarim: fidei nostræ Christianæ mysterium hic exceptum volo.

Calor vitalis. Humidum substantificum. § 10. Vita extra omnem controversiam calore unico consistit, quem alit sustinetque tenax, pinguis, oleosus & aëreus humor, qui in partium similarium substantiam diffusus, omnem effugit oculorum aciem. In horum duorum consensu, calidi nimirum & humidi, vita perdurat: illud cunctarum actionum opifex habetur, *hoc* illi substernitur, ut durabilius permaneat. Quandiu ergo vitalem calorem fovere potest jucunda ea humiditas nativa, tandiu *in* vivis

permanet

permanet animal: Quæ si multa, crassior, & dissipationi contumacior fuerit, tardius à calore vitali, qui ea involutus, paulatim portiunculas disperdit consumitque, absorbetur.

§ 11. Cæterum quum animantium moles ea ratione semper distiluat & minuatur, nisi altera similis substantia pro ea quæ periit, substituatur, sensim profecto exhalabit atque dissipabitur universa. At in absumpti humidi hujus nativi, ex semine & primis nostræ generationis initiis orti, locum quod reponas, inveneris nihil. Deficiente itaque pabulo substantifico (ut dicunt) vitalis caloris, hunc extingui necesse est, & exitium subsequi præceps. Huic porro ut obviam eatur, alimentorum necessario accersetur opera, ut nimirum gratæ cujusdam humiditatis accessione, ea quæ nativa est, irroretur, sicque constantius sui caloris voracitati obsistere queat: Qui licet de humore primigenio semper aliquid depascat, attamen minus, ubi accessorii alimenti suppetit copia: quo prorsus sublato, caloris nativi qualitas redditur acrior, humorem nativum citius absumens, potissimum ubi corpus movetur exerceturque: Quocirca absque alimenti accessione corpus humanum tempore longo consistere nequit. Hic certe alia erit hominis rationalis ad actiones qualescunque nati, nec superfluo victu saburrati consideratio: Alia exanguis alicujus torpidæ & irrationalis bestiolæ, scintilla caloris afflatæ, & multo frigido glutinosoque humore perfusæ inspectio. Hujusmodi chamæleon est, qui à me alias irritatus varie, admota etiam ardente candela ipsius oculis & rostro, vix quicquam dimovebatur vivus. Ut quidem in frigido corpore tantam humoris crassi & tenacis abundantiam nonnunquam coacervari, quem non nisi longiori tempore devoret calor insitus, dono: Non tamen constitutione tali mortalium corpora quis mihi facile ostendet, quæ multorum annorum jejunia sustinuère, qualia ab authoribus prædicantur nonnulla, quos potius aliorum relatu, quam oculata veritatis animadversione, illa tradidisse, dubitare nolo. *Chamæleon.*

§ 12. Interea tamen nec Hippocrati hic subscribendum sentio, qui hebdomada homini letalem inediam prescribit: Nisi forte ad excusationem illius adducatur diversa Græcorum à nostratibus constitutio. Atqui Plinius non utique septimo letalem esse scribit, quum & ultra diem undecimum plerique duraverint. Ego profecto (quod citra ullam fateor jactantiam) illæse dies quatuor ab omni *Lib. de carnibus.* *Lib 11. cap. 54.*

 cibo

cibo & potu ſanus vixi: at frequentius lotium reddere oportuit, quod inedia redditur acrius. Potuiſſem & longius ferre *jejunium*, niſi quid gravius mihi ex continuis vigiliis fuiſſem veritus. Frater meus Arnoldus ad octiduum pertulit innoxiè, ſumpta exigua carnis cidoniorum buccella. Familiaria ejuſmodi *exempla* poſſem adducere plura. Talis profectò abſtinentia inordinatorum *affectuum* coercendorum efficax frenum, ſubminiſtrans & peculiarem *ardentioribus* precibus virtutem. Hoc modo Sara Raguelis filia, *Heſther* item alloquutura regem Aſſuerum, cum ancillis & Iudæis, tribus diebus & noctibus nec manducarunt nec biberunt: quemadmodum & Ninivitæ, intellecto à Iona ſui exitii nuncio, ad preces continuo jejunio confugiunt reſipiſcuntque.

Tobia 3. *Heſt*. 3. *Ionæ* 3.

§ 13. Ut porrò illud impoſturarum genus omnium oculis clarius appareat, hiſtoriam cœptam proſequar, fictitia inde *jejunia* aliquot enarraturus. Uſuræ ergo amplioris faciendæ, uti opinor, gratia, in Aprili proximo, vitricus & mater una cum *ſua Barbara* atque ejus ſorore Elſa duobus annis ætate majori, *acceptis à Magiſtratu* Unnenſi literis in eundem uſum ad *illuſtriſſimum noſtrum* Principem commendatitiis, ex Marcæ Comitatu Cliviam verſus iter ingrediuntur, ubi tunc temporis cum aula Princeps ſubſiſtebat: cui libellus ab illis ſupplex exhibebatur, quo facti teſtimonium, ipſius Clementiæ ſigillo communitum, nimirum puellam hanc toto anno & menſe integro ab omni cibo & potu abſtinuiſſe, nec alvo excrementa depoſuiſſe, uti nec veſicam ab urina levaſſe, ſuppliciter rogabatur. Interim ſolito honore excepta, mira celebratur obſervantia à cunctis tam ſpectatæ nobilitatis, eruditionis ac prudentiæ hominibus, quàm etiam obſcuro plebeioque loco natis. In itinere quilibet rei novitate illectus accurrebat, muneribus quoque non illiberaliter oblatis, datis acceptiſque.

Ficti & detecti jejunii enarratio.

§ 14. Iam ſane hoc loco ab hominum oculis faſcinum abſtergi voluit ille unicus omnis veritatis author benigniſſimus Deus noſter, qui ad certum tempus quandoque ad ejuſmodi præſtigias connivet ob noſtram incredulitatem, vel ut nos puniat, caſtiget aut probet. Oblata mihi palam commonſtrandæ hujus fraudis occaſione, quum familiam Cliviæ alam, apud Clementiſſimum noſtrum Principem inſto ſuppliciter, ut illa meo examini aliquot dies in meis ædibus, ipſius Clementiæ decreto committeretur. *Quid* fit? Annuit Princeps. Accerſita denuò à me, amicè habetur contrectatur-

turque: crepundia ad hæc offero, ut eam mihi benevolentia conciliarem: dehinc moraturam apud me tres ſeptimanas ex Principis juſſu, propono. Hic mira oratione modeſtiam, ſanctimoniam quietamque indolem prædicat vitricus: ſuadetque eam ſuæ libertati relinquendam, nec ullo modo turbandam: alioqui tam acerbis querelis, ejulatibus & lachrymis domum commoturam, ut longiſſimè ad aliquot etiam milliaria ſublatam optarem: propterea & Elſa ſoror ſenior ei ſemper fuiſſet admiſſa ſocia, ſiquando ad veritatis inveſtigationem, Conſulis Unnenſis & quorundam aliorum fidei traderetur. Me ſuaviter & benignè acturum cum ea, nec opus fore ſororis præſentia aut ſocietate reſpondit: quum verò conſtantius urgeret alter, eo ſimul cum Barbara poſtridie Unnam remittendos ſimulanter dixi, ne illam in aliquot dierum jejunii tolerantiam prius ſaburrarent, quam in meam fidem domi reciperetur. Elſam permitti comitem, diligentiorique obſervatione utrique attendi jubet Princeps. Poſtridie ſimul omnes inopinato ad meum domicilium revoco, quaſi dimiſſurus: adeſt & Princeps: commonſtro faciem, manus & pedes: ventrem denudo, qui contractior apparuit. Dolum ſubeſſe incunctanter ex venuſto faciei plenioris rubore, illuſtriſſimus etiam Princeps ſuſpicabatur. Meæ hinc fidei totum creditur negotium. Parentes accepto à Principe viatico, protinus Unnam reverti, & poſt tres ſeptimanas repetere filias volui. Seriò rem actum iri oculatiuſque ſubverita, meo quidem judicio, mater, lachrymas profundit largas, abit tamen.

§. 15. Ad primum progredior actum, inſtructis prius domeſticis, quo ad omnia connivere, nihilque in utraque puella obſervare viderentur: libertatem per univerſam domum ſuſque deque vagandi & in hortum excurrendi permitto: nec diu moratus, conſcenſo equo ægrotum longius viſito, redeoque hora veſpertina. In hac licentia hilares puellæ, optimè ſecum agi, cæcutire meos, & hunc fabulæ actum ſe pulchrè peracturas, quemadmodum aliquoties antea, in animum inducebant. Interea quoquo ſe verterent, & quicquid tractarent, à meis velut aliud agentibus gnaviter & dextrè, ſimulatè tamen, advertebatur. Prandium ſumit Elſa cum meis familiaribus: eo finito, conjunx mea altera Henrica, mulier pia ac mirè cordata, ſe inſomnem peregiſſe noctem,

& eapropter sibi in culina sedenti dormiendum nonnihil esse simulat, velata facie raræ texturæ tela, per quam contueri quicquid ageretur, posset.

§ 16. Quid multis? Barbara dormire uxorem rata, ingens poculum cum generosa cerevisia forte ibi repositum arripit, liberaliterque bibit. Repente tela abjecta conjunx eam intuetur silens. Sic poculo Elsæ clam tradito, Barbara abit pudore nonnihil suffusa: Id tamen ab uxore non fuisse visum, quod nihil dixisset, confisa. Non multo post Elsæ pomum donat ancilla, cujus portionem illa Barbaræ seorsum insinuat, quam postea ab hac comedi occulte, spectarunt mei domestici: Inde & stantem apud puteum urinæ tantum reddere observavit famula, ut si quando assideret foco, lotii fœtorem expiraret vestis: Nec longe post in hortum expatiata, durum alvo deposuisse excrementum, per fenestram à meis visum. Hic primi diei actus. Vesperi domum reversus, mysterium sanctimoniæ hujus puellæ revelatum gaudeo, interim dextre adhuc dissimulandum suadens. Callida etenim erat puella, & ob ficti jejunii confidentiam audacula nimis, quam familiam meam insimulare palam mendacii, puduisset minime.

§ 17. Postero die à famulo per tabulati culinarii rimam, facto prandio, quid rerum Barbara ageret, animadvertitur. Ipsa circumquaque converso oculo, atque omnia esse secura arbitrata, in idem rursus poculum manus conjicit, cerevisiæque potentioris haustus liberaliores ingurgitat.

§ 18. Tertio die similiter conspecta, obicem penarii paulo altiorem scipione ad gressum parato amovet, & panis secalini purioris comedit partem, inde & cerevisiam denuo largius potat. Hinc & integrum panem magnitudine pugni in ampliores recondit loculos, quos & inter femora sub veste continuo abstrusit. Sic à fame nonnihil recreata, ad ancillam prodit læta. At quum me inscio, ancillæ rem aperuisset minister, illa confestim commutandos suos cum Barbaræ loculis proponit: Qua tergiversante, manum injicit violentam famula, panemque è loculis extrahit. Pro sorore illum conservari, mox fingit ipsa, cui victus abunde semper fuerat suppeditatus. Hic ejulatus multus. Uxor detegit, quid ab ipsa, famulo, & ancilla tribus diebus fuisset oculis conspectum: Negat omnia. Quid facias? Accedens ego, silentium impero, Barbaramque bono animo esse jubeo, aliatum via procedendum ratus.

Pena-

Penarium panariumque omnino occludi, pocula ſemoveri, & omnem commeatui aditum reſcindi mando. Sic die ſequenti è lecto hora pomeridiana ſurgens, nihilque alimoniæ dolo conſecuta, facie uſqueadeo collapſa & lingua arida in hortum venit, ut ægrotam eſſe dixiſſes. Hic dies, qui poſtremus Aprilis, jejunio illi ſacer erat.

§ 19. Poſtridie cum mea conjuge & famulo in noſtrum expatiaturus prædium, commiſeratione affectus, rurſus cereviſiæ integræ cantharum conſueto reponi loco jubeo, nec longe panem butyro illitum, coctos item piſces relinqui: Ad tabulati culinarii, cujus paulo ante memini, foramen nepote inſidiis collocato. Cuncta jam fore libera exiſtimans Barbara (quod famula hinc inde domi, quæ ſui eſſent miniſterii, tractaret, hocque ſtudii ſemper etiam Elliæ cumprimis incumberet, ut circumquaque loca prius viciniora occultioraque luſtraret, quam genium nutrimento recreare tentaret ſoror,) poſitum panem tam butyro impinguatum quam ſiccum vorat cum piſciculo integro & majoris piſcis portione, ingens adhæc cereviſiæ poculum ter repetito tractu fere exhaurit. Sic cuticula probe curata, jejunium continuo adhuc ſimulare pergit.

§ 20. Quum rurſus eam ſequentibus potare diebus, per conſuetam ſpectaret rimam miniſter: Heu Barbara, tibi benedicat Deus, acclamat eveſtigio. Deſcendentem inde famulum rogat, quid dixiſſet? Tibi bene precatus ſum inter bibendum, inquit. Me bibiſſe, mentiris, reſpondit illa. Tantæ erat impudentiæ & inſolentiæ, ut à mea familia toleraretur difficulter. Quicquid etenim alicubi multa inveſtigatione furtim conſequeretur eſui commodum, cujuſmodi erant ſecundarum menſarum & conviviorum ſolennium confectiones ex ſaccharo apparatæ, avellanæ, artocrearum cruſtæ, idque genus reliqua, ſeorſum abliguriebat.

§ 21. Cum uxore igitur extremæ hujus pertinaciæ & impudentiſſimi mendacii pertæſa ſtatuo, poſt tam frequentes conſpicuoſque fabulæ actus, ad cataſtrophen ſerio progrediendum. Quare clauſtris penum omnem ſumma induſtria ſecludi mando, ut ad jejunii veram obſervationem nihil eſſet reliqui: Oblata tamen comedendi bibendique libertate, ſi quando poſceret. Ab unius diei jejunio, hora matutina, à conjuge mea audiuntur occultæ querelæ, diſceptationes & jurgia inter puellas. Barbara ſibi nihil à

sorore victus suppeditari occultè, quemadmodum apud alios, quorum inquisitioni antea itidem fuisset commissa, fidelem suam navasset operam, expostulat: se contrà nimis curiosè observari, queritur Elia (quæ ob officium sorori ejusmodi cibatione occulta præstitum Abacuc nobis nuncupabatur, quòd Danieli *cibum asportasset* vates ille) sororem lacrymabunda orans, ut victu *palàm* Dan. 14.
frueretur, alioqui vitrico, matri, ipsisque periculum creatum *iri*.

§ 22. Controversiam accedens uxor dirimit, exprobrato Barbaræ commento & impostura; singulos tam protasios quàm epitasios comœdiæ actus, & quicquid à se, famulo & ancilla visum fuisset aliquoties, explicitè demonstrans: inde ut ab hujusmodi dolo, mendaciis & præstigiis porro se contineret, piè ac sollicitè hortatur: alioqui Deum justum tanti sceleris fore ultorem minitata, & Principem natura certè clementissimum, de parentibus flagitii consciis, atque adeò ipsis, dignum meritò sumpturum supplicium. Docet, Barbaram hactenus à dæmone *mendaciorum* patre fuisse agitatam: commenticium illam *finxisse angelum*, à quo sæpenumerò confirmaretur esculo, ut ajebat: *talem in mea* domo nullum sortiri locum, at longius exulare potius à mei domicilii limitibus: resipiscentiæ horam adesse, delictum ætati remissum iri, pro parentibus & ipsis apud optimum Principem intercessurum fide bona maritum: si vero præfractius in *flagitio* multis documentis cognito perduraret, Principem & qui à consiliis sunt, citius nobis credituros, quorum cognitioni causa universa fuisset commissa, quàm dubiæ lubricæque fidei puellis, ex gustato ante biduum cerasorum condito, quòd tantopere se cruciari finxisset, hoc genus dæmonii haud dubiè profligaturum *fuisse* maritum, si adfuisset.

§ 23. Hac admonitione finita, discedit conjunx. Res interea in deliberationem vocatur à puellis: inde lac requirendum sumendumque convenitur, quasi solidiora ventriculus non toleraret. Offertur medius cantharus, duarum videlicet librarum medicarum quantitas, quem sine noxa exhaurit: postridie integer cantharus intrito pane tritico absumitur, uti & reliquis diebus, quibus & halecem & alia voravit.

§ 24. Hæc omnia licet à meis palam suppeditarentur, seorsum tamen comedit: tam difficulter à furtivi victus sumptione solita abduci potuit, donec porro cibum omnem subministrari serio vetarem,

tarem, nisi quem in publica mensa cum reliqua familia palam in cunctorum conspectu ederet. Hic etsi nonnihil etiamnum tergiversaretur, & me absente coram aliis comedere detrectarit: Id quod hactenus in occulto fecerat, domum reversus, publice fieri volo. Proinde cum illa strenue ago præter morem: Fucum & imposturam exprobro: Me ex ædibus illam ejecturum, nec apud illustrissimum Principem pro delicto intercessurum minitatus. Ad hanc cantilenam incunctanter mensam accedens, quibuscunque cibis una cum meis familiaribus in omnium conspectu vescebatur citra noxam, quemadmodum & reliquis quibus apud me adhuc morabatur, diebus. Elsa quoque uxori clam fatebatur, se frequentius vapulasse, quod quum parentes mercium quarumcunque essent institores, portionesque liborum & rerum esui gratarum frequentius desiderarentur, sibi imputaretur: Licet illa furtim abliguriisset in alimentum Barbara.

§ 25. Quum vero hic dolus apud me detectus esset, qui veritatis adyta aperire studio & neminem lædere, Clementissimæ Principi supplicio, ne quid acerbius in Barbaram, Elsam & parentes statueret, quod illæ essent juvenculæ, quibus publica punitio, scortationis in posterum occasionem, vel gravius perditionis damnum dare posset: Vitricum adhæc excusasent illæ, uti imposturæ ignarum: Erga matrem vero, velut fœminam, exornaret clementia principem. Tametsi autem ob sceleris magnitudinem variæ agitarentur sententiæ, & quidem pœnam arbitrariam merita fuisset mater cum filiabus: Connatæ tamen suæ commiserationis argumentum hic quoque ostendit Clementissimus noster Princeps, remissoque flagitio suis sumptibus illas Unnam relegari jussit, traditis ad magistratum literis, quibus cum illo expostulat serio, quod tam stupide sibi à puella sivisset illudi: Monetque, ut in posterum majori prudentia caveret, puellasque curaret vigilantius in Dei timore institui educarique: Et quicquid de Barbaræ abstinentia antea fuisset typis evulgatum Latine & Germanice, conquisitum studiose collatumque, palam in foro combureretur. Hoc edicto munitæ juvenculæ à meis avehuntur ædibus, 13 Maii, anno 1574. Hæc læta comœdiæ hujus catastrophe.

§ 26. Unnam reversa Barbara, pelle & ingenio non prorsus mutato, cunctis persuadet, se quidem antea jejunium tam multis pertulisse mensibus, sed à doctoris Wieri efficacibus potionibus

bus restitutam, ut jam per Dei gratiam appeteret commederetque: Se etiam sine ullo scipionum adminiculo, gressu, incedere firmissimo ex inunctionibus præstantissimis per eundem Wirum adhibitis.

§ 27. Hic profecto prætermittendum erat minime, *quod à* curatione Generosi Comitis a Niuwenar, &c. Adolphi, *ejusdemque* pietatis eximiæ conjugis Walburgæ, domum reversus, ubi Barbaram lac petiisse potasseque intellexissem, in mandatis mihi ab illustrissimo Principe datum esse, puellis persuadeo, ut dorsum Barbaræ consueto meo inungerem linimento, quo in nosodochiis &

Viva* BARBARÆ *unnensis puellæ* 10 *annorum effigies.



alibi clandi mutilique illiti, suis mox abjectis sustentaculis, *libere* sine ullo fulcimento abire solent. Ad hanc illinitionem annuit

Bar-

Barbara: Itaque postridie bis soror Elsa illam fecibus olei vulgaris, cui ob fragantiam olei spicæ guttam admiscueram, inungit: Quæ postero die scipionibus neglectis prosilit, perque civitatem hinc inde currit, quasi à me restituta, & hoc nomine sibi pulchra. Hoc modo voluntarios claudos mutilosque sanare novi.

§ 28. Prius vero quam similium imposturarum explicare catalogum pergam, memorabilem veri jejunii historiam, cujus antea memini, adjunctis breviter quibusdam aliis, interserere visum fuit: Ut exemplorum analogia in hoc argumenti genere, quilibet mentis non omnino præfractæ, nec præjudicio scriptorum effascinatus, promptior in nostram possit transire sententiam.

§ 29. Henricus ab Hasselt, natus quidem Hasseldæ, at in Norwegiæ oppido Berga degens, eximiæ pietatis vir, tunc inculpati cœlibatus, tam erga pauperes profusus, ut quum in divendendis pannis suam exerceret mercaturam, multo libentius pannum integrum aperuerit, secueritque gratis, ut nudi pauperes vestirentur, quam ut cum fœnore aliis divenderet. Quum autem religio Romana commutaretur, transiretque in Saxonicam, & Norwegiæ incolas crapulæ nimium mancipatos cerneret hic Henricus, nec suæ functioni hic respondere ecclesiarum ministros intelligeret, à quibus in concionibus palam audiebatur, jejunio imitandum & Mosen & Heliam, videlicet quadraginta dierum abstinentia: At Deum nunc tam diutini jejunii tolerantiam in hominibus minime operari. Hic Henricus, uti omnis vitæ dissolutioris, & potissimum crapulæ juratus hostis, se concionatoribus quasi Deo honorem derogantibus, & potentiam ejusdem extenuantibus nimis, opposuit, reipsa testatum volens, omnipotentiam ejus nequaquam imminutam aut concisam, sed parem nunc & in ævum, quemadmodum ab initio, perdurare. In nomine itaque Domini, ad ejusdem gloriam, gratia ipsius fretus, jejunium tentat: in quo ubi triduum perstitisset, tantum non fame opprimitur. Quare panis triticei buccam & liquoris haustum ubi sumpsisset, utroque in ipso æsophago sive gula sensibiliter permanente, dies inde quadraginta & totidem noctes absque ullius cibi & potus usu perseveravit. *Henrici ab Hasselt jejunium 40. dierum.*

§ 30. Exacto autem hoc tempore, illam panis & potus antea assumpti portionem crudam rursus per os rejecit. Cæterum ex tam

diutina abstinentia mire fuerunt vires labefactatæ, ut lacte refocillari corpus oportuerit. Detecto hoc miraculo, ab illius provinciæ gubernatore regio accitus, num tot dies sine ullius alimenti subsidio vixisset, rogatur: Huic veritatem confesso adhuc non credens, rem novo experimento confirmari mavult *gubernator*. Quapropter Henricum cubiculo inclusum, dies quadr*aginta* asservari jubet vigilanter absque ullo victu: qui constanter hoc tulit sine noxa, læsione virium minore quam antea. Nihil hic sibi aut propriis tribuebat viribus: Sed quicquid id esset, soli Deo acceptum ferebat, cujus solius hoc erat opus, potentia & honor. Ob hanc raram & plusquam humanam abstinentiam, atque etiam vitæ innocentiam, Numen Norwegicum à multis nuncupabatur. Nulli erat addictus sectæ. Negociorum vero suorum causa profectus Bruxellam in Brabantiam, ob hæresios suspicionem ex debitoris sui accusatione captus, in carcere denuo continenter vivit jejunatque. Inde lata mortis sententia, ut scilicet *combureretur* vivus (confessione tamen populo, præter *morem non prælecta*) hic intrepide sine ulla faciei immutat*ione*, *supplicii locum* petit: Ubi catena alligatus palo, fascibus circumcirca *horribili* aspectu incensis, putabatur circum palum velut in theatro ad extremum halitum discursurus. Sed quid fit? In genua provolutus, oculis in cœlum levatis, ferventer suas ad Deum fundit *pre*ces: Hinc surgens, in ipsas progreditur forti animo sine ullius tremoris indicio flammas, in eisdemque se demittit tam sedate, ut ab ipso moveri membrum vel articulum, dum flammis crudelissime devoratur, viderit nemo. Ex ossibus reliquiæ inventæ nullæ, & supplicii locus à multis religiose habitus. Schorio *Bra*bantiæ præside id contigit circa annum millesimum quadragesimum quintum. Ex ore dignissimorum fide virorum, qui Henrico conjunctius usi fuere, hæc refero.

Numen Norvvegicum.

Canonici Leodiensis jejunium.

§ 31. Canonicus quidam Leodiensis haud ita pridem dierum totidem continuum jejunium experiri conatus, ubi ad decimumseptimum pervenisset diem, tantam omnium virium sensit jacturam, ut nisi incunctanter restaurante victu fuisset subventum, haud dubie interiisset.

Nicolaa Bucholdiana abstinentia.

§ 32. Puella quædam Nicolaa nomine, Bucholdiæ in Monasteriensi provincia degens, conscientiæ morbo ita divinitus affe-

cta,

cta, ut hominum aversaretur conspectum, à matre cædebatur, quod egredi recusaret. Proinde ait: Me Deus percussit: Si mater adhæc me verberare pergat, quid tum factura sum? Insomnis diu permansit, nec octodecim septimanis aliud gustavit quam pauca poma tosta, ptisanæ vero cremorem bibit. Siquis inopinato accedens, ei loqueretur, nihil respondebat. Tanta erat macies, ut cervicis spina pelle solum tecta conspiceretur. Ex commiseratione tandem divina, animi tranquillitatem assecuta, paulatim convaluit, Deum timens & mire modesta, qualis adhuc jam permanet superstes.

Iejunium sex dierum coactum.

§ 33. Nec prætermittendum hic silentio, quendam in thoro conjugali apud uxorem ab Hungaro nobili deprehensum, & in carcerem eapropter conjectum, ut fame enecaretur. Quo autem pœnæ citiorem reus consequeretur finem, gallina tosta per ostium subinde ad ipsius demittebatur nares, ut ejusdem odore allectus, appetitu incitaretur majori: Re ipsa vero rursus destitutus, acerbiores daret pœnas, non secus ac

Tantalus à labris sitientes appetit aquas:

atque eo cruciatu velocius interiret. Hanc supplicii formam quum sex perpessus fuisset dies, septimo inquisitione facta; deprehensus fuit superiorem brachiorum suorum portionem exedisse.

Sebast. Franc. in Chron.

§ 34. Ad commentitia redeo jejunia. Tempore Maximiliani Imperatoris, anno millesimo quingentesimo decimo, puella quædam Augustæ simulato jejunio, quasi nullo vesceretur cibo, sed divinitus sustineretur, non modo quoscunque etiam prudentes viros, verum etiam ipsum Cæsarem fefellit, sanctimoniæ insignis opinione famosa & celebris, ut etiam in templo peculiaris illi sedes seclusa extrueretur, & manibus portaretur. Qui confecta, quæ vocant, seorsum illi subministraret, quendam habuit: Et si quando esset exquirenda veritas, se confectis roborantibus in vestimentis tam industrie reconditis antea muniebat, ut ad tres vel quatuor septimanas corpori sustinendo illa sufficerent. Tandem esse proditam ab emissis stercoribus, quæ nulla subsequi, ubi nihil assumitur alimenti, nemo non novit, quidam asserunt: Alii à Ducissa ipsius dolum clam per rimam observatum, fuisse dete-

ctum putant. Sunt qui dicant, fuisse scortum, & vix cum amasio submersionis pœnam fuga prævertisse.

Margareta in Roed jejunium.

§ 35. Huc referendam sentio historiam de puella quadam nomine Margarita in villa Roed prope Spiram commorante, circa annum 1542. ob jejunium plusquam biennale celebri, ejusdem fere cum nostra Barbara ætatis: Quam prius omnem aversatam cibum, postea & potum scribunt, nec tum urinam reddedisse. Quanquam vero Regis Ferdinandi jussu circiter dies duodecim fuisset observata: Fucum tamen latuisse, testimonio mihi erunt, quæ sequuntur documenta. Primum, quod circa ætatis annum decimum inchoarit abstinentiam, atque in decimum tertium continuo perseverasse narretur, pro ea ætate tamen, statura & habitudine justa, & pro rustica, vultu non illiberali, potissimum post diutinum capitis & ventris dolorem, qui corpus & vires magis consumere debuit, & remorari inde justum staturæ incrementum, & faciei venustatem. Hæc profecto nequaquam cohærere, supra ex Hippocrate demonstravi. Qui enim crescunt, *calidi innati habent plurimum: Plurimo igitur indigent nutrimento, corpus alioqui consumitur.* Humidum siquidem nativum ab edaci calore exhauritur perditurque, nisi is effrenis coerceatur adjuncto familiari. Hinc omnium minime jejunium sustinent ejuscemodi ætatis pueri.

Aphor. 14. lib. I.

Aphor. 13. lib. I. vide supra.

Pueri difficulter jejunium ferunt.

§ 36. Pro caloris etenim modo alimentorem proportio & quantitas, nullo alio quam natura monstrante, constituitur. Secundo habet historia, è naribus & oculis copiose (cum interdum fleret) humores profluxisse. Quod omnino fieri nequit: Ubi etenim nullum alimentum, nulla materia, ibi necessario nulla consequuntur excrementa, qualia habeo narium mucum & oculorum lachrymas. Eodem pertinet & tertium argumentum, quod toto corpore scabie & pustulis phlegmaticis laborasse scribatur. Et hoc malum excrementitium est, in quo corpus paulatim magis absumitur: Originemque ducit ex pituita salsa, crassa ac lenta, aut etiam bile atra, Galeno teste. Quomodo autem ejusmodi sordes ex corpore expelli queunt continuo, si earundem desit fomes ex assumpto alimento? Quinimo ex Hippocratis nostri sententia, contestante & ipsa experientia, morbi quicunque ulcera sunt, & super reliquum corpus eminent, eos simul cum medicamentis,

Lib. 2. de sympt. causis, cap. 10.

De locis in homine.

7 Aphor. 60.

mentis, etiam fame curare oportet: Siquidem fames exiccat, ulcera autem exiccatione egent. Accedit quarto, quod eam somnum cœpisse naturalem & quietum addatur. Nec hoc fieri potuisse, ut citra cerebri ex assumpto alimento irrorationem, talis consequeretnr somnus, mecum asserent cuncti naturalium rerum periti, qui ex benigno alimenti vapore ad caput delato, & à cerebri temperie condensato, somnum gigni naturalem sentiunt. Si itaque oculatius illa fuisset observata, aut in ipsam vigilantius inquisitum, quin impostura fuisset manifestata, dubitare nolo. Nec desunt, qui in vestimenti fimbriis libum ad famem tollendam dextre consutum, fuisse visum, dicant.

§ 37. Celebratur similiter puella quædam annôs nata duodecim, quæ in Tulliensis territorii ulla Commerciaco, tempore Lotharii Imperatoris circa annum 822. post sacram communionem in Paschali solennitate à sacerdote susceptam, primum per decem menses à pane, deinde ab omni cibo & potu per triennium abstinuisse narratur. Idem hic responsum volo, quod in proximis jejuniis commentitiis: quemadmodum & ad illud non absimile, quod Pogius Florentinus Romæ, sub Nicolao octavo pontifice in Gallo quodam sacerdote accidisse refert. *Puella 12. annorum jejunium.*

§ 38. Hoc argumentum, fraudulentæ abstinentiæ exemplo, raraque impostura memoratu dignissima exornare volui, ne tam facilè posthac omni credatur spiritui, nec prodigiosarum rerum narrationibus tam pronæ semper offerantur aures. Circa annum 1546. Eslingæ in ducatu Wirtenburgico puella nomine Margareta, Ioannis Ulmeri filia, ex gravi morbo & vehementioribus ventris cruciatibus adeo se intumuisse finxit, ut ventris moles universam faciem obtegere, ac in circumferentia decem palmas excedere, à multis visa sit. Diversi autem generis animalia se querebatur alere suo sanguine in ventre, cum tamen se nec comedere, nec bibere quicquam, sed tantum pharmacopolarum confectis & fructuum odoribus interdum recreari assereret. Ab iis qui lecto adstabant, auditæ sunt multiplicium animantium voces, gallorum cantus, gallinarum coccyzationes, anserum strepitus, latratus canum, ovium balatus, porcorum grunnitus, ac quod admirabilius est, boum mugitus hinnitusque equorum, atque animalium multorum homines magnitudine superantium clamores: à quorum *Margareta Eslingensis impostura.*

motionibus vexationibusque intolerabilibus mirum in modum se torqueri, dolenter referebat. Eduxit admirandæ magnitudinis vermes atque serpentes ex latere circiter centum quinquaginta, ut miraculo fidem faceret.

§. 39. Rei igitur inauditæ rumor quum non modo per urbem & loca vicina, sed etiam per totam fere Germaniam *increbuisset*, ab exteris quotidie confluentibus ob prodigium, & commiseratione affectis tanta virginis mole conspecta, amplis frequentibusque est ditata muneribus. Consilium à medicis & chirurgis quæsitum: Ad eam quoque Caroli quinti Imperatoris & Ferdinandi Rom. regis medici cum aliquot nobilibus accessere, qui tamen nihil deprehendere fuci potuere. Verum ubi jam circiter quadriennium hujus tragœdiæ spectaculum durasset, ac dolores intendi indies viderentur, magistratus (num commiseratione, an sinistra suspicione motus, me latet) accitis puellæ parentibus sciscitatur, num ex medicorum consilio filiam sectione ventris à tam diris cruciatibus *liberari cuperent?* Cui pater vir bonus ac innocens respondit, *filium divinæ bonitati* & legitimis medicorum remediis committendam. At omnibus modis restitit mater mali conscia, divinam ultionem illi minitata, si filia adhuc juvencula enecaretur. Ad quam etiam missi, qui admonerent, eam sæpenumero medicorum desiderasse operam: Hos nunc adesse, ut morbi inclementiam quibuscunque modis auspicio divino, aut tollerent, aut certe lenirent. Verum illa à matre instituta, respondit, se morbum & crucem à Deo sibi impositam, ex divina gratia pari constantia citra ullam medicorum opem laturam, qua jam quadriennium fortiter pertulisset.

§ 40. Cæterum magistratus, accepta patris responsione, Doctori medico & tribus chirurgis cum obstetrice, ut puellæ ventrem sectione tentent examinentque, serio mandat. Quare hi dicto obsecuti, cubiculumque ingressi, puellæ tumidæ fasciisque linteis ligatæ, ac clamanti, detraxere tegmina: Ferroque adhibito, ventrem miro artificio fabricatum cum variis arcubus, quibus ventris rotunditas conservabatur, & pulvinaribus ac reliqua levi materia suffultum deprehenderunt. Hoc per obstetricem detracto, apparuit puella omnino nuda, corpore

optime

optime compacto, & supra modum formoso. Fraude cognita, parentes & filia cum aliis doli consciis (quibuscum noctu comessatum erat, ac munera ab exteris oblata, egregie dilapidata) in carcerem ducti, quæstionibus subditi sunt. Venter in prætorium ad rei memoriam delatus, asservatur. Mater ad veritatis confessionem torturis adacta, instinctu Sathanæ & auxilio, quicquid id esset doli, se annos quatuor construxisse causa lucri, fassa est. Condemnata igitur, fracto prius collo, palam est flammis absumpta: Filia autem, perforatis prius ignito ferro genis, muro inclusa, ad perpetuos damnata carceres: Pater, qui se ab uxore & filia ad illum diem, quo flagitium manifestaretur, deceptum fuisse, sancte affirmabat, libere dimissus, quemadmodum & ex reliquis captivis plerique insontes inventi: Alii vero pro delicti gravitate puniti.

§ 41. Huc non immerito accedat id quod de quadam virgine Anglicana refertur, quæ ob continui jejunii famam, numinis loco habita observataque est, ut Angli non alio nomine illam nuncuparint, quam *Holi mat de Kent*, hoc est, sacram virginem Cantuariensem. Hæc siquando cibanda esset, ante summum altare in templo provoluta in genua, panem missalem ex alto quasi cœlitus descendentem ad ipsius os in alimoniam sumebat, aliis in templi parte postica miraculum religione singulari, imo ad stuporem spectantibus. Hac sola spirituali esca sustentari se, & bona frui valetudine, citra ullius victus accessionem, gloriabatur: Interim & insignem quoque vitæ innocentiam sanctitatemque præ se ferebat, ut tam à Rege & regni primoribus, quam ab aliis cujusvis ordinis hominibus religiose visitaretur. Nec exigui temporis, actus hujus fuit epitasis. At quid fit? Quemadmodum justissimus Deus ad quarumcunque illusionum sacrarum præstigias non perpetuo connivere solet, sic tandem & huic fabulæ catastrophem statuit. *Anglicana virginis jejunium commentitium.*

§ 42. Quapropter sinistra suspicione Regi injecta, ex ejusdem mandato in illam inquiritur. Legati regii monasterium, ubi illa tunc temporis morabatur, ingressi, religionis ergo eo pervenisse putabantur. Verum ab iis seclusa mox, custoditaque, famem ne triduum quidem perpeti valuit: Sed quæ infirma est muliercularum conditio, dolum haud difficulter est confessa:

Panem

Panem nimerum messalem per fornicem templi demissum, capillis fœminarum tenuissimis alligatum, eosque non potuisse observari ab iis qui longinque panem spectabant: Adhæc, se interea semper laute seorsum vixisse cum abbatibus ad quos divertebat, quibus etiam familiarius, conjunctius, *vel potius* carnalius fruebatur. Circiter tres etenim fuere (nisi memoria fallar, vel is falsus fuerit, qui rem vere gestam retulit) in diversis cænobiis, ac in unoquoque menses aliquot hisce ludibriis dementabat illa quoscunque. Tandem dira morte pœnas dedit, veluti & abbates, ac monasteria diruta.

Venetiana vetula abstinentia.

§ 43. Hic locum meretur quoque famosa quædam vetula, quæ ut peculiari angelicæ sanctitatis opinione Perfectionis Regulam recenter institutam confirmaret Venetiis, duo sibi ampla comparavit ejusdem formæ volumina: Quorum alterum Bibliorum erat, alterum cistula clausulis velut liber adornata, quam depressis laguncului vino malvatico plenis, *tum & martiis* panibus ab ipsa ex caponum perdicum*que pulpamentis*, sacchato & amigdalis rite apparatis, infarciebat. *Hisce duobus* libris pulchre instructa, in cellulam se recipiebat abdebatque, religiosam scilicet agens vitam plerunque dies quinque aut sex contemplatione varia, & alteris illis Bibliis vigilanter lectitandis, donec quicquid in iis delitesceret mysterii evacuasset: Nec sane interea temporis quicquam aliud cibi aut potus gustabat. O dignum memoria miraculum, ô mystica abstinentia. Quid tandem? In hoc religionis arcanæ exercitio perdurat, donec mysterio revelato, multisque inventis literis amatoriis, palam à magistratu exilio puniretur.

§ 44. Circiter annum sexagesimum quintum supra millesimum quingentesimum, in Castiliæ novæ Marchionatu de Senet duo ferme miliaria de Covil vida in villa Tamerson juvencula morabatur annorum sedecim, fingens se virtute spiritus sine cibo, potu, excretione alvi & urinæ circiter biennium vixisse. Ad hanc tandem accedebant duo filii ducis Medinæ cœli, quidnam hoc rei esset inquisitum: Qui levata lodice sub qua ipsa cubabat, manuque inserta, lectum lotio desœdatum comperiunt. Fraude revelata, illam Inquisitioni tradidit Marchionissa.

§ 45. Vianæ adhæc sub Brederadio circa Trajectum inferius puellam perpetui jejunii opinio nobilitavit: at commentitium fuisse, postea cunctis innotuit. Similiter menses aliquot fraudulenter jejunium simulavit Gorcomii in Hollandia puella nomine Margaretha, circa Belgicorum motuum initia. *Trium puellarum ficta jejunia.*

§ 46. Circa Leodium in villa Capella nuncupata, fuit circa annum 1567. puella annos ferè septendecim nata, quæ ab omni victus usu vixisse dicebatur. Sed dolum detexerunt liba mellea, tandem in vestimenti fimbriis deprehensa.

§ 47. Cæterum hæc à mē scripta esse, quòd jejunio, aliquid derogatum velim, nemo suspicetur: quum hoc solum mihi studio fuerit, ut quemadmodum in sathanæ præstigias sex in lucem editis libris inquisierim, ita & nunc sacris hominum imposturis oculatius attendere voluerim. Iejunium etenim verum, summo à me loco, si ab ullo alio, habetur, uti certè debet. Nam, Athanasio teste, morbos sanat, destillationes exsiccat, dæmones fugat, malasque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei sistit. Colophonis autem vice auream Cypriani sententiam subjungere volui: Jejunium, inquit ille, si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Jejunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos distringit & ligat. Jejunium si humilitate ornetur, servos Dei contemptores mundi efficit. Jejunium carnes azymas mundat & solidat, & putredines quæ ex adipe prodeunt, consumit & siccat. Jejunium scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cœlesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum revelatur jejunio, & tres pueri de Babylonio illæsi egrediuntur incendio. Moses in monte quadraginta diebus jejunus cum Domino perseverans, & Dei familiaritatem, colloquium, & legis ministerium promeretur. *Jejunii potentia.* *De jejunio & tentationibus Christi.*

FINIS.

[illegible]

IOANNIS WIERI

DE

IRÆ MORBO,

Ejusdem curatione

PHILOSOPHICA, MEDICA

&

THEOLOGICA,

LIBER.

Irascimini sine peccato.



AMSTELODAMI,

Apud PETRUM VANDEN BERGE.

M DC LX.


Ad Illustrem & Generosum

DOMINUM,

D. HERMANNUM

COMITEM IN NEVENAR ET MOERS, DOMINUM IN BEDBUR,

IOANNES WIERUS D.



Ua voluntate elapsis annis diaboli præstigias & fraudulenta ludibria debellare conatus sum, illustris ac generose Comes, eadem nunc denuò in lucem prodeo ad vitiosorum affectuum carnificinam ex humanis animis expectorandam. In ingravescente enim ætate quicquid assiduis meis occupationibus suffurari possum temporis, id libenter in publici commodi ærarium effundo, utinam tanto posteritatis fructu, quanta alacritate juvandi proximum, quò & meæ ex concredito divinitus talento usuræ ingenuè sim conscius, & subsequens ætas me aliquando vixisse gaudeat. Proinde quando in nostri sæculi intuerer tum extremas calamitates, tum calamitatum occasiones, commentari volui aliquid de caussis veris ac remediis certis ipsius Iræ, è qua hodie privatæ factiones, publica bella, cædes truculentæ, ac inauditæ immanitatis exempla in Christiani popelli cervices & fortunas miserrimè exundant. Etenim ad hunc suscipiendum laborem tres me compulêre rationes. Una est, quòd quum nulla pestis magis depopuletur sua crudelitate vastissima regna, amplissimas ditiones, florentissimas respublicas, quàm hæc ipsa, cujus, proh dolor, recentia nimis testimonia coram cælesti tribunali vindictam clamant: non etiam ab officio ac

professione medici ac philosophi alienum judicarem, adversus tam exitialem morbum, qui verè Epidemicus nominari hoc tempore potest, proponere curationem. Altera, quòd quæ mihi in Theologicis meditationibus subinde, dum ad ægros huc illuc proficiscor, occupato in proprium usum conscripseram, eadem aliis communia esse velim, si forsitan tenuissima mea opella subsidio quempiam incitare possem ad affectuum suorum tyrannidem edomandam. Postrema, ut maximos, sed tamen justissimos dolores, quos ex conjugalis thori dissipatione ante quinquennium hauseram, literario aliquo exercitio tunc temporis lenirem. Hanc verò meam commentationem sub illustris tui nominis inscriptione, generose Comes, publicandam duxi, tum quòd inter principes Germaniæ viros literarum cognitione, doctrinæ præstantia & judicii acumine haud ulli secundus, sed, ut ait ille, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων certiorem de argumenti hujus tractatione censuram ferre possis: tum etiam, quòd quum Wierorum familiam singulari favore & patrocinio semper sis prosequutus, vicissim pro grati animi testificatione haberes perpetuum obsequii nostri monumentum. Te totum suo spiritu regere dignetur misericordissimus Deus, ut ad ipsius gloriam, tuæ clementiæ salutem, & commissæ gregis utilitatem hunc momentaneum vitæ cursum perficere queas. Clivis ex nostris ædibus.

DE

DE IRA MORBO.



DICTURUS de Ira morbo, præter consuetam ægritudinum recensionem, non obstante Peripateticorum sententia, imitari conabor tum Stoïcos, qui affectus tanquam morbos ex homine nituntur evellere: tum Galenum nostrum, cujus auctoritate didicimus, adeò potentes esse animi perturbationes, ut & multi sæpe à morbis liberentur, superveniente delectationis alicujus sensu, & infiniti rursus ex nimia conturbatione in difficiles ægritudines delabantur.

§ 2. Verùm quum nulla existat corporis invaletudo tam gravis, quam non animi exacerbatio longè exuperet: magis etiam hujus, quàm illius, custodienda est propter subjecti nobilitatem integritas. Ne quid de consensu utriusque dicam, quo malè affectus animus, naturalem quoque totius corporis statum immutat, spiritibus tanquam suis internunciis primùm contaminatis, qui postea sanguinem exagitant, & cordis æquabilem motum interturbant, quod ex pulsuum frequentia, repressione & varia commotione apparet, unde febres, lipothymiæ, tabes, aliaque mala suboriuntur: qui denique cerebro tales communicant impressiones, ut sæpissimè phrenitis, melancholia, mania, apoplexia, paralisis, epilepsia, & similes consequantur ægritudines. At verò ex cunctis animi morbis, quam nullus vehementior sit Ira, curationem ipsius solùm auspicabimur: rati, eos qui hunc superare, & à temperantiæ mansuetudinisque territorio arcere didicerint, ad reliquorum expugnationem alacriùs accessuros.

§ 3. Prius tamen quàm ad ejus definitionem, causas, & ulteriorum tractationem deveniam, pauca quædam præfari lubet vice προλεγομένων de affectuum natura & origine: in quibus explicandis primò videndum est, quid sit affectus. Est autem is Zenoni, aversa *Affectus.* à recta ratione contra naturam animi commotio: quemadmodum & Galeno, motus animi non obediens rationi: qui ab aliis dicitur appetitus vehementior, ad differentiam illius, cui ratio moderatrix assistit. Quæcumque enim boni malive specie objecta nobis fuerint, ea si constanter prudenterque sequimur aut fugimus, tum appetitus est cum ratione: quando verò adversus hanc incitamur vehementius, & delectationis vis major est quàm rationis, tum pra-

vus

vus allicitur appetitus, qui sinistræ opinionis impulsu, contra mentis decretum agit. Hinc duplex affectuum genus resultat: unum rationis particeps, alterum ejus expers: quorum utrumque ex opinione boni aut mali, ejusque vel præsentis, vel futuri, subdividitur.

§ 4. Cæterùm quia nec primi generis affectus obsunt, nec secundi omnes adeò nocent, ut naturalem corporis constitutionem demoliantur, morbosque gignant, sufficiet nobis principaliores illos attigisse, qui hoc negotii potissimùm facessere consueverunt: quorum omnium fons est intemperantia. Hac enim summus ille splendor rationis, quo appetitiones nostræ regi debebant, extinguitur, & pravis cupiditatibus faces subministrantur: ut mirum non sit, intemperantes omnibus animi affectibus emancipatos esse, quippe qui à sanæ mentis judicio aversi, ex imaginaria *boni* maliúe apprehensione, statim huc illuc effrenatè feruntur, variisque perturbationum euripis fluctuant.

§ 5. Sic ab animadversione rei delectabi*lis, ut jugi formosæ* mulieris intuitu & cogitatione, mox furiosa *libidine incenduntur*. Sic etiam quum quis læsus est injuria, ejus apprehensione vis animosa cordis; quæ ejus est appetitio, incitatur: cumque injuriam vindicare & ulcisci cupit, neque rationis mansuetudine lenitur, tum ira exardescit. hæc si mox desistat, excandescentia dicitur: sin inveterata sit, odium: si acerbior, discordia: si ulciscendi tempus observat, inimicitia. Quum porrò vehemens insurgit de divitijs expetendis opinio, cordis appetitio non refrænata rationis præscriptione in avaritiam effertur. Quum denique maximi fient, optimique judicabuntur honores, horum stimulis eadem vis inflammata, in ambitionem rapietur.

Excandescentia. Odium. Discordia. Inimicitia. Avaritia. Ambitio.

§ 6. Ita quidem futuri boni opinione variæ solent excitari cupiditatum differentiæ, quemadmodum ex futuri mali apprehensione metus suboritur: qui si malum propinquum est, timor: hic autem si permanet, formido: si laboris metus erit, pigritia dicetur: si valde concutiat, terror: si mentem loco dimovet, pavor: si ultrà processit, exanimatio. Vbi verò jam mala instant, aut sperata bona non accedunt, tum animi fiunt ægritudines: cujusmodi sunt, dolor, angor, luctus, mœror, lamentatio, ærumna, afflictatio, solicitudo, molestia, desperatio, & cæteræ ejusdem ordinis.

Metus. Timor. Formido. Pigritia. Terror. Pavor. Exanimatio.

§ 7. Quæ hactenus enumerata sunt animi pathemata, cum diutius

atius perseverant, tanquam in venas medullasque sese ingeren-, naturalem corporis statum unà perturbant, & morbos illi ac-sunt. Ita enim dum cor ira cumulatur & effervescit, ea spiritus imùm, dein humores corpusque inflammans, plerumque in e-emeram vel in synochum agit: aut si cacochymia subest, in pu-dam febrem, aliosque ex bilis fervore & humorum confusione orbos: aliquando etiam pro vehementia ebullitionis, & disposi-ne solidorum in hecticam præcipitat.

§ 8. Mœstitia verò corpus omne, maximè autem correfrige- & exiccat, spiritus innatumque calorem sensim obterit, vigili-siccitate inducit, concoctionem labefactat, sanguinem humo-sque incrassat, augetque melancholicum succum. Quibus ex usis corpus atrophia liquescit, & in marcorem aliosque frigi-s morbos incidit. Eadem pericula & graviora metus adfert: que ita deinceps reliqui omnes immoderati affectus suis quique ocellis & fluctibus nos jactantes, in varios animum corpusque opulos illidunt: quos ut evitare oporteat, exemplo unius iræ, tæ perturbationum est sævissima, jam declarare conabor, futu-m hinc sperans, ut illius natura & curatione ostensis, eadem vel nili methodo aliorum affectuum cognitio remediaque inveniri ssint. *Mœstitiæ effectus.*

De Iræ Definitione.

UT præcisa omnis ambiguitatis & contradictionis occasione planam stabilemque Iræ definitionem habeamus, suppo-nendum prius est, nos loqui de Ira morbo: ut excludatur nc Ira licita, qua irascimur vel aliorum hominum sceleribus, l nobismet ipsis ob propria peccata, qua item pater irascitur li-ris delinquentibus. Hic enim motus animi fit justa cum mode-tione, & absque peccato: cujus meminit Divus Paulus, inquiens: ascimini, & nolite peccare. De quo affectu magis utili, quàm no-o, haud plura dicemus, prioris duntaxat enarrationem à defini-one illius aggressuri, quæ neglectis aliorum finitionibus, tali o-tione perfici assignarique potest, ut Ira sit appetitus profligandi ojectum, propter apparentum injuriam. *Ira quid.*

§ 2. Cujus definitionis singula jam membra declarabimus. Pro nere collocamus appetitum, non quidem naturalem illum, quo irpes alimentum sibi conveniens proliciunt, aut magnes ferrum

 attra-

attrahit, aut omnia generis cujuſcunque ſint inanima aguntur: ſed motum & interiorem quandam agitationem animæ ad habenda bona quibus caremus, & depellenda mala quibus infeſtamur: tametſi hæc ſæpe talia, cujuſmodi appareant, non ſint, verùm ſpecie boni malivè nos fallant. Ea appetitio, de qua loquimur, Græcis ὁρμὴ vocatur, cui tum perſecutio ineſt boni, tum etiam depulſio mali, utriuſque vel veri, vel ementiti. Nam dum rem aliquam conſectatur, quæ ſpeciem boni & jucundi præ ſe fert, eam ſimul quæ huic adverſari & obſtare videtur intentioni, depellit.

§ 3. Quid autem hic perſequimur, quidque profligamus? Dicam breviter. Appetitus ſemper præſupponit privationem, quæ eſt defectus rei. Non enim appeto quod poſſideo, ſed quod deeſt. Quare ſi Ira appetitus eſt, quid deeſt quod appetam? Deeſt apparens juſtitia, tanquam bonum. Quomodo autem juſtitiam recuperavero aliter, niſi ut ſuum contrarium, nempe injuriam, depellam? Sic in gerendo bello quis finis? Pax. *Eam quomodo Imperator acquiret*, niſi ut hoſtes pacis, qui *diſcordiæ & ſimultatis* auctores ſunt, removeat? Proinde finalem *cauſam ponimus profligationem*, efficientem verò collocamus injuriam: ſiquidem nihil animum noſtrum æquè pungit, quàm ſi putemus nobis, aut noſtrûm alicui non tribui, quod noſtrum eſſe videtur. Etenim omnis appetitio boni cujuſdam aut veri, aut apparentis eſt. *Bonum* autem, in quo noſter acquieſcit animus, reſpicit conſervationem hujus noſtri individui. Quia verò propter perpetuum Anaxagoræ fluxum, quod jam eſt præſens bonum, eloquuto hoc eodem verbo, imò in momento deſinit eſſe præſens, & jam tranſit in naturam præteriti: conſervatio inhiat affluxioni futurorum, tanquam fruitioni præſentis. Quam etiam ob rem antea oſtendimus, *à privatione* fieri appetitum. Non enim deſideramus (ut dixi) quod præſens eſt, ſed quod abeſt, ita tamen ut ſit futurum. Quid autem futurum conſervatio ipſa requirit, ut ſit tanquam præſens? nihil aliud quàm ut ſibi tribuantur omnia, quæ videntur ad ſe pertinere. Illud ſiquidem tanquam proprium ſibi vendicat. At ſuum cuique tribuere, eſt juſtitiæ opus. Quare hanc juſtitiæ ſpeciem *appetimus*, quatenus ea tendit ad pleniorem ſalutem, conſervationem & perpetuitatem noſtram. Unde quum illam cupiamus adeſſe, *cupimus ſuum* contrarium abeſſe, hoc eſt, ipſam injuriam: quia per eam impedimentum aut ſubtractionem arbitramur fieri bono *quod deſideramus*:

mus: studemus illam quoque impetu depellere & amovere, ex quo creatur irascendi affectio.

§ 4. Injuria autem infertur, ubi suum cuique non redditur, sed omnis negligitur analogica æqualitas, quæ in mutua personarum ac rerum proportione consistit. Nam quum justitia sit ἰσότης, quicquid ab ea recedit, statim convertitur in naturam contrarii: cujus duæ sunt species ratione utriusq; extremi, τὸ πλέον & τὸ ἔλαττον. Istud possidere videtur qui injuriam infert, hoc verò qui eam patitur. Quare exacerbor erga illum, non tam quòd plus habeat, quàm quòd mihi minus reliquerit, & quòd auferat illud quod meum est, mihique debetur. Itaque constat, tot esse externas iræ causas, quot existunt injuriæ repræsentationes. Repræsentationes dico propterea, quia non est injuria semper quæ injuria esse apparet. Species namque fallunt nostram sæpe imaginationem, quæ secundum idolorum occursum excitat appetitum.

§ 5. Sic sol apparet magnitudine sesquipedali, quum tamen longè major sit universo orbe: sic navigantibus apparent arbores in littore moveri, quum tamen persistant immobiles: sic in speculo apparent ipsæ substantiæ, quum nihil sint minus. Unde multoties appetimus mala, quia apparent esse bona: & econtrariò bona excutimus, quod videantur esse mala. Quæ causa fecit, ut dixerimus in definitione Apparentem injuriam. Ergo explicatis nostræ definitionis membris, progrediamur ad causas.

De Causis Iræ.

CAUSAS iræ ad duo possumus summa capita revocare, ad internum irascentis vitium, & externam irascendi occasionem: de hac postea, de illa prius dicendum. Concitamur enim ad iram aut temperamenti respectu, aut debilitate judicii, aut impedimento sensoriorum, aut animi affectibus. Ac quidem, quum vis θυμοειδὴς in corde, & ἐπιθυμητικὴ in hepate suum habeant domicilium, prout hæ partes principes erunt dispositæ, ita etiam animi impetus & cupiditates aut vehementiores aut remissiores consequentur. Nam qui cordis calidiorem obtinent constitutionem, cæteris omnibus sunt procliviores ad iram: & quemadmodum promptissimè commoventur, ita facilè placantur: quia iram non reprimunt, sed statim præcipiti quadam impotentia prorumpunt ad

ad vindictam vel amotionem apparentis injuriæ, qua profligata conquiescunt.

ὀργίλοι. θυμός. θύειν. 2. Metam. § 2. Eos Aristotelis vocat ὀργίλους, & hæc prima species nominatur ab Homero θυμὸς ἀπὸ τοῦ θύειν, quod est fervere & cum impetu ferri, quando spiritus circa cor effervescere incipit. Hinc Ovidius:

Utque animus tumida fervebat ab ira.

Lib. 3. Et Lucretius:

Mens iracunda facilè effervescit in iram.

Item apud Ciceronem 3. Tuscul.

Corque meum penitus turgescit tristibus iris.

Hercul. furent. Et Seneca: *Ira totus fervet.*

§ 3. Hepatis verò qualis est conditio, tales generantur humores, à quorum prædominio denominantur differentiæ temperamentorum, quæ affectuum matrices quædam sunt, & mineræ. At

Biliosorum ira. inter reliquas temperaturas biliosa maximè obnoxia est huic malo propter aptitudinem acrioris sanguinis, qui facilè inflammatur.

Satyr. 5. quod Persius etiam intellexit, dum ait: Intumuit *sub pectore bilis*.

Satyr. 2. Merc. Item: Acri bile tumet. Et Plautus: Mala *bilis cruciat. Etenim* qualis in jecore conficitur sanguis, tales in corde gignuntur spiritus, quibus animi vis θυμοειδὴς affectiones parit, prout imaginatrix objectam speciem opinione in nobis aut boni aut mali tum præteriti tum futuri æstimarit.

ἀκρόχολοι. § 4. Hos Aristoteles dictione medica vocat appositè ἀκροχόλους, quòd ex summo bilis impetu supra modum celeres *sint ad iram*, quæ tamen propter humoris tenuitatem non est pertinax aut diuturna, sed citò evanescit, quasi πρὸς ὀλίγον ὀργιζόμενοι. Eosdem Hippo-

ἐξύθυμοι. crates philosophica magis phrasi appellat ἐξυθύμους, vas, *etiamsi* Galenus perperam admodum detorqueat vocabulum *in* Commentariis Epidemiorum ad velocem quidem iram, *sed quæ* aut imbecillitate judicii, aut frigidiori intemperie cordis eveniat, proposito exemplo excandescentiæ muliebris: nam veteres ἐξυθύμους intellexerunt homines vehementer iracundos, & levi de caussa, quales videmus esse Gallos.

§ 5. Verùm hoc loco repudiari debet inveteratus multorum error, qui materialem iræ caussam putant solam bilem, adeò ut apud Latinos bilis pro ira, & biliosus pro iracundo usurpetur, *eadem* licentia, qua apud Græcos χολὴ & χολικὸς. Occasiones autem *plebeiæ* persuasionis sunt duæ. Una, quòd irati quandam bilem flavam

vam evomant: quæ tamen ex magna animi commotione ad expulsionem irritatur, folliculo fellis forsitan etiam turgido. Ioannes Fernelius scribit, senem quendam decrepitum mirè ad iram propensum: post cujus discessum nihil fellis inventum, nec cysin felleam, sed ejus in loco ingentem consedisse calculum. Ex ejus enim obstructione universa bilis in ambitu venarum remansit, & proinde facilius ad iram inflammavit. Altera, quòd temperatura biliosi deprehendantur in iram procliviores. Conceditur quidem, iracundiæ fomenta provenire à bile, non tamen biliosos necessariò esse iracundos. Nam præterquam quòd aliæ etiam internæ sint caussæ iracundiæ, multa animalia comperiuntur iracunda, quæ minimè interim biliosa: ut in maximè iracundis animalibus, crabrone videre licet, & angue, quem frigidi esse temperamenti, desiderium apricandi in ipso solstitio, tum unanimis authorum consensus testatur.

§ 6. Quòd si ex sanguinis & bilis adustione melancholia proveniat, & in sicco calor accendatur, vehementissima & tenacissima exoritur irascendi affectio, quæ propriè iracundia dicitur. Etenim si actiones cerebri intuearis, quum propter siccitatem pauciora impedimenta inter intellectum & species servatas interponantur, quibus actus intellectus ab ipsis disjungi possit ac oblivio surrepere, fit ut opinionem injuriæ diutius retineant, & proinde obstinatius in iracundia perseverent, unde etiam truculentiores manant effectus: si consideres dispositionen cordis, quò illud magis declinat ad siccitatem, eò erit non quidem velocior ira, sed magis fera, & atrox. Sicuti enim ferrum natura siccum & durum tardè accenditur, accensum autem haud facilè restinguitur, ob calorem diutius retentum: ita etiam cor siccum non illico excandescit, sed ubi excanduit semel, non tam promptè mitigatur. Sic & fibræ ex sententia Aristotelis solidæ terrenæque, quasi fomenta in sanguine efficiunter, & fervorem per iram accendunt. *Melancholici ex sanguine & bile adusta, ira. Iracundia.*

§ 7. Eam iræ speciem Homerus vocat μῆνιν, hoc est χόλον ἐπιμόνον, permanentem & diuturnam, ἀπὸ τοῦ μένειν: quæ etiam apud eundem appellatur κότος vel χόλον, à κεῖν seu πέψεως, quasi ira reposita ἀποκείμενον τηρουμένη εἰς τιμωρίαν, ultionis occasionem expectans. Tenacem Ovidius, implacabilem Virgilius, immedicabilem Silius vocat. Quocirca Aristoteles sic affectos apellat πικρούς, amarulentos & acerbos homines, qui offensiones dissimulant, non quòd affectibus *1. de Ponto eleg. 10. In Culice. Lib. 2. 4. Ethic. cap. 5. πικροί.*

 suis

suis evaserint superiores, sed quòd illorum effectus & immanitatem tantisper suspendant & celent, quoad tempus ulciscendi injuriam advenerit. Animum autem si expleverint semel, tum modus apponitur. Ultio enim modum finemque iræ adhibet, pro dolore voluptatem efficiens. Sub hoc catalogo comprehenduntur Italorum, qui in plures annos injuriæ opinionem reservant, offensiones, quæ tandem in monomachias, aut fraudelenta, & per insidias machinata suorum sicariorum latrocinia, erumpunt.

Melancholicorum ira. § 8. Porrò qui ab atræ bilis exuperantia temperaturam sortiuntur, omnium sævissimè & asperrimè irascuntur. Sicuti enim humor atrabiliarius propter sui crassitiem & fæculentiam ægritudines excitat longas & solutu contumaces, exemplo quartanæ & scirrhi lienis: ita etiam in talibus subjectis procreantur spiritus densi, compacti & refractarii, qui affectus semel conceptos ægerrimè dimittunt, etiamsi vindicta potiti sint. Unde fit, ut ubi semel abolitam & extinctam in iis existimaveris injuriæ opinionem, & proinde ejus memoriam jam esse sepultam speraveris, iterum tamen vulnus recrudescat, & in corrodens furiosumque convertatur carcinoma, non secus quàm cancer, qui morbus est atrabiliarius, exacerbatur denuò, si adhuc aliquid radicis sit reliquum, nec sua contentus circumscriptione, latius depascitur totam quoque viciniam. Idcirco Aristoteles vocat tales χαλεπούς, διὰ τὸ χαλεπαίνειν, addita descriptioni hac etiam conditione, quòd difficilis & periculosæ sint conversationis: quod propriè, sine tamen nationis invidia, in Hispanorum sævas & inexorabiles quadrat indignationes. *Ira plumbea, Saturnina.* Lubet autem hanc speciem iræ nominare plumbeam, imò elegantiori epitheto Saturniam: ex qua proserpit immanitas & truculentia tyrannorum, omniumque eorum qui unquam crudelitatem exercuerunt, quorum hodierna facinora vindictam coram justo tribunali Christi clamant.

§ 9. Quòd si melancholia in frigiditatis & siccitatis prædominio consistat, morositas accersitur, quæ ætati senili peculiaris est. Nam quum frigus nec citò moveatur, nec facilè inflammetur, ignavius iram concipiunt senes, conceptam tamen difficilius deponunt & ferè illud habent adnexum, ut non magnopere laborent, ne quem offendant, ac intractabiliores sint.

Pituitosorum ira. § 10. Pituitosi præ exuperantia crudi & frigidioris sanguinis, non tam facilè queunt discernere, quid noxium quidve innoxium,

xium, propter inter labentem humiditatem inter species & vim intellectus. Unde quidam irascuntur facilè: sed hujusmodi ira nec vehemens est propter defectum fomenti à calore provenientis, nec diuturna propter interfluentem humiditatem aut excrementitiam aut naturalem, quæ in memoria abolet injuriæ opinionem. Et quidem tales solent esse puerorum offensæ.

§ 11. Sanguineorum natura ab optimo, quod dari potest in rerum universitate, temperamento dependet, atque idcirco suapte vi in iram minimè est prona. Ex siccitatis enim victoria proficiscitur ira: sanguinei verò calidissimi sunt & humidi. Quòd si tamen contingat sanguineum irasci, quod rarum non est, occasione externa utplurimum incitabitur, per quam ὀργητικὴ animæ potentiæ spiritus cordis accendit propter appetitum depellendi indignitatem objecti, ac in tali affectione deprehenditur sæpenumero quædam nobilitas conjuncta cum magnanimitate, quando ulciscendi voluntas minor est ipsa & facultate & occasione & injuriæ censura. Quare hanc speciem sine latinitatis detrimento appellavero generosam: de qua etiam illud Romæ ad basilicam D. Petri ab effectu & sub figura bruti animalis extat testimonium: *Sanguineorum ira.*

Parcere subjectis nobilis monet ira leonis.

§ 12. Alterum de internis iræ causis membrum pertinet ad debilitatem judicii, quando potentia animosa validior dominatur infirmæ ratiocinanti virtuti. Ea enim intellectus vis, quæ Ratio vocatur, hanc obtinet proportionem ad facultatem θυμοειδῆ, quam sessor ad equum, & venator ad canes. Etenim quemadmodum sessor moderatur equum, ac venator canes: ita à ratiocinandi uirtute animosam vinci deceret, quanquam id non semper accidat. Equus siquidem robustus & contumax esse potest, ac sessor imbecillis: ideoque ne sessorem equus superet, ac infirmum venatorem insolentes mordacesque canes sibi subjiciant, periculum est. *Debilitas judicii interna iræ causa altera.*

§ 13. Ratio autem potest in dijudicando delinquere aut vitio congenito, aut adventitio. Congenitum vel perseverat tum in sanis, ut mulieribus, quæ exacerbantur & levi de causa, & vehementissimè. Unde Iuvenalis: *Satyr. 6.*

—— quoties facit ira nocentes
Hunc sexum, & rabie jecur incendente feruntur
Præcipites, ut saxa jugis abrupta.

tum in malè habentibus: ut in stultis ac fatuis, de quibus Salomon dicit, *Prov. 27.*

dicit, Saxum esse grave, & arenam onerosam, sed iram stulti utroque graviorem. Vel mutatur unà cum decursu ætatis: ut in pueris, qui accedente rerum usu & experientia, discunt potentiæ animosæ imperare.

§ 14. Vtraque autem ira, quæ & in pueros & in sexum fœmineum cadit, id habet commune, quòd ut plurimùm cum lachrymis effundatur, propterea quòd ab ebulitione sanguinis & spirituum elatæ fuligines excrementitiam cerebri humiditatem dissolvant & ad oculos protrudant. Huc etiam facit cohibita irascentium fœminarum respiratio, cujus adminiculo fictas ut plurimùm lachrymas extundunt mulieres, necnon eorum qui ingentes unico haustu calices evacuant, oculi illachrymantur. Adventitia verò judicii debilitas provenit ex spirituum animalium, qui tanquam fomenta sunt animæ in corpore vivente ad actiones edendas, diminutione: ut in ægris & convalescentibus, qui ut plurimùm in iracundiam propensi, & morositate sua fastidium præbent cæteris. Ad hanc à plerisque referuntur classem ii, *qui longiorem* inediam & sitim patiuntur. Siquidem tales ex *levi occasione* maximè perturbantur, & sæpe ad furorem usque: quod etiam in famelicis lupis apparet qui hybernis temporibus quando nivium frequentia & asperitas frigoris denegat escam, in omnes passim obvios, insatiabili truculentia insiliunt. Hoc autem potius effervescentibus ob longiorem inediam & sitim, sanguini & spiritibus imputandum.

Vitium instrumentorum tertia interna iræ caussa.

§ 15. Tertiam ponimus caussam iræ internam, vitium instrumentorum quæ sensui inserviunt. Nam quum natura & ad animæ perfectionem, & corporis commoditatem, sensus in nobis crearit, quibus objecta phantasmata aut bona aut mala per αἰσθητήρια ad intellectum deducuntur: indignamur, quando nobis aliquid accidit quod erat fugiendum, & eo privamur quod fuerat percipiendum: quoniam tunc obrepit injuriæ ab aliis illatæ opinio, propterea quòd destituti sensoriorum ministerio, citius falli queamus: unde vitio auditus surdastri facilimè offenduntur, quia suspicantur alios de se loqui, si rideant, aut alienum oculis exhibeant affectum: quemadmodum etiam visus læsione, si cæcus cadat, propter interjecti lapidis opinionem irascitur.

Animi impetus.

§ 16. Quartum & postremum locum caussarum iræ interiorum constituunt animi impetus, qui aut boni sunt, aut mali: ac

inter

inter priores odium injustitiæ & malefacti potest ad iram concitare sine ulla cupiditate ultionis. Ita parens filio irascitur, Deus hominibus: & hoc quidem respicit dativum rei, ac non personæ: quoniam Deus non potest irasci hominibus, tanquam creaturis suis ad sui similitudinem fabricatis, & quasi particulis divinitatis: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, ut D. Paulus ex Arato recitat. sed propter humani generis malitiam. Et donatæ libertatis abusum, adeoque lapsum à priori statu, iram suscipit. Ita etiam ipsi nobis irascimur adversus libidinem & nequam appetitus, quando recta ratio aut ante effectum nostros animos refrenat, aut posteà castigat, adque pænitentiam compellit per intellectus reflexionem ad improbandum maleficium. Ita denique pius purusque animus aliis nebulonibus indignatur propter avaritiam, mendacium, cæteraque crimina. *Act. 17.*

§ 17. Mali affectus maxima sunt iræ fomenta, inter quos principatum obtinet Superbia, quæ aut à suiipsius proficiscitur amore, quæ vocatur Præsumptio, sive φιλαυτία: aut aliorum neglectu. Quod vitium maximè in hodiernos magnates cadit, qui propter externæ & inanis nobilitatis insignia, aut dignitatis alicujus prærogativam, aut eruditionis titulum, subditis ac inferioris sortis hominibus statim irascuntur, nisi cum summa observentur veneratione tum in dictis tum in factis. Deinde naturę succedit ferocia, quæ nec religionis institutione, nec conscientiæ stimulo est mutata: quoniam in quibus ea imperium exercet, ii in iram furiunt: sicuti videre est in priscis bellorum historiis, & recentioribus tyrannorum exemplis, qui tantopere sæviunt, furiunt, trucidant præ naturæ immanitate, ut nullius precibus, nulla magnatum intercessione, nulla viduarum, pupillorum, afflictæque gregis lamentatione flecti aut placari possit velitve. *Philautia.*

§ 18. Postremò immitissima sæpe exoritur ira ob quandam æmulationis speciem, quam Zelotypiam vocant. Etenim quando stamus continuò in alienæ tractationis suspicione, metuque ne de rei amatæ exturbemur possessione, statim indignationem concipimus adversus aliquem, qui videatur esse in caussa, quòd aut non redamemur, aut sinistri quidpiam evenerit eventurumve sit rei amatæ. Sic pater propter novercam quam vehementer amat, sic mater propter vitricum morosior redditur in liberos, quòd continuò suspicetur aliquid eos moliri in fraudem vel novæ conjugis *Zelotypia*

vel mariti, adeò ut excæcatione amoris abigenda sit è domo prioris thori soboles: vel contrà, ubi nimia, paternæ hæreditatis cupidine turgentes liberi, vitrico vel novercæ impotentius succensent alicujus bonorum imminutionis metu, sæpe licet inani. Aut verò, quando ejus quod amamus fruitione vel careamus, vel destituamur: ad quem modum proci in suos rivales implacabiles suscipiunt offensiones, quòd ab iis impedimenta sibi strui existiment: cujus luculentum habemus exemplum in Ænea, qui propter *Laviniam* adeò erat accensus in Turnum, ut cruentum susceperit bellum.

Adversitas fortunæ externa iræ caussa.

§ 19. Alterum partitionis nostræ caput subsequitur, quod à caussa externa nobis movet opinionem injuriæ, & irascendi occasionem præbet respectu aut personæ aut rei. Ac quidem sub titulo rei primùm comprehenditur adversitas fortunæ: quam in duo possumus distinguere membra, in indigentiam & damnum. Porrò qui eapropter commoventur, quòd re careant desiderata, vel pauperes sunt, vel divites. Hi propter abundantiæ *defectum exacerbantur*, quòdque plus quàm necessaria exoptent: *& hoc crimen* est avaritiæ, cui in ordine virtutum opponitur αὐτάρκεια. *Illi* econtrà ob rerum necessariarum inopiam irascuntur: quod fit vel cum desideratione bonorum alterius, quæ species est invidiæ: vel citra hanc.

Indignatio ab indignitate.

§ 20. Propter damnum verò gravissimè offendimur: quoniam optamus idipsum depellere, quod ex injuria accidisse arbitramur: & possumus hanc animi commotionem vocare indignationem ab indignitate. Siquidem indignum judicamus, quòd quum aliis ex voto omnia succedant prosperrimè, nos soli fortunæ procellis divexemur. Itaque quia in fœlicitatis possessione nostram collocamus αὐτάρκειαν, & quidem ea in triplici fundetur dispensatione bonorum, irascimur quando ab ea deturbamur, & quòd nostræ cupiditati occurrant obstacula.

§ 21. Ita quoad corporis dotes, indignamur, si aut in viribus desideretur robur, quo utendum foret ad sustinendos labores divitiarum auctores: aut doloribus membra conflictentur, quo minus jucundè edere queamus consueta vitæ munia: aut si vel in figura justa sit vitium, ut si quis claudus sit, gibbosus, nanus, vel ineleganti forma: veluti si juvenis superbior destituatur pulchritudine, irascitur iniquæ nativitati, quòd scilicet tam excelso animo

mo injuriam arbitretur factam privatione formosi domicilii. Ita quoad defectus externorum bonorum, nos offendit, si tum in opibus quibus caremus, acquirendis impedimenta incidant, tum eas quas habemus, miserrimè per naufragium, direptiones, astum, mercaturæ imprudentiam, seu alias infortunii species amittamus. Eadem ratione, quum non minimam μακαρισμοῦ, seu potius mortalis conditionis respectu εὐδαιμονισμοῦ opinionem contineant honor, gloria, dignitas: si iis bonis contingat aut nos carere, aut privari, indignamur vehementissimè. Ita demum paupertas dotum animi nos extimulat ad iram, quando aut ingenium non respondet cupiditati edendi præclara facinora, aut quæ didicimus abolentur infidelitate memoriæ, aut similes nobis obrepunt adversitates.

§ 22. At verò sub titulo personæ nobis extrinsecus præbentur occasiones ad iram vehementes, quæ plerunq; etiam habent adjunctam ulsiscendi voluntatem. Et primum quidem obtinet locum contemptus. Is enim quum sit censura de re viliori, ægrè ferimus nos parvifieri, opinione factæ injuriæ: ἕκαστος γὰρ ἑαυτῷ βούλεται τἀγαθά, ut utar philosophi verbis. *Contemptus.*

§ 23. Tribus autem modis contemnimur: aut despectu, aut detractione, aut contumelia. At verò despicimur, quando nihili nostra fiunt. idque accidit vel à superiori, & vocatur Dedignatio, quum quis aut excelso loco natus, aut in ampla dignitate constitutus, me pusillum vix aspicit: vel ab æquali, quemadmodum figulus in figulum, mendicus in mendicum accenditur: vel ab inferiori. Sic dives præcellens opibus irascitur pauperi, magistratus valens authoritate subdito, magister discipulo, parens filio, si non justū consequantur honorem. Proinde despicationis soboles est tum Neglectus, quando nulla prorsus mei habetur ratio, sive in bonam partem, sive in malam: tum oblivio vel nominis, vel tituli. Et videtur ratione ethymi vera hæc esse Ignominia: siquidem indicium est, non esse curæ alteri nostram existimationem, quod præ se fert despectum. Deinde nos commovet ad offensiones Detractio, quum cujuspiam instituto & voluntati quis impedimento est, non ut sibi quicquam accedat emolumenti, sed ne ut illi quidem, imò quod aut habet auferatur, aut quod expectat eripiatur. Postrema contemptus species est contumelia, ad irritandos animos valde efficax, & proserpit plerunq; tum ex ingratitudine, quando à me sive meorum aliquo, sive propter me collatum est beneficium in aliquem, qui vel non a- *Dedignatio.* *Neglectus.* *Ignominia.* *Detractio.* *Contumelia.*

gnoscat gratiam, vel non referat, vel maleficium pro exhibita beneficentia rependat, quod multò est intolerabilius, & *ab ira* quandoque ad furorem homines agitat. Quæ enim major judicari potest injuria, quam ab eo lædi, de quo præclarè meritus es? Hinc etiam fit, quòd cùm eadem sit pars animi, teste Aristotele, in qua irarum ardor consistit, quæque amicitiam gignit, magis *illa* in familiares & amicos concitetur, si se contemptam putet: quasi maxima nobis detur irascendi occasio, si à quibus auxilium & opem expectabamus, ab iisdem negligamur.

§ 24. Tum quoque contumelia manat ex derisione sive seria, quæ adumbrata quædam est ira: sive jocosa, quæ scommata, ironias, & omnes joci species comprehendit. sic offendimur, si quis derideat meum clypeum, nomen, familiam. Tum denique *pro*ficiscitur ex vituperatione. Vituperamur autem vel ab amico, vel ab inimico. Amico infensi reddimur, si nos arguat, *præsertim* si eidem sit crimini obnoxius: quin etiam si incul*pabilis ipse sit*, tamen offendimur, vel eam ob caussam, quòd *non conniveat ad nostra* delicta. Inimico autem irascimur multò magis, *quòd nos car*pat aut vituperet.

Antipatheia. § 25. Vltimam à re externa irascendi occasionem suppeditat nobis antipatheia quædam in rebus tamen nihil ad nos pertinentibus. Quemadmodum si duos spectemus in singulari certamine ignotos omnino, tamen unum simplici ac æquabili adfectu amamus, non propter expectationem alicujus commodi: in alterum exacerbamur, adeo ut si victoria potiatur, cupiamus prioris vices ulcisci. Ac sanè videtur istud evenire ex morum similitudine & inæqualitate. Nam quod secundum naturam est, jucundum est, omniaque genere inter se conjuncta, secundum naturam conjuncta sunt, teste Aristotele. Idcirco utplurimùm, quæ similia sunt, ac genere conjuncta, jucunda sunt: ut homo homini, equus equo. unde æqualis æqualem delectat, & simile à simili amatur, & bellua belluam cognoscit. Quare etiam, quum contrariorum sit eadem ratio, si in illis quos antea non vidimus, physionomia aliquam repræsentet morum alienationem & diversitatem à nostris, offendunt nos omnes actiones, & huic malè cupimus irascimurque quum tamen alteri faveamus. Hactenus de causis Iræ, *in quarum* calce pleraque etiam problemata Lectori non ingrata *adjun*gere libuit.

§ 26. Cur

§ 26. Cur in iram procliviores senioribus juvenes? An ne partim quòd in illis judicium maturius exercitatiusque existit, quod in his imbecillius: partim quòd in senioribus cordis fervor & spirituum acrimonia & vivacitas imminuatur declinetque bilis item pituitosi humoris accrescentis admixtione contemperetur? *Problemata quadam huc faciuntur.*

§ 27. Cur praeclari ingenii atque insignis doctrinae viri omnes ferè in iram proni? An'ne in iis spiritus cordis calidiores vivacioresque, & continua exercitatione igniti magis redduntur, ut inde celerius ad cerebrum provolent, motusque ejusmodi excitent? Sensit itaque Plato, eos qui iracundioris sunt ingenii, ad disciplinas quidem esse idoneos, ad gerendam rempublicam non item. *Philostratus in Soph.*

§ 28. Cur liberae gentes iracundae, ut Germani & Scythae? Respondet Seneca, quia fortiora solidaque natura ingenia, antequam molliantur disciplina, in iram procumbunt magis: sed meo potius judicio, quòd frigus externum cogat intropellatque naturae calorem in viscera & cordis sedem, unde ira, confidentia, audacia & quandoque temeritas.

§ 29. Cur plerique rarò vel nunquam succensent? An quòd frigidioris sint temperamenti: vel abnegatione suiipsius eò progressi sunt, ut nullam admittant vel sentiant injuriae opinionem, aut libenter remittant: vel quòd recta institutione seipsos vincere didicerint: vel quòd stolidi sint, & propterea judicio careant, & ad injuriam insensiles immobilesque?

§ 30. Cur iracundi citius calvescunt? An ob constitutionem corporis, cui caput consentit, siccam, quae calvitiei occasionem subministrat?

§ 31. Cur nostratibus usurpatum vulgò proverbium, iracundos non esse proditores? An'ne quòd iracundi non agant fraude? siquidem haec consilio indiget. Minimè autem quae per iram fiunt, consultò fieri, vel ex eo intelligi potest, quòd majore ad agendum contentione impellit haec perturbatio, quàm ut rationes participi consilio & voluntati pareat. Quum enim ira conjuncta sit cum aegritudine, cogitationi & rationi vix ullus relinquitur locus, teste Aristotele. Proditiò autem requirit faudem, quae absque consilii subsidio in actum deduci nequit.

De signis Iræ.

SIGNA iræ vulgarium quidem judiciorum suffragiis viderentur comprehendi sub effectuum catalogo: sed mediam tamen inter illos & suas caussas sortiuntur naturam, imò à centro medietatis subinde ad caussarum vicinitatem magis declinant. Exemplo sint omnes Iræ differentiæ, quæ non comitem habent effectum. Quoties enim irascimur sine vindicta, sine talione, sine tristi aliquo eventu? Proinde statuamus, ut indicia aliqua sint communia omni speciei Iræ, quædam saltem ex differentiis caussarum suam peculiarem obtineant proprietatem, alia gestibus exprimantur.

Communia. Iræ signa. Pulsus. § 2. Atqui inter communia illud est perpetuum, quòd pulsus iratorum alteretur, etiamsi nihil alienum appareat *in exterioribus* gestibus. Neque mirum: quum enim cor sit *sedes affectuum animi*, prout illi scintillant, insurgunt, deprimuntur, *eatenus etiam* sanguis & spiritus effervescunt & commoventur, dispersis per arterias notis impressæ mutationis: quemadmodum satis constat ex memorabili historia Galeni, quum ex arteriæ contrectatione mulierem observaret Piladis amore captam. Pulsus, eodem teste, *non* modò magnus & vehemens iratis, sed quàm maximus, vehementissimus: mihi verò in illis omnino varius inconstansque, nunc durus & magnus, statim velox & palpitans, postea exilior, sed tamen semper inæqualis, prout perpensiones apparentis injuriæ dominantur vel incremento, vel statu, vel diminutione, vel redintegratione. Unde etiam alterum Iræ perpetuum indicium emergit, nempe manifesta anhelitus compressio. Nam interea dum occupatur animus in meditatione, quomodo injustum aut arcere aut vindicare queamus, quiescit aliquandiu motus respirationis, & spiritus retinetur adeò, ut ad nos redeuntes, videamur sentire inflationem hypochondriorum, & suffocationis quandam speciem.

Lib. de præcognit. ad Posth. 1. de dignosc. puls. 1. de causs. puls. Synop. cap. 32.

2. Metamorph. § 3. Idcirco Poëtæ iram describunt tumidam, mutuati procul dubio epitheton ab hoc accidenti. Ita Ovidius:

Intu-

Intumuit Iuno, postquam inter sidera pellex
Fulsit. ——

Hinc etiam apud Græcos, ἐν τῇ ζύμῃ κεῖσθαι dicebantur, qui ira turgerent: quod Latini interpretati sunt, in fermento jacere: sicuti videre est apud Plautum, Uxor tua in fermento jacet, pro eo quod est, intumescit ira. Fermentum enim & acorem habet, & tumorem concitat. *In fermento jacere.* *In Mercat.*

§ 4. Alia signa, quæ à diversitate caussarum dependent, vel potius ab Iræ effectu, exprimuntur sensum exteriorum significatione, intercurrente tamen temperamentorum varietate. Itaque quantum ad irati hominis visum, oculi in constitutione licciori & biliosa, velut in viris robustis, sunt truculenti, & spirantes quandam malignitatem, nunc fixi, nunc variè mobiles. unde Persius: *Signa à diversitate caussarum.* *Satyr. 3.*

Nunc face supposita fervescit sanguis & ira,
Scintillant oculi, dicisque facisque quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

In humidiori verò, & quæ ad declinandam injuriam impotentior est, sunt humidi & lachrymis obfusi: sicuti in mulieribus & pueris. Quamuis enim iram satis vehementem concipiant debilitate judicii, tamẽ quia animadvertunt, justis se destituti ad rebellandum armis, conantur fletu æstimationem injuriæ vel eluere, vel mitigare.

§ 5. porrò in usu linguæ & oris triplex est varietas. Aliqui enim profusè & præcipitanter garriunt & effutiunt quicquid in buccam venit, neglecta rationis dictatura: quo nomine innotuerunt Galli, & inter illos maximè Normanni, qui longo tempore & multum ganniunt, antequam ad pugnam deveniatur. Alii tum quia mens conturbata, tum quòd lingua sanguine inflata sit & turgida, in eloquendo admodum sunt inplicati & titubantes, non aliter quàm si vinculo linguam haberent constrictam, ut non possint ea proferre quæ occurrunt. In hoc utrique conveniunt quod sermones omnino sunt inpediti, & vacillent sine ordine, sine voce sonora, sine judicio: & solùm probra, contumeliæ in proximum, dejerationes, blasphemiæ in Deum, & dissolutæ scopæ futilium inaniumque verborum audiantur. Postremi tacent prorsus, non alia exhibita iræ significatione, quàm quòd labra mordicent. Tales apud Græcos dicuntur ἐσθίειν τὰ χείλη, hoc est, comedere labra. Sic Aristophanes in Vespis: ὑπ' ὀργῆς τὴν χελώνην ἐσθίων· hoc est, labra comedens præ iracundia. Sic Homerus: οἱ δ' ἄρα πάντες ὀδὰξ ἐν χείλεσι φύντες: *Varietas in lingua.* *Comedere labra.* *Odyssea v.*

id

id est, ast si labra suis presserunt dentibus omnes. Ea autem nota testatur tenacissimam offensionem, & vindictæ omnino cupidam: familiarisque est Italis & Hispanis. Videntur enim compressione labiorum tanquam freno velle linguam cohibere, ne verbis erumpat in eam apparentis indignitatis ultionem, quam ipsi facto exequi conantur, quæsita saltem ad rem gerendam & loci & temporis majori opportunitate. Ab iis longè dissident mores Germanorum, utpote qui plerunque non diu masticant aut in pectore fovent offensiones, sed generosiori quodam impetu apertè ad arma statim provocant adversarium, satiati sanguinis profusione, non vitæ spolio: arbitrantur enim, hac ratione honori suo satisfactum si hosti vulnus infligant citra internecionem.

Signa iræ ab auditu. § 6. Ab auditu etiam certum desumitur argumentum hominum iratorum. Non enim auribus admittere volunt ejus ullam excusationem, à quo se læsos autumant: imò quò quis amplius rationem reddit suorum aut factorum aut dictorum, eò magis exacerbantur, ut nulla potius re, quàm silentio queant placari. Quando etenim alter tacet, victoriam sibi cedere persuasum habent.

Signa ex facie. § 7. Proximum locum in signorum serie vendicat sibi contemplatio faciei ejusque partium: in qua considerandum, quòd quædam species Iræ conjuncta est cum audacia vel fortitudine, alia verò cum metu vel formidine. In priori, præsertim accedente sanguineo temperamento, facies rubet, venæque turgent, adeò ut in nonnullis vena frontis ferè ad minimi digiti crassitudinem intumescat. Nam in ira calor diffunditur, unde Virgilius: *9. Æneid.*

Ignescunt iræ. ——

Falsum itaque est & absurdum, quòd M. Cato ait, Militem in aggressione pugnæ perfusum rubore significationem dare ignaviæ suæ. Tantum enim possidet sanguinis, ut is etiam erumpat auxilium laturus aut musculis ad infligendum ictum, aut pedibus ad persequendum hostem, aut linguæ ad invehendum, aut aliis instrumentis ad nocendum vel amovendum. In posteriori verò, existente præcipuè subjecto exucco, pallor faciem occupat: & ista quidem nota indicat maligniorem iram, sed quæpropter impotentiam sæpius effectu frustratur.

Signa ab interioribus sensibus. § 8. Huic etiam partitioni vicina sunt illa signa, quæ ab interioribus sensibus desumuntur. Vigilia siquidem homines iratos torquet maximè, ut tum sedeant in lecto, tum surgant, tum ambulent, situ

situ in momenta mutato propter inquietudinem : ac si aliquando succedat somnus, ille est mirificè interruptus occursu terribilium insomniorum, quæ repræsentant aut hominem præsentem, aut nos jugulari à latronibus, aut dæmonibus circumdari, aut enormibus periculis obiici, aut in duelli lucta ancipitem exspectare eventum. Et illud sanè nobis cum brutis propter sensus communis participationem est commune. Canes siquidem ex repræsentatione inanium simulachrorum in somno, in latratus erumpunt. Pergamus ad phantasiam. Ea nullibi securitatem invenit, nullam sibi promittere audet, omnia sibi suspecta & invia opinatur. Etenim primùm homo iratus gravissimè erga illum est affectus, à quo arbitratur se læsum aut suos : deinde aliis, qui adversarii caussam defendunt, aut emollire student, nec ejus exacerbationem approbant, longè gravius irascitur, atqui hoc propter conceptam saltem injuriæ opinionem. Nihil opus est de cogitatione irascentis animi addere. Patet etenim, quomodo talis suas deliberationes ventilet, nunc in considerationem sui honoris, illico utilitatis æstimationem, rursus in sui hostis detrimentum. Nihil etiam de judicio. Prudens enim vir, interventu iracundiæ, commutat honestum cum turpi, utile cum inutili, bonum cum malo, justum cum injusto, excæcatus omnino sævitia & magnitudine tam victoriosi affectus. Nihil de memoria. Etenim hæc ita est obnubilata, ut iratus in meram provolvatur oblivionem & necessitudinis omnis per consanguinitatem vel affinitatem confirmatæ, unde filius patrem, frater fratrem, maritus uxorem aut asperioribus verbis excipiat, aut cædat, aut quandoque etiam interficiat : & voti juramentique præstiti, ut erga Deum proximumque fidem violet : & denique omnium officiorum, quæ in hac mortali conversatione alter alteri debet.

§ 9. Postrema indica iræ à gestibus variis depromuntur, quorum infinitus est & incertus numerus, pro diversitate offensionum, & constitutione eorum qui afficiuntur. Atqui inter illa nihil frequentius apparet colli nictatione, qua vindictam minantur, quanquam ea non semper consequitur. Pueri namque hoc indignationis signo perpetuò utuntur : sed vana est sine viribus ira. Qui ita capite nictant, ferè adnexum habent, ut pileum in unam saltem capitis partem, lævam dextramve figant, vel continuò huc illuc torqueant, variato in momenta positu. Ejus loco adultiores *Signa à gestibus variis.*

aut indice sursum extenso, verùm plerunque eminus, aut pugno cominus testantur vindicandi voluntatem: aliqui pollicem dentibus interserunt, sicut Itali, in significationem præcipitis talionis, sed in aliam occasionem prorogandæ: nonnulli efflatum frequentius repetunt, ac si febriculosi forent, vel interno æstu flagrent: alii in terram dejiciunt impotenter pileum, aut quicquid in manibus continent, conculcantque qui mos à plurimis fœminis observatur: detrahunt enim sæpe suas vittas & operimenta capitis. Quidam vestimenta dilacerant: plurimi è terra saliunt, quod argumentum est velocis iræ, veluti apud Gallos sæpe conspicitur.

Signa ab ætatibus & temperamentis.

§ 10. Ætates etiam ac corporis temperamenta gestus & motus quosdam peculiares habent: sic pueri calcitrant: sic mulieres unà cum convitiis sæpius expuunt instar felium: sic in iratis senibus, & qui apoplexiæ obnoxii sunt, labrum inferius tremit, & quandoque totum corpus: sic in cholericis spumat os. Unde Ovidius:

3. de arte amand.

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sævius angue micant.

sic melancholici aut palpitationem cordis patiuntur, aut intra se loquuntur: sic pituitosi & frigidiores, veluti mulieres, manus complodunt, & ferè hoc signum cum tristitia conjunctum.

A variis vitæ institutis.

§ 11. Quinetiam à variis vitæ institutis iratorum gestus proprietatem quandam sortiuntur. Miles enim ad conflictum, jureconsultus ad forenses lites confugit, principes aversantur faciem ab iis quibus sunt infensi: & ut paucis omnia complectar, quot iræ differentiæ, tot conspiciuntur tragici gestus. In hoc omnes irati conveniunt, quòd inter comedendum appareant ex perturbationis dominatu inciviles. Videntur enim non masticare, sed avarè cibum deglutire, & potum affatim ingurgitare, non aliter quàm si nequeant satiari, Signa autem fusius explicata, in unico irati hominis monstro postea depicto in Curationis Philosophicæ capite sexto contueri licet.

De Effectibus Iræ.

IRAM perturbationum omnium esse atrocissimam, & fœcundissimam infinitorum malorum matrem, quæ naturam hominis in truculentam commutet feram, manifestum est. Quamvis etenim perturbatio quævis aciem mentis & judicium omne ob-

obscuret: tamen ira caliginem longè densiorem offundit, ut nec verum, nec utile, nec honestum cernere queat. Verè inter μονοστίχοις Menandri: οὐδὲν μετ᾽ ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται. haud tuta capi consilia in ira queunt. Item: ὀργὴ πολλὰ δρᾶν ἀναγκάζει κακά· mala perpetrare ira cogit plurima. Rectè parentem inimicitiæ & odii appellat Aristoteles: & alibi rem impetuosissimam ad aggredienda pericula. Consternationis certè plenus affectus, ac nunquam sine tormento sui violentus: quia dolorem ubi inferre vult, patitur, sæpenumero amara sollicitudine, ne non succedat ultio, anxius, & merè ἑαυτοντιμωρούμενος. unde eleganter Claudianus Honorium alloquens: 1. Rhetor. 2. Ethic. Panegyric. in 4. consul. Honorii.

——Si duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges.——

Sic & Ausonius de seipso loquens:

Irasci promptus properavi condere motum,
Atque mihi pœnas pro levitate dedi.

§ 2. In pectoribus humanis graves excitat fluctus, spiritus in cordis arteriis inflammat, sanguinem concitat in venis, cerebrum concutit, nervos convellit, humores exagitat, calorem labefactat innatum, cujus veluti quidam fervor esse videtur, teste Galeno: suum herum pessimè affligit, extenuat, sedulaque carnificina excruciat: arrodit cor, valetudinem vitiat, morbos inducit difficiles, nec rarò immedicabiles: quemadmodum Herculi contigit, morbo sacro ob nimiam excandescentiam obnoxio: item juveni cuidam, cujus Galenus meminit. 2. de caus. puls. 1. de arte. lib. v. de loc. affect. cap. 6.

§ 3. Pernicioso adhæc apoplexiæ insultu quosdam jugulat ira. Sic Wenceslaus Caroli quarti filius interiit, ea lue correptus ex iræ vehementia, quum prandenti nunciatum esset, populum Pragensem obtruncato per seditionem magistratu, ad arcem etiam accurrere, & prægustator se illius rei non ignarum esse ostendisset. Ajacem Telamonis filium in mortem egit furor, in furorem ira, quæ celerrima ad insaniam via est: continuata etenim ejusmodi animi inflammatione, mens aut uligine ista adeò obscuratur, ut non appareat: aut expellitur aliquando, ut nunquam redeat. Ita L. Sylla, dum iræ obtemperat, multo alieno sanguine profuso, ad ultimum & suum erogavit. Puteolis enim ardens indignatione, quòd Granius princeps ejus coloniæ pecuniam à decurionibus ad refectionem Capitolii promissam cunctatius daret, animi Wenceslaus apoplexia ex ira interiit. Ajax. Sylla.

concitatione nimia, atque immoderatæ vocis impetu, convulso pectore spiritum cruore ac minis mistum evomuit, nec senio jam prolapsus, utpote sexagesimum ingrediens annum, sed alita miseriis populi Rom. impotentia furens: igitur in dubio est, Syllane prior, an iracundia Syllæ sit extincta. Proinde neminem ab ira interiisse, perperam Galenus noster sentit. Scanderbeco, ingentis animi ac roboris viro, pugnam ingredienti ajunt è labris, æstuantis indignantisque animi vehementia fissis, multum sanguinis erupisse.

Lib. 2. de cauf. sympt. *Scanderbecus.*

§ 4. Quot insuper tremore; quot paralysi quotidie corripi ira turgentes experimur? quàm multos in ea perturbatione febris impetit, dum spiritus in corde concitati incenduntur, & ob immoderatum motum per totum diffunduntur corpus, dum etiam succi fervent, humores putredini obnoxii exagitantur? Ex ira causo correptum quendam tradit Galenus. Quàm frequenter fœminis ex hoc affectu menstrum profluvium vel turbatur, *vel subsistit? quàm* numerosum animi deliquium, quàm præceps *interitus, quàm* periculosæ in morbis recidivæ? Heu quàm *foecunda multarum* calamitatum parens hæc affectio, quæ sibi exitio quandoque est, eoque hominem plerunque adigit, ut sibi manus injiciat vimque faciat, præter quàm quòd aliquando mortem liberis, egestatem sibi, ruinam domui imprecari comperiatur, amicissimis hostis & sibi, gladiis pugnare paratus & incumbere?

Galen. de cauf. morbo. Lib. 1. de differ. febrium. 4. de rat. victus. 3. Georg. 12. 10. 2. Æneid. Ovi. 6. 5. 7 Metam. 3. de arte aman. 2. & 8. Metamorph. 1. Serm. sat. 7. 3. carm. ode 2. 2. in Ruffin. De laud. Serena epigr. 22. de bell. Got. 7. paneg. Luc. l. 3. 5 Stat. 2. Syl. 6. 5. 3 Theb. Val. lib. 4. 7. Arg. lib. 5. Pall. Syll. lib. 4 3. 2. 8. Sen. Agam. l. Hipp. 4. 1 o Theb. lib. 1. Eleg.

§ 5. Hinc justis suis epithetis ab illustribus notatur Poëtis, ut horribilis, sæva, terribilis, indomita dicatur ira Virgilio: infracta, iniqua, rabida, trux, tumida, violenta, Ovidio: capitalis, cruenta, Horatio: bellatrix, flagrans, immanis, furens, ultrix, *rabie* succensa, Claudiano: acris, acerba, Lucretio. armigera, audax, crudelis, insana, commota, fœda, rapida, Statio: ardens, sanguinea, effera, Valerio Flacco: accensa, fulminea, moesta, mobilis, Syllio: minax, præceps, Senecæ: Fremens, Sidon. Alii aliis adjectivis hujus immanitatem & effectus exprimunt, quibus Stygia appellatur, Phlegethontæa, Tartarea, Cerberea, Bacchans, flammigerans, fulgurans, flammata, scintillans, formidabilis, torva, horrida, infrenis, ferox, hostilis, discors, litigiosa, spumans, sanguinolenta, austera, venenosa, fervida, noxia, vesana, comes *furoris,* expers consilii. Caligantem hinc non immeritò quoque nuncupat Statius, & cæcam Ovidius: quæ sæpe non sinit cernere, quæ aper-

apertissima sunt, & percepta non rarò obscurat. Plutarchus hoc addit, canes vehementiore adversum feras concepta ira, quandoque occæcari. Et alibi ait, iras, quemadmodum canes, cæcas parere criminationes. *Chrysip. apud Plutarch. de virt. morum. In Sympos.*

§ 6. Maximum sanè hoc malum est, & omnia exsuperans vitia quæ paulatim invadunt, quibus etiam aliquid quieti placidique inest: hujus verò repentina & universa vis est, ut cunctos etiam alios affectus sibi subjiciat. Hic totus concitatus affectus, & in impetu est doloris, armorum, sanguinis suppliciorum, minimè humana fruens cupiditate, dum alteri noceat, sui negligens in ipsa irruens tela, & ultiones secum mulctam tractare avidus, ruinis simillimus, quæ super id quod oppressere, franguntur. Avaritiam certè durissimum malum, minimeque flexile ira pessum dedit, adacta opes suas spargere, & domum resque in unum collatas absumere flammis. Quid? non ambitiosus hoc malo detentus magno æstimata projecit insignia, delatumque honorem repulit? Nullus haud dubiè affectus, in quem non ira dominetur. Quum itaque semper ante alios possessorem suum tam variis modis horribiliter torqueat, miror unde Homero & Aristoteli quid melle dulcius huic inesse videri potuerit. Habet fortasse vindicta suave aliquid, efferum tamen & inhumanum: ira nihil nisi amarum habet.

§ 7. Si porrò fusius hujus effectus & damna aliis illata intueri lubet, nulla pestis humano generi stetit pluris. Vedebis cædes & veneficia, atque eorum mutuas sordes & urbium clades, exitia item gentium multarum & Principum: quorum exempla admodum funesta annis retrò paucis in nostra Germania, Galliis, apud Belgas & alibi nimis (proh dolor) conspicati sumus, & quotidie adhuc truculentiora cernimus: item sub civili hasta venalia capita: bona nobilium ac ditiorum, indicta caussa, nequiter exuta, sobole mendicitati prostituta: subjectas testis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, sed ingentia spacia regionum iracunda flamma longè relucentia. Intuere nobilissimarum civitatum fundamenta agnitu difficilia, has ira prostravit: aspice jam nunc tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati: alium ira in cubili suo, quandoque etiam post datam solenniter fidem confodit: alium inter sacra mensæ & nuptiarum ira percussit, alium inter leges celebrisque spectaculum fori lancinavit: aliam filii parricidio dare sanguinem jussit, & ediverso. alium servili manu *Sen. lib. 1. de ira.*

 regale

regale aperire jugulum, & contrà: alium in cruces membra *diffindere*: alium ardentissimum vincere amorem, charissima transfodere corpora, & plerunque in eorum quos trucidarunt, complexibus hærere coegit.

§ 9. Nec sacramenti fideliter præstiti, nec justorum pactorum aut contractuum sanctè habitorum perfida meminit ira: nec reconciliatis parcit, nec ab insontibus tam fœminei quàm *virilis sexus* abstinet, imò in denudata honestarum matronarum uterum etiam gerentia corpora furenter sævit, virginei pudoris corda & tenellæ ætatis interanea horrendè perfodit capitaque findit. O tempora, ô furiæ, ô scelera, impunita, ô inaudita nostri seculi exempla.

§ 10. Adhuc singulorum supplicia recenseo? Quin si libuerit, relictis in quos viritim ira olim, tum etiam haud ita pridem exarsit, oculos converte ad cæsas gladio conciones, & plebem *immisso* milite diriter contrucidatam, & in perniciem promiscuam, totos populos capitis damna passos: nec lubet his pro*lixius immorari*. Quorsum etenim opus, immedicabilium vul*nerum refricta memoria*, cruciatum exacerbare, quum recent*ia etiamnum quotidie* passim infligat ira? quę prę sui impotentia quoque errorem & quæcunque enormia flagitia amat ac tuetur reprehensioni inimica: cui in malè cœptis honestior pertinacia apparet, quàm resipiscentia.

Piso ira furens tres insontes punit.

§ 11. Cn. Piso fuit Senecæ ætate vir á multis vitiis integer, *sed* pravus, & cui pro constantia & fortitudine rigor & tyrannis in animi perturbatione placuit. Is quum ira percitus duci jussisset eum qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad inquirendum, non concessit. Damnatus, extra vallum deductus est, & jam cervicem porrigebat, quum subitò apparuit ille commilito qui occisus putabatur. Tunc supplicio præfectus centurio, spiculatorem recondere gladium jubet: condemnatum ad Pisonem reducit, innocentiam ejus declaraturus: militem etenim fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur complexi alter alterum, cum ingenti castrorum gaudio, commilitones. Trubunal conscendit furibundus Piso, ac jubet duci utrunque, & eum militem qui non occidit, & alterum qui non perierat. Quid indignius, crudelius & magis tyrannicum? quòd unus innocens apparuerit, duo in innocentia plectebantur. Adjecit & tertium in hac commotione Piso. *Nam* Centurionem, qui damnatum insontem reduxit, adduci quoque jussit.

jussit. Constituti sunt in eodem loco innocentes ex iræ inexorabili violentia interituri tres. O solertem iracundum imperatorem, ad emendicandas iniquè furoris sui causas: Te, inquit, duci jubeo, quia condemnatus es: Te quia damnationis commilitoni causa fuisti: Te, quia jussus occidere, imperatori non paruisti. Tria comminiscebatur puniebatque crimina in ea animi impotentia, ubi nullum esset. Prudenter itaque monuit Menander, φεύγειν δεῖ θᾶττον τοὺς θυμουμένους. *Fugiendi domini irati.*

§ 12. Hoc habet ira mali, quòd regi nolit. Succenset, ipsi veritati, si contra suum apparuerit voluntatem: cum clamore, tumultu, vi & totius corporis jactatione, quos destinavit, insequitur, adjectis conviciis, maledictis & mendaciis. Sapienter hinc non minus dictum à Solomone, quàm verè, Iram non habere misericordiam, nec erumpentem furorem. *Prov. 27.*

§ 13. eleganter & ab Ambrosio: Ira sæpe etiam innocentes ad crimen adducit: quia dum justo amplius irascimur, & aliena volumus coercere peccata, graviora committimus, Ideo Apostolus ait: Non vos vindicantes charissimi, sed date locum iræ: hoc est, declinemus eam, ne nos illa corripiat. Unde Dominus Iesus mittens ad evangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga, ut incentiva litis & instrumenta eriperet ultionis. Et alibi: Incentium ad malè operandum aut iracundia, aut cupiditas esse consuevit. *De sancto Ioseph. & habetur 11. q. 3. ira sæpe.* *Lib. de Parad.*

§ 14. Rectè item Hieronymus docet: Quid iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitatum stimulis conscientiæ, ita ab omni consilio & mente deturbat, ut dum irascitur, insanire videatur? Quapropter prudenter à Solomone dictum, Iracundũ designare & excitare stultitiam. Basilius: Ira excitat rixam, rixa parit convicia, convicia ictus, ictus, vulnera, & sæpe vulnera mors sequitur. *Super Iohelem.* *Prov. 14. 15. & 29.*

§ 15. Sed & Gregorius iræ effectus pluchrè prosequitur: Per iram, inquiens, sapientia perditur, ut quid quòve ordine agendum sit, nesciatur. Et alibi: aliquando ira perturbato animo quasi ex silentio judicium dicit, ut qui se foris per linguam non exprimit intus deterius ignescat, ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, & nihil dicendo, quid sit adversus eum, dicat. Ibidem: plerunque per silentium clausa ira intra mentem vehementius æstuat, & clamosas voces vel tacita forma verba sibi quibus exasperetur, objicit, & quasi in causæ examine posita duris *5. Moral.*

exas-

exasperata respondet. Item: Quantæ sit iracundiæ culpa, *pensare* possumus, per quam perditur patientia, ut quid quo ordine sit agendum, nesciatur omnino: quia nimis intelligentiæ lucem ira subtrahit, cum mentem promovendo confundit. Inde: Per iram justitia relinquitur: quia dum perturbata mens judicium sine ratione exasperat, omne quod suggerit, rectum putat. Per *iram gratia* vitæ socialis amittitur: quia se ex humana ratione non *temperat*, necesse est ut bestialiter vivat. Per iram mansuetudo amittitur: per iram concordia rumpitur: per iram lux veritatis amittitur: quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Post: Per iram Spiritus sancti splendor excutitur, qui super humilem & quietum respicere dicitur: quia quum ira suam subtrahit quietem, Spiritui sancto habitationem claudit, cujus recessione animus vacuus ad apertam morum insaniam ducitur, & usque ad supplicium ab *intimo* cogitationum fundamento dissipatur. Adhæc, *aliquando iracundus* manus non erigit, sed in maledictionis *jaculum linguam vertit*: fratris namque interitum precibus poscit, *& hoc Deum perpetrare* expetit. Idem super Ezechielem: Menti furore ebriæ omne quod

Homil.17 rectum dicitur, perversum videtur. Et in Matt. Sicut ligna ignis materia sunt, sic quæcunque loquitur quis in ira, facta sunt esca illius. Item: Coërceri omnino nequit animus prava semel voluntate vitiatus: quia zelus sapere nescit, & ira consilio caret. *Et* 31. Moral. Ira peccatum est capitale, uti vitiorum caput, eò quòd sit in corde tumor mentis, quo injuriam sibi fieri, indignum judicat iratus, & quo varias vindictæ rationes architectatur, vel etiam quo capitalem meretur pœnam. Hinc & in septem peccatorum mortalium numero illa recensetur.

In Matt. cap. 3. homil.10. § 16. Quam verè igitur Chrysostomus ait: Nihil est ira ac temeritate deterius. Hæc nanque est quæ & turgidos inflatosque facit, & degeneres ac serviles, altero ridiculos nos reddens, altero verò invisos: contrariaque in unum vitia conjungit, adulationem

cap. 3 homil. 25. stultitiæ copulando. Et in Ioan. Ira vehemens ignis est, omnia consumit, quippe quæ corpus consumit, animam coinquinat, tristitiam adfert, turpis visu. Quòd si iratus seipsum intueri posset, nulla alterius indigeret admonitione. Nihil enim irato *turpius*. *E*brietas quædam ira, vel potius ebrietate & dæmone *miserabilior*. Idem: Nihil æquè mentis puritatem & animi synceritatem *turbat*, ac im-

ac immoderata ira, quæ magno fertur impetu. Item: In vehementiore ira summum adhibendum est studium & cautio: est enim affectus tyrannicus. Sæpe enim non sobrios pervertit, & in barathrum exitii detrahit. Iræ præcipitantia Iudas occidit Thamar, Saul sacerdotes interemit, adeò impotenter Davidi succensens.

§ 17. Audi & Lactantii brevem quidem, sed tamen gravem de hujus affectus vehementia & conatibus sententiam: Tres sunt affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agant: ira, cupiditas, libido. Propterea poëtæ tres furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitent: ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Huc & illud Cyrilli quàm rectissimè facit: Iratus à quibus abstinet facinoribus? vel quomodo non totum linguæ frenum laxat? imò & temerariis sermonibus illudit, & ipsos fortasse qui offenderunt nihil. Quemadmodum enim si lapis in præceps eat, & contra omne quod invenit, impetu fertur: ita etiam audax & asper, si ferocitatis & furoris vim ferat, à nullo vel verbo vel opere abstinebit. Deum etiam sicut hominem, linguæ suæ immoderantia & iræ impotentia invadet.

Lib. 6. de vero cult. cap. 19

Liber 6. contra Iulian.

§ 18. Ne autem postrema hæc Cyrilli clausula, quòd nimirum non minus Deo quàm homini, linguæ procacitate insultet ira, fidem superare videatur, illustri nimis exemplo magni nominis viri, nobis relato, veritas ostendetur, quo & huic capiti colophonem addere placuit. Is quum pavonem assatum è prandio seponi jussisset in cœnam, quòd eo cibo mirificè delectaretur, vesperi cœnans eundem bis terve reposcebat. Verùm quia jam antè à coquis consumptus erat, neque apponi poterat pavo, ira ob paululum moræ tam indignanter exæstuavit, ut tandem in horribile erumperet perjurium, se velle eum habere pavonem, *al despetto d'Iddio*, hoc est, etiam invito Deo, seu potius in ipsius Dei contemptum. Cum autem circumstans suorum corona, ne pavonis ergò tantopere excandesceret SS. deprecaretur, diceretque, ut Statii verbis utar, *Lib. 10.*

—— ne fræna animo permitte calenti,
Da spatium tenuemque moram: mala cuncta ministrat
Impetus. —— Ille quo majori blasphemia priorem tueretur, summa cum indignatione interrogando respondet, An non sibi in terris tantæ existimationis domino, ob pavonem liceat irasci, quum ipse Deus tanta efferbuerit ira propter unum, idque vile pomum in

paradyso, ut oportuerit id luere universam posteritatem humanam?

§ 19. Elegans Leucippæ est sententia: Dolor per pectus diffusus, animæ fomitem liquat: ira autem cor circumlatrans, furoris spuma rationem quasi undis obruit. Gregor. Nazianzenus in præceptis virginitatis:

οἶνος παρθενικῇσι χόλα πλέον ἐστὶν ὄνειδος,
θυμὸς δ' αὖ μανίας. οἶμος δέ τε πάντα μόροιο.

Vinum virginibus majus est dedecus,
Ira autem rursus furore: via vera omnia mortis.

Insignia inde Iræ effectuum exempla in prophylacticæ curationis philosophicæ nono capite varia.

De Prophylactica Iræ curatione philosophica.

TENTATURUS fœdissimi & rabidi *hujus mali curationem*, cum Peripateticis equidem sentio, congenitos *nobis* affectus evelli quidem radicitus non posse, posse tamen resecari. Enimverò licet primorum motuum impetus in manu nostra non sit: non longè tamen abest eorum moderatrix ratio, quæ mox vel paulò pòst se manifestat.

Ira præceptis fugatur.
Senec. lib. 2. de ira.
Socrates.

§ 2. Socratis exemplo id palàm fit, cui quum pessima ejus conjunx Xantippe occasiones iræ multas offunderet, ille tamen egrediens & revertens, eodem semper apparuit vultu, nulla in re mutato, quod & in marito Xantippe prædicavit: & quum multa in conventu vitia in eum collegisset Zopyrus, *se naturam* cujusque ex forma prospicere jactans, atque à cæteris hoc nomine rideretur, illa in Socrate vitia non agnoscentibus, ab ipso Socrate sublevabatur, qui illa sibi haud dubiè inesse, sed ratione à se victa esse affirmaret. Proinde malum omnino non esse immedicabile, siquis modò velit, in animum inducito. Neque enim semper ex magnis & validis oritur initiis: tamen erigere trophæa in animo adversus hanc pestem, quicum difficile est confligere, ut inquit Heracletus, magnæ cujusdam est, ac palmariæ virtutis, quippe quæ verè ceu nervos ac tendones habeat rationis judicium adversus animi cupiditates. At

Prin-

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Quum mala per longas invaluere moras.
Hæc siquidem fera, quod de lite scribit Homerus,
Parva metu primò, mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

§ 3. Quomodo itaque calamitosissima hæc lues compesci poterit, triplici remediorum genere statui ostendere: nimirum religione, hoc est consilio Theologico, cujus potissimùm virtute tales coerceri furias oportet: duce item Philosophia, & comite Medicina. Optima siquidem vitæ conditio, ubi mens sana in corpore sano. Quanquam verò primas hic deberi disciplinæ ecclesiasticæ neutiquam diffitear: non vulgarem tamen potentiam adversus eundem affectum, philosophiæ & medicinæ connexis invicem tribuit Plato in Sophista. Ut enim animus corpori connectitur, ita etiam philosophia & medicina mutuas præstant operas: quare eas συζύγεις δυνάμεις vocat, utpote καθαρτικὴν utranque, quòd hæc corpus à corruptis expiet humoribus illa ex animo perniciosos purget affectus: unde animo & corpori comparatur sanitas, qua in re humanæ vitæ tranquillitatem esse sitam quilibet fatebitur.

§ 4. Cæterùm licet in ordine primum mereatur locum, divinæ voluntatis ex sacrosanctæ Scripturæ testimonio, cœlestis promulgatio, uti dignitate præstantior, efficacia penetrabilior, & virtute certior: tamen quoniam prolixior huic sermo ex sanctorum patrum sententiis annectetur, in finem hanc reservare libuit, atque exordiri ab ea philosophiæ parte, quæ Moralis nuncupatur; & Gentilium iram infringere pellereque solet, ideoque potentior multò in Christiani nominis hominibus, quorum professio solùm in charitate consistit, ut nimirum Deum ex toto corde, & proximum sicut se, licet etiam inimicum diligant, nec ullo unquam hostili affectu in quenquam moveantur. *Matth. 22. Marc. 12. Ioan. 10.*

Philosophia quid.

§ 5. Est etenim illa vitæ dux, morum formatrix, legum inventrix, humanæ conservatrix societatis, publicæ tranquillitatis auctrix, & demum amatrix virtutis: quam è cœlo deductam, non temerè asservit Socrates. Oculo velut dextro in unicam collimat virtutem, & ab iis quæ transversum inde hominem rapiunt, dehortatur, duce nimirum appetitiva animæ portione, que præcipientis rationis imperium audit: ita etiam cuilibet injuriæ iram excitare consuetæ, ignoscendum esse admonet, animi oculis proponens,

 tetrius

terrius esse injuriam inferre, teste Aristotele, quàm pati: quandoquidem sine injustitia inferri nequit injuria, tolerari verò sine ullius delicti culpa potest. Quòd si factam tibi injuriam, præfractius ulciscaris, fieri potest, ut damnum multò gravius pestilentiusque sentias. Capita verò, quorum subsidia funestissima hæc iræ lues vinci poterit, tradentur novem.

Vincenda ira capita novem.

Primum caput.

§ 6. Primum, quod & Theologorum schola docet, & propterea consultissimum, ut matutinis horis è lecto surgens, singula quæ interdiu videbuntur tractanda, considératè quis perpendat: vespertinis itidem, priusquam lectum ingrediatur, sibiipsi rationem reddat, quod Pythagoras admonere consuevit: secumque concilium ineat, num honestius utiliusque sit, affectibus indulgendo, vitam hanc momentaneam transigere, an rationis nervum & consilii manum adhibere in omnibus quæ agas, & seipsum vincere, quam omnium celeberrimam esse victoriam, quilibet non planè mentis insanæ fateri debet.

Seipsum vincere, victoria maxima.

§ 7. Minus certè corrumpere, sed tolerantiores reddere volet animus, qui ad rationem reddendam quotidie vocandus est. A Sextio cum laude factum hoc, qui quum se quieti nocturnæ dederet, rogabat animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio restitisti? qua parte melior es? Desinet ira, vel erit sedatior, quæ sibi quotidie coram judice comparendum esse sciet. Quid certè pulchrius hac totum diem excutiendi consuetudine? Qualis post ejusmodi recognitionem sui, ille somnus sequitur, quàm tranquillus, altus & liber, quum vel est laudatus animus vel admonitus, & speculator sui censorque occultus cognoscet de moribus suis?

§ 8. Utere hac tua potestate, & singulis diebus apud temetipsum tuam dicito caussam. Quum subtractum è conspectu lumen est, & conticescat uxor, si tibi fuerit, totum diem tecum scrutare, facta & dicta tua remetire: nihil teipsum cela, nihil prætérito. cur etenim ex tuis erroribus quicquam tibi timebis, quum hoc solatio te non inutiliter ad monere queas? Vide ne aliàs ita delinquas, nunc ignoscitur. In illa disputatione pugnatius es loquutus, cum ejusmodi ingeniis ne in posterum congrediaris. Discere erubescunt, qui nunquam didicere. Liberius fortè alium admonuisti, quàm debebas: proinde non emendasti, sed exacerbasti potius. Aliàs curæ sit, non tantùm an verum sit quod dicis:

dicis: sed an ille cui dicitur, veri patiens sit. Hæc & similia pro oblatæ occasionis varietate in mente revocat Virgilii vir bonus:

Nec prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei,
Quò prætergressus, quid gestum in tempore, quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,
Quàm melius mutare fuit? miseratus egentem
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honesto
Cur malus ante tuli? num dicto aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis quàm
Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoque à vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, dat palmam & præmia rectis.

§ 9. Alterum est, quòd semper nobis firmum maneat hoc institutum, ut inter bonos, moderatos & circumspectos meritò numerari cupiamus studeamusque: memores etiam, quantum commendationis sit nobis allatura clementiæ & moderationis fama, & quàm multos pepererit non inutiles amicos. II.

§ 10. Tertium, ut eum qui nos errati aut vitii commonefaciat, libenter audiamus, talemque nobis Catonem, Aristarchum vel Argum seligamus veneremurque: quinimò amicissimum quenque rogemus, ut tunc cumprimis sua adversus nos libertate utatur, quum illam ægerrimè toleramus. Ejusmodi contra nos potens malum, & apud nos gratiosum, dum conspicimus, dum nostri sumus, advocemus. Qui vini potentiam non innoxiè tolerant, & ebrietatis suæ temeritatem petulantiamque verentur, suis mandent, ut è convivio maturè vocentur. Intemperantiam suam in morbo experti, sibi in afflicta valetudine obediri nolunt. Admoneri bonus gaudet: at pessimus quisque correptorem patitur difficillimè. Denique III.

ἐκ ἔστιν ὀργῆς (ὡς ἔοικε) φάρμακον,
ἀλλ' ἢ λόγος σπουδαῖος ἀνθρώπου φίλου.
Iræ medela est non (ut arbitror) alia,
Quàm verba amici ex ore proficiscentia.

§ 11. Quartum, ut non statim cum stomacho & indignatione IV.

 repre-

reprehendentem etiam non tam justa causa, excipiamus: primùm quidem, quòd fieri potest, ut idem ille exactius nostra errata observarit, quod hominibus commune est, lynceos se ostendere in alienis delictis: deinde licet falsum intentarit crimen, in hoc tamen tibi usui erit, quòd alium tuorum factorum severiorem iudicem intelligis, proinde etiam multò diligentiori inspectione actionibus tuis attendere disces.

§ 12. Quintò iram refrenabimus, ejusque inhibebimus impetus, si ipsam lucido mentis oculo semper intueamur, ejus deformitatem, in ipsa descriptione, causis, signis & effectibus supra propositam contemplemur. Siquis enim vel solos effectus enumeratos expendat, vix quicquam sibi tum in actionibus, tum in dictis, tum in cogitationibus, ira magis cavendum ducet. Cuncta inde ejusdem vitia non modò in memoriam subinde revocare oportet, sed & accusare & damnare: utque manifestius evadat, quàm dirum quid sit, horridum & abominabile, *cum pessimis* aliis affectibus comparetur hoc vel simili modo.

§ 13. Avaritia acquirit corraditque, quo *aliquis tandem fruatur*: ira incendit, paucis gratuita est. Iracundus dominus quosdam in fugam abegit servos, quosdam in interitum: quanto plus irascendo, quàm id erat, propter quod irascebatur, perdidit? Ira patri luctum, marito divortium, magistratui *odium*, candidato repulsam attulit. Valerius Publicola, quum arbitraretur, pulsis Tarquiniis Bruto in Consulatu collegam se futurum, ut Lucretium Collatinum præferri sibi vidit, adeò ira exarsit, ut omnes ante id tempus acceptos honores deponeret abjectaque senatoria dignitate, patrociniis quoque causarum ac clientelis renunciaret, atque ab omni publico munere abstineret.

§ 14. Potior est, inquam, multò luxuria: quoniam illa voluptate sua fruitur, hæc alieno dolore vincit malignitatem & invidiam. Illi affectus infœlicem fieri volunt, hæc facere: illi fortuitis malis delectantur, hæc expectare fortunam nequit. Nocere ei quem odit, non noceri vult. Nihil est simultatibus gravius, has ira generat: nihil est bello funestius, in hoc potentium *ira* prorumpit. Adhæc ira, ut sequutura statim incommoda, insidias, assiduamque ex mutuis concertationibus anxietatem, *seponamus*, pœnas maximè dat, dum exigit: dolorem quem inferre *vult*, patitur, velit nolit. Naturam hominis, quæ in amorem hortatur,

tatur, corrumpit fœda hæc erynnis in odium: illa prodesse jubet, hæc nocere conatur.

§ 15. Cæteri affectus dilationem recipiunt, tardiusque curari queunt: hæc incitata & seipsam rapiens, violenter furenti præcipitantia, non pedetentim procedit, sed dum incipit, tota est. Nec aliorum vitiorum more sollicitat animos: sed abducit, & impotentes sui, cupidosque etiam communis mali, exagitat. Nec in ea solummodo, in quæ destinavit, sed in obvia quæque velut caligine offusa, furit. Reliqui impetus interni, animos quidem impellunt: ira verò extremè præcipitat. Aliis quoque si contra affectus suos resistere non licet, at sanè ipsos reddere nonnihil cunctatiores: hæc non secus ac fulmina procellæque, & si qua alia sunt irrevocabilia, quæ non eunt, at cadunt, vim suam magis ac magis tendit. Alia vitia à ratione, hæc ab ea & sanitate desciscit. Alia accessus habent lenes, & incrementa fallentia: in ira dejectus animorum est.

§ 16. Nulla itaque resurget magis attonita, & in vires suas prona: & sive successit, superba: sive frustratur, insana: ne repulsa quidem in tædium acta, ubi adversarius fortè evanuit, in seipsam suos convertit dentes. Non refert quantum sit, ex quo surrexit: ex levissimis etenim in maxima evadit. Nullam præterit ætatem, nullum genus mortalium excipit: sibi indulget, ex libidine judicat, audire recusat, nec patrocinio locum relinquit: quæ tentavit, defendit, nec sibi judicium suum, quanquam pravum, sinit eripi. In summa, quemadmodum semen mixtura est ac temperamentum ex omnibus animæ viribus revulsum: ita & ira semen quoddam est ex cunctis animæ perturbationibus commixtum, siquidem & à dolore & à voluptate & à ferocia decerpta est. Quem non fœdissima hæc vitiorum corruptela coerceret? *Plutar. de coh. ira.*

§ 17. Sextò animis excidetur, si assiduè velut in speculo hominis irati horribile simulachrum contuearis, vel ipse ira percitus speculum adieris, & teipsum contempleris: experieris ipsa re nihil deformius, tetrius, aut fœdius, quàm ab ira superari. Terribilius siquidem monstrum humanum numquis viderit unquam, in quæstionem venit. VI.

§ 18. Enimverò si formam externam, quæ omnibus conspicua & spectabilis est, intueris, quàm varius vultus, quam anxius, anhelus, truculentus & horridus? quàm turpis hæc mutatio? quæ tempestas, quæ furiæ? color terret insolitus, à nativo immutatus: *Irati hominis simulachrum.*

tus: *nunc* virulenti affectus impetu, retracto cor versus *sanguine* & spiritu expallescens: nunc ad cerebrum faciemque sanguine bilioso, spiritibusque igneis provolantibus inardescens: venæ extumescunt: que ultrices oculorum velut leoninorum faces? & ut apud

3. Metamorph. Ovidium, —— *fervens oculis dabat ira ruborem:*

qui etiam nunc exilire videntur, nunc in uno obtutu defixi hærent: quàm ridiculi, quàm truces nictus? horrent subriguntque capilli: corrugatur frons: strident dentes, attritique inter se & aliquid esse cupientes, si diis placet, non secus iratis crepant, quàm apris concitatis tela sua attritu exacuentibus: lingua sui impotens, dissoluto freno minitabunda, titubans, in quamcunque injuriam profusa: sermo varius, inconstans, præruptus, non sani hominis, hiulcus, mutilus, clamoribus pudendis nunc raucus, nunc turbatione interceptus: fremit vox: os distorquetur, convellitur, succeßit in

Satyr. 3. canis rabidi morem: & ut apud Persium, —— *ora tument ira*:

spumant quandoque labra, unde apud Claudianum,

—— *undantes spumis furialibus iræ:*

interdum illa tremunt, nonnunquam comprimuntur, mordicantur, & dirum quiddam exibilant: genæ variant, & ut Valer. Flacc.

2. Argonaut. —— *atræque genis pallentibus iræ:* Idem,

—— *hirtæque genis pallentibus iræ:*

spiritus incensus, coactus, nec ordinatus: crebra & vehementius acta suspiria: altius tracti gemitus: subsultans citato inæqualiter typo arteriæ motus: cor velut proruptur um, extrà palpitans: sæpenumero pulsatum pectus. Manus hinc inde sursum ac deorsum gestibus propè mimicis disjiciuntur, sæpe & comploduntur: *pedes* trepidi, vacillantes, imò & quandoque pulsata humus *pedibus*, qui gressus multiplices ejusmodi persona dignos in hoc theatro ostentant: articulorum seipsos torquentium crepitus: *universa* membra tremula: totum denique corpus concitum, ingentes iræ minas agens, ac tumidum: tam pulchrè in cunctis actionibus respondet, ut nihil certè in tragico hoc monstro jure debeas desiderare. Rectè hinc Ovidius,

In epist. Medea ad Iasonem.

—— *sed quid prædicere pœnam*
Attinet? ingentes parturit ira minas.

Truculentissimarum profectò ferarum, sive illas exagitet fames, vel infixum visceribus ferrum, minus tetram faciem esse vides,

des, etiam quum illæ semianimes morsu extremo feriunt, quàm hominis ira æstuantis.

§ 19. Porrò si ad internarum partium viscerumque anatomen progredi lubet, Deus bone, qualis intrà animus, cujus extrà imaginem tam fœdam, tumultuosam & execrabilem cernis? Quanto illi intra pectus facies terribilior, impetus intensior, rupturus se nisi eruperit? quantus universi sanguinis fervor, quàm halituosa spirituum lucta, quanto cor incendio flagrat, quàm hepar turget vindictæ desiderio, quàm ventriculus in vomitum proclivis, quàm nervi agitatione multiplici convelluntur? quàm tendones, quàm ligamenta, quàm ossa à suis compositis muniis aberrant? quàm facultas vitalis labefactatur, quàm virtus animalis quassatur, quàm potentia naturalis læditur? quàm demum cuncta interanea huc conspirant, nec ignaviter cooperantur?

§ 20. Adhæc, quales sunt hostium vel ferarum cæde madentium, vel ad crudelem cædem euntium aspectus: qualia poëtæ finxere monstra, succincta serpentibus & igneo flatu: quales ad bella excitanda, discordiamque in republica conserendam, & pacem scelerate turbandam, inferûm exeunt furiæ: talem nobis imaginemur iram, flammas ore evomentem, ignes oculis ejaculantem, sibilo virulento, mugitu raro, gemitu horrendo, stridore viperino, & si qua invisior his vox est, perstrepentem, tela quoque venenata utraque manu quatientem. Neque enim illi curæ est, se tegere torvam, cruentam, cicatricosam, & verberibus suis lividam, incessu vesano effusam, multa caligine discursitantem, vastantem, fugantem, & omnium odio, sui maximè laborantem: si aliter nocere nequeat, terras, maria & cœlum ruere cupientem, infestam pariter invisamque. Nescias utrum magis sit detestabile portentum, an deforme? Iratos linquit decor omnis. Cætera licet in abscondito alere: ira se profert, & in faciem exit: quantoque major hæc est, eo effervescit manifestius. At audi, quomodo à vatibus nostris describatur, Seneca teste: Lib. 2. de ira.

Sanguineum quatiens dextra lævaque flagellum,
Aut scissa gaudens vadit discordia palla:

aut si quæ magis dira facies diri affectus excogitari potest.

§ 21. Observa item cunctorum animalium ira concitorum facies & notas, quàm tota corpora solitum quietumque relinquant habitum, & in feritatem exacuantur. Spumant apris ora, dentesque

tesque acuuntur attritu: taurorum cornua temerè jactantur, & arena pedum pulsatione spargitur: leones fremunt, irritatis colla inflantur serpentibus, canum mordax auditur latratus: nullum tandem est brutum, cui non ira percito nova feritatis accessio contingat. Quum autem Sextius asserat, iratis mirè speculi inspectionem profuisse, jam huc frequentes currite. Perturbabitne te, ô irate, tanta mutatio tui? eritne justa causa, qua teipsum non agnovisse te, libenter fateberis?

§.22. Ejusmodi vivæ imaginis intuitu se in teterrimi hujus monstri odium pervenisse, scribit Galenus in libro de propriorum affectuum agnitione & remedio: Ego, inquiens, adhuc adolescens, quum hominem conspexissem ad fores aperiendas festinantem, sine successu tamen, propterea clavem mordere, in januam pedibus insultare, diis conviciari, oculos insanientis instar truces ferinosque ostendere, & spumam, sicut apri ferè, ex ore emittere, tanto odio iram prosequi inde cœpi, ut postea propter ipsam nunquam sim visus impatienter dolere.

Fælix quem faciunt aliena pericula cautum.

Si identidem tuum ipsius animum contempleris, eheu quàm atrum, maculosum, distortum, tumidum ac æstuantem. Vides immensum turpitudinis monstrum, imò æquor. O fera erynnis, ô ferales diræ?

§ 23. Quare quum noster Hippocrates verè tradat, eum morbum esse gravissimum, qui faciem ægrotantis quàm maximè immutet in diversum: ubi quis conspicit alios ob iræ violentiam sibi maximè excidere, vultum immutare, colorem, vocem & incessum, quo dixi modo, invertere, hinc velut imaginem ejus mali sibi fingat, perpendatque quàm commota ejusmodi facies, & formidabile idolum placebit uxori, quàm laudabile exemplar liberis erit, quàm trucem larvam amplectentur amici. Non immeritò itaque ob hujusmodi torvitatem vultus, totius deformitatem, dictorum atrocitatem, crudelitatem factorum, perit irato omnis existimatio, omnis benevolentia, diffugiunt amici, declinant obvii, solitudo undique cuncti oderunt, nemo non detestatur. Quo fit, ut maximi viri nihil vel caverint magis vel texerint, quàm iram & irati actiones, adeò ut naturæ etiam suæ repugnarint ac vim fecerint. Enimverò quid magis ridiculum, quàm tantulum tamque imbecillum animalculum usqueadeò ferocire furiisque agi?

agi? & tantas tragœdias tamque atroces de rebus vilissimis excitare, velut de corporeis, de fortuitis, quinimò, si diis placet, de uno verbulo? Hæc pensiculatius considerans & penitius observans, huic beluæ ferocissimæ bellum indicat, semperque studeat, quod in febre quidem bonum est, sed melius multo in ira, linguam habere simplicem & levem. Nam febricitantium lingua si minus secundum naturam affecta sit, malæ quidem rei signum est, causa tamen pejoris nequaquam. At irascentium lingua exasperata, sordida, & vocum absurditate diffluens, effundit sermonem contumeliosum, immedicabilis inimicitiæ parentem, & latentis malevolentiæ proditorem. Proinde à Propertio quàm rectissimè scribitur: *Lib. 1. eleg. 1.*

Fortiter & ferrum, sævos patiemur & ignes,
Sit modò libertas, quæ velit ira, loqui.

§ 24. Iam si ex adverso illius qui ab hoc iræ morbo liberam degit vitam, imaginem contempleris, faciei intuearis decorem, oculorum venustatem, sermonis suavitatem, compositos uniuscujusque membri motus, morum comitatem, universi denique corporis actiones mirè placidas, quis non abacto mordicus illo monstro, hanc omnium gratissimam amplectatur formam? At jam ad reliqua præservationis capita progrediamur. *Sedati hominis imago.*

§ 25. Septimò prævenietur hoc malum, si omnes iræ occasiones quocunque studio caveantur, & fomites auferantur: Primumque litigiosorum, & eorum qui vel in iram propendent, vel non illibenter provocant, sive ex causa, vel sine occasione, sodalitium vitetur (transit enim arcano quodam contagio vitiorum familiaritas:) atque elige simplices, faciles, moderatos, submissos, humanos, suaves, pios, quibuscum verseris, quibusque familiarius conjunctiusve utaris, qui nec iram suam effundant, nec tuam evocent, sed potius præveniant, aut humaniter ferant. Non etiam expedit omnia videre, nec cuncta audire: multæ nos injuriæ prætereant. Sensus omnes ad firmitatem perducendi sunt. Aures assuescendæ, ut patienter audiant, nec facilè dimoveantur: imò quandoque obturandæ, ut audientes non audiant: quas etiam risum, fletum, blanditias, lites, prospera & tristia, hominum voces & clamores, animalium fremitus, boum mugitus, latratus canum, & quoscunque diriores strepitus tolerare oportet. Oculi item inducendi, ne sordibus, fumis & rebus quibuscunq; tam facilè VII.

moveantur : nec cuncta æquè debent facere ad palatum: uti nec naribus pariter odorata placere, nec tactui mollia. Non vis esse iracundus? ne sis curiositatis sectator : multa deride, plura contemne vel condona. Qui inquirit, quid contra se dictum sit : qui malignos sermones, etiam in se clàm effusos, everrit, seipsum reddit inquietum. Vis unico antidoto hujus pestis virus avertere, iræ illud solum persuade, ne rationem prævertat : atque hanc veluti ἡγεμονικὴν revereri disce, iramque & affectus freno rationis tanquam equum indomitum coerce.

§ 26. In iram adhæc propenso à raris & insignibus rebus, eisdemque fragilibus, momentaneis evanidis, corruptioni & mutationi obnoxiis est abstinendum : velut ab exquisitæ sculpturæ poculis fractu facilibus, vitris eximiis, sigillis, gemmis preciosis, & id genus reliquis : proptereà quòd, si fortè pereant, gravior subsequitur turbatio, quàm ob ea quæ paratu sunt facilia & vulgaria.

Cotys adversus iram præservatum. § 27. Elegans exemplum hic nobis suppeditat *Cotys* Thracum rex, qui sibi pardalim largito, leonem *contrà dono dedit* : & quum natura se in iram cognosceret ferventiorem, & ad ultionem proinde magis præcipitem, & severum eorum qui in ministeriis deliquissent, castigatorem, vasa fictilia, tenuia quidem & fragilia, sed scitè curioseque cælata tornoque elaborata, quum ab hospite dono ei offerrentur, gratum quidem se offerenti præbuit, cæterùm mox vasa contrivit omnia, facti ratione protinus reddita, quòd vereretur, ne ira concitus in ministros per incuriam delinquentes ea in re, severius amariusque verberibus animadverteret. Prudentis enim est, naturæ suæ morbum agnoscere, & vitio materiem præripere.

Augusti memorabile exemplum. § 28. Nec absimile clarissimi Imperatoris Augusti extat facinus memorandum. Nam Atedii Pollionis, apud quem cœnabat Augustus, minister ubi vas crystallinum fortè confregisset, eundem mox ad supplicium ultimum Atedius perturbatior rapi jussit : sed quod supplicium? ut murenis, quas in piscina alebat amplissima, in pabulum objiceretur. O immanis iræ atrocitatem. Elapsus ad Cæsaris pedes supplex provolvitur puer, non quidem deprecaturus mortem, sed inauditum & crudele mortis genus, ne scilicet murenis esca fieret. Attonitus ad inusitatam severitatis formam Cæsar, dimitti evestigiò ministrum jussit, & ejus curiosi operis vasa coram se conteri universa, cum-

primis

primis verò piscinam compleri oblimarique. Se enim causam dixit adimere Pollioni velle, ne in tam præcipitem animi eversionem laberetur, aut ob similem causam in posterum tam diriter famulum perderet, qui cujuscunque esset generis, in hoc ipso quòd homo erat, pluris quàm omnia quæ terrarum orbis contineret vasa, faciendus erat.

§ 29. Nec vulgare exemplum C. Iulii Cæsaris, qui devicto Pompejo, non modò equites senatoresque urbis, quorum infinitos ceperat, perhumaniter tractavit: verùm etiam celeberrimorum senatorum literas in Pompeji scriniis inventas, quibus odium & acerbitas contra Cæsarem multis contumeliosis verbis expressa erat, legere noluit, sed omnes statim jussit comburi, ne iis irritatus, inhumanius quid de Pompejo & senatoribus statueret: eáque ratione & illorum saluti, & suæ tranquillitati ac gloriæ consuluit. Nam seipsum vincere, maxima est & laudatissima victoria. *Iulij Cæsaris factum imitandum.*

§ 30. Sic & Cn. Pompejus Magnus, quum Sertorii literas intercepisset, in quibus erant inclusæ complurium ducum epistolæ, Sertorium ad novandas res, statumque civitatis immutandum, Romam invitantium, exussit omnes, ne locum iræ daret, sed improbis resipiscentiæ occasionem, & in melius mutandi consilia facultatem. Quis non miretur summeque laudet tantam in Pompejo animi moderationem, qui hostium literas aperire noluit, ne quid legeret, à quo abhorreret, & inimicis pœnitentiæ locum præberet? *Cn. Pompejus.*

§ 31. Antiochus sophista, quum malè vulgò audiret, veluti formidolosus, quòd nec prodiret in concionem, nec Reipubl. munia capesseret, Non vos, inquit, metui, sed meipsum: agnoscens æstum animi vehementiorem, quàm ut cohiberi posset. *Antiochus sophista.*

§ 32. Octavò animi fervorem te præventurum ne dubites, si aliorum insignium virorum scripta, admonitiones & consilia adversus præcipitis hujus mali virulentiam, non modò semel atque iterum lectites, sed & in iis assiduè nec ignaviter te exerceas. Optimum est, ea ratione vitio noto impedimenta prospicere, & ante omnia animum ita componere, ut qualicunque re gravi aut adversitate concussus, iram aut non sentiat, aut magnitudinem inopinatæ injuriæ exortam, in alvum retrahat, nec dolorem suum profiteatur. Ignorantia nos iracundos facit, aut insolentia. VIII.

Ignorantia: quid enim mirum est, malos mala edere facinora? quid novi est, si inimicus lædit, amicus offendit? uxori verbum excidit, filius labitur, minister delinquit? Si tamen interea te vehemens animi dolor ad vindictam extimulat, in mentem subeat, nihil esse minus iram, quam quod falsa persuasione imitatur, nimirum fortitudinem: minimè habet ira cui insistit, non ex firmo mansuroque oritur, imò ventosa & inanis est, tantumque distat à fortitudine, quantum ab animi magnitudine temeritas, à fiducia insolentia, à gravitate tristitia, à strenuitate crudelitas: multum inquam interest inter sublimis animi differentias.

§ 33. Iracundia nihil amplum decorumque molitur. Contrà apparet ventosi & infelicis animi sibi conscii imbecillitas, qui usque adeò temerè indolescit, uti ægra & exulcerata corpora, quæ ad tactus etiam levissimos gemunt. Imbecilla se lædi existimant, si vix contingantur. Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem, ut mures & formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt: sic & muliebre cumprimis & puerile *vitium est ira*. Quapropter quàm scitè à Terentio dictum: *Pueri inter sese quàm pro* levibus noxis iras gerunt? At incidit & in viros: nam viris quoque puerilia & muliebria insunt vitia. Nihil autem æquè imbecillis projectique animi, quàm vindicta lætari. Magni animi est, injurias contemnere. Animosus videri studes, quòd inultam injuriam non pateris: at isthoc demum pacto tuam prodis puerilitatem, qui quod viri est proprium, animo temperare, & datam injuriam oblivione vincere, nequeas. Ultionis contumeliosissimum genus est, dignum non judicari, à quo requiratur ultio. Quanto fortius, quanto generosius, alienam despicere stultitiam, quàm imitari? Ille magnus & nobilis est, qui more ingentis feræ latratus catellorum securus audit.

In Hecyra.

§ 34. Adjice, quòd quum indignatio à nimio sui suspectu oriatur & animosa appareat, pusilla est & angusta. Nemo enim eo à quo se contemptum arbitratur, minor esse vult. Verum ille ingens animus & verus sui æstimator, non vindicat injuriam, quia non sentit. Quemadmodum tela à duro resiliunt, & cum dolore cædentis solida feriuntur: ita nulla magnum animum injuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit. Quanto pulchrius, velut nulli penetrabilem telo, omnes injurias contumeliasque respuere? Vindicta, doloris confessio est. Animus sanè non

Seneca lib. 3. de ira.

ita

ita magnus existit,in quem injuria incurrit. Aut par,aut potentior, aut imbecillior læsit: si par,cum hoc contendere,ancipitis est eventus : si imbecillior, huic parce, sordidum etenim certamen erit cum inferiore : si potentior, tibi ipsi parcas : furiosum siquidem, eum superioribus concertare. Nullum est argumentum magnanimitatis certius, quàm nihil posse, quo instigeris, accidere.

§ 35. Pars superior mundi & ordinatior & propinqua sideribus, nec in nubem coit, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem,omni turbatione vacat:inferiora autem fulminibus exagitantur. Eodem modo sublimis animus, sedatus semper,& in statione tranquilla collocatus, intra se premens quibus ira contrahitur, modestus, venerabilis & dispositus est : quorum nihil in irato conspexeris. Quis etenim dolori traditus, atque ira furens, non consuetum rejicit pudorem? quis animi tumore effervescens, & in aliquem ruens, non quicquid in se habuit modestiæ, rejicit? cui officiorum numerus & ordo consistit incitato? quis linguæ frenum moderatur? quis ullam corporis partem servat compositam? quis sibi imperat? quis se regit? At nocuisse nimis alium, objicies, ferocem esse, insultare. Quo procacior, insolentior, ineptior turpiorque est, hoc magis cave, ne illi assimileris. Quæ, malùm, dementia est, ut alienam vindices improbitatem, te fieri improbiorem? Si contumeliam contempseris, ab indigno factam, haud obscurè intelligent omnes : sin commoveare jam inferentis causam reddideris potiorem.

§ 36. Deinde id quod res est, penitius considera, nullum acceptum damnum, ultione sarciri, sed citius propagari. Enimverò quis tandem mutuarum injuriarum exitus, si suum quisque dolorem vindicta rependere, continuò studuerit? Inimicitia utrinque accrescit,dolor augetur,qui eo insanabilior est,quo inveteratior. Lenitate autem & tolerantia vincitur sæpius is qui damnum dedit, & ad se reversus, inimico redditur fidissimus amicus: sed vindictæ studio malum quod amoliri voles, in te reciprocatur non sine mala usura. Quanto est gloriosius fructuosiusque iram amicitia commutare? irascitur aliquis : tu contrà beneficiis provoca. Concidit evestigiò simultas ab altera parte deserta : nisi pariter, non pugnat : sed si utrinque contendet ira, concurritur. Ille generosior est fortiorque, qui prius retulit pedem suiipsius victor : at victus est, qui ira vicit.

Per-

§ 37. Percussit te, recede: referiendo enim & ansam sæpius feriendi subministrabis & excusationem, nec quando voles, revelli poteris. Nunquam velit quisquam tam diriter cædere hostem, ut manum in vulnere relinquat, nec se ab ictu revocare queat. Atqui ira ejusmodi telum existit, quod vix retrahitur. Arma nobis expedita prospicimus, gladium commodum, hastam habilem, tormentum letiferum: at non vitabimus tam vehementes animi motus, his magis graves, furiosos & irrevocabiles? Talis demum celeritas placet, quæ jussa vestigium sistit, nec ultra destinata procurrit, & quæ flecti & à cursu ad gradum reduci potest. Ægros esse nervos medicorum schola tradit, qui invitis nobis moventur. Invalidi sanè corporis est, qui quum ambulare vult, currit. Eos animi motus judicemus sanissimos firmissimosque, qui nostro arbitrio progrediuntur, non autem suo feruntur.

§ 38. Neque illud erit iræ antidotum inutile, si adhæc animo pensicules, hominem homini nocere non posse, si nolit, nisi in externis bonis, nec ad ipsum hominem magnopere pertinentibus. Vera siquidem bona solus Deus eripit, nec ferè nisi ingratis: largitur ediversò, atqui non immitibus & ferocibus. Nemo itaque læditur, nisi à semetipso: nec ulli nocet injuria, nisi suo authori: proinde dissimulanda erit. Notissima vox ejus qui in cultu regum consenuerat. Hic quum à quodam rogaretur, quomodo rarissimam rem in aula consequutus esset, senectutem scilicet: Injurias, inquit, accipiendo, & gratias de iis agendo. Sic ferè & M. Catonem ubi quidam in balneo percussisset imprudens, excusanti se Cato respondet: Non me percussum memini. Melius existimavit non agnoscere, quàm ulcisci: atque hinc alteri hoc accessit commodi, quòd Catonis fortitudinem & tolerantiam nosse cœperit & imitari potuerit.

Nemo læditur, nisi à seipso.

Catonis fortitudo.

§ 39. Crede mihi, levissima sæpe sunt, propter quæ non leviter stomachamur, qualia quæ pueros in rixas & jurgia concitant: sic fit ut nunc personæ, nunc negotio, nunc loco, nunc fortunæ, nunc sibi quis irascatur. Inde, inquam, ira frequentius insania est dicenda, quando exigua censentur magna. In plurimis sententia ferretur alia, si antea profectò judicaremus, quàm succenseremus: sæpe autem primum sectamur impetum. Deinde quamvis inania sunt, quibus concitati fuimus, perseveramus tamen, ne sine caussa cœpisse videamur: & quod iniquissimum est, pertinaciores

ciores nos reddit iræ iniquitas. Retinemus etenim illam & augemus, quasi argumentum sit justè irascendi, graviter irasci. Quantò satius est, initia ipsa perspicere, quàm levia sint & innoxia? Quod accidere vides in brutis, idem in homine deprehendes. Frivolis turbamur & vanis. Taurum color rubicundus excitat, ad umbram aspis exurgit, urses leonesque mappa proritat: cuncta quæ natura fera ac rabida sunt, consternuntur ad minima. Idem inquietis stolidisque ingeniis evenit, quæ rerum suspicione feruntur, adeò quidem ut interdum injurias vocent modica beneficia, quæ feracissima sæpius iræ materia existit. Charissimis etenim irascimur quandoque, quod minora nobis præstiterint, quàm mente concepimus, vel quàm alii tulerint: quanquam, Menandro teste, ὀργὴ φιλοῦντος μικρὸν ἰσχύει χρόνον. At quum ex iræ imperio judicamus, quanti præceps ejusmodi judicium debeat æstimari, postea revera, licet malè, experiemur, quum illa deferbuerit. Perit ferè universum, ubi quantum ira suadet, permittitur: nec diu consistere potest, quæ multorum exitio exercetur, potentia.

§ 40. Elegans Menandri est sententia, οὐδεὶς μετ' ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται, ubi neminem tutò cum ira deliberare docet. Idem alibi:

Ut vehementer doleas, nihil tamen irritatus, temerè
Agas: iram enim vincere, quæ alienissima rationis est,
In perturbationibus maximè sapientem decet.

Adhæc qui dicere tibi, nisi clàm, non vult, penè non dicit. Quid 1. Offic.
est iniquius, quàm secretò credere, & palàm irasci? Proprium est irati, cupere, à quo læsus videatur, ei quàm maximum inurere dolorem. Hic iracundia ut mare profundum ac immensum effervescit. Minus sui compos est ira quàm ebrietas, quare & ad omnem functionem inutilis. Prudenter Cicero: An quicquam si- 4. Tuscul. quæst.
milius insaniæ quàm ira? quam bene Ennius insaniæ initium dixit: color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum atque factorum quam partem habent sanitatis?

§ 41. Cumprimis verò nos intra mentis terminos continere deberet, ubi ex Platone oculis jugi inspectione opponamus, qua singulari providentia in humani corporis fabrica ab hoc malo conservare hominem decreverit divina majestas. Sic ille in Timæo vel Lib. 32.
de natura, ait: Partem animæ, fortitudinis iracundiæque participem contentiosamque, capiti propinquiorem fecere inter diaphragma

diaphragma cervicemque mediam, ut hæc obediens rationi, unà cum ipsa cupiditatum genus vi illata coerceat, si quando rationis in capitis arce habitantis jussa cupiditas respuat. Cor autem venarum originem fontemque sanguinis per omne corpus impetu quodam manantis instipatorum regione suspendere voluerunt, ut quando iræ vis exardescit, ratione nunciante siquid extrinsecus injustè fiat, vel intrinsecus aliqua concupiscentia turbet, tunc celeriter per angustos quos libet meatus, quicquid in corpore est sensus particeps, jussa minasque persentiat, atque ita obediat obsequaturque omnino, toleretque in omnibus præstantissimi illius imperium.

§ 42. Cum autem cognoscerent, cor rerum terribilium objectu trepidaturum, & ira sæpius flagraturum, idque *opus omne* per ignem fore: æstus hujusmodi temperandi gratia, pulmonem tegmen cordi adhibuerunt, molle primùm atque *exangue*, deinde cavis extrinsecus fistulis spongiæ instar distin*ctum, ut spiritu po*tuque hausto cordis ardorem hujusmodi re*spiratione & refrigeri*o tepefaciat. Quamobrem arterias tanquam aquæ*ductus per pulmo*num substantiam derivarunt, eamque cordi quasi mollem saltum circundedere, ut quando nimia fervet ira, inde ad faciliorem obedientiam temperatum deferveat, sedatoque tumultu, rationi facilius cum ira ministrare & obsequi valeat. Divinè *itaque M.* Tullius: Nulla est, inquit, tanta vis, tanta copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit: verum vincere animum, iracundiam cohibere, quæ semper est inimica consilio, victoriam temperare: adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed deo simillimum judico. Ejusmodi itidem perturbationum victorem, immortalium deorum numero asscribit quoque Lucretius:

In orat. pro Marcello.

Lib. v. de rerum natura.

Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis, nonne decebit
Hunc hominem divûm numero dignarier esse?

Hac fortitudinis virtute freti viri Heroici, in deorum catalogum sunt relati, teste Platone. Procul ergo semper ira absit, cum qua nihil rectè, nihil considerate fieri potest. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, neque

In Lachete. Cic. 1. de nat. deor. 1. Offic.

iis qui adsunt probari. Monet & in epistola ad fratrem Cicero, intentius iracundiæ obsistendum, cumque ea animum maximè moveat, tum esse linguam diligentissimè continendam, ne ira minus pressa prorumpat in verba & quamcunque injuriam. Docet adhæc Plutarchus, iram nusquam continere, imperiti esse hominis atque intemperantis: ubique verò, difficillimum, quibusdam etiam videri impossibile, quando perturbationis hujus proprium persæpe sit, quod velit, emptum morte persequi. Aristoteles item tradit, homines iratos & turbatos, minus posse considerare rationes. Ab iisdem si perspicuè pax & benevolentia petitur, non modò ea non invenitur, sed augetur atque inflammatur odium. *Lib. 1. Elenchor. Cic. lib. 1. rhetor. vet.*

§ 43. Pœnitentiam insuper duram, perpetuum ferè iræ comitem esse memineris. Insignia ejus exempla proximo videbis capite de rege Alexandro & Imperatore Adriano. Quo minus presseris iram, hoc ab ira magis premeris: tunc enim incipimus aliis irasci, quum nobis desinimus. Finis iræ, initium est pœnitentiæ. Apud bonum virum citò moritur ira: brevis mens est, iræ memoria: fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia. Gravissima est probi hominis ira: gravis tamen pœna est, quum post factum pœnitet. Hinc qui in alterum effervescit, pœnas à se exigit. Irâ infœlicitas geminatur, quæ sibi nihil respicere consuevit, expers consilii: dolorem virtutem, facinus consilium putat: quantumcunque meditatur, tamen audaciam promittit. Rimanti telum ira facit, ut apud Virgilium. Pyrrhum maximum præceptorem certaminis gymnici solitum, ajunt, his quos exercebat, præcipere, ne irascerentur. Ira enim perturbat, & qua noceat, tantùm observat. Plato nihil æquè contrarium reipubl. esse perhibet, atque iræ commotionem & impetum furoris in civibus. Immoderatam iram gignere insaniam, docebat Epicurus. Consilio maximè adversari festinationem & iram, tradidit Bias Prienæus. Iræ dominari, non cupere impossibilia, non festinare in via, loquentem non movere manum, legibus obedire, voluit Chilo. *Ira finis, initium pœnitentia. Pyrrhus. Plato. Epicurus. Chilo.*

§ 44. Aristoteles refert, Satyri amicos, quum litem habent, aures illius obturare cera, ne quum ab hostibus conviciis afficitur, propter iram causæ cognitio turbetur. Plato interrogatus, Per quod cognoscitur sapiens? respondit: Quum vituperatur, non irascitur: & non extollitur, quum laudatur. Strictos hos iræ cancellos *Aristoteles.*

Zeno. non tamen ita admittit Zeno ille Eleates, qui quum maledictis lacessitus excandesceret, reprehensus, quòd philosophus verbis improborum commoveretur: Si convicia, ait, æquo animo admisero, ne laudes quidem sentiam. Lapidis est, non sentire discrimen inter laudantem & vituperantem: sed philosophi est, non ita commoveri, ut ab honesto recedat. Melanthius negabat, eam iram videri gravem, quæ mentem cogat emigrare, sed quæ prorsus excludat domo: sentiens probis ingeniis adjunctam esse iracundiam, sed hoc vitium tolerabile esse, si celeriter animus ad se redeat, & pro ira rationem in consilium adhibeat. At si perturbatio penitius insideat animo, ita ut excussa ratione feratur effreni impetu, certa pernicies est.

Melanthius.

§ 45. Vincenda itaque totis viribus ira, quòd affectum hunc videas cæteris esse & vehementiorem & magis noxium, quam superare gloriosius est, quàm armatum prosternere hostem: nec etiam minus exitii mortalibus accedit ab ira quàm ab hoste, quinimò ipsa nobis hostis perniciosissimus, *siquis alius. Quare* & apud Phocylidem legitur: θυμὸς ὑπερχόμενος μανίην ὀλοόφρονα τεύχει, *ira* animum subiens, insaniam gignit perniciosam. Et apud Menandrum: [illegible] θυμὸς εἰς ὀργὴν πεσεῖν. Μῆνιν οὐλομένην, iram perniciosam appellavit Homerus, & perturbatricem omnium. Prudenter hinc idem Menander monet, ἄνθρωπος ὢν γίγνωσκε τῆς ὀργῆς κρατεῖν, *homo* existens disce iræ imperare. ζήσεις δὲ βίον κράτιστον, ἂν θυμοῦ κρατῇς, vitam enim vives optimam, si iram represseris. Iracundiam qui vincit, hostem vincit maximum, pulchra est Publ. Mimi sententia. Rectè quoque Horatius:

Iliad. lib. 7.

Lib. 1. epist. 2.

Ira furor brevis: animum rege, qui nisi paret,
Imperat hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Satyr. 8. Et Juvenalis:

—— pone iræ frena modumque.

Iliad. 8. Item Homerus:

—— procul hinc, procul ira recedat,
Quæ turbat sapientem hominem.

Menand. Phocylides quoque: χαλίνου δ' ἄγριον ὀργὴν, agrestem frene iram.

IX. § 46. Nonò ab hac exitiali peste prorsus terrere debent nobilia quorundam ira exagitatorum, tum quoque aliorum justam indignationem fortiter comprimentium exempla. Primi generis est illud Astyagis Medorum regis, qui quum parvum nepotem suum

Cyrum

Cyrum ab Harpago amico fidelissimo, contra ipsius imperium, servatum fuisse intellexisset, nulla ejus rei ostensa indignatione, Harpagi filium sub alterius rei prætextu ad se accitum, clam interemit, atque in variis epularum generibus coctum, ignaro patri vescendum apposuit: postquam verò iis epulis naturæ satis fecisset Harpagus, ne eum lateret filii se extis cœna saturatum, caput, manus pedesque in lance, pro secundæ mensæ delitiis, ei jussit apponi. Quam immanitatem, ut Maronis utar verbis, furiis accensus & ira, secutus est Cambyses Persarum rex: quem nimis in crapulam pronum, ubi Thrasca spes unus ex charissimis admoneret, ut biberet moderatius, fœdam esse ebrietatem in rege, quem oculi omnium auresque insequerentur: ad hoc ille clandestina incensus ira: Ut scias, inquit, quomodo nunquam mihi excidam, nunc ostendam nec oculos post vinum à sua functione destitui, nec manus. Inde liberalius amplioribusque cyphis potat, quàm aliàs solet. Jam ita infarctus, vinolentus ac violentus, monitoris sui filium ultra limen progredi jubet, ibidemque consistere elevata supra caput sinistra. Hinc arcum intendit, & cor adolescentis, quod se petere dixit, figit, apertoque thorace, hærens in ipso telum ostentat, ac respiciens patrem, Num satis certam haberet manum, rogavit. O sanguinarium regem: ô feram, in quam omnium tela contorqueantur, dignam.

Astyagis truculenta ira.

12. Æneid.

Cambysis sanguinaria ira. Herod. lib. III.

§ 47. Sed quid mirum, quum etiam similibus iræ facibus inflammatus, in mortuos sævierit, & Amasis Ægyptii regis cadaver è monumento extractum, veluti vivum verberibus affici jusserit, & totum ferramentis acutis pungi, cunctis probris dehonestari, & tandem cremari in foro: duodecim insuper Persarum primores nulla penitus caussa interfecerit, vivos in caput defodiens? Atqui plerique sic iram quasi insigne regium exercuere: uti Darius Cambysis pater, qui primus post ablatum Magorum imperium, Persas & magnam Orientis partem obtinuit. Siquidem quum bellum Scythis indixisset Orientem cingentibus, & omnia ad expeditionem essent parata, copias eduxit ex urbe Susis: ibi rogatus ab Artabazo Persa nobili admodum sene, ut ex tribus filiis in militiam euntibus, unum in solatium patri relinqueret, duorum opera uteretur: hic ira succensus, & plus quam rogabatur, pollicitus, omnes se illi relicturum asservit

Darius.

seruit. quo responso Artabazus magnopere lætus, suos *liberos* militiæ missionem habere sperabat: at ille trucidatos in *parentis* conspectu abjecit, crudelis futuris, si omnes solùm abduxisset. *Xerxes.* Cæterùm quanto facilior Xerxes Darii filius, ut mali corvi malum ovum, qui Pithio quinque liberorum patri, unius dimissionem oranti, quem vellet eligere, permisit: deinde electum *in duas* distraxit partes, & ab utroque latere viæ, per quam exercitum jussit transire, collocavit, hac victima exercitum lustrans. *Proinde* & quem debuit, sortitus est exitum: victus & *latè* longeque fusus, ac stratam ubique ruinam suam cernens, medius inter *suorum* cadavera incessit.

Perses. § 48. Perses rex à Paulo Æmilio victus, duos ex suis se *consolari* adortos, unum post alterum occidit, ira & doloribus *præcipitantibus*. Tam atrox facinus in causa fuit, ut confestim *ab his* qui ad obsequium parati erant, sit destitutus. *Totila.* Gothorum rex Totila, recepta urbe Roma, quam ei Belisarius à *Iustiniano in* Italiam missus ademerat, oratores ad Iustinianum *Constantinopolim* misit petitum, ut ipsius Iustiniani au*spicio ac nomine, obtine*re ac regere urbem ipsam liceret. Quum autem accepisset, Iustinianum conditiones repudiare, immanem regem repentè atrox ira impulit, ut urbem, quam mortales alii spectando, admiratione capiebantur, quæ orbis terrarum erat caput, & *cujus* jam possessor erat, incendio ruinisque totam deformaret, *muris* quoque nudatam, quadraginta diebus feris, ut in ea stabularentur, permisit.

Honorii Vandali immanitas punita. § 49. Quum Honorius 2. Vandalorum rex, ira incitatus honestas matronas & virgines nudatas suspendisset, facibus *corpora* ussisset, mammillas & brachia nolentibus assentiri *Arrianæ* impietati præcidisset, *φθειρίασιν* tam tetra ipsius corpus tandem computruit, ut alia membra post alia deciderint. *Ecelinus.* Ecelinus sævitiæ fama nulli Tyrannorum cedens, victus ad Soncinum, ubi res suas sensit una pugna accisas, vulnus quod in prælio acceperat fotum & circumligatum, frendens ira in morem sævientis feræ, unguibus conscidit. *Pherotima.* Pherotima Cyrenarum regina, Cyrenensibus succensis, miserorum civium corpora palis defixa, circa muros urbis disposuit, mulierum mammas violenter avulsas in *publico* suspendit iræ furiis exagitata. *Alexander rex Iudæor.* Alexander Iudæorum rex insigni crudelitate notus, quem alio nomine Iamnæum *appella*-

runt, quum Hieroſolymam, quæ paulo antè ab eo deſciverat, armis in poteſtatem redegiſſet, ira furens octingentos Judæos eodem temporis momento in crucem extulit: atque illis cernentibus, uxores eorum ac liberos interemit. Nam præter fas juſtumque, ac præter communem hominum morem, in ætatem innoxiam ac ſexum ſævire non erubuit.

§ 50. Addam hic non ita vetuſtum aut ſemotum effrenis iræ exemplum. Mahometes Othomannus, qui duo evertit imperia, habuit Bizantii ſeceſſum voluptuarium: huc ingreſſo aderant confeſtim illi duo, ut fertur, ex omni puerorum multitudine, qui ad fœdiſſimum uſum ibi loci alebantur, forma venuſta & aſpectu jucundo. His ille utrinque innixus ſolebat ultro citroque per hortos obambulare: interim rex binos pubeſcentes obſervarat cucumeres, quos ubi eo verſus non reperiſſet, tam præcipiti vehementique ira in pueros exarſit, qui paululum diverſi aberraverant, ut poſtulatos, ac pertinaciter negantes à ſe decerptos, arrepto gladio, quem ex more lateri accinctum geſtabat, unum poſt alterum à ſtomacho reſectum patefecerit, uter eorum furti extitiſſet autor, exploraturus, quum neuter fuiſſet. *Mahometes Othomannus.*

§ 51. Hæc certè barbaris regibus feritas in ita fuit, quos nulla eruditio, nullumque literarum exercitium excoluerat. Sed utinam iſta crudelitas & iræ immanitas inter peregrina manſiſſet exempla, nec in bene educatos reges, non in Romanos mores, non in Chriſtiani nominis principes cum aliis adventitiis vitiis irarum, torturarum, ſuppliciorum ac tyrannidis barbarie tranſiiſſent. Ex Ariſtotelis ſinu hic accipe regem Macedonum Alexandrum, totius Orientis victorem, qui Clitum ſibi chariſſimum & unà educatum, nutricis nimirum ſuæ filium, (à quo fuerat ad Granicum amnem ſervatus, quem provinciæ præfecerat, admoverat convivio) parum adulantem, & pigrè ex Macedone ac libero in Perſicam ſervitutem tranſeuntem, vel potius Perſicam mollitiem deteſtantem, inter epulas perniciosè, & quidem manus propriæ violentia trajecit iræ furiis incitatus: ſed ad ſe reverſus ſerò nimis, vix manus à ſeſe continuit. *Alexander Macedonia rex.* *Cic. 4. Tuſc. quæſt.*

§ 52. Tam inconſideratam rem eſſe iram, inquit Xenophon, plerunque deſignantem, quorum poſt pœniteat. ἀπρονόητον γὰρ ἡ ὀργὴ ὥστε πολλάκις ἐξεργάζεται ἂν μετανοεῖν. Colligere igitur prius ſeipſum iratus deberet, & diſſipatas animi partes

rurſus

rursus in suum locum congerere, donec animi ardor defervеat. At sævius indomitæ iræ exemplum ostendit Alexander in *Callisthene* philosopho, suo condiscipulo, sibique familiarissimo. Nam quum is Persico more vellet adorari, Callisthenes palàm dictitabat, Alexandrum non esse adorandum. Alexander itaque *indignabundus* Callisthenem conjurationis conscium fuisse *criminatus* est, eumque truncatis membris, abscissisque auribus, *labiis & naso* deformatum, post varia tormentorum genera è medio sustulit. Callisthenis ergo mors Alexandri crimen erit æternum, quod nulla virtus, nulla belli fœlicitas unquam redimet. Quoties enim dicetur, Occidit Alexander Macedo Persarum multa millia, occidit Darium: subdetur statim, Et Callisthenem. Lysimachum etiam æquè familiarem sibi, iratus leoni objecit. Tres sanè *maximas* victorias, totidem amicorum injustis cædibus victor obscuravit.

§ 53. Aristoteles itaque conspicatus eum *omnibus ac per omnia* ira excandescentem, per epistolam sic admonuit: *Furor & ira* non adversus æquales exercentur, sed in *meliores præstantioresque*. At tibi ex æquo stat utique prorsum nemo. Elegans Petrarchæ carmen Italicum de hoc Alexandri facinore extat:

Seneto 186.

Vincitor Alexandro lira vinse,
Et fel minor in parte che Philippo.
Ira e breve furor & chi nol frena,
E furor longo chel suo possessore
Spesso ad vergogna & talhora morte mena.

Quod est:

Victorem Alexandrum ira vicit,
Fecitque eundum in parte minorem Philippo patre.
Ira est brevis furor, quem qui non reprimit,
Est furor longus, qui suum possessorem
Vel ad dedecus, vel ad mortem ducit.

Hic adde, quòd Bessum Bactriæ præfectum, qui Darium regem post Persicas opes triplici prælio afflictas, vinctum letaliter confodit, in potestatem redactum Alexander Magnus, ut documento esset omni posteritati, duabus arboribus ex adverso multa vi in se à vertice inflexis religatum, dissectisque repentè vinculis atrociter laniavit ira inflammatus, cacuminibus suo impetu

corpus

corpus in diversa distrahentibus. Disphondonem Græci vocant id genus supplicii, à duplici fundæ excussione. *Disphondo.*

§ 54. Porrò Lysimachus ille quanquam fœlicitate quadam dentibus leonis elapsus, ob hoc tamen, quum ipse regnaret, sedatior non fuit. Telesphorum etenim Rhodium, amicum suum undique decurtatum, auribus abscissis nasoque in cavea velut mirum animal & inusitatum pavit diu, cum oris detruncati mutilatique deformitas humanam perdidisset faciem. Accedebat fames & squalor & illuvies corporis in stercore suo destituti, callosis super hæc genibus manibusque quas in pedum usum angustia loci cogebant: lateribus verò attritu exulceratis, non minus fœda quàm terribilis ejus forma contuentibus apparuit: factusque pœna sua monstrum, misericordiam quoque amiserat: quanquam verò homini esset dissimillimus qui ista patiebatur, dissimilior tamen infinitis partibus erat, qui mentis effervescentis virulento insanoque tumore victus, ea perpetrabat. Agamenno adhæc & Achilles in iræ affectu mediocritatis fines omnino sunt egressi: quemadmodum & Ajax, de quo Horatius: *Lysimachi ex ira crudelitas inaudita.* *Agamenno.* *Achilles.* *Ajax.* *Serm. l. 2. satyr. 3.*

Stultitiáne erret, nihilum distabit, an ira,
Ajax immeritos dum occidit.

§ 55. Huc referendus optimo jure L. Sylla, qui egregiè nobilitatis authoritate defensa, ira furens crudeliter totam urbem atque omnes Italiæ partes, civilis sanguinis fluminibus inundavit: quatuor legiones contrariæ partis, fidem suam sequutas, in publica villa, quæ in Martio campo erat, nequicquam fallacis dextræ misericordiam implorantes, obtruncari jussit: quarum lamentabiles quiritatus trepidæ civitatis aures receperant: lacerata ferro corpora Tyberis impatiens tanti oneris, cruentatis aquis vehere coactus est. Quinque millia Prænestinorum, spe salutis per P. Cethegum data, extra mœnia municipii evocata, cùm abjectis armis humi corpora prostravissent, interficienda, protinusque per agros dispergenda curavit. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto jugulatos, in tabulas publicas retulit, videlicet, ne memoria tam præclaræ rei dilueretur. Nec contentus in eos sævire, qui armis à se dissenserant, etiam quieti animi cives, propter pecuniæ magnitudinem, per nomenclatorem conquisitos, proscriptorum numero adjecit. Adversus mulieres quoque gladios distrinxit, quasi parum cædibus virorum satiatus. *Sylla iratus exemplar tyrannidis.*

 tiatus.

tiatus. Id quoque animi impotentis, & inexplebilis feritatis indicium est, abscissa miserorum capita, modò non vultum ac spiritum retinentia, in conspectum suum afferri voluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet.

§ 56. Quàm porrò immaniter se in M. Mario prætore gessit? quem per ora vulgi ad sepulchrum Luctatiæ gentis pertractum, non prius vita privavit, quàm oculos infœlicis erueret, & singulas corporis partes confringeret. Vix hæc verisimilia videntur. At ille etiam M. Plethorium, quòd ad ejus supplicium exanimis ceciderat, continuò ibi mactavit, novus punitor misericordiæ: apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. Sed mortuorum umbris saltem pepercit? Minimè: nam C. Marii, cujus etsi postea hostis, quæstor tamen aliquando fuerat, erutos cineris in Anienis alveum sparsit. En quibus actis *Fœlicitatis* nomen asserendum putavit. Quum etiam Lucretius *Offella* consulatum à Sylla dictatore peteret, quòd ipsius opera *Sylla urbem Præneste* cepisset, atque juniorem Marium evertisset: *Sylla autem* num consulatum negaret, neque ob id Offella *rogare desineret*: *Sylla*, qui in foro deambulabat, manu sua eum incitatus ira interemit, atroxque facinus graviore verborum atrocitate auxit, cùm populo qui in concionem venerat, aratoris pediculorum morsu vexati fabulam narraret.

§ 57 Hujus tamen furias & crudelitatem C. Marii invidia levat: nam & ille nimia cupiditate inimicos persequendi, iram suam nefariè distrinxit. Post exilium siquidem urbe potitus, cum Cinna

Marius.

Carbone & Sertorio, ad cædem principum animum convertit iratus. Itaque C. Cæsaris Consularis & Censorii nobilissimum corpus, ignobili sævitia trucidavit, & quidem apud seditiosissimi & abjectissimi hominis Varii bustum. Id enim malorum miseriæ tunc Reipublico deerat, ut Varii Cæsar piaculo caderet. Pene tanti victoriæ ejus non fuerunt, quarum oblitus, plus criminis domi, quàm laudis in militia meruit. Idem caput M. Antonii clarissimi Oratoris abscissum, suis manibus inter epulas per summam animi ac verborum insolentiam aliquandiu tenuit, celeberrimiq; & civis & oratoris sanguine contaminari mensæ sacra passus: atque etiam P. Annium, qui id attulerat, in sinum suum, recentis cædis vestigiis aspersum recepit. Ejusdem jussu, Crassi pater & filius, in mutuo alter alterius conspectu jugulati sunt:

ſunt: Bebius & Numitorius per medium forum nucis carnificum tracti ſunt: Catulus Luctatius hauſtis carbonibus, hoſtili ſe exemit ludibrio: Archarius & Merula flamen Dialis confoſſi ſunt: Hæc omnia immanis iræ ac feritatis exempla à Ianuarii Cal. intra Idus abſolvit.

§ 58. Huc & Aſdrubal pertinet, qui Carthagine obſeſſus à Scipione, cujus urbis jam partem Romani occuparant milites, impellente efferaira, & quæ ei naturâ erat inſita, crudelitate, deductis in hoſtium conſpectum omnibus Romanis captivis, partim eorum effodit oculos, quibuſdam linguam nervoſque diſſecuit, multis quoque genitalia hamato ferramento divellere nixus eſt, nonnullis etiam ex pedum planta cutem abraſit, aliquos penitus excoriavit, atque ita affectos ab urbis muris laqueo ſuſpendit. Horum variandis tormentis, quum tanquam in re gratiſſima ſuum patriæque periculum lenire ſtuderet, magis aggravavit. Ejus iratis facibus ſuperari noluit Munatius Flaccus, Pompejani nominis acrior quàm probabilior defenſor, cum ab Imperatore Cæſare in Hiſpania incluſus mœnibus Attinguenſium obſideretur, efferatam crudelitatem ſuam truculentiſſimo genere veſaniæ exercuit. Omnes enim ejus oppidi cives, quos ſtudioſiores Cæſaris ſenſerat, jugulatos muris, irarum furiis agitatus præcipitavit. Fœminas quoq; civitatis nominibus virorum, qui in contrariis caſtris erant, ut cædes conjugum ſuarum cernerent, & maternis gremiis ſuperpoſitos liberos trucidavit. Infantes alios in conſpectu parentum humo infigi, alios ſuperjactos pilis excipi juſſit.

Aſdrubal. *Munatius.*

§ 59. Nec prætermittendus hic Corraus Trincius, qui Fulgineæ in Umbria imperavit, cæſoque Nicolao ejus fratre à præfecto arcis Nucerinæ ob adulterii ſuſpicionem, præfectum ipſum quum in poteſtatem accipere nequiret, quod ſe deſperabundus è ſumma turri dejecerat, deſtitutus poteſtate in vivum ſæviendi, quotquot familiares, cognatos, amicos, notos, qui cum illo conſuetudinem exercuiſſent aliquam, deprehendit, captos cruciatoſque ad excarnificationem, poſtremo comminui in fruſta exenterarique juſſit præ nimia ſui impotentia, ac per ſentes, maximeque frequentium viarum ſepes ac margines, eorum viſcera inteſtinaque ſuſpendi ac paſſim diſpergi. Vehemens item Gallorum ira fuit, quum adverſus Cluſinos, cæteroſque Ethruſcos populos motis armis, pacem cum Romanis turbarunt.

Corraus Trincius. *Gallorum ira.*

Nam quum inito cum Clusinis prælio, rescivissent Fabium Ambustum, legatum Romanum, qui ad conciliandam inter Gallos Clusinosque pacem missus erat, in prælium cum Clusinis descendisse, atque gentis suæ Gallum unum interemisse, ira ac potius furore incensi, omissis Clusinis, Romam petierunt, occisisque omnibus quos invenerant, sacra & prophana incendio ruinisque fœdarunt. Edidit & insignis iræ specimen Fulvia Antonii uxor, quæ venerando capiti Ciceronis allato, contumeliosissimè maledixit, jussitque in rostris, quò magis inter cætera emineret, collocari in præcelso atque edito loco: imò prius in faciem spuit, supra genua collocavit, ex eoque ore aperto linguam extraxit, atque acu multis locis hinc inde transfixit.

Fulvia uxor Antonii.

Nero.

§ 60. Levius damnum dedit commotus Nero princeps, *qui* nunciata Galliarum & exercituum defectione, quum forte discumberet, præ ira mensam evertit, fregitque duo immensi pretii pocula, quibus in tam voluptuoso principatu *nihil fuit illi* voluptuosius. Gravius deliquit Commodus *imperator, qui ira incitatus*, balneatorem in fornacem ardentem *conjecit, quod balneum* ingressurus, tepidiusculum invenisset.

Commodus.

§ 61. Eo bello quod cum Belisario Gothi gesserunt, quum unus militum Constantini Tribuni, Romano juveni insignem speciе ensem ademisset, atque Constantinum Belisarius reprehenderet, quòd tam insolenter agi à sui ordinis milite pateretur, reprehensione minas pro imperio adderet, nisi gladius restitueretur, adeò indignè eam rem Constantinus tulit, ut præ iræ impetu, Belisarii dignitatis ac vitæ suæ immemor, pugione quo accinctus erat, Belisarii pectus peteret. Propter quod facinus statim comprehensus fuit, ac laqueo enectus. Tamberlanes Tartarorum rex, etiamnum barbaris, nominibus multis annumerandus, quum ii quos obsederat, pueros & puellas lineis vestibus candidis amictos, sertisque oleæ redimitos, ei obviam misissent, pacis exorandæ, veniæque deprecandę caussa, omnes ad unum equis immissis indignanter conculcavit. Cum verò ex amicis quidam tam immane facinus reprehenderet: Cave sis, inquit, ne iram & furorem Dei temerè accuses.

Constant. Tribunum.

Tamberlanes.

§ 62. Cæterùm vix iracundus unquam adeò fuit quisquam, ut nulla re lacessitus, excandesceret. Verùm Cælius orator, mortalium ille iracundissimus, clienti suo in omnibus sibi consentienti, atque omnia confitenti, irascens exclamavit: Dic aliquid contra me,

Cælius orator.

me, ut duo simus. Durum sanè caput, quomodo tulisset injurias, qui obsequium non ferebat? Huc referendus is cujus Plutarchus meminit in lib. περὶ ἀοργησίας, qui eum percussurus, à quo agebatur asinus, quum is subinde exclamasset, ἀθηναῖος εἰμί, Atheniensis sum: effervescente amplius ira, fustibus asellum adortus, identidem cum bile & minis, ut Plautus inquit, Æacidinis, vociferabatur, σὺ μὲν οὐκ εἶ ἀθηναῖος, tu quidem Atheniensis non es. Chærephon Atheniensis philosophus, Socratis auditor, non imitator, tam iracundus fuisse traditur, ut proverbio Græco occasionem dederit, ἐν παλλάδος ἴχνεσιν οὐδὲν διαφέρεις χαιρεφῶντος: id est, in Palladis vestigiis nihil à Chærephonte differs. Quem sanè communis sensus haud omnino expertem, non absterrerent ejusmodi irarum monstra, profundissimè sepelienda potius, quàm mortalium memoriæ proponenda? *Chære-phon.*

§ 63. Porrò graviori fortassis terrore movebunt recentiora dirarum harum exempla, apud Christiani nominis supremos potentatus, proh dolor, visa. Stephanus sextus Pontifex, in Formosum Pontificem, quanquam mortuum, quòd is, ne ad pontificatum perveniret, obstiterat, usque adeò impotentis animi fuit, ut erui corpus è sepulchro jusserit, & ademptis pontificiis vestibus atque ornamentis, seculari amictum indumento, extra templum sepeliri: manuum quoque digitos absciderit, tanquam mortuum sacerdotali atque pontificio honore privare vellet, ac piscibus devorandos in amnem abjecerit. Sergius item tertius Pontifex eodem iræ spiritu agitatus, Formosi Pontificis corpus denuò extractum è secundo tumulo, palàm in foro capite mulctavit, ac deinde in amnem in Tyberim projecit, ob id solum, ut Lothario Gallorum regi morem gereret, qui hoc odio Formosum defunctum prosequebatur, quòd ipsius opera imperium à Gallis ad Berengarios transierat. *Stephanus pontifex.* *Sergius pont.*

§ 64. Nonnuli quoque arbitrati sunt, in Formosum sæviendi apud Sergium eam fuisse caussam, quòd in Pontificatus creatione Formosus Sergio nonnunquam restitisset. Sic quandoque Pontificis authoritas in tyrannidem convertitur. En verò exemplum insignis iræ, quam in Gibellinam factionem effudit Bonifacius octavus Pontifex: Siquidem ipso Cinerum die, quum ex more Pontifex ecclesiasticorum antistitum capita cinere conspergeret, ubi ad Porchetum Spinulam Genuensem archiepiscopum per- *Egnat. l. 9. cap. 3.* *Bonifacius 8.* *Fulgos. l. 9. cap. 5.* *Sabell. l. 9. c. 11.*

venit, quòd Gibellinæ factionis esse putabatur, cinerem non capiti inspersit, sed in oculos conjecit, perversè enunciatis verbis solennibus: Memento te Gibellinum esse, & quòd cum Gibellinis in cinerem reverteris.

Iustinianus 2. § 65. Sic etiam Iustinianus secundus Imperator, præ iræ violentia in vindicandis adversariis suis crudelior quam justior, Chersonenses, qui eum prodere exulem machinati erant, prorsus delere instituit, septem ex primariis ejus loci verubus ligneis affixos assavit, viginti verò aquis submersit, & reliquam multitudinem acerbo mortis genere sustulit: ad infantes, quibus sicarii pepercerant, extirpandos classem instruxit: qua tempestatis furore disjecta, ministros cædis ad septuaginta millia, antequam in Chersonam pervenirent, in maris profundo submersit. In cives adeo sævijt, ut quoties pituitam à naribus truncatis profluentem abstergeret, toties aliquem ex illis trucidare juberet. Leontium & Absimarum, qui imperium invaserant, pedibus conculcatos, acclamante populo, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem ac draconem*, jugulari fecit. Tandem omnibus exosus, à *Philippico præfecto* exercitus, est interfectus, & hanc laudem sibi reliquit, ut hæreticus, adulter & tyrannus ab omnibus proclamaretur. Insimulatur

Carolus Burgundus. quoque Carolus ultimus Burgundiæ dux, quòd ira incitatus Leodii atque Dinanti, nulli ætati aut sexui pepercerit: quòd etiam quingentos Helvetios in deditione acceptos, uno die partim funibus ordine alligatos in lacu submerserit, partim suspenderit.

Lib. 10. exempl. cap. 3. de irac. Factiosæ urbes Italiæ. § 66. At nusquam gentium majora iræ argumenta extitisse, author est Sabellicus, quàm in factiosis Italiæ urbibus, cum suatum patrum memoria: ubi factionum principes in hostium potestatem redacti, vivi quidam combusti sunt, in crepundiis pueri interfecti, prægnantes matronæ utero execto cum partu atrociter interemptæ, multi præcipitati, exenterati quidam, cordaque ad opprobrium suspensa & diverberata: sed quales fuerint ejusmodi carnificinæ, illud declarat, quòd clementia fuit hominem securi subjicere, aut laqueo enecare. Addit Pontanus, se ab avia intellexisse,

Lib. de Immanit. cap. 13. in capitalibus quarundam familiarum dissidiis, quendam ex altera factione captum, evestigiò in minutissima frusta fuisse concisum, moxque exemptum illi jecur, in prunis candentissimisque carbonibus à factionis ejus principibus tostum, perque buccellas minutim dissectum, inter cognatos ad id invitatos, in jentaculum

lum distributum. Allata etiam post degustationem tam execrabilem pocula, non sine collecti cruoris aspergine. Congratulationes habitæ inter se, risus, joci, leporesque cibum talem condientes: denique & diis ipsis propinatum, tantæ vindictæ fautoribus.

§ 67. Similiane, an tragica magis quàm suprà enarravi, immanium irarum exempla, hoc nostrum viderit ævum, & adhuc calamitosissimè experiatur in motibus religionis ergò ortis, aliorum liberiori calamo relinquendum, securius existimavi. Testimonio autem mihi erit universa Germania, nec negabit Italia, sentit Hispania, dolet plurimum Anglia, luget annos jam multos desperatè Gallia, & jam Belgicæ provinciæ omnes tanto tempore miserrime deplorant. Quinimò cœlum tragico ejusmodi nidore contristatur, terra innoxio sæpius sanguine transfusa lachrymatur, gemunt undæ hisce efferatæ iræ documentis, ignis item commiseratione excandescit. Fides sæpenumerò in fraudem nefariè data, contractus sceleratè violati, sacramenta solenniter præstita Deo & hominibus, irrisa, contempta & nihili habita. *Ira inaudita exempla nostri ævi.*

§ 68. Facessant hic Artaxerxis Persarum regis Xerxis filii thecæ horribiles, quibus includebantur vivi homines: procul sint Parisatis minoris Cyri matris, suppliciorum monstra: identidem Numulisinthis (alii Cysenida nuncupant) Diogiridis filiæ, Thraciæ regis carnificinæ, velut & Tryzi insignis tyranni, & Apollodori apud Cassendrenses rempublicam administrantis, Periandri Corinthii, Demetrii Phanostrati filii Atheniensium tyranni, pantaleonis Eleorum tyranni, Arcesilai Macedoniæ regis, Alexandri Pheræi, Dionysii Syracusani, & Æmilii Censorini inauditæ cruciatuum machinæ: adhæc Volesi Asiæ proconsulis sub Augusto, Avidii Cassii Tiberii tertii Romanorum Imperatoris, Sejani, C. Caligulæ, Auli Vitelii, atque Adriani Rom. Imperatoris extrema crudelitas: quemadmodum & Antonini Commodi, Antonii Caracallæ in omnem sævitiam natura propensi, & filii ejus Antonini Heliogabali, Macrini item ob ineffabilem crudelitatem Marcellini nuncupati, Leonis Armeniaci filii Pardi patritii, Gilemer regis Vandalorum, & Riccii Monterlarii sanguinaria atrocitas: Nicolai Fortibrachii funes & capistra suspendio in immeritos quoq; destinata, Vitoldi Lituaniæ ducis canes & arcus: *Tyranni.*

Ecelini

Ecelini Romanensis, Ioannis Mariæ ducis Mediolanensis & Ferdinandi regis Neapolitanorum novæ tyrannidis formæ, quas irarum diræ excogitarunt & architectatæ sunt: facessant, inquam, hic quorumcunque aliorum diversa enormium tormentorum genera.

§ 69. Superari nolumus veterum immanitate, & posteriorum quorundam diritate, squalidis carceribus, dæmonum hospitiis, cruciatuum & carnificinarum truculentissimarum varietate incredibili. Cedant iræ suæ ferocia quicumque hostes Christiani nominis & veræ religionis acerrimi, ipse Claudius Imperator, Nero, Domitianus, Trajanus, Diocletianus iræ sævitia in Christianos vincens quoscunque alios Romanos principes, Maximianus, Maximinus, Decius, M. Aurelius, Valens Imperator Arrianus, Aurelianus, Julianus! Valerianus, Marcatius Alexander Imperator, Honoricus Vandalorum rex, Aspasius, Quintianus, Cosdroas & Isdigertes Persarum reges, Cavades, Haumar Saracenus, Habdallas, & quicunque reliqui barbari ejusdem crudelitatis Christianorum persequutores. O religio, ô tempora, ô Galli, ô Belgæ, ô sanguinarie hypocrita & fratricida Cain, qui ficto sacrificio in ira exosus fragantiam gratæ Deo hostiæ, innocentem Abelem trucidasti, & ab hoc atque interempto circa altare Zacharia usque ad hæc nostra tempora tam crudelem posteritatem reliquisti, cui nulla ætatis aut sexus est ratio, quæ in cujuscunque ordinis & sortis homines æquè latrocinatur: ô efferate Pharao, tam diris modis calamitosum Israëlem opprimis, & pertinaciter adhuc cum nefanda tua sobole persequeris? Quàm lubet exclamare auream prudentissimi Senecæ sententiam: Non decet regem sæva & inexorabilis ira. Mansuetudinem præcipuè eos ornare qui in potestatibus sunt, literarum monumentis traditum reliquit os illud verè aureum, æterna laude dignissimum.

Christianorum hostes.

Diocletianus.

Chrys. super acta apost. homil. 84.

§ 70. Tam enormis tyrannidis administri profectò merentur, ut artis suæ opus in Phalaridis tauro simul experiantur sentiantq́; & quum merè sint sanguinarii, perpetiantur id quod Cyrus Persarum rex, qui dum Sargapisem Thomyris Massagetarum reginæ filium, bello captum ad mortem impulisset, irata mater non prius destitit, quàm mortuum ulta esset. Contractis itaque copiis ita conflixit, ut maximam hostium partem, cum ipso etiam rege internecioni dederit. Inde & defuncti Cyri caput in utrem humano sanguine plenum demisit, hisce verbis exprobrans: *Filii mei*

Thomyris.

Cyri mors.

mei sanguinem hausisti, & meum sitiuisti Cyre, at ego te cruore saturabo. At Deus bone, quis tandem horum motuum, quis dirarum irarum exitus? Non est quòd Æaco, Rhadamanto & Minoi imputemus, non quòd in Albanum, Vergatem aut Hispanum, ultionis divinæ organa oculos conjiciamus: sed in proprium quilibet sinum inspuat. Resipiscentia vincamus, à malo quisque declinet, & quod bonum est, operetur: piè, justè & castè hujus seculi curriculum perficiat, nec alteri faciat, quàm quod sibi fieri velit. Sic pestis hæc haud dubiè defervescet, monstrumque horrendum ibit pessum.

§ 71 Cæterùm omissis tam communis quàm civilis funestæque Erynnis narrationibus terrificis, in quibus prolixior fui, ut rerum analogiâ à tam furiosi affectus fœda specie aliorum animas absterrerem, ad alia nunc alterius generis, minimè terrentia, verùm laude & imitatu longè dignissima, clarissimorum virorum exempla documentaque convertamur. Prædicatur hic in primis Philippus rex ob victam iram & humanitatem singularem erga Nicanorem Macedonem, qui omnibus in locis, quantum poterat, Philippum criminabatur. Nam quum Sinycithus aliique Philippi amici suaderent, ut in eum rex animadverteret, restitit Philippus dicens: Haud malum esse virum Nicanorem, sibi persuasum esse. Quum igitur inopiam ejus nosset, dono ei pecuniam misit. Post quod factum, quum à Sinycitho moneretur, Nicanorem non criminari ut antè, sed regem laudibus efferre: Philippus Sinycitho fertur dixisse: Nunquid vides in manu nostra esse, ut quæ volumus, à populo audiamus? Alexander item Macedonum rex in detractores suos etiam liberalitate est usus, regium esse dicens, à quibus malè audias, in eos quoque beneficentiam exercere. Sic & Persarum rex Artaxerxes, quum ab Alcide Sampsone ubique accusaretur, ei jussit renunciari, licere ipsi regem arbitratu suo criminari, sed vicissim regi quoque integrum esse, & dicere & statuere in eum quæ ipsi collibe-ret. Hoc quidem dicto, licet humano, Alcidis temeritatem ostendit, ac suam potentiam clementiamque innuit. Idem ducibus suis qui deliquissent, pro eo quod flagris cædi solent corpora, mandavit ut pro corporibus vestes illis detractæ cæderentur: utque pro eo quod solet illis velli caput, tiara deposita velleretur.

Clementia exempla insignia.

Philippus rex.

Alexander Macedo.

Artaxerxes.

§ 72. Hic autem cumprimis celebratur Iulius Cæsar, qui tam

in administranda republ. quàm in victoria & hostibus ulciscendis, mirabili fertur usus moderatione. Adde quòd Dictator, quum rerum gestarum fama & gloria floreret, Catullum Veronensem, cujus versiculis de se & Mamurra editis, indelebili respersus esset infamia, sibi satisfacientem non solùm non incommodo affecit aliquo, sed cœnæ etiam adhibuit : & quod majus etiam fuit reconciliatæ gratiæ signum, in ejus patris hospitio, ut erat solitus, perseverabat. Augustus princeps, verus Iulii Cæsaris hæres & in hac laude æmulus, L. Cinnam, Cn. Pompeji nepotem, in hostium castris repertum non solùm servavit, sed (quod ad charitatis cumulum accessit) integrum ei patrimonium restituit. Eundem conjurationis adversum se initæ convictum, ea lege incolumem præstitit, ut diceret : Olim tibi hosti, ô Cinna, nunc insidiatori & parricidæ veniam do. Iam hinc inter nos inchoetur amicitia, contendamusque, utrum meliore fide ego bis tibi vitam condonaverim, an tu acceperis. O divinam prorsus clementiam, ei qui vitæ insidias struxisset, honores illos impartiri (in sequentem enim annum consulem designatum in familiarium amicorum numero habuit) qui vix illis essent deferendi, qui periculo pro tuenda conferentis salute vitam objecissent. O memorabile exemplum, quorundam Christianorum potentatuum oculis, hoc potissimùm turbulentissimo afflictissimoque seculo opponendum, si fortè remissis iræ furiis, clementer gratioseque cum subditis agere, & in justum suscipere patrocinium queant. Idem ille Imperator multa posteritati reliquit, è quibus apparet huic iram non imperasse.

Augustus.

§ 73 Timagenes historiarum scriptor quædam in ipsum, quædam in ejus conjugem & universam domum dixerat, nec perdiderat, dicta : magis enim circumfertur, & in ore hominum est temeraria urbanitas. Frequenter à Cæsare fuit admonitus, ut lingua moderatius uteretur : perseveranti domo sua interdixit. Postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinii consenuit, in tota civitate charus. Nullum illi limen præclara Cæsaris domus abstulit : historias quas postea scripserat, recitavit & combussit, & libros acta Cæsaris Augusti continentes, flammis tradidit. Inimicitias gessit cum Cæsare Augusto, amicitiam ejus aspernatus est nemo. Fuit qui præberet tam altè cadenti sinum. Tulit hoc Cæsar patienter, ne eo quidem motus, quòd laudibus suis rebusque gestis manus injecerat. Nunquam cum hospite inimici

§ 76. Simili clementia Pertinax Imperator erga Falconem imperium affectantem usus est, cujus vitæ fortunisque vim ullam inferri nunquam voluit. Sic & Crassus Calphurnius quum Coccejo Nervæ Imperatori insidias tetendisset, is in tam sublimi fortunæ gradu collocatus, tantæ injuriæ veniam dedit, & munere suo fruendam ei vitam reliquit, qui ipsi per insidias salutem eripere tentarat. Vespasianus, qui Flaviæ gentis primus est rerum Romæ potitus, Vitellii hostis sui filiam matrimonio splendidissimo locavit, ac dotatam muliebri mundo instruxit, ingenitæ charitatis suæque clementiæ magis quàm paternæ injuriæ memor. Vitellius enim Sabinum ipsius fratrem occiderat, & filium ut interficeret, acerbè persequutus erat. Sic & Titus Vespasiani filius, accersitis ad se duobus patritii ordinis, qui affectare Imperium dicebantur, modestè eos coarguit, suppresso iræ impetu, docens fato imperia, & non ingenio aut ulla alia industria dari. Quòd si quid cuperent, eos id ut peterent, hortabatur, se libenter assensurum promittens. Ambos cœnæ etiam secum adhibuit, idque qui alterius eorum matri annunciaret, celeriter misit, ne quum detectam conjurationem intelligeret, verita filii vitam in discrimine versari, sibi ipsi mortem conscisceret. Postero quoque die in theatro utrunque sibi assidere jussit, & ut ipse oblata gladiatorum tela inspexit, ea utrique spectandæ porrexit. Itaque ubi hoc mansuetudinis & humanitatis documento amandum se cunctis offerret, mirum minimè videri debet, si is populi Rom. judicio, Humani generis delitiæ appellaretur. Idem fratrem Domitianum insidias molientem non est ultus sed his admonuit verbis: Quid opus te parricidio petere, quod me volente obventurum est, imò quod jam habes, Imperii particeps? Haud temerè in Christiano tantum mansuetudinis reperias.

Pertinax Imper. *Cr. Calphurnius.* *Vespasianus.* *Titus.*

§ 77. Nero Imperator sub Imperii initia, ejus fuit clementiæ, ut quum ei ex more damnationis libelli, quibus subscriberet, exhiberentur, gemebundus exclamarit, Utinam verò nescirem literas: ne videlicet subscribere cogeretur. Quum in Cæsarea moraretur Agrippa Iudæorum rex, se palàm à Simone Iudæo reprehendi, quòd Iudaicæ legis esset eversor, cognovit Accitum itaque Simonem in theatrum, spectante populo, assidere sibi voluit, rogans, in quo Iudaicam violaret legem? & ut palàm responderet, monuit. Simon regis indignationem veritus, ad pedes ipsius

Nero. *Agrippa Iud. rex.*

procidit, delicti remissionem orans. Supplicem manu sua erexit rex, nec solùm ignovit crimen, sed & muneribus ornatum remisit domum citra ullius iræ notam. Insigne pœnitentiæ cum ira conjunctum exemplum ostendit Adrianus Imperator, qui quum stylo servi sui oculum eruisset, huic accersito fecit potestatem, ut pro ea calamitate munus posceret: tacentem verò miserum denuò hortatus est, ut aliquid pro suo delectu peteret: qui tandem nihil aliud à se desiderari, quàm oculum quem amiserat, respondit: ratus nullum inveniri posse munus, quo oculus rependi queat. Quale cauterium Imperatoris animo hoc responsum inusserit, in eoque reliquerit, facile est colligere.

Adrianus Imper.

Galienus.

§ 78. Quidam uxori Galieni junioris gemmas vitreas pro veris vendiderat: re compertæ, mulier flagitavit vindictam. *Cæsar* hominem corripi jussit, quasi leoni objecturus. Dein è cavea, dum impostor & populus terribilem expectat leonem, *prosilit* capus. Cunctis rem tam ridiculam admirantibus, per curionem *dici* jussit: Imposteram fecit & passus est. Iustinianus *Vitigem Gothorum* regem, populi Rom. acerbum hostem, *quum à Bellisario captivus* Constantinopolim missus esset, non ut hostem captivumque, sed ut amicum habuit. Patritia enim dignitate decoratum, magnæ eum provinciæ Persis finitimæ præfecit, ubi honoris & opum plenus aliquod tempus vixit. Ludovicus Pius Imperator Theodulphum episcopum (cujus consilio & instinctu à Lothario filio pulsus regno, & in custodiam traditus erat) deprehensum non immaniter tractavit: sed quum aliquandiu in carcere habuisset, illæsum dimisit, tantæ nequaquam memor injuriæ.

Iustinianus.

Ludovicus Pius.

Fridericus Imp.

§ 79. Fridericus Imperator, victis in Hungaria Gunziensibus: Magnum, inquit, actum est opus. Nunc autem majus restat, ut scilicet nosmetipsos vincamus, atque avaritiæ & ulciscendi cupiditati fræna injiciamus. Discant jam nostri principes victores, ipsius exemplo imperare animi affectibus, neque insolescere ob res ad nutum voluntatemque cedentes, & parcere victis. Similiter Sigismundus Romanorum Imperator objurgatus, cur fugatos hostes non insequeretur, & comprehensos occideret? Satis, inquit, vicit, qui hostes fugavit. Utinam & hujus exemplo nostræ ætatis principibus persuaderi queat, multo sanguine partam victoriam non existimari victoriam. Ladislaus rex Pannoniæ, victum à se inimicum regnare permisit. Ad Dromichetes

Sigismundus.

Ladislaus rex.

Dromichetes.

chetes Getarum rex, Lysimachum regem, qui nulla lacessitus injuria, ultrò arma intulerat, prælio devictum cepit. Quanquam hic barbarus, ferox & inops magnas in eum irarum ansas haberet, tamen remissa illati belli injuria familiariter, ut alii opes ostentare solent, ipse suam populorumque suorum pauperiem Lysimacho ostendit, atque ea se valde contentum vivere affirmans, ipsum liberavit, & ex rerum copia quas habebat, muneribus affecit. Datæ etiam libertati ac muneribus consilium addidit, ne in posterum cum his bellum Lysimachus gereret, quibus divictus non multum lucri fecisset promovisset-ve, quin potius ejusmodi hominibus uteretur amicis. Eodem facto se audacem, prudentem & humanum, sed sui, avaritiæ & superbiæ non minus quàm hostium domitorem esse ostendit.

§ 80. Saladinus quoque Sultanus Ægypti humanum se suique potentem erga Christianos hostes præstitit, qui in arce Cracholim (Deserti petra nuncupata) biennium obsidionem post amissa Hierosolyma Syriamque omnem sustinuerunt. Nam quum ultrà fames resistere eos non admitteret, non modò incolumes omnes servavit, verùm filios quoque & uxores in obsidione divenditas, ut unde alerentur, haberent, redemit, ac præterea ingentem pecuniam dono dedit, & cum præsidio in Christianorum populorum fines remisit: dignos arbitratus qui juvarentur, quia fidelem fortemque operam præstiterant. Omnes idcirco prout vel scelus vel bonitas ac fides, aut pœna aut munere dignos reddiderat, prosequutus est. Idem captis Hierosolymis, quum ad ejus pedes Christianorum militum, qui in prælio occubuerant, lachrymis offusæ uxores provolverentur, orantes ut ex pacto promissa pecunia, nihil prorsus habentibus remitteretur, non blando solùm alloquio lenire earum dolorum nisus est, verùm & promissam remisit pecuniam. Præterea tam liberaliter quoque eas è suo donavit, ut tutò se in Christiani Imperii loca recipere possent. *Saladinus Sultanus.*

§ 81. Utinam parem barbari mansuetudinem à Christianis sensissent Geldrorum Zutphania, Hollandorum Nerda & Harlemium. Sabacus Æthiopum & Ægyptiorum rex adeò à sanguinis effusione exhorruit, ut capitis reos damnatosque, vinctos catenis operas civitatibus præstare juberet, ne scilicet interimerentur. Demetrius Antigoni filius, quum cepisset Atheniensium, *Calamitas Zutphania, & Nerda, Harlemi. Sabacus. Demetrius.*

qui

qui defecerant, urbem, eaque graviter rei frumentariæ penuria laboraret, repressa omni iræ nota, protinus convocata concione, frumentum illis dilargitus est gratis. *Iuniperthus.* Iuniperthus, Ariperti Longobardorum regis filius, prælio victum Alchuinum, qui Tridenti ducalem hominem gerebat (nam ab ipso atque ab ejus patre rebellaverat quanquam illud pater graviter ferret) non liberavit modò, verùm etiam ne sine principatu viveret, pro Tridento Brixiam dedit.

Thrasybulus. § 82. Thrasibulus populum Atheniensem, triginta tyrannorum ira & sævitia sedes suas relinquere coactum, dispersamque & vagam vitam miserabiliter exigentem: animis pariter atque armis confirmatum, in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis victoriam, clariorem aliquanto moderationis laude fecit. Plebis enim scitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret. Hæc oblivio, quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant, concussum & labentem civitatis statum, in pristinum revocavit habitum. *Onomademus.* Onomademus Chius, postquam adversam factionem superasset, quibusdam censentibus omnes diversæ factionis urbe pellendos, negavit expedire, dicens, Se vereri, ne omnibus inimicis ad unum ejectis, inter amicos existerent dissidia: sentiens, sic esse multorum ingenium, ut si desint inimici, in quos naturæ malitiam exerceant, amicos impetant.

§ 83. Sed ad recentiora victæ iræ, moderationisque ostensæ Christianorum hominũ exempla progrediamur, si fortè iis à plumbearum irarũ conatibus ad animorum sedationem, & justum subditorum amorem patrociniumque magis traduci queant nostri seculi magistratus supremi. *Carolus Magnus.* Post Carolum Magnum Germania præstantiorem Cæsarem non habuit, inter cujus laudes verè heroicas & Christiano principe dignas cumprimis refertur, quòd multis modis lacessitus nihil temerè crudeliterque statuerit, sed victis clementer ignoverit ac pepercerit, deleta ex animo omni offensionum memoria. Quod in primis heroici animi argumentum esse oportuit: ϛρεπταὶ γὰρ φρένες ἐσθλῶν, inquit Homerus: &

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
Et facilis motus mens generosa capit.

Ludovicus 11. Gall. rex. Adde insigne moderationis exemplum Ludovici undecimi Galliarum regis, quum cives suos Lutetiæ cerneret cum Carolo Burgundiæ duce de regno constituendo agitare. *Ludovicus 12.* Sic & Ludovicus duo-

duodecimus, ubi ad regiam dignitatem post Carolum octavum sine liberis mortuum pervenit, omnes qui antè in illum hostili fuerant animo, benignissimè suscepit. Quinetiam Aurelium civem, quem acerrimum antea hostem semper fuerat expertus, quum à familiarissimo suo bona illius peterentur, ad se accitum, hospitio regio citra ullam excandescentiæ notam excepit: insuper se omnium injuriarum oblitum fatetur, quas ipsi invexisset, & se illum in posterum amicissimi loco habiturum pollicetur.

§ 84. Alphonsus item Arragonum rex, capto Arpario oppido, Marinum Bossam hostem infestissimum nactus, in cujus mortem universus fermè exersitus conjurarat, eum à furore militum defendit, & non tantùm bona jam liberato restituit, sed & in senatorum ordinem accepit, atque ipsius filios in aulicorum suorum numero esse voluit. Idem cum in obsidione Stephati centuriones ac milites qui maledixerant regi, post captam urbem clementer tractasset, à suis reprehensus, quòd morte damnandos judicarent, respondit: Se malle ex clementia & humanitate erga hostes, quàm ex victoria laudem consequi. Et certe eandem ex Dei justo judicio sensit hic gratiam apud hostem, qualem præstitit. Nam quum apud Gajetam navali prælio victus, in Philippi Mariæ Mediolanensis ducis potestatem venisset, non ut captivus est habitus: sed festis, ludis conviviisque honoratus, sine pretio dimissus est. Hic & canibus iratis ac oblatrantibus offulam esse objiciendam dicere solitus est: innuens, homines malevolos & ira succensos benevolentia & placabilitate reconciliandos esse. Proinde Ioannem Fortem, qui ipsum ubique locorum calumniatus fuerat, inopia pressum ad se vocavit, viaticoque & pecunia juvit ac dimisit, minimè ejus maledicentiæ memor. Simili liberalitate & beneficentia usus erga quendam equitem Hispanum, qui apud reges Occidentales Alphonsi nomen & vitam multis calumniis passim & palàm prosciderat: tandem verò ad Alphonsum rediens, perhumaniter & benignè exceptus, non raris est ornatus beneficiis. Quum etiam intellexisset, Albertum Orlandum apud ipsum diutissimè exploratorem agere, non modò non è sua ejecit aula, sed salarium illi annuum ultrò quoque constituit, secluso omni animi rancore.

Alphonsus Arag. rex.

Sententia rege dignissima, quam utinam ejusdem posteri amplecterentur.

§ 85. Veneti insuper hoc nomine mirè celebrantur, qui Cretensibus sæpe rebellantibus clementer ignoverunt: quemadmodum

Veneti.

modum & Iaderæ insulæ septies à Veneto imperio descîscenti, gratiæ sinum non occlusere, sed benevolè eosdem complexi sunt: *Sixtus 2.* ita & alibi frequenter. Sixtus quoque secundus Pontifex apud Valentinianum juniorem Imperatorem, & Placidiam ejus matrem, à Basso patritio gravissimorum criminum accusatus, innocentiam suam demonstravit : inde ne in exilium mitteretur Bassus, multis lachrymis deprecatus est, licet frustra. Mortuo pòst Basso, non modò sua præsentia funus honoravit, sed & suis manibus *Alexander 6.* sepulturæ tradidit. Similiter & Alexander sextus Pontifex suos adversarios placabilitate ac patientia devinxit : neque de eorum qui ex numero patrum exulabant, quosve suspectos habebat, dignitate quicquam detraxit. Suum hic locum meretur etiam Rodericus Vivarius Hispanus, eques Cid cognomi- *Rodericus Vivarius.* natus : qui coactis copiis, ut Mauros, qui partem Hispaniæ Beticam occuparant, domaret, in itinere, quum jam finibus regni Petri Arragonii regis appropinquaret, à *Petro armis petitur* : at strenuè illatam vim repellens, in prælio *regem cepit : quem licet* justis de causis ob datum damnum mulctare *graviter potuisset*, citra pecuniæ exactionem & regni imminutionem liberè dimisit, suis affectibus imperans, & ad Mauros, uti cœperat, iter continuavit.

Elizabetha Angliæ regina imitandum exemplum. § 86. Porrò omnium laudem post se *relinquit illud cunctis seculis memorabile*, & Christianæ religionis principibus certè imitandum factum serenissimæ reginæ *Angliæ Elizabethæ*, vel hoc nomine solo immortalitate dignissimæ, quæ haud ita pridem anno sexagesimo nono supra millesimum quingentesimum, victis rebellium subditorum aliquot multis millibus, compressa ira clementer ignovit, domumque redire jussit, capto *saltem seditionis hujus* authore duce Norfocio. Nihil profectò laudabilius, & heroico verè animo dignius, quàm privatæ posse oblivisci injuriæ. *Tales gubernandæ* reipublicæ utiliores, quàm ira præcipites, & animi impotentia atrociter furientes.

Lib. III. cap. 41. 42. 43. de ira. Admonitio sana. § 87. Quod itaque Seneca prudenter admonet, pacem demus animo, quam suppeditabit præceptionum *salutarium* assidua meditatio, probæ rerum actiones, & mens ad unius honesti rectique cupiditatem intenta. Conscientiæ satisfiat : de *fama* non nimium pere laboretur, etiamsi mala de benemeritis sequatur. Arqui mimosa miratur cæcum vulgus, audacibus honorem defert, placidos

dos habet pro inertibus. Primo fortè intuitu id magis evenit: sed simulac æqualitas vitæ fidem facit, non segnitiem illam animi esse, verùm pacem, cum prudentibus agnoscet, eandemque venerabitur & colet. Nihil igitur utile habet teterrimus ille & mirè hostilis affectus: at cuncta econtrariò mala, ferrum, tormenta, ignes: qui etiam omni rejecto pudore, quocunque atrocissimarum cædum & latrociniorum genere manus inquinat. Nihil relinquit à scelere vacuum, nec gloriæ, nec infamiæ memor, inemendabilis ubi in odium occalluerit. Quapropter in hoc toti semper simus, ut hoc morbo careamus, purgemus mentem, & extirpemus ea vitia radicitùs, quæ licet tenuia undecunque hæserint, renascentur: & iram non modò temperemus, sed omnino, quoad fieri potest, removeamus. Nec ulla res hic magis proderit, quàm mortalitatis cogitatio. Sibi quisque, ut alteri, dicat: Quid juvat in æternitatem natos indicere iras, & brevissimam turbare dissipareque ætatem? Quid delectat, quos in honestam voluptatem impendere licet dies, eos in dolorem alicujus, imò propriam transferre torturam? Quid ita bonas perdimus horas? quid in pugnam ruimus? quid certamina & dissensiones nobis accersimus? quid imbecillitatis obliti ingentia odia suscipimus, & ad frangendum fragiles consurgimus? Iam istas inimicitias, quas implacabili gestamus animo, febris aut aliud malum corporis vetabit geri: jam par acerrimum media mors dirimet. Quid tumultuamur, & vitam seditiosi conturbamus? Consistit super caput fatum, & pereunti dies imputat, propiusque ac propius accedit. Quin potius vitam brevem colligis, placidamque & tibi & cæteris præstas? Cur non libentius amabilem te, dum vivis, omnibus, desiderabilem quum excesseris, reddis? Quid clienti, quid servo, quid domino, quid regi tuo irasceris? Siste gradum, paululum sustine: venit ecce mors, quæ nos pares faciat.

§ 88. Apud veteres videre solent inter matutina arenæ spectacula, tauri & ursi pugnam inter se colligatorum, quos quum alter alterum vexarit, suus confector spectat. Idem facimus: aliquem nobiscum alligatum lacessimus, quum victo victorique finis æquè maturus immineat. Quieti potius pacatique quantulumcunque superest, exigamus: nulli viro bono funus nostrum appareat invisum. Sæpenumero rixam conclamatum in vicinia incendium solvit, & interventus feræ latronem viatoremque diducit.

ducit. Colluctari cum minoribus malis non vacat, ubi metus major apparuit. Quid nobis cum dimicatione & insidiis? Numquid amplius isti cui succenses, quam mortem optas? Etiam te quiescente, morietur constituto divinitùs momento: perdis itaque operam: facere vis, quod futurum est. Prorsus nolo, inquis, trucidare: sed ignominia, pudore & damno afficere, atque illatam injuriam ultione rependere. Magis ferè ignoscendum ei qui inimici vulnus, quàm qui punctionem desiderat: hic enim non tantum mali animi est, sed & pusilii. Sive de extremis suppliciis cogitas, sive de levioribus, quantulum est temporis quo aut ille pœna sua torquetur, aut tu ex aliena infœlix percipis gaudium? Iam ipsum spiritum expuimus, interim dum trahimus. Dum inter homines agimus, humanitatem colamus: non timori cuiquam, non *periculo* simus: detrimenta, injurias, convitia, vellicationes contemnamus, fortique animo momentanea toleremus incommoda: dum respicimus (quod ajunt) versamusque nos, ipsa *aderit immortalitas*.

§ 89. Porrò ut à pernitioso tenacis *hujus affectus morbo quis* magis coerceri præservarique possit, ne suas altius radices agere permittatur, hanc tandem curationem philosophicam finire volui

Ira tardissimè senescit. explicatione illius adagii Græci; nimirum, ὁ θυμὸς ἔσχατον γηράσκει, quo ostenditur iram omnium tardissimè senescere. Sumptum autem videtur ex Sophocle, cujus in Oedipo Coloneo hæc sunt verba:

> θυμοῦ γὰρ οὐδὲν γῆράς ἐστιν ἄλλο, πλὴν
> θανεῖν θανόντων οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται.

hoc est:

> *Senecta nulla obtingit iracundiæ,*
> *Nisi mors: sepultos nullus attingit dolor.*

§ 90. Idem ipsum innuit Homerus elegantissimo sanè figmento

Ate. de Litis & Ate. Hanc deam facit, quæ noxas & turbas soleat immittere rebus mortalium, atque ipsam quidem acribus oculis ac per-

Litæ. quàm celeribus esse pedibus: cæterùm post eam multo intervallo consequi Litas, deas quæ quod Ate turbaverit, sarcire conentur. Has & strabis fingit oculis, & pedibus claudis: illud videlicet insinuans, offensas esse citas, reconciliationes tardas, propterea quod injuriæ diu meminisse solent homines. Carmen Homeri ex Iliadis libro nono subscribere placuit:

καὶ γάρ τε λιταί εἰσι διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
χωλαί τε ῥυσαί τε παραβλῶπές τ' ὀφθαλμὼ,
αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθεν ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι,
ἣ δ' ἄτη σθεναρή τε, καὶ ἀρτίπος, οὕνεκα πάσας
πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν
βλάπτουσ' ἀνθρώπους, αἳ δ' ἐξακέονται ὀπίσσω.
ὃς μὲν τ' αἰδέσεται κούρας διὸς ἆσσον ἰούσας.
τὸν δὲ μέγ' ὤνησαν, καί τ' ἔκλυον εὐξαμένοιο.
ὃς δέ κ' ἀνήνηται, καί τε στερεῶς ἀποείπῃ,
λίσσονται δ' ἄρα ταί γε δία κρονίωνα κιοῦσαι,
τῷ ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ.

Quorum verſuum nec indoles nec gratia, ſed ſententia utcunque redditur Latinis auribus:

Nam Litas etiam genuit Saturnius ingens,
Rugoſas, pedibus claudis, ac lumine læſas;
Quæ à tergo comitantur Aten, medeantur ut illi.
Ipſa Ate pedibuſque valens & robore præſtans,
Proinde gradu celeri longè prævertitur, omnes,
Occupat, & terras prior advenit illa per omnes,
Mortales lædens: verùm hæ poſt terga ſequuntur
Sarturæ, quicquid commoverit illa malorum.
At verò natas Iove, qui reveretur & audit,
Se ſimulac adiere, huic commoda plurima gratæ
Conciliant, hujuſque viciſſim vota receptant.
Rejicit at ſiquis præfractè & pernegat illis,
Tunc adito Iove patre precantur, ut ilicet Ate
Huic adſit, pænaſque ſuo det denique damno.

Ejuſdem Ate ſit mentio Iliados τ. ubi Iupiter imputans huic deæ, quòd à Iunone deceptus eſſet, illam capillis arreptam, in terras præcipitem dedit, interdicens ne unquam in cœlitum contubernium rediret: & quidem meritò, nullus etenim profectò apud cœlites iræ locus.

Curatio Paroxyſmi iræ philoſophica.

Quum ſalubriter Apollonius monuerit, affectus iræ niſi curentur & caſtigentur, in naturalem abire morbum, conſilium hic pro cujuslibet moribus capiendum erit,

 obſer-

observandumque alios alii de causis effervescere : quibus tamen omnibus probabiliter hæc ferè inhæret opinio, quòd se contemni negligique arbitrentur. Quocirca iis qui se defendunt, quasi jurè stomachentur, ita subvenire oportet, ut quod delictum est, quàm longissimè à contemptus & confidentiæ suspicione removeamus, transferentes ad hanc vel illam opinionem, nimirum ætatis inconsiderate, sexus, infoelicitatis, dementiæ, necessitatis, morbi vel similis inopinati eventus. Læsit, sed facilè sanabitur: item puer est, vel qui non longè ab hujus imprudentia distat, cui succensere, extremæ est stultitiæ : rerum ignarus adolescens, ætati donetur, nescit se peccasse : alius temerarius, vel probè potus : vel mulier est : imò uxor, æquum erit ignoscere. At plurimum offendit: sed superior potestas, pater, *frater*, *præ*ceptor, amicus, collega, vicinus, quorum castigationem sæpe offensam judicamus, quæ tamen sic accipienda est, quomodo scalpellum, hierapicra vel amara medicina, abstinentia, & alia quæ profutura cruciant: si tamen læsisse agnoscitur, *decet quicquid id* est doloris, illius authoritati aut charitati, *sive hujus amicitiæ* condonari : vel paria faciens, damnum cum aliis *illius* in te beneficiis sarcies, vel cum tuis in illum offensis benignè æquabis.

§ 2. Non est injuria, pati quod prior feceris. Nocuit hic quidem, sed aliàs quàm frequenter rursus profuit, & *meritis* offensam redemit. Ingenui non est animi, beneficiorum *oblivione* admissa, injuriolæ meminisse. Is fortasse qui te offendisse arguitur, se abs te offensum, rectius queritur : non tantum sæpius est offensarum, quantum tuæ insolentiæ aut fastus. Cumprimis placidos reddere deberet mutuæ facilitatis conventio. *Ille* tibi jam nocuit, tu illi nondum : sed fortè jam alicubi *læsisti*, vel etiam lædes : noli æstimare hunc diem vel hanc horam. *Totum* inspice mentis tuæ habitum : etiamsi *nihil mali fecisti*, potes fa-cere : quanto satius est sanari iram quàm ulcisci. Temporis multum absumit vindicta. Multis se injuriis *objicit*, *dum unà dolet*.

§. 3. Diutius irascimur omnes quàm lædimur : quanto levius est abire in universum, nec vitia vitiis *componere*. Nam quis sibi constare videbitur, si equum calcibus repetat, an canem morsu? Quod in luctu dici solet, aptissimè & in ira *di*-cietur: Utrum aliquando desines, an nunquam? Si aliquando, *satius* est iram relinquere, quàm ab ira relinqui. *An semper* hæc cogi-

tatio

ıtio durabit? vides quàm inquietam tibi denuncias vitam: quas erit semper ira tumentis. Adijce, quòd nisi teipsum extimulaeris, & causas quibus irritaris, refricueris, sua sponte ira evane:et, & nervum illi dies adimet. Quanto laudabilius est illam à te inci, quàm à sese?

§ 4. Elegans Theognidis est sententia: Ab iis qui injuriam :cerint, jus aut rationem facti ne exigito: satis enim est illos suo remi malo. Aliena adhæc vitia in oculis habemus, à tergo nostra ınt. Ex levissima punctione sensiles admodum sumus, sed in ıuterio alteri imprimendo occalluimus. Detrimentum si objiciaır, dexteritate extenuetur, & alienum elevetur incommodum. ieri potest, ut te quis nunc læserit, qui sæpius antè à te fuit esus: ignoscas illi, ut tibi tuo exemplo ignoscat & ipse delinuenti. Dicitur, aliquis malè de te loquutus, cogita an prior feceis, cogita de quàm multis sinistrè loquaris: cogita inquam, alios on facere injuriam, sed reponere: sæpe etiam non animo maleaciendi hoc dixisse, vel fecisse. Nihil alienæ luxuriæ ignoscit, qui ihil suæ negavit: homicidæ tyrannus irascitur, & punit furta sarilegus.

§ 5. Magna mortalium pars peccantibus succenset, non pecatis. Faciet nos semper moderatiores respectus nostri, si nos conıluerimus: Nunquid & nos tale aliquid commisimus? nunquid c erravimus? Alia frequenter fecimus, alia cogitavimus, alia btavimus, aliis favimus. In quibusdam innocentes sumus, quia on successit. Hoc perpendentes, offendentibus simus æquiores, :damus objurgantibus, utique nobisipsis indignemur. Varia alia uæ stomachum movere videntur, variè vel purganda vel extenuıda ad hunc vel similem modum.

§ 6. Iudex est, plus credas ipsius sententiæ, quàm tuæ. Magiratus est, si nocentem punit, cede justitiæ: si innocentem, Dei ıdicio committe. Mutum animal est, aut simile muto: imitaris l, si stomacheris. Ferrum est, lapis, lignum, quod nocuit, & cui ıdignaris: lædere quidem id potuit, sed nullam facere injuriam, uæ à consilio solùm proficiscitur. Morbus est aut calamitas, levir erit patienter toleranti. Bonus vir habetur, qui injuriam fecisse utatur, noli credere: malus, noli mirari. Amicus est fecit uod noluit: inimicus est, fecit quod debuit. Prudentiori ceamus, stultiori remittamus. Quis sum, cujus aures lædi nefas sit? *Injuria à consilio proficiscitur.*

Ignove-

Ignoverunt multi hostibus, ego non ignoscam pigris, insolentibus, garrulis? Plus tibi nocitura est ira quàm injuria. Quid ni plus? Hujus modis certus est: ista quo usque te latura sit, incertum. Quare injuriam tolerare nequis, qui iram fers? vel mavis utramque simul sustinere? Dabit pœnas alteri quas tibi debet, & jam sibi dedit, qui peccavit.

Pisistratus. § 7. Prudenter itaque Pisistratus Atheniensium tyrannus traditur, quum multa in ejus sævitiam ebrius conviva dixisset, nec deessent qui manus ei commodare vellent, facibus hinc illinc subditis, placido tulisse animo, & irritantibus respondisse, non magis illi se succensere, quàm si quis obligatis oculis in se incurrisset. Sic & Phocion, injuria uxori suæ facta, tantum ab authoris accusatione abfuit, ut quum ille sponte, metu perculsus, Phocionem accederet & veniam postularet, Se, inquiens, ignorasse quòd ejus uxor fuisset, cui damnum dedisset: hoc sermone sit usus: Mea quidem uxor nulla in re abs te læsa est, sed fortassis alia quæpiam: proinde non est quòd te usqueadeò apud me purges.

Phocion.

Socrates. § 8. Socrates colapho percussus, *nihil amplius dixisse perhibetur*, quàm molestum esse, quòd nescirent homines, quando cum galea prodire deberent. Liberè idem docuit, si quis ira transversum se rapi sineret, hunc in semet latrocinium exercere. Nec Platonem hic prætermitti oportuit, qui quum servo suo irasceretur, non sibi imperare satis potens, hunc mox deponere tunicam, & præbere scapulas flagris jussit, sua manu ipse percussurus: at se ira commotum intelligens, sicut sustulerat, manum suspensam detinebat, stans percussori similis. Rogatus inde ab amico casu interveniente, quid ageret? Exigo, respondit, pœnas ab homine irato. Tanquam stupens, gestum illum sævituro deformem, sapienti viro servabat, oblitus jam servi, quoniam alium nunc potius castigandum invenerat. Proinde sibi in suos potestatem ademit, & commotum se ratus: Tu, inquit, Speusippe servulum istum verberibus affice, ego etenim irascor: quare & plus facerem & libentius, quàm oportet. Non sit iste servus in ejus potestate, qui in sua non est. Vult aliquis irato committi ultionem, quum Plato sibi ipse ejusmodi imperium abrogaverit? Nihil tibi liceat, dum irasceris. Quare? tum enim vis cuncta licere. Pugna ipse tecum. Si iram vincere nequis, te vincere incipit. Si absconditur, si impetus illius comprimitur, signa quoque ejus obruamus, & illam, quantum fieri

Plato.

fieri potest, occultam teneamus: id quidem cum qualicunque nostra molestia fiet. Cupit exilire, inflammare oculos, totam immutare faciem: sed si eminere illi extra nos permittitur, supra nos est. In pectoris itaque recessu imo recludatur, feraturque, non ferat: quinimò in contrarium omnia ejus indicia flectamus: vultus remittatur, sermo sit lenior, incessus lentior: ita paulatim interiora cum exterioribus conformantur.

§ 9. In Socrate iræ nota erat, vocem submittere, loqui parcius: apparebat tunc illum sibi imperare. Coarguebatur hoc nomine à familiaribus: nec exprobratio latitantis iræ, illi erat ingrata. Quid ni placeret, iram suam à multis intelligi, & neminem sentire? Sensisset verò, nisi jus amicis reprehendendi objurgandique se, dedisset, quemadmodum ipse sibi in amicos sumpserat. Quanto magis hoc nobis faciundum esset? Si contumeliam tibi factam exaggeras, num gravior ea fuerit, quàm Diogeni Philosopho contigit, in mentem revoca: cui de ira quàm maximè disserenti adolescens protervus inspuit. tulit hoc fortiter & prudenter: Non quidem dicens, irascor: sed tamen dubito, an irasci oporteat. Lepidius illud Catonis responsum videtur, cui causam agenti quum in frontem mediam, quantum poterat attracta pingui saliva, inspuisset Lentulus ille factiosus & impotens, abstersit faciem: Affirmabo, inquiens, omnibus Lentule falli eos, qui te negant os habere.

Ira nota in Socrate.

Diogenes.

Cato.

§ 10. Pulchrum & illud Aristippi, qui cuidam, qui ob iram in verba venerat, dixit: Ne quæso à verbis propter iram discedamus, sed potius ab ira propter verba. Idem cuidam maledicenti ait: Tu maledicendi dominus, ego audiendi. Itidem Pericles aliquando convitiis in foro impetitus à quodam impuro homine, totum diem tacitus eum sustinuit, interim quod habebat negocii, conficiens. Vesperi domum modestè abiit, & subsequente eo, nihilominus famulo suo mandavit, ut ei domum eunti præluceret. Laudatur hic quoque Archytæ Tarentini factum (quanquam à Lactantio reprehendatur) qui dum se Pythagoræ præceptis Metaponti penitus immergit, magno labore, longoque tempore solidum opus doctrinæ complexus, postquam in patriam revertitur, ac rura sua revisere cœpit, animadvertit negligentia villici corrupta & perdita: intuensque malè meritum, Sumpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem.

Aristippus.

Pericles.

Archytas Tarent.

De ira Dei cap. 18.

essem. Maluit impunitum dimittere, quàm propter iram justo gravius punire.

Charilaus. § 11. Scitum & illud Charilai Lacedæmoniorum regis, qui se quum ingereret audacius insolentiusque ex servis unus, quos Helotas vocant, νὴ τὼ σιώ, ait, κατέκτανον ἄν σε, εἰ μὴ ὠργιζόμην. hoc est, per Castores, te enecassem, ni irascerer. Adeò putabat, nihil rectè dici fierivè ab irato, ut ne in servum quidem animadvertere voluerit commotior. Quare & Socratis fuit sententia: Iratus filio, ipse te coerce. similiter Democriti: Castiga judicio, non ira adhibita. Indignatus etiam servo Socrates: Cæderem te, inquit, nisi irascerer. Servi castigationem in tempus sanius distulit, dum interea deferveſceret iræ tumor: Idem publica convicia ab Aristophane passus, non modò non ægrè tulit, sed obvium etiam interrogavit: *Num se rursus ad similem rem aliam opus haberet? Quàm facilè putes inter paucos maledicta sustinuisset ille, quem ne publicè quidem in frequenti theatro jactata commovere potuerunt? Sic & Augustus* Cæsar ex urbe Aegina scripsit, quum popu*lus Atheniensis videre*tur deliquisse quiddam: Non arbitror vos latere, *quòd irascor:* neque enim Aeginæ hybernaturus sum. Nec aliud illis vel dixit vel fecit: satis habens, illis comminatum esse, si desisterent.

Socrates. Augustus Cæsar.

Alphonsus rex Sicil. § 12. insigne adhæc exemplum ostendit Siciliæ rex *Alphonsus*, qui quum Pyrrhum pocillatorem suum jussisset Gaspari cuidam suo aulico, quicum graves Pyrrhus gerebat inimicitias, pateram quam manu gerebat, propinare: Pyrrhusque mandatum geminanti non paruisset, Alphonsus ira succensus, Pyrrhum stricto gladio insequitur: at ipso apprehenso, sibi imperavit, gladiumque abjecit, ne quid ira exagitatus designaret crudelius, *cujus postea* ipsum pœniteret. Accedat & Demonacis documentum, qui ubi quendam vidisset servum suum virgis tractantem: Desine, inquit, te servo tuo similem ostendere. Servus enim est, qui suis affectibus & cupiditatibus imperare nequit. Hæc & similia mentis oculis opposita, animi impetum vel supprimunt, vel lenient.

Demonax.

§ 13. Habenda insuper hic ratio ætatis, sexus, morum, ministerii, dignitatis & authoritatis, & contemperandum ad cujuslibet sortem pharmacum. Quemadmodum si puer est, vel verbis minis redarguatur, vel virgis coerceatur: si maturior fuerit ætas, sive uxor, aut famulus, aut senex, vel potentior, ita

commu-

commutabis consilium, ut quosdam terrendo places: alios objurgatio, alios confessio, alios Pudor cœpto dejiciat: nonnullos modesta admonitione, vel etiam precibus vinces: sermone etenim blando & benignitate utplurimùm in hoc tumore deponendo plus efficitur, quàm repugnando. Admodum igitur prudens fuit Pythagoræ consilium: Ignem gladio ne fodias: hoc est, iratum & tumidum animum verbis maledicis ne lacessas. Iræ item sedationem esse mansuetudinem, docet Aristoteles: ut quoque aqua tepida inflammationes, sic orationem humanitatis plenam restinguere iram, testatur Plutarchus: nec ullum, ut videtur, iræ remedium aliud, nisi apta amici oratio, teste Menandro. *Vsurpatur & ab Hieronymo l. III. contra Ruffi num. 2. Rhetor.*

§ 14. Cumprimis verò operæ pretium est, ut maturè quis hunc affectum pessundare, ab eoque desuescere omni conatu discat. Siquidem ter aut quater aut aliquoties iræ fervorem comprimenti, idipsum evenire palàm fiet, quod Thebanis, qui superatis quandoque Lacedæmoniis, qui ad id temporis credebantur invicti, nunquam postea iisdem prælio cessere. Quapropter, ut est apud Ovidium: *Lib. 1. de remed. amor.*

Dum furor in cursu est, currenti cede furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet. Item:
Sed nunquam dederis spatiosum tempus in iram, *Eleg. 7.*
Sæpe simultates ira morata facit.

§ 15. Cæterùm præsentissimum mali hujus præcipitis remedium est mora sive dilatio, si induciarum tantillum prius quis sibi donet, quàm erumpat, aut alius ab eo impetret: interea primus fervor relanguescit, & caligo mentem premens aut residet, aut minus opaca est. Rectè tempus sedare moram Aristoteles docuit: & apud Ovidium legitur, iram interire mora. Huc etiam illud Livii spectat. Daret spacium iræ. Hinc priscos Romanos instituisse Plutarchus scribit, ut securibus, quæ præferebantur magistratibus, virgarum alligarentur fasces, ut dum fasces solverentur, magistratui spacium cogitandi daretur, ne ira succensus ea fieri imperaret, quorum postea eum frustra vel sero pœniteret. *Mora.* *2. Rhetor. 1. de arte am.* *Cur securibus virgarum fasces alligabant Romani.*

§ 16. Eodem facit Athenodori Philosophi documentum, cui senectutis causatione flagitanti ut sibi domum redire liceret, Augustus concessit. At quum ille Cæsari dixisset vale, cupiens aliquod philosopho dignum monumentum apud illum deponere, adiecit: *Athenodori documentum.*

cit: Cæsar quum fueris iratus, ne quid prius dixeris scripserisve, quàm Græcarum literarum vigintiquatuor nomina apud te recensueris. Cæsar autem philosophi dextram amplexus: Adhuc, inquit, te præsente mihi opus est. Eumque totum annum apud se detinuit, dicens illud Græcorum proverbium, Silentii sunt tuta [illegible] præmia: sive approbans philosophi dictum, quòd tutum esset iram premere, ne prorumpat in verba: sive sentiens, philosopho profuturum fuisse, si hoc dictum non subjunxisset jam abiturus. Quanquam tam salubris admonitio longè aliud & magnificum aliquod merebatur præmium.

§ 17. Tale quid & à Sex. Aurelio proditum memini. Idem Theodosio Imperatori ab Ambrosio suasum esse scribitur, quum ob aulicum quendam ludis Circensibus occisum Thessalonicæ, ingentem multitudinem trucidari jussisset, objurgatus ille ab Ambrosio, monitusque ut nihil statueret iratus, antequam vigintiquatuor literas Græcas recenseret, quo videlicet illa iræ concitatio interim temporis intervallo languesceret. Fuitque hæc præcipitantia legis ferendæ causa, quæ hodie extat in Codice Iustiniani, qua cavetur, Si quis edicto Cæsareo occidi jussus, executio sententiæ ad dies triginta prorogetur. Nec illaudabile exemplum hic ostendit Augustus, ubi Cornelium quendam de vita uxoris accusandum curasset, isque in senatu respondisset, Se de voluntate & consilio Cæsaris eam duxisse: ira vehementer incitatus, nihil acriter nihilque fecit acerbè, sed statim exiluit è senatu, ac paulo pòst reversus est.

Lex Theodosii C. de pœnis. l. si vindicavi.

§ 18. Adhæc, qui alienam volet lenire iram, primum ejus impetum non semper oratione conabitur mulcere, dum surda est, amens, turget ac furit: detur illi leve spacium, remedia in declinationibus juvant, nec humorum affluxus aut spirituum in initio magis concitandus. Initia morborum sæpe quies curat. Quantulum, inquis, prodest antidotum tuum, si sua sponte desinentem iram placat? Primùm, ut citius desinat, efficit: deinde custodiet, ne recidat: ipsum quoque impetum, quem lenire non audet, fallet: removebit item omnia ultionis instrumenta. Simulabit adhuc quandoque propriam iram, ut tanquam adjutor & doloris comes, plus sibi fidei in admonitionibus conciliet, moras nectet, & dum majorem quæret pœnam, præsentem differet. Omni arte requiem furori permittet.

Primus iræ impetus non semper oratione mulcendus.

§ 19. Si

§ 19. Si tamen vehementior fuerit, aut pudorem illi cui non efistit, incutiet, aut metum: si infirmior, sermones inferet vel on ingratos, vel novos, & cognoscendi cupiditate avocabit. Meicum ajunt, quum regis filiam curare deberet, nec sine ferro poset, dum tumentem mammam suaviter fovet, scalpellum spongia ectum impressisse. Restitisset puella remedio palàm admoto: ealem quia non expectavit, dolorem tulit. Quædam non nisi decepa sanantur. Alteri dices, Vide ne inimicis tuis voluptati sit iste aimi tumor: alteri, ne quid deterius inde ipsi accidat: & licet uidem ipse indigneris, te tamen non invenire dolendi modum, ed tempus expectandum esse: ipsum qui læsit, daturum procullubio pœnas. Moram si impetraveris, jam viceris: ea autem variis uærenda modis.

§ 20. Durius verò asperiusque mox castigare ira exardescenem, quandoque incitare & magis exasperare est. Blandis verbis olus sæpius effeceris, quàm acribus verberibus. Claudiani huc consilium alloquentis Honorium accersatur: *Panegyr. in 4. consulat. Honorii.*

Te Medus mollisque Arabs, te Seres adorent:
Si metuis pravaque cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex esse tui: proclivior usus
In pejora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrena fovet: tunc vivere castè
Asperius, cum prompta Venus: tunc durius iræ
Consulitur, quum pœna patet. Sed comprime motus,
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit.

Præservans curatio Iræ medica.

QUANDO res ardua videtur, vereque est, iram compescere, multò hauddubiè major erit custodia ipsa & providentia, quæ prohibet, ne in iram incidas. Ab ira autem prorsus liberari simulac quis velit, non continuò quis potest: at comprimere illius perturbationis intemperantiam atque insolentiam potest, teste nostro Galeno. Consilio itaque medico ab ira præservaturus, quæ optima curandi ratio, à primordiis hominis inchoare decrevi, ut nimirum natis recenter infantibus nutrices seligan- *Lib. de cognosc. & curand. animi morb.* *Nutrices quales esse debent.*

seligantur animi perturbationibus minimum obnoxiæ, & potissimùm ab iræ æstu liberæ, quando temperamentum [illegible], indeque corruptum affundatur infantibus lactis alioqui salubre alimentum.

§ 2. De matribus nihil hic dico, quarum lac semper pueris familiarius utiliusque ut mirum sit, nec parentibus Christianis dignum, quasdam nimis delicatulas eò lasciviæ prolabi, ut tenellum dulcissimumque sui pignus in alterius: peregrinæque mulieris sinum abjicere malit, quàm incommodum, si incommodum dicendum sit, in papillis suavissimo ori infantis sui indendis sentire: egregiam interim navare operam voluptati suæ, huic sedulò invigilare & vigilanter inservire satagunt, immemores in tantæ necissitatis usum à Deo opifice prudentissimo donatas esse mammillas, ut eodem scilicet nutrimento fruantur nati, ex cujus fomite initium cepere & augmentum: nec ad ornatum modo adjectas, imò usui consecratas, tanto, quàm *organa generationi* mancipata. Quis nescit, tenellas plantas *ex suo primigenio familiarique* fundo in peregrinam, nec sibi *conformem sedem, ubi* nativo succo destituitur, vel prorsus degenerare, vel flaccescere, sive interire?

§ 3. Et si non aliud hic movere oporteret, quis non videt, conductitias nutrices plerasque ferè omnes ex illegitimi *concubitus* frutione concepisse? ex earundem succo quum *nutriantur adolescant*que infantes, quis non experitur, eos frequentius erga has singularis affectus studio trahi, quàm erga matres, quæ eos genuere? Assumptum diu alimentum immutare hominis temperamentum, atque consequi animi mores, quilibet sanus meminerit. Quot insuper, Deus bone, ex nutricum somnolentia negligentiaque non solùm variis corrupti morbis contabuere pueri, sed & præmatura morte suffocati occubuere? De impudicis earundem moribus nihil addam, ne quorundam hic bilem in me concitem. Malunt siquidem in media cæcutire & perire luce, dummodò suis indulgeant affectibus, quàm iisdem sepositis, videre & felici vita frui. Folia ficus obtendit Eva, prætexit Adam, fatua uxor, insulsus maritus, Hic nihil dictum volo, ubi nutricum operam ex morbo vel naturæ vitio postulat necessitas: sed tum delectus habeatur in quærendis probis, modestis, piis & sollicitis, quæ nonnunquam inveniuntur.

§ 4. Edu-

§ 4. Educatio inde maximam requirit diligentiam. Facile enim est, teneros adhuc animos componere. Difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt. *Educatio puerorum.*

Quæ semel est imbuta recens, servabit odorem *Horat. 1. Epist.*
Testa diu.—

Crescit licentia spiritus, servitute comminuitur. Proinde inter utrunque regendus puer, ut modò frenis coerceatur, modò urgeatur stimulis. Nihil per iracundiam exoret, quod flenti negatum fuerat: quieto offeratur. Illius perperam facta exprobrentur cum dexteritate pro uniuscujusque natura. Ut incendium, qui non addit fomitem, restinguit: sic & iram, quisquis non alit nascentem. Præceptores habeat placidos, qui non temerè ad quævis etiam minutissima excandescant, rixentur, & animi sui impotentiam verberibus, baculis & quacunque re obvia ostendant, pessimoque sint exemplo. Non commendetur Orbilio: non Philagrio, qui Cilix, sophista, auditor Lolliani, admodum fuit iracundus. Rogatus, quamobrem non delectaretur educandis pueris? Quoniam, inquit, nec meipso delector, Agnoscebat naturæ suæ vitium: erat enim iracundus & morosus, eoque non aptus ad teneram ætatem formandam. Dormitanti auditori hic pugnum impegit. Hodie stulti parentes nullis libentius suos committunt liberos, quàm hujusmodi truculentis & asperis hominibus. Semper puero eximatur illatæ injuriæ opinio. *Præceptores.* *Philagrius.*

§ 5. Nec fastum iræque ansam subministret pretiosus ejus vestitus, vel de subsequutura hæreditate, divitiis, potentiáve persuasio. Cibis non infarciatur: minus offendet tenuior victus: distenduntur alioqui corpora, & animi cum corporibus tumescunt. Pueris vinum sentit negandum Plato, ignemque igne incitari vetat: at hic ratio habenda temperamenti, ut his qui temerè inde effervescunt aut offenduntur, subtrahatur. Observanda & consuetudo & regio. Labor citra lassitudinem illos exerceat, ut minuatur & non consumatur calor, nimiusque ille feruor despumet. Lusus adhæc moderati proderunt. Voluptas siquidem modica animos laxat temperatque. *Vestitus.* *Victus.* *Exercitium puerorum.*

§ 6. Iam porrò consideremus, quid hic ars nostra in quacunque ætate per victum in sex rebus necessariò corpus nostrum alterantibus valeat. Quantum itaque ad ambientem nos aërem, cujus fruitione ne quidem tantillum temporis carere possumus, pertinet, *Aër.*

tinet, sit is frigidus & humidus vel temperatus, nec calore insigni & siccitate spiritus inflammet, humores adurat, & corpora nimis calefaciat: quemadmodum in æstivo aëre homines non modò reddi biliosiores & ad iram proniores, sed & animalia cætera, potissimùm autem venenosa, animadvertimus.

Exercitia cujuscunque ætatis. § 7. Exercitia conveniunt moderata, & legitimo tempore adhibita, ne transgressis limitibus ob vehementiam & temporis inconvenientiam, spiritus incendas, & corpus acrioribus mordacioribusque repleas humoribus, obstructionesque viscerum concites. *Balneum aquæ dulcis.* Balnei aquæ dulcis & potabilis usus subinde proderit: siquidem spiritus & humores acres humectando mitigat, bilem laxatis poris insigniter digerit, & qualitatibus suis immoderatum *Vigiliæ.* fervorem restinguit. Longæ vigiliæ, ut sanguinem reddunt biliosiorem, spiritus exagitant consumuntque, & propterea iræ ansam porrigunt: ita somni beneficio corpus humectatur, spiritus consopiuntur, & sanguis redditur benignior. *Galen. in expos. l. 7. aphor. 18. Somnus.*

Cibus. § 8. In cibo hic habeatur delectus, *ut quæ dulcia sunt*, caveantur, uti mel, saccharum: & ex iisdem confecta: *item* acria, velut cepæ, porra, allia, acetum vehemens, uterque raphanus, sinapi: quemadmodum & multus aromatum usus, uti piperis, zinziberis, galangæ, atque id genus reliquorum: adhæc amara, velut lupini, absinthii vulgaris coma, amigdala amara: sale *insuper* multo imbuta, ut quorundam animalium & piscium carnes, & alia sale diutius conservata.

Potus. § 9. In potu hoc esto discrimen, ut dulcia, velut mulsum, vina item dulcia, potentia, fumosa vitentur, quemadmodum & cerevisia pingnis, generosa, lupulo multo imbuta, & absinthites. *Crapula.* Crapula omnis, ut virus præsentissimum, prorsus fugienda. A comessationibus abstinendum, quia in iis ne sobriis quidem sæpe pudor est, & facilè hic sales & jacta in dolorem tuum verba afficient: solutiora cuncta reddit vinum. Proinde non omnino temerè Plato jubere videtur, ut pueri citra duodevicesimum annum à vino prorsus abstineant, quòd nimirum ignem super ignem in corpus animamque, antequam labores capescere incipiant, inducere non conveniat: atque ita juvenilis habitus in furorem proni rationem habendam consulit: postea verò ad annum usque trigesimum, mediocre quidem vinum concedit gustandum, sed à nimio ejus usu & temulentia penitus cavendum monet. *In Timæo & 2. de legib.*

net. Cæterùm ád annos quadraginta progressis permittit in conviviis epulari. At verè Christiani hic sibi limites præfigere norunt. Cum itaque ex calidorum ciborum potuumque usu continuò maximum iræ fomentum subministretur, nemo sanæ mentis non iis uti malit, qui animum è tam truculentæ belluæ faucibus eripiant, maximè verò, quum tot ciborum potuumque genera suppeditarit benignissimus Deus, singulari delectu in sanitatis nostræ necessitatem usurpanda, ut nihil sit quod jurè hic desiderare debeamus.

§ 10. Sed hic rursus observandum, ne in quantitate delinquatur. Quemadmodum enim in ventriculum imbecillem temperatus etiam victus affatim ingestus, corrumpitur, putrescit, & bilis occasionem frequenter exhibet: ita & fames immoderata & intempestiva inedia, uti etiam sitis illegitima, choleram augent: alimentum etenim commodum, sanguinem reddit blandum, nec modò hominem hilarem facit, sed & feras: id quod leonis exemplo facilè testarer. Hinc & Alexander Aphrodisæus: Cibo post jejunium ingesto, ait, frigus invadere, nec alia id causa contingere, nisi quòd materiæ in jejunio aggregentur acriores: assumpto autem nutrimento membra jam confirmata bilem versus cutem propellunt: itaque fit, ut rigor oriatur: bilis etenim membra remordet excitatque ad repellendum. Cæterùm à jejunio, tam salubris antidoti usu, neminem dehortari volo, quum maxima mortalium pars suapte sponte illud abominetur nimis: quod certè dolendum, si unquam aliàs, tum sanè ævo hoc calamitosissimo.

Lib. 1. probl. 134.

§ 11. Quum verò jecur ob viarum angustiam, & ob transeuntis continuò substantiæ, copiam, obstructionibus mirè sit obnoxium, quibus auctis ferè bilis flava gignitur: hoc si animadvertitur, confugiendum ad ea quæ ejusmodi obstructiones solvunt, & collectam bilem protrudunt: cujusmodi sunt radices quinque aperitivæ cibo incoctæ, vel in aceto maceratæ, intybus hortensis & agrestis, cichorium & omne scridis, sonchi, hieracii & chondrillæ genus, fumaria, cuscuta, eupatorium, lupulus, absinthium Romanum, herbæ capillares, asarum: syrupi item, de bizantiis cum aceto, de duabus & quinque radicibus, acidus simplex & compositus, de cichorio cum rhabarbaro, & reliquæ id genus plantæ, syrupi, eodemque spectantes trochisci, & aliæ confectiones.

Obstructiones jecoris tollentia.

Bilem vacuantia.

§ 12. Inter ea autem quæ evacuant bilem, rhabarbarum jus primum sortitur locum deinde syrupus rosatus solutivus, diacatholicon, electarium rosatum Mesue, elect, de succo rosarum, diaprunis solut, & quædam alia. Senex quidam decrepitus ad iram mirè pronus, post obitum sine cysti & felle inventus est, in cujus loco ingens consederat calculus.

Concubitus. Paul. Aegin. lib. v. cap. 35. Aristot. 30. problem. Hali. Almansor.

§ 13. Hic & concubitus suum habet locum, qui sua utilitate non caret: præterquam enim quòd plenitudinem vacuat, corpus auctum, leve & virile reddit, etiam quod ad animum spectat, rationis vim impeditam solvit, ingentes remittit iras, reducit & ad modestiam quovis alio modo insanientes, paritque & hilaritatem & alacritatem.

Musica.

§ 14. Nec parum hic sæpe prodest Musica, quam mirè tempestatem mentis placare, permulcere, emollire, sistereque procellosas ipsius motiones, aliquando observatum est. *Pythagoras* animi perturbationes lyra sedabat. Confusis *oculis virentia conferunt, quibusdam* coloribus imbecilla acies *acquiescit, quorundam* splendore perstringitur: sic mentes *ægras studia læta permulcent.* Quare forum & in eo patrocinia judiciaque tales cavere debent, nec rerum actionibus, maximè gravium, supraque vires magnarum fatigandæ. Sic & Clinias musicus, si quando ad iram provocaretur, arrepta statim lyra, gliscentes animi *motus compescebat.* Empedocles Agrigentinus iræ violentia furentem adolescentem (qui ipsius hospitem damnati *patris* delatorem gladio adoriretur) cantu revocavit, sedatioremque reddidit. Athenæus tradit, Arcades vita & moribus asperrimos, musicam tamen è sua republica non exclusisse, nec luxus, nec delitiarum gratia, *sed* ut vitæ ac morum duritiem emollirent, quam sanè *in aspero cœlo* contraxerant. Saulem regem exagitatum toties cythara à *David*e fuisse liberatum, perhibet historia sacra. *In corporibus* tamen quæ facilè afficiuntur, diversa sæpius ratio cum dexteritate habenda. Tale fuit Titi Vespasiani filii, qui quum intellexisset patrem Imperatorem esse creatum, in gravissimum incidit morbum, resoluto calore naturali præ gaudio: *idem aliàs à perito medico* ad iram provocatus, à morbò statim liber evasit, naturali calore excitato.

Clinias musicus. Empedocles. Lib. 14. Saul. 1. Reg. 16. Titus.

Gemmæ.

§ 15. Hic non erant prætermittendæ gemmæ, puta corneolus, sapphyrus & topazius, qui prærogativa singulari plerique adversus

adversus iram valere creduntur, Quod si verum fuerit, à quàm plurimis magno redimi, & in assiduo usu conservari religiosè deberent.

Remedia Iræ Theologica, tam præservantia quàm etiam curantia.

NUNC ad præcipuum, primum, certissimum, & omnium saluberrimum iræ antidotum, ex divini fontis scaturigine tractum concinnatumque progrediamur. Quem enim patris nostri cœlestis reverentia, quem redemptoris nostri Iesu Christi doctrina sancta, quem consolatoris Spiritus sancti testimonia in ordinem redigere, aut religio compescere, seu conscientiæ stimulus retinere nequeunt: quomodo hic ullum aliud ex ratione erutum argumentum aut persuasionis genus, vel victus gratioris mutationem aut pharmaca amara admittet? Hac itaque via successum curationis fœliciorem sperare volumus, eamque modo quocunque experiri.

§ 2. Cumprimis verò meminisse oportet, ut quotidie hora matutina oremus attentè, quo sensibus nostris imperare, affectus nostros coercere, & à malo nos conservare dignetur omnipotens Deus: subveniat & ille articulus in ea oratione, qua ut Deum patrem quotidie interpellaremus, nos docuit æternus ejus filius, nimirum: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Hoc si ex animo oremus, & exaudiri velimus, necessario omnem alteri noxam & offensionem condonare, nec ullum iræ aut ultioni locum dare oportet? *Oratio matutina.* *Matth. 6. Luc. 11.*

§ 3. Quid similiter ante somnum faciendum, exemplo Agathonis abbatis docemur: hic gloriari solet, quòd nunquam cepisset somnum, nisi prius suam adversus alios, & aliorum adversus se indignationem placando sopivisset: implens illud breve quidem, sed multæ perfectionis præceptùm: Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Idem dicere consuevit, Iracundos Deo atque hominibus odio esse. Sicut enim humilitas pacem conservat: ita lites concitat iracundia, concordiamque dissipat. At plurimum hic vulgò & à cunctis ferè erratur, quæruntur causæ, finguntur offensæ, inque his ipsis quæ veræ sunt causæ, iræ modus exceditur. In omnibus peccatis velum *Agatho abbas.*

aliquod excusationis obtenditur, & est excusatio ipsa peccatum. Tu quia non tibi ut Deo paretur, irasceris: & tamen Deus ipse quotidie verbis ac rebus offenditur, nec semper succenset nos omne verbulum casu elapsum, ad injuriam capitalem trahimus, impatiens genus.

Irarum occasiones vitandæ. § 4. Quin potius universæ irarum occasiones sunt *vitandæ*. Quum Abrahami & Lothi pastores assiduis jurgiis *contenderent*, *Gen. 13.* placuit utrique, ut ex Bethel discederent utrinque. Itaque Abrahamus in Chananæa, Lothus in oppidis campestribus habitavit *Gen 36.* circa Sodomam. Item, quum Esaus & Iacobus fratres Isaaci filii in Chananæa maximis pollerent opibus, Esaus cum suis aliò concessit, ut à fratre longius abesset, quoniam propter facultatum *Niceph. Callistus lib. 11. eccl. hist. cap. 43. ex Evagr.* copiam simul habitare nequibant. Ægyptius quidam *monachus* interrogatus, cur adeò se omnibus corporis voluptatibus subtraheret? respondit: Ut hac ratione omnem iræ causam & occasionem præcidam. Ira quippe, ut voluptatibus *excitatur*, *ita* etiam voluptatum suppressione sopitur.

§ 5. Præsentissimum sanè remedium fuerit, *si in delicto hominis in te cogites*, quæ, quanta & quoties tu in Deum deliqueris, quàm multis nominibus illi sis obnoxius. Quantum tu condonaris debitori fratri, tantum tibi remittet Deus. Hanc dissolvendi æris alieni rationem, nos docuisse ipsum creditorem vides. *Non recusabit* legem, quam ipse promulgavit. Tu ut à culpa *libereris*, huc illuc cursitas, nihil non moliris, nullum non moves lapidem: sed ut omnia facias, nulla tamen commodior ratio, qua post offensam Deo reconcilieris, quàm si tu offensus reconciliere fratri. Sic clarè *Matth. 5.* docuit servator noster Christus Iesus: Si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversum te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum. Habeto benevolentiam cum adversario tuo citò, dum es in via cum illo, ne quando te tradat adversarius judici, & judex tradat ministro, & in carcerem conjiciaris. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec extremum persolveris quadrantem. Condona injuriam *Cap. 28.* proximo tuo, ait Sirach, & te precante peccata tua dissolventur.

§ 6. At durum est, inquis, animum ob invectam injuriam immenso turgentem spiritu comprimere. Hic in mentem veniat,

quanto

quanto acerbiora, pro te sustinuerit Christus. Quid eras, quando pro te animam impenderet preciosam? nonne hostis? Qua mansuetudine quotidie te patitur, veteres iterantem toties noxas? Postremò, qua lenitate ille pertulit probra, sputa, vincula, blasphemias, verbera, mortem denique asperrimam? Quid de capite gloriaris, si non curas esse in corpore? Minimè Christi membrum eris, nisi vestigia Christi sequaris. Attende ipsius verbis: Siquis me sequi vult, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. In abnegatione suiipsius vincitur inprimis iræ motus & vindictæ libido, atque crucem ferendo, quancunque adversitatem citra ullum animi rancorem tumoremve patienter toleramus. *1 Petr. 2. Matt. 16. Marc. 8. Luc. 9.*

§ 7. Sed indignus est, cui remittatur. Itáne tu dignus eras, cui remitteret Deus? In teipso vis experiri misericordiam, & in fratrem severam exercere justitiam? Multúmne est, si peccator ignoscas peccatori, quum Christus pro suis tortoribus patrem interpellaverit? Arduum est, non referire fratrem, quem & diligere juberis? Grave est, non remetiri maleficiem, pro quo nisi beneficium, retuleris, non hoc eris in conservum tuum, quod Christus in servum suum fuit? Tandem, si indignus hic cui beneficium pro maleficio reponatur: at tu dignus qui facias, dignus Christus pro quo fit. Eleganter hic Augustinus: Iram fratris tunc portabis, quum tu adversus eum non irasceris, ut rursum eo tempore, quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate & tranquillitate supportet. Et Isidorus: Magna est virtus, si non lædas, à quo læsus es: magna est fortitudo, si etiam læsus, remittas: magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas. Et alibi: Si non potes iram vitare, tempera: si non potes furorem cavere, cohibe. *De verbis apostoli.* *In Soliloq.* *Lib. 1. Solil.*

§ 8. Atqui antiquam tolerando injuriam, invito novam: repetet injuriam, si hanc intulerit impunè. Si citra culpam vitare potes, vita: si mederi, medere: si resarcire, resarci: si furentem sanare, sana: sin minus, pereat ille solus potius, quàm tecum. Istum qui læsisse putatur, commiseratione, non pœna dignum existima. Tunc præcipua mansuetudinis laus, quum iræ causa justissima: pax & mansuetudo characteres animæ piæ. Vis cum laude irasci, irascere vitio, non homini. Iracundus es, inquit Chrysostomus, esto in peccata tua talis, objurga animum tuum, flagris cæde conscientiam, vehemens esto judex & acerbus in propriis delictis: hoc enim *Basil. in epist.*

est iræ lucrum: ob hanc siquidem causam Deus eam nobis indidit. Et alibi: Alieni ab ira simus: non enim ubi ira fuerit habitat Spiritus sanctus. Item: Ira consilium non habet. In iracundo omnia sunt turpia. Vis impunè stomachari? irascere, sed noli peccare: quod consilium est prophetæ & regis Davidis. Ubi Cassiodorus: Motus animi, inquit, in potestate nostra non est, sed Dei gratia temperare possumus. Proinde quod naturæ est, permittit: quod culpæ, Prohibet. Quod apostolus edisserens: Sol, ait, non occidat super iram vestram: quia irasci, hominis est: & iræ finem imponere, vel iram non perficere, Christiani, uti docet D. Hieronymus. Idem in alia epist.

Super Matt. 2.
Ad pop. Antioch. homil. 18.
Ambros. de Iacob. & vit. beat. l. 1.
In epist. ad Salvianam de virginit. servanda.

§ 9. Affectus & perturbationes, quàm diu in tabernaculo corporis hujus habitamus, & fragili carne circundamur, moderari & regere possumus, amputare nequimus. Sic & D. Ambrosius: Est & passio gravissima, culpa conscientiæ, quam ratio emollit & comprimit. Emolliri enim potest, eradicari non potest: quoniam animus qui est rationis capax, non est suarum passionum dominis, sed reprehensor. Neque enim fieri potest, ut facilis ad iracundiam, non irascatur: sed ut ratione se temperet, indignitatem cohibeat, à puniendo se revocet, &c. Idem: Et si irascimur, affectus noster modum recipiat, sed secundum naturam, non peccatum præter naturam. Item: Mitiga affectum tuum, & non irascaris, aut certè iratus ne peccaveris. Et in Offic. Caveatur ira, aut si præcaveri non potest, cohibeatur. Mala enim lex peccati est indignatio, quæ ita animum perturbat, ut rationi non relinquat locum. Et 2. Off. Resiste iræ, si potes: cede, si non potes: quia scriptum est, Date locum iræ. Si prævenerit & præoccupaverit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum tuum. Locus tuus patientia est. Item: Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quàm animo non commovere: hoc nostrum est, illud est naturæ. Ibidem: Qui sibi irascitur, quia citò mutus est, desinit irasci alteri.

Ad Demetriadem de virgin. serv.
De Iacob. & vita beata l. 1.
Ad Vercellen.
Super Lucam. Lib. 1. cap. 21.

§ 10. Qui autem vult iram suam probare justam, plus inflammatur, & citò in culpam cadit. Melior est autem, secundum Salomonem, qui iram continet, quàm qui urbem capit: quia Ira etiam fortos decipit. Cavere igitur debemus, ne in perturbationes prius incidamus, quàm animos nostris ratio componat. Exanimat enim mentem plerunque aut ire aut dolor aut formido mortis,

Cassiod. super illud Psal. Irascimini & nol.

&im-

& improviso percellit ictu. Ideo prævenire pulchrum est cogitatione, quæ volvendo menten exerceat, ne repentinis excitetur commotionibus, sed jugo quodam rationis & habenis constricta mitescat. Basilius: Non decet, inquit, ut super iracundia fratris sol occidat, ne quando nox traducatur inter utrunque & relinquat in die judicii inexcusabile crimen.

§ 11. Quò itaque natura ad hoc vitium magis propendet, tanto diligentius temnet multò antè præmunito, semelque hoc decretum animo insculpas tuo, ne quid unquam vel dicas vel facias commotus. Nihil tibi credideris succensenti. Suspectum esto, quicquid ille animi impetus dictaverit, etiamsi videatur honestum. Ira enim viri justitiam Dei non operatur, teste Iacobo. Ubi Beda: Qui iratus aliquam profert sententiam, etsi ille quantum ad se, justam reportet sententiam: iste tamen qui non amore justitiæ, sed livore odii in eum sententiam dedit, justitiam Dei, in quem perturbatio non cadit, non mutat. Piè itaque Gregorius admonet: Si is qui corrigere nititur, ira superatur, opprimat priusquam corrigat. Nam dum plus quàm debet, accenditur, sub justæ ultionis obtentu ad immanitatem crudelitatis effrenatur. Suprà in Pisone id ostendi. *Cap. 1. Et habetur 11. quæst. 3. episcopus. 26. Moral.*

§ 12. Idem Gregor. Mauritio Imperatori: Illa præpositorum solicitudo utilis est: illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio regit, & furor sibi nihil vendicat. Restringenda sub ratione potestas est, nec quid agendum prius, quàm concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum putat omne quod fecerit. Sic & Augustinus: Nulli irascenti ira sua videtur injusta: unde ab omni indignatione citò redeundum est ad mansuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus facilè in ejus odium transit, cui non celeriter ignoscitur. Idem ad Dioscurum: Ira inveterascens ita fit odium, dum quasi doloris justi admixta dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasque corrumpatur. Ita & in epist. Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit: sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. Proinde & iracundum in amicitiam non esse recipiendum, idem docet. *Et habetur 11. quæst. 3. Illa præposit.* *De vera invocat. lib.* *Idem super psal.* *De amic. cap. 12.*

§ 13. Memineris inter phreneticum & ira bacchantem nihil plus interesse, quàm inter brevem & longam insaniam. Recordare quàm multa per iram vel dixeris vel feceris pœnitenda,

quæ

Proverb. cap. 12. quæ jam cum pudore frustra cupias mutata. Hinc Salomon, imprudentem & stultum dicit, statim data occasione iram suam prodere, cautam verò injuriam dissimulare. Proinde quum bilis tibi effervescit, si te ilico ab ea vindicare nequis, saltem eatenus morare, ut te non esse sanum memineris. Nonnulla certè sanitatis pars erit, hoc agnovisse. Ea est iræ natura, teste Beda, *Super parabol. l. 2.* ut dilata languescat & pereat, prolata verò magis ac magis conflagret. Prudens homo differt iram suam, & delicta dissimulando major ac major fit.

§ 14. Sic igitur in animum inducito tuum: Iam quidem ita me affectum scio, at paulo pòst me alia fore mente, aliàs sensi, & in aliis similiter affectis quotidie observo experiorque. Cur ego initerim dicam in amicum iratus, quod postea sedatus mutare nequeam? Cur nunc faciam insanus, quod mihi redditus, summopere doleam? Cur non potius hoc à me impetret ratio, cur non exoret pietas, denique cur non obtineat ipse *Christus, quod tantilli temporis interstitium paulo pòst ultrò donabit? Nemini* arbitror bilis flavæ tantum infudit natura, *nullius cordi tantum fervoris impressit*, quin saltem hactenus sibi nonnihil imperare queat. Maximum autem fuerit, sic institutione, ratione, & assuetudine componere animum, ut prorsus non commovearis: perfectum erit, si vitio tantùm succensens, pro *contumelia charitatis* officium reddas: postremum & humanæ moderationis, ne te totum mentis motui permittas. Quare D. Ambrosius: *Super Luc. l. 5.* Præclarum est, inquit, motum temperare consilio: nec minoris virtutis dicitur, cohibere iracundiam indignationemque compescere, quàm animo irasci, quum plerunque illud levius, istud fortius æstimetur.

Non irasci, Deo simillimum. § 15. Cæterùm non irasci omnino, Deo quam simillimum est, eoque pulcherrimum. At quomodo quis poterit non irasci? Respondet Basilius: Si Deum inspectorem & dominum præsentem semper inspicere putat. Quis enim subditus aliquando audet ob oculos principis aliquid, quod ipsi displicet? Malum autem in bono vincere, est absolutam Christi Iesu charitatem æmulari. Iram premere, frenoque coercere, hominis est summæ prudentiæ. Indulgere illi, ne quidem est hominis, sed ferarum potius, earundemque prorsus sævissimarum. Nunquam etenim homo longius à se recedit, suæque naturæ magis oblitus, trucem induit bestiam, quàm dum ira intumescit.

§ 16. Tum

§ 16. Tum siquidem palàm apparet, animal alioqui nobilissimum, ad mansuetudinem & clementiam natum, feræ magis assimilari, quàm sibi ipsi non rationis, non officii memor, iræ impetui duntaxat serviens, quæ cunctarum perturbationum sola mentem suo loco dimovet & præcipitem agit: id quum aliis neutiquam obscurè accidit, tum & Sauli, qui primus rex fuit in Iudæa, usque adeò excandescere solitus, ut non solùm irasci, sed & furere limpharique subinde videretur. Enimverò regia appellatione nuper recepta, auditaque ab aratro suorum hominum legatione, de Ammonitarum injuria expostulantium, bobus aratoriis quos præ se agebat, succidit crura commotus, edicto insuper præfatus fore, ut non aliter interirent, quicunque eo die ad Iordanem fluvium præstò in armis non essent. Ejusdem fuit præceps illud & crudele in filium Ionathan victorem, ob gustatum leviter in necessitate mel, judicium: implacabilis in Davidem iracundia: 1 Reg. 18. 22. 28. conatus turbati animi adversus Dei & suum edictum in consulenda Pythonissa in Endor, & à mortuo Samuele quærenda ope, nimis obstinati & impii: in hostem adhæc pertinacia, quæ ne fatali quidem cessit necessitati. Periit tamen omnibus multò charior quàm vixit. Nihil profectò tantopere ad immanitatem & extra omnes rationis limites propellit raptatque, quàm ira & reponendæ ultionis aviditas. Sic & Sennacherib, quum reversus Tob. 1. esset, fugiens à Iudæa plagam, quam contra eum fecerat Deus propter ejus blasphemiam, iratus multos occidit Iudæos.

§ 17. Nabuchodonosor rex Chaldæorum in ira magna sua Dan. 2. 3. præcepit, ut perirent omnes sapientes Babyloniæ, eò quòd somnium suum interpretari nequibant. Idem postea totus excandescens, jussit in ardentem ignis fornacem projici Sadrach, Mesach & Abdenego. Post septimi item fratris verba, Antiochus ira 2 Mach. 9. accensus in illum, super omnes desævit. Nónne Herodes Ascalonita, Antipatri filius, à C. Iulio Cæsare rex Iudææ constitutus, ubi magi per aliam viam in regionem suam reversi essent, indignatus vehementer nimis, jussit interfici omnes pueros qui erant Bethlehem & in omnibus ejus finibus, à bimulis & minoribus? Matth. 26 Cajaphas, tanquam blasphemiam audisset, Christi servatoris Theodor. l. VI. c. 18. sacrosanctam audiens vocem, ita intumuit ira, ut vestem è pectore consciderit. Theodosius major Imperator alioqui san- Theodosius Imp.

ctissimus, mirè fuit iracundus, nec sibi imperare potuit. Quocirca Thessalonicæ propter seditionem in theatro ortam, immissis militibus, septem millia trucidari curavit.

Memnon. § 18. Memnon Ephesinus episcopus sub Theodosio & Valentiniano Impp. Orthodoxus, invidus tamen & iracundus adeò, ut Bassianum ecclesiæ Ephesinæ peracceptum, removere *conatus* sit, honesta tamen specie, quòd Vangensium episcopum eum ordinasset. Verùm quum Bassianus ad eam ecclesiam abire recusasset, *ira* usqueadeò inflammatus est, ut ad horas tres ante ipsam aram graviter ipsum plagis afflixerit ad sanguinem usque, ut cruore etiam altare & sacri evangelii codex aspergeretur, ac insuper eundem excommunicarit, uti patet ex XI. actione Chalcedonensis concilii. Quare piè admodum Augustinus hortatur: Iracundiæ *quasi* bestiæ crudelissimæ repugnate, odium velut venenum *mortiferum* de corde vestro repellite, & tanta sit in vobis charitas, quæ non solùm usque ad amicos, sed etiam usque ad *ipsos* perveniat inimicos, ut securè possitis dicere in *oratione vestra:* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos *dimittimus debitoribus nostris.*

§ 19. Quod si amplius juvat cognoscere hoc monstrum, & quàm fœdum sit hominem ab ira superari, fac quum liber sis, vultum irati intueare, aut ipse ira percitus, speculum adeas: videbis animal, vel potius Thrasonem aut gigantem, si mavis, *spiritu* nimis turgidum, nec ulla in parte ita constitutum, ut hominem esse existimes. Suis coloribus hic depictus in Curatione philosophica cernetur. Adversus hunc confidentius certandum, pugnandumque fortius viribus totis, donec succumbat. Quo certamen *prælium*que gravius, eo authoramentum insignius, & brab*ium locu*pletius. Rectè igitur, ut suprà dixi, Solomon, quemadmodum & Augustinus, præstantius censet iram vincere, quàm civitatem expugnare. Nec ulla est, ut ait Arator, tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit: at animum vincere, iracundiam cohibere, fortissimi est: hæc qui faciat, non modò ego cum summis viris comparo, sed Deo simillimum judico.

Proverb. 16. *Lact. de ver. relig. lib. 1. cap. 9.*

§ 20. Non fortior judicandus est qui leonem, quàm qui violentiam, & in seipso inclusam feram superat iracundiam. Proinde eleganter à Cypriano dicitur: contra iram, contra injuriam repugnasse, corona patientiæ est. Et ad Quirinum: Ira vincenda est,

Serm. 2. de zelo & livore.

la est, ne cogat delinquere. Chrysostomus docet, Iram debere vinci patientia. Ignis enim est: at ignis non extinguitur igne, sed aqua. Hinc & prudenter admodum Iesus Syrach, cum iracundo non esse contendendum admonet, & certamen festinantium incendere lites: pòst addens: Si sufflaveris, quasi ignis ardebit: & si expueris, extinguetur. Vt mitis responsio avertit iram, ita durus sermo bilem movet. Nec leviter proderit, cum id genus hominibus societatem cavisse, quod & eosdem terrere deberet. Hoc & à sapientissimo Solomone docemur: Ne contrahas amicitiam cum homine iracundo, & cum homine furioso ne verseris: quo minus ad mores illius assuescas, capiasque offendiculum animæ tuæ.

Lib. 3. Super Matt. homil. 18.
Cap. 8.
Cap. 28.
Proverb. 15.
Proverb. 22.

§ 21. Hæ salubres sanè ex Christi & apostolorum doctrina admonitiones, item graves sanctorum patrum sententiæ, tam ad præservandum declinandumque ab hac peste, quàm ad eam sanandam maximopere facere deberent, apud eos potissimùm, quibus mens nondum occalluit, nec immedicabili usqueadeò induruit scirrho, ut insensilis reddita sit: sunt etenim ἀλεξιφάρμακα, quibus cunctis animi morbis medemur: & μῶλυ, quod ab ejusmodi fascinis mentes solet reddere securas. Si tamen cauterium potentius & extremum requiratur, apertis oculis intuere, quàm severam, & jurè quidem, mulctam suppliciumque iræ constituerit idem ille qui judicaturus est justè vivos & mortuos, Matthæi cap. 5. Audisti quòd dictum sit veteribus: Non occides: quisquis autem occiderit, obnoxius erit judicio. At ego dico vobis, quòd quisquis irascitur fratri suo temerè, obnoxius erit judicio. Quicunque verò dixerit fratri suo Racha, obnoxius erit concilio. Quisquis autem dixerit, Fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Hic Gregorius: Racha in Hebræo vox est interjectionis, quæ animum irascentis ostendit, nec tamen plenum iracundiæ verbum exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postea verò ira cum voce, sed necdum planè verba format, ad extremum ira cum verbo. Et notandum, quòd in ira perhibet, reum esse judicio: in voce iræ. Quæ est Racha, reum consilio: in verbo vocis, reum gehennæ. Per gradus enim culpæ crescit ordo sententiæ: quia judicio adhuc causa discutitur, in consilio autem sententia diffinitur, in gehenna verò ea quæ de consilio egreditur sententia expletur.

Lib. 3. Moral.

In serm. in die Purificat. domini Guerrici abbatis Igniacensis.

§ 22. Ex Bernard. libris : Fratres, post conversionem nostram ira non habeat in nobis locum : quia, ut ait Dominus in Euangel. Gregatim ducit ad gehennæ puteum, dicens : Qui irascitur, &c. Qui dixerit Racha, hoc est, vocem indignationis per iram emiserit, reus erit consilio, in quo tractatur, qua poena mulctandus sit. Qui dixerit, Fatue, hoc est, tale quid fecerit aut verbo aut verbere, ut inter fratres despiciatur, reus erit gehennæ ignis, nisi resipuerit. Hæc est ira quæ stultorum oculos extinguit, sapientum oculos nonnunquam turbat, dicente Psalmista : Turbatus est præ furore oculus meus. De ira stulti Iob ait : Virum stultum interficit iracundia. De hac Apostolus inquit : Sol non occidat super iram vestram : id est, Christus, qui est sol justitiæ, mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat.

Psal. 6.
Iob 5.

§ 23. Electum præterea illud Dei organum, & apostolus Iesu Christi D. Paulus, inter carnis opera morte æterna punienda, iram ejusque fructus numerat iis verbis : Manifesta, *sunt opera carnis*, quæ sunt hæc, adulterium, &c. Inimicitiæ, *lis, æmulationes, iræ*, contentiones, seditiones, sectæ, invidiæ, cædes, &c. *De quibus* prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. Contrà fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Adversus hujusmodi non est lex. *Qui verò sunt* Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis. Si vivimus spiritu, spiritu & incedamus. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem nos provocantes, invicem invidentes. Proinde suos Ephesios quoque hortatur : Omnis amarulentia & tumor & ira & vociferatio & maledicentia tollatur à nobis cum omni malicia. Sitis autem alius in alium comes, misericordes, *largientes* vobis invicem, quemadmodum & Deus per Christum vobis largitus est.

Gal. cap. 5.
Cap. 5.

Cap. 3.

§ 24. Item & Colossenses : Nunc deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, maledicentiam, turpiloquentiam ab ore vestro. Sitis induti tanquam electi Dei sancti ac dilecti, viscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, *lenitatem*, sufferentes vos invicem, & condonantes vobis mutuò, si quis adversus aliquem habuerit querelam, quemadmodum *Christus* condonavit vobis, ita & vos : super omnia autem hæc, charitatem, quæ est vinculum perfectionis : & pax *Dei palmam ferat* in

in cordibus vestris, in quam & vocati estis in uno corpore: & grati sitis.

§. 25. Suos adhæc Romanos: Benedicite iis qui vos insectantur, bene loquamini, & ne malè precemini. Ne sitis prudentes apud vosmetipsos, neque cuiquam malum pro malo reddatis: providentes bona opera coram omnibus hominibus: si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipsos ulciscentes dilecti: quin potius date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus. Si igitur esurit inimicus tuus, pasce illum: si sitit, da illi potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coacervabis in caput illius. Ne vincaris à malo, imò vince bono malum. A malo autem vincitur, qui iratus de vindicta cogitat. *Cap. 12.* *1 Thess. 5.*

§ 26. Nemo malum malo sanat, sed bono malum. Piè itaque D. Jacobus monet, ut omnis homo sit tardus ad iram. Ecclesiastes quoque: Ne sis præcipiti animo ad succensendum, quia indignatio permanet in sinu stultorum. Melior est vir patiens forti. Servator noster unicus Christus docet & hortatur. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Diabolus contrà: Ferus esto & immitis, bile tumens & iracundus, fera magis quàm homo. Tolerantis anima solitudini cuidam est similis, multam habenti quietem: ira perciti autem, foro & tumultui mediisque civitatibus, ubi multus euntium & redeuntium clamor camelorum, mulorum & asinorum, agasonibus etiam accedentium aures multo replentibus sonitu, ne conculcentur: rursum argentariis & ærariis utrinque cudentibus, & aliis quidem molestiam patientibus, aliis verò inferentibus. *Cap. 13.* *Cap. 1.* *Cap. 7.* *Prov. 16.* *Chrysost.*

§ 27. Imitandum omnibus hic exemplum reliquit Joseph, mitissimi ingenii adolescens, qui à fratribus iniquè in cisternam conjectus, peregrinis in servitutem venditur: & tamen à quibus extremam hanc fuerat passus injuriam, eos benignè suscipit, & liberaliter alit, non malum pro malo reddens, sed malum bono rependens. Irasci enim nescit mansuetus: sed benefacere etiam iis à quibus est læsus, novit. Adhæc quum interrogasset Petrus Dominum: Quotiescunque peccabit in me frater meus, & remittam ei? Num usque septies? audivit: Non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septies. Hinc ut fratribus ex corde remitteremus, induxit parabolam servi nequã, cui decem talentorũ millia liberaliter fuerunt remissa. *Matth. 18*

Pastor de Scythi.

§ 28. Pastor de Scythi abbas interrogatus super illud Evangelii, Qui irascitur fratri suo sine causa: solam justæ iræ causam definivit, separationem à Deo: cæteris quamlibet magnis injuriis acceptis qui irascitur, eum sine causa irasci. Igitur quum offensis lacessimur, meminisse debemus nos non habere indignationis causam, sed patientiæ: ita fiet, ut pacem etiam cum inimicis habeamus. Non est enim cur illis irascamur, quos diligere, & pro quibus orare jubemur. Diligite, inquit Dominus, inimicos vestros, & benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos.

Beno.

§ 29. Beno deserti Thebaidis abbas, nunquam visus est iratus. Qui nemini irascitur, perpetua fruitur pace: & licet persequutionem sentiat, fatigatur persequutor, odii stimulis agitatus: ille omnia æquo sustinens animo, in spe præmii cœlestis conquiescit, dicente Domino, Mihi vindictam, & ego retribuam. Ioannes monasterii in Scythi positi abbas, quum ad *Pesium* anachoretam visendum venisset, sciscitatus quantum *in solitudine per annos* quadraginta, quibus in ea versatus *fuerat, profecisset? isque* responderet, quòd sol omnia collustrans, nunquam ipsum conspexisset manducantem: Nec me iratum, subjungit ille. Non minoris æstimans non irasci, quam corpus quotidianis affligere jejuniis. At quæret aliquis, quomodo monachorum delicta semper sine animi commotione castigarit? Huic respondetur, delinquentes non irascendo, sed miserendo corrigendos. Iræ proprium est nocere, castigationis prodesse: hoc virtutis est, illud vitii. Iudicem aut præsidem punire decet ut juvet, non irasci ut noceat.

Epifium appellat Volat. lib. xxi.

Ioannes Gualbertus.

§ 30. Finiam exemplo memoriabili Ioannis Gualberti, equitis Florentini. Hic quum ex agro in urbem *numeroso hominum* comitatu rediret, obviumque haberet eum, à quo haud multo antè frater, quem unicum habebat, fuerat interemptus, neque divertere posset: Ioanne gladium stringente, ut fatris mortem ulcisceretur, alter humi prostratus, ut sibi ob *Christi* crucifixi reverentiam parceretur, supplex orat: Ioannes compressa mox ira, reum & strictum gladium in templo proximo *crucifixi* imagini obtulit.

§ 31. Si porrò qui sint adhuc præfractiores, quorum iram non satis frenare potest varius hic curandi modus, & velim nolim, in graviorem calamitatem, insaniam, & extremam *demum perniciem,*

ciem, præcipites agi malint, iis subjungo hanc concionem Basilii verè magni de ira & odio, si fortè tandem respiciant & convertantur. Conc. 17.

§ 32. Nihil est quod Christiano possit vitio verti magis, quàm quòd ad ulciscendum promptus sit, atque modis omnibus det operam par pari referre iis à quibus injuriam acceperit. Qua enim ratione alterum docuerit, Malum non reddere pro malo, is qui ut vindictam sumat, atque ut damnum sibi illatum reponat, nihil non experitur? longè à Davidis mansuetudine aberrans, inquientis: Si retribui retribuentibus mihi malum, decidam meritò ab inimicis meis inanis. 1 Thess 5.

§ 33. Quapropter oportet furiosum illum ulciscendi motum sanctorum exemplorum memoria reprimere, cogitando quàm æquo animo David Semei petulantiam pertulerit. Nullum enim excitandæ iræ locum dabat, sed in Deum animadversionem transferens: Dominus enim, inquiebat, præcepit Semei, ut malediceret David. Quapropter cum appellaretur ab eo, Vir sanguinum & iniquus, non illi succensuit, sed se ipse abjecit humiliavitque quasi meritò sibi contumeliæ intorquerentur.

§ 34. Omnis enim reprehensio, quæ quidem planè pungit eum qui reprehenditur, vehementer excruciat, ut quæ sceleris turpitudinem ob oculos ponat: adeò ut hac re non mediocriter juvetur is qui vitia sua non agnoscebat, quod in rerum conscientiam pœnitentiamque acerbam traducatur. Quale enim vulnus tam acrem corpori dolorem intulerit, quàm acerbum animæ tormentum injungit increpans oratio, scelerum turpitudini conjunctorum conscientiam pertingens?

§ 35. Nullius unquam corporis character, ita cujusdam proprius esse censetur: ut animi Dei amantis peculiaris propriaque est mansuetudo, pacisque studium. Eum verò, qui hujuscemodi virtutibus est ornatus, maximè decuerit cæteros ad se trahere, atque propius accedentes, morum probitate, veluti suaveolenti odore unguentum replere, aliisque ad optima dux esse: non autem sequi eos qui ad ea ducunt, quæ minimè oportet. Contentiones quoque aliis relinquere, imò verò si fieri possit, ex eorum etiam animis extirpare penitus. Si quando molesta acciderint, his se patientia liberare. Nam vindictam sumere, cujuslibet irascentis hominis est:

est: ipsam verò iracundiam superare, unius id solius est, atque ejus qui ad illius virtutem propius accedit.

§ 36. Quale enim spectaculum, quàm venerandum, quantaque admiratione dignum, humanæ etiam naturæ modum ferè excedens, videre hominem multis conviciis affectum, accepta quoque vehementi in genas alapa, atque innumera alia passum cum dicto tum facto summam ignominiæ labem irrogantia, neque iracundia exarsisse, neque ad vindicandum exurrexisse: sed placidè mansuete que pro eo qui contumeliam jecerit, orasse, adeò ut huic peccatorum præteritorum veniam, & in posterum providentiam ac curam divinam nanciscatur congruam. Nunc verò nos cum aliis permultis, tum in eo maximè delinquimus, quòd illatam nobis injuriam referre pro virili contendimus, quam ne æquali quidem lance rependimus, sed eam præter modum ulciscimur: neque solùm irascimur, si contumelias accipimus, sed etiam si non honoramur: eos quoque qui minore nos honore prosequuntur, quàm quo dignos nos existimamus, pro inimicis habemus.

§ 37. Injuriam tibi intulit iratus quispiam? malum illud silentio siste, neque ejus iram perinde ac fluvium in pectore tuo suscipe, ventos imitatus, qui reflatu quod allatum est reddunt. Probris & maledictis te incessivit ille? tu contrà laudibus illum prosequere. Percussit ille te? patere. Contemnit te, nulloque te habet numero? qui sis, memineris, terram te esse & in terram resolvendum cogita. Obscurum te atque ignobilem, nulloque loco natum dixit? tu terram ac cinerem te esse profitere. Ipso Abrahamo patre nostro non es præstantior, qui se & terram & cinerem esse prædicabat. Ignarum te & pauperem pronunciavit? tu vermem te ipsum, atque è stercore originem duxisse asserito, prophetæ verba Davidis recensens: Moysis etiam illud præclarum his adjicias, qui quidem Aaron Mariæque conviciis lacessitus, non Dei in eos iram exacuit, sed pro ipsis oravit. Tu igitur, si pauperem te appellarit quispiam, si verum dicit, veritatem æquo accipias animo: sin falsum, quid tibi inde incommodi?

§ 38. Ad falsas itaque tui laudes minimè superbias, nec earum gratia magnificentius de te sentias: contumeliis etiam ad te non attinentibus haud permovearis. Si in solidum quippiam ac prædurum sagittas intorseris, nónne eas retundi atque hinc decidere vides? sin in molle aliquid, quodque minimè obnititur, nónne

has

has illi infixas impetus sui vim amittere cernis? Quid vero te pauperis perturbat appellatio? Tuæ ipsius conditionis tibi veniat in mentem, quod nudus in hunc mundum venisti, atque hinc nudus abiturus es. Quid vero homine nudo pauperius? Nihil est in ea appellatione, quod grave debeas existimare. Quis unquam quæso paupertatis ergo in vincula raptus fuit? Ipsa profecto nemini vitio vertenda est paupertas, nisi illi qui eam forti minime fert animo.

§ 39. Quid ipsa ira insipientius? Si lacessentem te patienter tuleris: Quia temperantem ac modestum te exhibes, illum tu pudore suffundis. Nam quemadmodum in seipsum sævit is qui verbera non sentientem percutit (ita enim neque hostem ultus est, neque deflagravit ira:) Sic qui patientem afficit injuria, nullam iracundiæ suæ consolationem invenire valet. Qui vero vindictam sumit, atque parem conviciatori contumeliam refert, quam poterit defensionem prætexere? An ne quod prior ille provocavit? At certe quid etiam veniæ illa meretur excusatio? Neque enim qui in meretricem culpam transfert scortator, ab illa se ad peccandum illectum inquiens, mitius ob id condonabitur.

§. 40. Mala res est injuria? Hanc tu ne imiteris: Neque enim, quod prior aliquis te lacessiverit, judicii severitatem hac excusatione deprecaberis. Verius igitur fuerit, ut mihi persuadeo, id etiam prætendere potius ac conqueri, quod exemplum non habuerit, quod ad temperantiam illam instrueret. Tu vero hominem ira percitum adeo indecore se gerentem intuens, non caves, ne illi similis fieres, sed indignaris, acerbius objurgas, obluctaris? Qui fit, ut quod tu pateris, eo in sui defensionem utatur is qui prior te provocavit? Si ira quidem mala est, cur malum illud non declinasti? Sin venia digna est, quid irascenti succenses? Nam qui vaniloquo contradicit, is quodammodo illi assimilis effici videtur. Quare sapientem arbitror Salomonem edixisse, ne quis stulto secundum ipsius insipientiam respondeat. Quemadmodum enim, qui Imperatoris effigiem dedecore affecit, non aliter punitur, quam si in ipsum Imperatorem peccasset: Sic etiam peccato obnoxius is est, qui ei quem ad sui imaginem Deus creavit, injuriam intulerit.

§ 41. Cum homine iracundo, inquit, ne converseris. Nam

cum cane colligari, ejusque perpetuos audire latratus, mala profecto perniciosaque res est. Illius igitur congressum fugito: Nam si illi te adjungis, illius vias addiscere, atque his incedere necesse est. Contumeliosum quidpiam in te jecit? te etiam ad iracundiam permovit. Ut unius canis latratas, alterius latratum provocat: Ita quoque sopitam tum ac conquiescentem in te iracundiam, illius vox & clamor excitavit, adeo ut mutuo alter oblatret in alterum: Deinde veluti protensis inter se adversi fundis indecora jaculantur atque intorquent verborum convicia.

§ 42. Injuriosum quiddam in te dixit ille? Tu aggressorem imitatus majori cum fœnore reddidisti. Ille ubi repositam in se videt contumeliosi sermonis injuriam, iræ suæ impetum non repressit, sed conversus est, peccatumque suum quo potuit magnitudinis eo deduxit, superare conviciis apud se constituit: Tu vicissim excipiens, clamoribus tolleris: Atque hinc, uter malis vincat, contentio exoritur. In quo vitiorum certamine qui superior evadit, is est proculdubio miserior. *Ubi enim sensuum rationem semel exturbarit furibundus ille iracundiæ affectus, atque animi principatum invaserit, hominem prorsus efferat, atque in belluas degenerare cogit, adeo ut cum hominem esse amplius non sinat.* Quod enim venenatis animalibus venenum est, id concitatis est ira. Rabie corripiuntur ut canes, assiliunt ut scorpii, mordent veluti serpentes. Nam primum quidem seipsos irati non agnoscunt, deinde neque omnes pariter familiares. *Propter iram* mucro etiam exacuitur, atque homini humana manu audetur mors. Ejus causa fratres mutuam inter se cognitionem exuunt: Et Parentes vero ac liberi naturalis illius pietatis obliviscuntur. Et quemadmodum confluentes ad concava torrentes, quicquid obvium est corripiunt: Sic etiam violenti ac effrenes irascentium impetus, iter sibi quacunque pariter faciunt. Injuriarum enim acceptarum memoria veluti œstro stimulati, animi furore sese discruciante atque exiliente, non prius conquiescunt, quam ei à quo sunt offensi, malum aliquod intulerint.

§ 43. Nam cum ira rebus irritantibus accensa est, ut ingenti lignorum congerie flamma, tum sane videre licet spectacula, quæ neque oratione explicari, neque re ipsa tolerari debeant: Sublatas contra tribules suos manus, pedes temere insulantes: Quicquid denique in conspectum venerit, pro ipsius insaniæ armis usur-

usurpatum. Quod si acciderit, ut ex altera parte æquale malum objiciatur & repugnet, ira nempe alia ejusdemque pervicaciæ furor: Tum manus inter se conserentes, ea sibi mutuo infligunt mutuoque patiuntur, quæcunque eos qui sub tali dæmone militant pati consentaneum est.

§ 44. Mutuæ siquidem illæ offensionis, animique irritationes abjecti, primum quidem exiguæ sunt & curatu perfaciles: Temporis vero progressu per contentionem auctæ, immedicabiles prorsus evadere consueverunt. Quamdiu enim quæ dissidio oboriuntur calumniæ locum habuerint, tamdiu suspiciones in pejus augeri necesse est.

§ 45. Si igitur videris hominem ira percitum suos exacuere dentes, eum apro persimilem reputa, quod interiorem iracundiam dentium attritu subindicet. In hujuscemodi enim certaminibus improbis, miserior ille est cui vicisse contigit: Quoniam plus secum peccati reportat.

§ 46. Contra serpentem illum duntaxat iracundiæ tuæ vim exere. Quid enim justum reddedit Phinees? Qui cum vir esset moribus maxime modestis, atque mansuetus, ubi scortationem Zambre & Madianitidis publice nullaque cum verecundia commissam videt, ipsis indecens suæ turpitudinis spectaculum minime occulentibus, id amplius ferre non valens, ambobus simul hasta perfossis, in debitam prorupit iram. Elias vero zelotes quadringentos quinquaginta turpitudinis & infamiæ sacrificos lucorum de mensa Jezabel comedentes, præmeditata prudentique iracundia in totius populi Israëlitici utilitatem occidit. Sic fit, ut ira bonarum sæpenumero actionum sit ministra.

§ 47. Libentius præterea quispiam videat, quem amat irascentem, quam adulantem adversarium.

§ 48. Itaque hos imitari studeamus, neque contra nos, sed adversus diabolum tantum iracundiam armemus, si cœleste regnum assequi velimus in Christo Jesu Domino nostro: Cui gloria & potestas cum æterno ejus patre, ac sanctissimo vivificanteque spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

FINIS.

JOANNIS WIERI

MEDICARVM OBSERVATIONUM

Hactenus

INCOGNITARUM.

LIBRI II.

Lib. I. { *De Scorbuto. De Quartana.*
De Pestilentiali Angina, Pleuritide, & Peripneumonia.
De Hydropis curatione.
De Curatione meatuum naturalium clausorum, & quibusdam aliis.

Lib. II. { *De Varenis morbo Endemio Westfalorum Permolesto.*
De Morbo Gallico.
De Pestilenti & Epidemica Tussi.
De Sudore Anglico.
De Erysipelate. De Iliaca Passione &c.




AMSTELODAMI,
Apud PETRUM van den BERGE.
M. D. C. LX.

Pietatis, doctrinæ & existimationis insignibus amplissimo viro, Domino

ANTONIO HOVÆO

Ecmundano, Abbati & Domino Echternacensi, felicitatem in Christo perpetuam.



QUUM *tam numerosa nostrorum tam recentium quam veterum flagitiorum frequentia, Antistes amplissime, nobis variorum, eorundemque gravium, nec sæpe cognitorum, imo & novorum morborum velut parens fœcundissima existat: Et clementissimum Deum, patremque omnium miserationum sæpenumero irritet, ut inaudito pestium multiplicium genere, hoc potissimum exulceratissimo ævo, non ita nos affligi, quam paterna virga ad instituti sui obedientiam revocari cogique velit: Hoc profecto argumentis evidentissimis testatum, nemo facile negarit, nisi veritatis religioni bellum præfractius indixisse, ab omnibus jure censeri malit. Siquidem enormium scelerum indies magis ac magis subnascentium monstra agnoscimus; morborum quoque prodigiosorum hydram ex eo seminario enatam quotidie experimur nimis. Sed ea est benignissimi Patris nostri cœlestis clementia, ut licet nos aliquandiu ejusmodi castigationis acriori quadam moderatione in ordinem redigere studuerit: Tamen ea demum media singulari divini providentiæ studio, suis liberaliter suggerat, rationibus admodum multis, quibus eæ pestes arceri & vinci queunt. Hanc ejus clementiam beneficentiamque non modo fateri oportet, sed & pro ea gratias agere perpetuas, in oratio-*

orationibus, vitæ resipiscentia, & charitatis operibus: Quibus in proximum declarare debemus, si quid penes nos sit, quo singulari ratione is in calamitate constitutus levari valeat. Cujuslibet hic esset, commissi sibi talenti pondus cum usura in fratris usum distribuere. Verum longe lateque transversos hinc rapi mortalium animos, dum quilibet φιλαυτίας prurigine nimis affectus, & sui ipsius plus satis studiosus, id sibi sepelire malit, ne sine ullo etiam rerum suarum detrimento aliis prosit, est quod ex animo doleamus: Implorandusque attenta mente misericordissimus Deus, ut novis quibusdam amoris mutui facibus, animos nostros inflammare, pro infinita sua bonitate dignetur. Ne vero hic quod mearum est partium, negligenter prætermisisse, proximoque defuisse videar, pro mea tenuitate non illibenter proponere communicareque volui nostre professionis argumentum, quo Æterni Patris erga genus humanum intelligatur voluntas, effectus, studium, & admirabile consilium in hominum conatibus iniquis veluti paterna virga coërcendis: Dum morbos insolitos inauditosque non solum immittit sed & consilia maxime suggerit, commonstratque medicamenta, quorum ope ab acerbarum calamitatum violentia vindicari queamus. Est autem mearum quarundam observationum, non illarum quidem vulgarium, sed rararum, nec cuivis nostræ artis perito vel obviarum vel cognitarum, quædam farrago. In hac primum, quid in Scorbuto cognitu dignum observarim, ingenue explico: Quum hæc fœdissima lues ortu quidem sit vetus, sed non nisi peculiaribus quibusdam regionibus familiaris: Quæ tamen intra annos multos suum virus latius disseminare cœperit, ut jam miserabiliter iis in locis plerosque torqueat, mutiletque ubi ne nomen quidem, longe minus morbus fuerit auditus. Nec modo hunc, quid sit, ejus causas, signa, & de eo prædictiones evidenter describo: Verum etiam quibus rationibus pestis hæc cum acerborum symptomatum acervo superari extirparique possit, eadem opera mini-

cælo. Inde, quæ in partinaci febre Quartana, contra veterum sententias consideranda ratus sum: Item quæ in morbis nonnullis pestilentibus, nimirum Angina, Pleuritide, & Peripneumonia, præter aliorum tam recentium quam antiquorum placita, ad reipublicæ Christianæ usum maxime necessaria, ne in iis tam cæca ratione in posterum consulatur, à me singulari industria sunt notata, ordine item subjungere non sum gravatus: Eoque studio in aliis similibus casibus singula lucidiori mentis oculo contemplandi occasionem subministrasse videor. Quædam præterea extrinsecus observata, & potissimum in clausorum meatuum naturalium curatione, postremo annexui. Quæ autem mea diligentia, qua rei veritate, quo artis usu, qua etiam reipublicæ utilitate, intelligenti & æquo Lectori judicium permitto.

Qualecunque vero sit, tuæ id Amplitudini, & commisso tibi cœtui societatique nuncupare & consacrare multis de causis volui. In primis autem, quod benevolentia me non vulgari, idque tua sponte, complexus sis, ob editos meos de Præstigiis dæmonum libros: qui usque adeo ad tuum fecere palatum, ut doctissimis tuis literis id testari, argumentumque ad eorum auctionem & ornamentum suppeditare non dedignatus fueris. Huc accedit, quod nuper in Zuermondium tuum præter opinionem Embricæ, ubi forte ad bibliopolium diverteram, inciderim: quem evestigio emptum tanta aviditate & studio legi, ut noctis quietem fere hoc nomine neglexerim. Usque adeo enim placuit rei argumentum, pietatis affectus, orationis elegantia, & instructa in utranque partem disceptatio, vel potius modesta collatio: ut quem antea amarem, colerem & revererer, jam observantia ampliori dignum censerem: Etsi quædam simulanter in eo colloquio agi, ob quorundam morositatem, non obtusis naribus olfacere potuerim. Et licet mei nominis memoriam tam præstanti, collatione indignam facile agnoscam (quippe qui tenuitatis propriæ conscius, me meo noverim metiri pede) tamen à tua

Ampl. pro humanitatis tuæ studio & candore id factum libenter patior. Cæterum quod ipsius rei institutum in illo Dialogo spectat, plane mihi videris nunquam non satis laudandam Patrum consuetudinem, qua in fratrum societate non certare poculis, sed de virtutum encomio celebrando, & vitiorum radicitus extirpanda, amice admodum & pie colloqui, mutuoque admonere solent, non sine multa innocentis vitæ usura, in usum revocare. Sic te Patrum vestigiis insistere, institutam bene religionis normam redintegrare, atque verè Abbatem referre & agere, quilibet vel levi pietatis veræ zelo ductus existimare potest. Hanc itaque nactus Spartam, adornare perge. Sic tuo exemplo alios in ejusdem functionis amplitudine constitutos, sed segniores, excitabis: ut partim pudore, partim etiam pio resipiscentiæ affectu, ad tuæ emendationis regulam se conformare studeant. Felix interim illud sodalitium, cui ejusmodi contingit antistes: felix grex, qui tam vigilantem sortitus est pastorem & dominum. Nec dubitare volo, quin optimo gubernatori se attemperet commilitonum cohors, dicto audiens. Proinde fieri aliter nequit, quam ut relativa quædam hic existat reciprocatio & συμπάθεια. Et quemadmodum dominum singularis doctrinæ, pietatis non obscuræ, & vitæ innocentis facibus prælucere constat: Sic haud dubie earundem radiis collustrata societatis commissæ φράτρια, iisdem insequetur vestigiis. Has itaque Observationum mearum lucubrationes lucem videre volui, sub felicissimo tam eximii Antistitis auspicio: quem ut leve hoc grati animi significationis argumentum non aversetur, plurimum oro. Interim Deum omnipotentem, universi boni fontem unicum, precari non desinam, ut te Præsul Amplissime, suo spiritu porro confirmet, atque in te confertim adaugeat, quod pro sua bonitate feliciter cœpit, ad nominis, sui gloriam, & creditæ tibi societatis subditorumque gregis salutum & incolumitatem.

Ampl. Tuæ addictissimus,

JOANNES WIERUS.

JOANNIS WIERI.

OBSERVATIONUM MEDICARUM.

LIBER I.

DE SCORBUTO.



SCORBUTUS est, quando propter splenis obstructionem impeditur attractio humoris melancholici, qui reliquo sanguini commixtus, universum corpus tabida corruptione inficit tum puniceis lituris crura defœdans, ex crassiorum sui partium decubitu: tum portione tenuiore sursum elata, teneras gingivas acri corrosione, & putrida carnis excrescentia vitians. Ejusmodi definitionum, descriptionumque libertatem medicis usurpare licet, ad faciliorem rei intelligentiam: quum alioquin curiosius hæc in logicorum scholis fore discutienda non ignorem. *Scorbutus quid.*

§ 2. Nomen verò fictum ex Danica, & maritimæ Germaniæ lingua. *Scorbuc* enim iis sonat ruptum ventrem, quasi totus venter & hypochondria, ut fit, patiantur: quomodo *Scormunt* nostrates appellant, quando inficiuntur gingivæ, quod ruptam buccam, vel os sonat: Item *Scorbein*, quando in cruribus morbi, symptomata vel signa apparent, quasi dicas ruptas tibias: Hollandis à puniceis maculis Blauschupt nuncupatur. *Scorbuti nomina. Scorbuc. Scormunt. Scorbein.*

§ 3. Stomacace & Sceletyrbe Plinii est, cujus meminit, *libro natural, Hist.* 25. *cap.* 3. iis verbis, *Nec bestiarum solum ad nocendum scelera sunt, sed interim aquarum quoque & locorum. In Germania trans Rhenum castris à Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu fons erat aqua dulcis solus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus dissolverentur. Stomacacen medici vocabant & Sceletyrben. Et malo reperta auxilio est herba, qua vocatur Britannica, non nervis modo, & oris malis salutaris, sed contra anginas quoque & serpentes. Folia habet oblonga, nigra; radicem nigram. Succus* *Blauschupt. Stomacace, sceletyrbe. Britannica.*

ejus exprimitur, & ex radice Phrisii, quæ castra erant monstrare illam.

§ 4. *Apud hos & finitimas regiones maritimas, potissimum septentrionem spectantes, sparsim illud malum hactenus latuit: proximis verò annis additiones confines, ubi antea inauditum ex prava victus ratione, sive contagione, proserpere *cœpit*, *ut jam* Germaniæ inferiori universæ propemodum innotuerit: *Alioqui* amplissimo totius Germaniæ superioris regno adhuc incognitum, quemadmodum Italiæ, Gallicæ, ac Hispaniæ. Si fortè in aliquo Asiæ, vel Africæ loco lues hæc sentiatur, is erit vel maritimus, vel alius, ubi rarus salubris aquæ usus, vel ubi victus aut aër ejus fomitem suppeditat: proinde & morbus hic ei tractui solummodò peculiaris, velut maris quoque borealis accolis: nullo autem modo cunctis mundi partibus, ut reliquus morborum acervus *familiaris*. Nabathæi siquidem in fœlici Arabia & eo adventantes Romani illam perpessi fuisse videntur Augusti Cæsaris ævo. Hujus etenim imperio, quum in Arabiam exercitum R*omanum traduxisset* Ælius Gallus, eum in ipsa expeditione *relinquere coactus est* in Albo vico maximo Nabathæorum emporio: *ubi æstatem &* hyemem transigere oportuit, ut reficerentur infirmi. Quandoquidem oris, & crurum cæterisque ejus loci vitiis tentabantur exercitus, quorum illa circa os, hæc circa crura resolutionem quandam fuisse ob aquas, & fructus provenientiam scribit *Strabo lib. 16. circa finem*: qui eodem tempore vixit. Peculiare verò nomen ejus pestis apud Arabes non comperio. Cæterum medici, vel Græci, qui apud Romanos fuerunt, tum potissimum medicinam faciebant: vel Latini Græcæ linguæ periti, qui in illis bellis exercitus Romanos sectati fuere, ex symptomatibus, quæ maximè tum in ore, tum in tibiis apparuerunt, nomina finxerunt Græca, ut morbus στομακάκη ab oris vitio; σκελοτύρβη, à tibiarum læsione infectioneque appellaretur. Voces enim has, nec qui Germanicum Cæsarem comitabantur medici, à Phrysiis accepere, qui tunc temporis medicis maximè doctis, & in linguarum peregrinarum usu tritis, caruisse videntur, ut apta morbis nomina Græca formare nequiverint: si tamen fortè quos habuerint, ii fuere parum & eruditionis exiguæ: Ab Arabibus vel Nabathæis, easdem voces identidem non didicere medici Ælium Gallum sectati.

Stomacaces & scelotyrbes nomina à quibus Scorbuti indita.

§ 5. Porro quæ scelotyrbe ab authore definitionum sub Galeni describitur nomine, nihil minus est, quam Scorbutus noster, quum

cam

eam paralysis speciem esse scribat, qua recti incedere nequeunt: sed nunc in lævam, nunc in dextram corpus contorquent: interdum crus post se trahunt, non secus, quam acclives locos ascendentes faciunt. Hæc ejus verba: σκελοτύρβη ἐστὶ νόσος παραλύσεως, ὥστε περιπατεῖν ἐπ' εὐθείας μὴ δύνασθαι, καὶ ποτὲ μὲν κατ' εὐθὺ, ποτὲ δὲ εὐώνυμον εἰς τὰ δεξιὰ περιφέρειν τὸ δεξιὸν εἰς τὰ ἀριστερὰ, καὶ ποτὲ μὲν ἐπισύρειν τὸ σκέλος, ὥσπερ ἀναβαίνοντες τὰ μέγα. Oscedinem appellasse hunc morbum Marcellum ab oris, vel gingivarum exesione arbitror. Gingipedium quibusdam dicitur, nomine ficto à gingivis, & pedibus læsis.

σκελοτύρβην non esse Scorbutum.

Oscedo.

Gingipedium.

§ 6. Quæstio hoc loco occurrit, utrum lues hæc à priscis, nimirum sacræ & veteris nostræ Medicinæ scriptoribus Græcis, & Arabicis, fuerit cognita, descriptaque? Cujus affirmativam partem, quum alii sustineant, ego in negativam propendeo. Nam Avicenna, *can.* 3. *fen.* 15. *tract.* 2. *cap.* 5. quandam symptomatum quidem congeriem, quæ in Scorbuto videntur, recenset, ubi de signis apostematum splenis agit: Scorbutum tamen nostrum non describit, licet proximius eum attigisse videatur. Hippocrates item de magnis lienibus sic quidem scribit, *lib.* 2. *Prædictionum*, ut quædam Scorbuti accidentia notet: sed paucis signis, quæ in splenis affecti morbis apparẽt, Scorbutus noster peculiaris morbus non describitur. Ait enim gingivas vitiatas, oris graveolentiam his accidere, quibus splenes magni. Quicunque verò habent splenes magnos, & neque sanguinis eruptiones ipsis contingunt, neque oris graveolentia, horum tibiæ ulcera prava habent, & ex his cicatrices nigras. Ad trutinam nunc Hippocratis verba vocemus, expendamusque. *Quibus magni lienes his gingivas infici & putrere asserit, illud unum symptoma est.* Hinc subjungit. *Quibus vero splenes magni, nec putrescunt gingivæ, neque sanguinis eruptio contingit, horum tibiæ ulcera sortiuntur maligna, atque cicatrices hinc atras.* Hinc manifestè apparet Hippocratem in ea esse sententia, quòd eodem tempore utrumque illud symptoma in splene magno non conjungatur: Sed tibiarum ulcera tum primum subsequantur, quando humor ille melancholicus acris non feratur sursum ad gingivas, vel sanguinis eruptione minuatur, verum ad tibias subsidiat, fœdè exulceret, & cicatrices postea nigras relinquat. In Scorbuto autem simul gingivæ putrescunt, fœtentque, & tibiarum lituræ amplæ livescunt, quæ etiam quam rarissimè ad exulcerationem perveniunt. Hæ etiam præcedunt ulcera ea rara malitiosaque si fortè tandem emergant: nullaque harum ma-

An scorbutus Græcis & Arabicis medicis fuerit cognitus.

An magni lienes.

cularum magnarum, in hoc morbo ſemper ferè apparentium, apud
Hippocratem mentio fit, ſed ſolarum cicatricum nigrarum poſt
ulcera relictarum, quæ communes quoque ſunt cunctis exul-
cerationibus ab humore melancholico natis. Enimverò difficulter
admodum ſanantur: quare etiam in ſcirrho ſplenis cicatricem non
admittere affirmat Paulus Ægineta, *lib*. III. *cap*. 49. Ad Celſi ſen-
tentiam, qui latina reddidit ea Hippocratis verba, *l*. II. *cap*. 7. Idem
dictum volo. Eadem ratione ad Celſi, & reliquorum ejuſdem ſen-
An icterus niger. An volvulus hæmatites. tentiæ veterum authoritates reſponſum ſit. Scorbutum adhæc a-
lium eſſe ab icteritia nigra, & tertia volvuli ſpecie, quam Hæma-
titen vocat. Hippocrates, & ego longo medicinæ uſu obſervavi, &
doctè in ſuo inſigni libello de magnis Hippocratis lienibus, oſten-
dit excellentiſſimus medicus Balduinus Ronſſæus, mihi neceſſitu-
dine haud vulgari junctus.

§ 7. Ex recentioribus ſcriptoribus Scorbutum ſic ſatis deſcri-
bit Olaus Magnus natione Suecus, in ſua *hiſtoria de gentibus Se-
ptentrionalibus*, *lib*. XV. *cap*. 51. Etſi multis in locis eum figmen-
torum alioqui minimè puduerit; hæc ipſius verba. *Eſt & morbus*
caſtrenſis, qui vexat obſeſſos & incluſos, talis ſcilicet, ut membra car-
noſa ſtupiditate quadam denſata, & ſubcutaneo tabo quaſi cera liqueſ-
cens, digitorum impreſſioni cedant, denteſque veluti caſuros ſtupefacit,
colores cutium candidos reddit ceruleos, corporemque inducit cum medi-
cinarum capiendarum nauſea, vocaturque vulgari gentis lingua Scor-
buck. *Græce cachexia, forſitan à ſubcutanea mollitie putreſcente: quæ vi-*
detur eſu ſalſorum ciborum, nec digeſtorum naſci, & frigida murorum
exhalatione foveri, ſed vim tantam non habebit, ubi muri interius tabu-
lis quorumcunque lignorum ſunt cooperti. Inſuper ſi diutius graſſetur i-
ſte morbus, abſinthiaco potu continuato illum arcent: Sicuti & calculi
radices, per decoctionem veteris cereviſiæ cum butyro epota tollere ſolent.
Lib. item IX. cap. 38. *Viribus* ait, *primis annis demum (multis ſtragi-*
bus continuis diminuto) artibus, dolis & inſidiis obſidentium ſurripiunt
commeatum, præſertim pecudes, quas ſecum abductas, in herboſis domo-
rum tectis paſcendas imponunt, ne defectu carnium recentiorum, mor-
bum incurrant, quibuſvis ægritudinibus triſtiorem, patria lingua Scorbuck
nuncupatum, hoc eſt ſaucium Stomachum, duris cruciatibus & diuti-
no dolore tabefactum. Frigidi enim & indigeſti cibi avidius ſumpti mor-
bum hujuſmodi cauſare videntur, qualem medici cachexiam univer-
ſalem appellant. Hujus luis quoque obiter meminit Albertus
Crantz

Crantz *in sua Saxonia.* Item Euricius Cordus, *in suo Botanologico.*

Caussæ.

CAussa proxima erit humor crassus, crudus, frigidus in vasis sanguinis contentus, sive is sit melancholicus, sive cum pituita mixtus. Caussæ remotæ, sex res non naturales aër corruptus, victus pravus, putrisque frequens in regionibus septentrionalibus, maxime earum navibus marinis, velut caro suilla à coctione nonnunquam subolida, lardum fumo infarctum, exiccatumque subinde rancidum, quandoque ab initio impurum, gravisque infectionis indiciis imbutum, plærumque crudum etiam voratum: Item carnes reliquæ, & pisces saliti prius, deinde atro multoque fumo transfusi, & indurati, vel multo sale conservati diu, similiter qui crassæ substantiæ, & exsucci sunt. *Caussa proxima scorbuti.* *Caussæ remota.*

§ 2. Caro venatica, & putida, volucres aquaticæ, & quæcunque aceto condita longo tempore fuere, brassica, allia, panis vetus, biscoctus, nonnunquam submucidus: Legumina, cerevisia crassa, & feculenta, usus aquarum vitiosarum in dulcium penuria, unde sævi gignuntur morbi, testibus Hippocrate, *De aëre, aqua & locis* 31. Et Plinio lib. xxv. c. 3. Item jejunia, cum exiguo mali succi cibo: Ad hæc vigiliæ, labores intempestivi, immodicique affectus animi, cogitationes graves assiduæ, præcedentes quoque febres, & vacuationum debitarum intermissio, sive suppressio, ut hæmorrhoidum, mensium, & similium.

Signa.

SIGNA in morbi principio. Corporis totius gravitas, spontanea cassitudo, qualiscunque præcordiorum angustia, crurum imbecillitas levisque rigor, cum dolore exiguo, gingivarum pruriginosa rubedo à naturali mutata ac dolor: Faciei color ex pallido in fuscum vergens. *Signa Scorbuti in principio.*

§ 2. In incremento gingivarum laxus sanguifluusque tumor, & putredo cum oris foetore, quarum aliquando etiam caro, ad dentium radices consumitur, utrobique dentes vacillant: crurum adhæc lituræ conspersi leviter sanguinis faciem ostendentes quandoque & qualis morsu pulices inprimere solent, majores tamen, quæ etiam in fæmoribus, & toto corpore sparsim aliquando apparent, *In augmento.*

ex

ex minus crasso sanguine procreatæ. Plerumque etiam maculæ amplæ, plumbeæ, lividæ, purpureæ, nigris violis obscuriores, ex fere corrupti sanguinis eo decumbente genitæ: Quare raro admodum in aliis locis, quam cruribus emergunt. Quandocunque vero hæ videntur, certissime Scorbutum adesse denunciant, etiamsi alia signa adhuc delitescant. In faucibus item *aliquando is livor* apparet, in iis, quibus universum corpus hac putrilagine ita permaduit, ut fere mortis periculum haud longe absit.

Ingravescente. § 3. Ingravescente morbo, nervorum in cruribus rigor, ambulandi impotentia, nervorum item contractio, anhelitus difficultas, maxime ubi æger movetur, aut erigitur, aut sedentium quoque fere vel omnino linquitur quandoque animo, decumbens autem respirat liberius, reficiturque. Quidam appetunt cibum frequenter, quibusdam edendi aviditas languet. Motus aggravativus in multis quarto, quintoque die, in plærisque tertio: In paucis singulis diebus, sine manifesta tamen febre observatur. Aliquos interim quandoque simul febrire non est dubium. *Nonnulli enim* hac lue correpti, febre lenta erratica *corripiuntur: Aliquando* etiam febres præcesserunt ardentes, malignæ, dup*lices tertianæ:* Et ubi in ipso Scorbuto nondum post eas febres perfecte curato, febris, quartana valde maligna subsequeretur, vidi: Et in ipsa quartanæ declinatione rursus apparuit Scorbutus, sano tandem consilio victus. Sic eæ febres non adeo per crisin terminari *sæpenumero* videntur, quam novos ex labefactis visceribus, atrophia, & multa sanguinis corruptione putrilagineque producere morbos, prioribus non raro pejores. Quibusdam alvus astrictior, aliis fluxilior. Livor ille crurum quandoque integras tibias inferiores, circumquaque usque ad pedes, cum tumore ita obsidet, ut *elephantiasis* notam esse quis judicaret: rursus aliorum crura sic attenuantur, ut ossa videatur cutis tegere sola, plerumque cum calore multo, nonnunquam absque eo. Quorundam etiam maculæ in squamulas resolvuntur, quemadmodum in Erisypelate fieri etiam assolet: Aliorum leves, æquales, nonnunquam splendicantes permanent cum levi vestigio ad digiti impressionem. Plerumque etiam, licet raro admodum apparet varicosa venarum plenitudo, & sub lingua tota venæ minutissimæ, varicibus perquam similes: Identidem & in inferiori labro conspiciuntur. Pulsus hic, ut in quartana febre varius, exilis, durus, frequens, debilis, pro tem-

temporis & morbi varietate. Urina rubicunda, turbida, crassa, feculenta ad modum vini rubri recentis, quemadmodum & fervente quartana, potissimùm à sudore, solet apparere: est & gravis odoris.

Prognostica.

SCORBUTUS in iisdem familiis aliquando frequens, partim quod eodem victu sint usi ægroti, quare contagione putatur serpere: partim quod contagio lædat, ubi in oris, & gingivarum vitio, ex iisdem poculis bibunt, vel assidua contrectatione vitiatos Spiritus admittunt. Quandoque est à parentibus hæreditarius. *Prognostica.*

§ 2. Febres aliquando in hunc morbum terminantur. Hunc etiam plærumque tabes comitatur: subinde hydrops, quandoque & dysenteria, atrophia vero propemodum semper.

§ 3. Ulcera in tibiis, si nonnunquam exoriantur, quod raro tamen fit, cicatricem difficulter admittunt, quippe fœtida admodum, maligna, & aliquando gangrænosa: ita plerunque corrupta, ut immissum ferrum non sentiant.

§ 4. Habent nonnulli in hoc morbo illæsas gingivas, sed defœdata crura, qui, vel ex ore, vel ex naribus sanguinem rejiciunt.

§ 5. Morientibus ex hoc malo plerisque delitescunt maculæ, aliis à morte efflorescunt uberrimè.

Victus.

VICTUS sit concoctu facilis, & boni succi moderatè calefaciens, tenuis, incidens etiam subinde, atque attenuans abstergensque cui leviter astringentia accedant quandoque. *Diæta.* Convenit Polenta nostra hordeacea, imò & avenacea, vel hordeum exorticatum, cocta in jusculo aut aqua, deinde cum vino per setaceum redacta: Passulæ Corinthiacæ etiam coquantur in jure aliquo idoneo, vel etiam aqua & vino, atque similiter per setaceum transmittantur: Potest & ovi vitellum subindè commisceri. Eædem quoque passulæ manduntur, si nimia siti, aut oris siccitate laboret æger. Prosunt & amigdalæ cum colatura decoctorum furfurum triticeorum apparatæ: quibus amararum pars aliqua fuerit mixta. Aromata in cibo, pro flaccidi corporis, & morbi exigentia, quandoque miscenda, ut cinamomum, macis, nux myristica & zinziber.

ber. Omphacii usus hic non inutilis. Condimenti loco assumantur & interdum Cappares, cum uvis passis Corinthiacis & oxysaccharo, vel oxymelite longo: atterantur vero dentibus prius mansione, quam deglutiantur. Potus sit cerisiva bona, optimè defecata, maximè absinthites. Uti & vinum eadem herba confectum: aut si quis chamædrite afficiatur, erit & hoc utile multum. *Aqua etiam* lactis haud temerè quis utetur. Lac item caprinum, vel in ejus defectu vaccinum recens, in quo decocta fuerint sisymbrium, cardamine, vel nasturtium hortense cum foliis latioribus, hyemale vocant, vel cochlearia, non sine successu plerique usurpant, præsertim qui lacti assuevere, eoque afficiuntur, vel qui id innoxiè patiuntur. In cubiculo versentur sicco, calido, mundo, & lucido: tristiores animi affectus excludant.

Curatio.

Sanguinis missio. CURATIO à sanguinis missione inchoanda *erit in initio, si ejus* fuerit plenitudo, vires, ætas, & reliqua *consenserint. Copiosam* autem detractionem hic dissuaserim. Per *hæmorrhoides* si legitimè vacuentur, commodum erit. Si peculiari modo affectus comperiatur splen, lienaris, vel media in sinistro brachio aperiatur. Sin vero hepar magis, vel æquè gravatum, corpusque sanguine redundare deprehendatur, tum dextri brachii *secetur jecoraria*, vel basilica, aut media. Quem autem raro advocetur medicus, nisi altas malum egerit radices, invalueritque, & livoris in tibiis se morbus prodiderit, à sectione venæ abstinendum consuluerim.

Purgatio. § 2. Hinc leniter corpus evacuetur cum foliis senæ Alexandrinæ, quam vocant expurgatis ad ℥ s. vel ʒ iij. vel minus si epithymi tantundem adjunxeris, cum paucis passulis Corinthiacis, semine fœniculi, & zinziberis an. ʒ s. quæ simul vespertina hora in seri lactis sufficiente quantitate leniter efferveant, & macerentur nocte: Deinde manè post fervorem unicum forti expressione coletur serum, quod propinetur. Potest & ℥ s. sequentis pulveris eodem modo infundi colaturaque expressa exhiberi.

℞. *Fol. senæ Alexandr. expurg.* ℥ j.
epithymi, tartari albi an. ℥ s.
cinamomi, garyophyll.
galangæ, seminis anisi an. ʒ j.

dia-

diagryd. ℥. ii s. F. pulvis.

inferunt ac pilulæ de fumaria, ac diasenæ: Pilulas etiam ex lapi-lazuli, & armeno, etsi quidam exhibeant, mihi tamen displi-cent: confectionem hamech qui offerre quoque volent, quantitatis singularem habeant rationem necesse est, quum vehementes ex-purgationes innoxiè hic morbus non ferat, ubi tam facilè cor affi-citur, læditurque.

§ 3. Purgato suaviter corpore, singulis diebus bis, hora nimi-rum matutina, qua etiam in plerisque sudor expectatur, & quarta pomeridiana assumentur ℥ iiij. succi expressi ex herbis sequenti-bus, admiscebiturque Sacchari puri quantum voles, & canellæ pa-rum. *Scorbuti-ca medi-camenta.*

℞ *Cochlear. sisymbr. cardamines* *Cochlea-ria.*
nasturt. hyemalis dicti an partes æquales. *Sisym-brium.*
Becabungæ partem mediam, *Nastur-tium aq.*

Quantitate observata unius prædictæ herbæ: hæ virides in mor-tario lapideo cum pistillo ligneo contundentur, exprimentur-que. Cæterùm eæ potissimùm in hoc morbo exstirpando sin-gularem sunt sortitæ ex ratione prærogativam, quum pri-mæ tres incidant, extenuunt, & per urinas expurgent, quarta alia-rum vires contemperet. Propterea etiam pro corporis, morbi, & caloris ratione augeri, vel minui potest. Contusæ item illæ in la-cte caprino recenti, vel in ejus penuria, vaccino decoquuntur: & à forti expressione simili modo potus propinatur. Recentem eum quotidie apparari consultius est. Felicem quoque successum ex-pertus sum, si quando in lactis sero, illæ herbæ decoquerentur. Suc-corum tamen exhibitio præstat: at ex docti, exercitatique medici arbitrio hæc mutari possunt, ubi & cum vino rubello coquerentur, non temere memini. Liquoris verò non magna superfundenda quantitas, quod succulentæ sint herbæ: quare hæ solum ejus ad-mixtione contegentur ad coctionem, alias cum iis liquoribus etiam per cribrum setaceum valida expressione trajici solent contusæ crudæ. *Absinthium vulgare* admixtum confert plurimum, utiliterque adjunxi sæpenumerò fumariam, & chamædryos. *Nummularia* quandoque ob laxa viscera, & dissolutas compages miscetur. *Becabung.* *Absyn-thium.* *Nummu-laria.*

§ 4. Si aliis deinde multa aliarum materiarum farrago placue-rit, quemadmodum myrobalanorum, maximè Indorum, corticum radicum *Alia plā-ta scorbu-ticis u-tilis.*

radicum capparis, fraxini, cuscutæ, asari, thymi, epithmi, *adianthi*, matricariæ; chelidoniæ, betonicæ, hyssopi, agrimoniæ, scabiosæ, teucrii, phyllitidis, cetorach, tamaricis, acetosæ, radicum valerianæ, bistortæ, enulæ, polipodii, lapati acuti, fœniculi, petroselini, pimpinellæ, cichorii, borraginis, buglossæ, *rhapontici*, aristolochiæ, rotundæ glyzyrrhicæ, passularum, senæ Alexandrinæ, florum genistæ, sambuci, seminum anisi, fœniculi, viticis, *seminum* frigidorum, & id genus reliquorum, per me licet, ex paucarum tamen plantarum legitimo usu curationem consequutus sum non rarò felicem.

§ 5. Hoc item remedio infinitos esse curatos intelligo.

℞. *Comæ absynthii vulg. sicci,*
granorum juniperi contusor. an. M. j.
lactis caprini ℔ 4.

Coquantur ad tertiæ partis consumptionem exprimendo colentur, deinde admisce croci in pulverem redacti ʒ j. *denuo ebulliant fervore uno aut altero, secundo colentur.*

§ 6. Decocti hujus datur haustus tepidus ter in die, *hora matutina*, ac tertia pomeridiana, & quando cubitum itur. Mulierem novi in Scorbuti curatione celebrem, quæ corpore vacuato, hanc propinabat potionem.

℞. *Becabungæ*
sisymbrii
cardamines an. M. iij. vel IV.
contusis herbis admisce
sem. erucæ
rad. ireos hortensis nostri vulgaris recentis an. ℥. s.
zinziberis ʒ ij.
piperis longi ʒ j.

Simul per colum trajiciantur cum vini rubei ℔ ij. *Ex hoc* potu commoto singulis diebus hora matutina calide offerebat, deinde ægro diligenter contecto eliciebat sudorem, novem in ea curationis ratione impendens dies. In comitatu Mercensi, becabungam, sisymbrium, cardaminem, & aloën contusa, & cum lacte colata propinant nobiles quædam matronæ. Tenello infanti cum successu aliquoties apozema hoc exhibuit Comitissa quædam.

℞. *Rhabarbari*
Centaur. minor.

rhapont. vulgo dicti an. ʒ s.
sem. anisi
liquiritiæ an. ℥ ij.

In pulverem redacta trajiciantur cum expresso liquore. Manipuli florum rosarum damascenarum, quos vocant, in aqua decoctarum: Hinc cum Sacchari s.q. fiat Syrupus longus, unde cochlear mane & vespere bibit.

§ 7. Ingratam & fere abominabilem potionem in Phrysia Orientali velut certissimam in scorbuti curatione habitam, hic subjungere volui, ut excrementis quoque suam inesse vim naturalem quilibet videat, quæ tamen in usum non admittimus, quod alia magis grata, neque usque adeo abominabilia certiori ratione usurpati queant, jucundiorque curationis modus observetur.

℞. *Vini Rhenensis mensuram sex quartarum (singula quarta pendent* ℔ iiij. *medicinales) radicum raphani majoris boni, & recentis in mortario lapideo diligenter contusi* ℥ iij. *quæ cum parte vini dicti in ollula seorsum mixta macerentur per horam integram: Liquor fortiter expressus per linum, cum sex vini dicti quartis commisceatur: Deinde in ejusdem vini portionem aliam immittatur separatim stercoris taurini & anserini par quantitas trium magnarum nucum, itidemque per horam relinquatur, post validam inde expressionem vino primo affundatur. Hinc* ℞. *Nucum myristicarum, Gariophyllorum,* an. ℥ ij. *contusa seorsum, linoque illigata in dicto vino suspendantur, atque eo modo horis viginti quatuor potus consistat.* Inde quotiescunque sitit æger, large bibit: Nec aliam usurpat potionem donec integram consecutus fuerit sanitatem. Potus autem hic apparari secundo poterit, si requirat necessitas. Interea caventur salita valde, secalinusque panis. Quum Phrysia taurorum & anserum sit feracissima, ex paratu facilibus ibi concinnantur hujusmodi medicamenta. Tantam autem vim calorificam stercori anserino inesse, ut in quæ inciderit gramina, urat: Et hinc cum liquore convenienti transfusum incidere, menses, secundinam, & urinas potenter movere constat: Nec dubium est taurinum stercus identidem hac nonnihil facere.

Stercoris anserini, & taurini vires.

§ 8. Vacuationes priores semel atque iterum toto curatione reiterari queunt. Inde diebus aliis offeratur matutina hora cochleariæ conserva, vel etiam conserva chamædrytis seorsum, vel mixtæ, quibus accedant radices buglossæ, vel borraginis conditæ, velut & enulæ.

 § 9. Porro

Plantæ ad Scorbutum utiles omnes sunt acres. § 9. Porro notandum omnes ferè plantas acres, quibus incidi- tur attenuaturque materia morbifica, ad hujus mali profligatio- nem juvare: ne quis sibi persuadeat, à tota substantia, vel forma oc- culta solùm herbas tantoperè prædicatas, nobisque hîc familiares, ut efficacissimas, puta sisymbrium, cochleariam, & becabungam, istum profligare morbum, cujusmodi sunt, præter enumerata paulo antè, draco, Scordium, semper vivum minus, herbæ omnes splene- ticæ, radices aperitivæ. Semina calida, baccæ lauri, juniperi, at- que id genus substantiæ reliquæ.

Externa medicamenta. § 10. Hypochondria illinantur, sinistrum hac vel simili mix- tione.

Ad lienem ℞. *Olei de capparibus* ℥ j.
Ad epar. *Unguenti de bryonia*
contra splenem an. ℥ s.

Ad gingivas. Misce Dextrum oleo absinthite, quibus si postulet necessitas, primarum nostrarum herbarum succus incoquatur.

§ 11. Gingivæ laxæ & putridæ interim colluantur cum deco- cto foliorum & corticum oxyacanthæ vulgaris, cochleariæ, sisym- brii, cardamines, nasturtii cardamines, nasturtii hyemalis, & ro- sarum rubearum immaturarum, in aqua ferrata præparato, in cujus colatura expressa aluminis pauxillum fuerit dissolutum. Saporis & abstersionis ratione, admisceatur mel crudum, vel rosaceum: sive ut conserventur confirmenturque magis gingivæ, imò & fervor re- stinguatur diamoron. Valent huc quoque oleastri folia eum stilla- titio plantaginis succo expressa: item pruni silvestris cortices.

Collutio quoque alia hoc conficitur modo.

℞. *Aqua* ℔ j.
Salis
aluminis an. ʒ ij.
bulliant simul.

Item ℞. *Malicorii*
sumach.
balaustior an. ℥ s.
Passularum ℥ j.

Cum aqua fluviatilis ℔ IV. *ad medietatis absumtionem coquantur, trajectoque per colum liquori admisce mellis rosacei* ℥ ij. *aluminis* ʒ ii.

§ 12. Confricantur & gingivæ sanguinolentæ & flaccidæ, sa- le usto, cui pulvis balaustiorum fuerit mixtus: vel cineribus sar- men-

mentorum, cum testis ostreorum, aut mytularum ustis: Interim illa sanguinis sanies quoque exugitur, expuiturque. Inde etiam os colluitur decocto radicum bistortæ, quæ virtute Britannicæ simili pollet: hinc & succus exprimitur, ut etiam ex dicto nostro nasturtio, & cum diamori parte dupla miscetur, quo gingivæ illinuntur.

Vel ℞. *Succi bistortæ*
mellis rosac. an. ℥ iij.

Ad succi consumptionem coquantur: inde aluminis usti ʒ j. *admisce*, hoc linimento utere. Quemadmodum & hac confectione.

℞. *Bistortæ* ℥ s.
Salis ℈ j.

Cum diamoro ad conditi consistentiam misceatur: Sic & alumine & pyrerethro cum melle crudo mixtis, quibus ex salivæ, & olibani pulvisculo parum indi potest. Cujus supra memini, mulierca collutionem parabat ex hysopo, ambrosiana, betonica, & radicibus enulæ aquæ incoctis, in colaturæ expressæ ℔ ij. dissolvebat aluminis ℥ s. & simul cum melle sinebat effervescere, despumabatque. Phrisii aliam conficiunt *ex aceti cerevisiari* ℔ ij. *boli armeni* ℥ s. *aluminis* ʒ ij. *mellis* ℥ iij. simul bulliunt. Saxones plerique sabinam adjungunt.

§ 13. Si gingivarum putredinosus tumor nimis luxuriet; forsicula nonnihil auferatur, & unguento Ægyptiaco, vel alumine usto cum rosaceo melle mixto consumatur: aut etiam vitrioli oleo coërceatur. Est & hæc aqua in earum putredine eximia, quomodo etiam in malignis ulceribus, si spongiola eo liquore imbuta confricentur gingivæ.

℞. *Arsenici sublim.* ℈ ij.
alumini usti ʒ ij s.

In pulverem contusa simul bulliant in aqua plantaginis ℔ j. *ad horam in vase duplici.*

§ 14. Lituræ in cruribus foventur decocto baccarum juniperi leviter contusarum, sisymbrii cardamines, utriusque nasturtii hyemalis, cochleariæ: quibus si voles, addes flores camomillæ, arthemisiam, melissam, absinthium, rosmarinum, majoranam, thymum, hyssopum, & similes herbas, quæ aquæ incoquantur. *Ad maculas.*

§ 15. Si & spongias ex eo calido expresseris, inferioribusque tibiarum partibus utrique applicueris, maculas sub cute obscuras,

&

& adhuc delitescentes manifestè elicies, ut efflorescant, & *Scorbuti* signa luceant. Linimentò hoc inungentur quoque

℞. *Butyri majalis* ℥ ij s.
baccar. juniperi contus. ʒ vj.
Vini puri ℥ ij. *coque in fictili ad vini consumptionem*, expressione vehementi colato, ungantur crura manè & vesperi, *vel* fiat illinitio, butyrositate collecta ex lacte, in quo decocta fuerint sisymbrium, cardamine, nasturtium heymale, becabunga, absynthium, & baccæ juniperi contusæ. Applicantur & panni ea pinguedine imbuti.

§ 16. Habenda etiam ratio caloris, ut insigniter calefacientes plantæ tum minuantur, becabunga augeatur, & in lacte ebutyrato apparetur decoctio. Coagulum lactis Ebutirati per se quoque apponitur, vel lac ebutyratum recenter concretum.

Ad tumores duros. § 17. In tumoribus durioribus admovetur cataplasma ex lacte, cui consolida major fuerit incocta, absynthium, *sive etiam* chelidonium majus & minus, radices bryoniæ, *medulla panis, farina* fabarum, vel hordeacea quoque, vel lupinorum pro *affectæ partis* constitutione, aut calore.

Ad membra rigida. § 18. Nervi, ligamenta, & tendones, si hujus materiæ gravis copiam imbiberint, rigidioraque & ad motum inepta fuerint reddita, post fotum, vel etiam absque eo inungantur adipe anserino, vel anatino, vel taxi pinguedine aut simili.

Ad ulcera tibiarum. § 19. Si tibiæ exulcerentur, pro ulceris conditione mutanda, quæ adhiberi debent: Pro abstersione autem, & mundificatione, paretur linimentum ex cochleariæ, apii, & absynthii succo, ac mellis quantitate debita, coctis ad consistentiam: cui, si putredinis magnitudo postulaverit, sive pulveris aristolochiæ rotundæ, vel aluminis usti, vel præcipitati momentum admisceatur. Conferet quoque emplastrum diacalciteos, sive diapalma, quod nonnihil etiam cum oleo rosaceo dissolvi potest: item ad cicatricem citius inducendam emplastrum de minio, vel unguentum de tutia, vel confine, postea applicetur.

Appendix.

QUUM inter morbi hujus caussas non minima existat aquæ vitium: quæ hinc corpori humano arcessantur incommoda, ad pleniorem nostri instituti explicationem, hîc ex Hippocrate, subjungere

jungere volui, *lib. de Aëre, aquis & locis*, ubi ita scribit: *Hyeme vero glaciatas frigidas, ac turbatas præ nive & glacie, ut pituitosissima & mucosissima existant. Bibentibus autem splenes sunt magni, ac pleni, & ventres duri, tenues & calidi, humeri vero, ac claviculæ & facies attenuata. In splenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles existunt. Edaces autem esse tales, ac siticulosos par est: ventresque tum supernos, tum infernos calidissimos habere, ut etiam medicamentis fortioribus opus habeant; atque hic morbus ipsis & æstate, & hyeme familiaris est. Ad hæc etiam hydropes plurimæ, ac lethalissimæ fiunt. Æstate enim dysenteriæ multæ, ac alvi profluvia incidunt, & febres quartanæ diuturnæ. Hi autem morbi prolongati tales naturas ad hydropas deducunt, ac occidunt. Et hi quidem morbi æstate ipsis fiunt. Hyeme vero trinioribus quidem peripneumoniæ, & insaniæ morbi: Senioribus vero ardentes febres, propter ventris duritiem: Mulieribus autem tumores oboriuntur, & pituita alba, & vix in ventre concipiunt, ac difficulter pariunt, & fœtus magnos ac tumidos, deinde ex alimentis tabescentes, ac depravati fiunt. Expurgatio commoda post partum mulieribus non contingit. Pueris vero herniæ accidant, & viris varices, & ulcera in tibiis. Quare fieri non potest, ut tales naturæ sint longævæ, sed ante temporis adventum senescunt. Præterea fœminæ se in utero habere putant, & ubi partus tempus adest, ventris moles illa ac plenitudo evanescit: hoc autem contingit ex aqua, quum utero ex aqua concepta laborant. Atque has quidem aquas ad omnem rem improbas esse sentio.* Intelligit autem de palustribus, stabilibus, ac lacustribus, nam earum & paulo ante meminerat.

§ 2. Adhæc, quod in lacte plantas coquant, expressumque liquorem felici successu fausto hauriant ægroti, id seri magis ratione quam totius lactis evenire sentio, dum in colatura butyrositas, vel lactis coagulum in cribro setaceo, vel panno lineo, per quem transmittitur liquor, adherescit permanetque: & si quippiam simul transfluit, reliqui succi acrimoniam contemperat, ob qualitatem suam calidam & pinguem. Serum autem, sanguinis sero, id est, lotio facultatibus respondens, & propterea acre & calidum à tenuiumque partium, abstergit, aperit, urinas movet, atque ad hujus luis profligationem cum primis utile ex priscorum etiam testimonio, siquidem Aëtius Amidenus ex Galeno *lib. 11. cap. 94.* sic scribit: *Efficaciori sero utitur aliquis ad corpora & morbos, quæ validioribus, præsidiis indiguerint, præsertim ad diuturna exanthemata, liventesque varos, ad* *Seri lactis vires & usus.*

omnesque humorum depravationes in cutim tendentes, ut lepram & consimilia, ad antiqua ferinaque ulcera, ad capitis achores, & hujusmodi: item ad oculos assidue fluentes, ad palpebrarum scabiem, ad faciei maculas, imò & ad diuturnas periodos febrium, & ad hos, qui ab adversa valetudine in hydropem pergunt.

§ 3. Prætulit Mesues serum ex nigrarum caprarum lacte elicitum, deinde ex ovillo, sic inquiens: *Aqua lactis macerationis materia est, & per se quidem innocuum medicamentum. Præfertur, quæ fit ex lacte nigrarum caprarum, in laudatis pascuis victitantium, recenterque fœtarum. Excalfacit hæc, atque siccat ordine primo completo, & usq; ad secundum. Quinetiam attenuat, abluit, abstergit, & nitrosa, qua referta est, facultate alvum absq; aliqua mordacitate leniter subducit: Bilem tum flavam, tum atram ab exustis humoribus genitã dejicit: quo fit ut mirificè conferat maniacis, & melancholicis. Præstat item ad viscerum infarctus, & morbis inde provenientibus opitulatur, nimirum aqua intercute laborantibus, felle suffusis, & lienosis. Datur utiliter febrientibus ex bile, & viscerum ac vasorum obstructionibus. Competit etiamnum vitiis in cute à bile & perustis humoribus emergentibus. Quare lichenibus, vitiliginibus alphis, psoris, leprisque admodum convenit.*

§ 4. Ne præterea remoram Lector injiciat plantarum nostrarum non ita vulgarium ignoratio, paucis meam explicabo sententiam, potissimum quum hic mirè hominum nostrorum judicia varient.

Cochlearia descriptio. § 5. Præcipua autem celebriorq; cochlearia est, quæ ternas perspicuè ostendit formas, pro ætatis diversitate. Primò enim ortu foliola edit ophioglosso vel linguæ serpentinæ simillima, quæ confertim ab ipsa radice cum pediculis emergunt: deinde post adolescentiam carnosiora evadunt, asaroq; & magnitudine ferè, & figura respondent, nisi quod circuitus notetur obtusioribus angulis, ut plurimum septenis vel novenis, potissimum etiam hyberno tempore: foliorum item minor portio plana, frequentior vero conspiciatur incurva ad cochlearia analogiam, ex qua & etymi ratio tam apud Germanos, quàm Latinos profluxit & Cotyledon meritò dici posset. Tandem altero ætatis anno folia illa hederacea, vel asaro conformia striantur, gracilescuntque paulatim eò magis, quò altius à radice ad umbellam conscendunt, angulis interim quoque se manifestius prodentibus, idque mensibus Martio, Aprili, & Majo, quibus flores luxuriant albi: in quorũ locum deinceps mense Junio

succedit

ſuccedit ſemen uberrimum, quod maturum in exiguis capſulis appret obſcurè ſubrubrum, exiguum & planum, Radix huic eſt tenuis, albicans, recta, non longa. Guſtu herba deprehenditur calida in ſecundo gradu completo, aut potius tertio, ſiſymbriique cardamines acrimoniam attingit. Apud nos planta eſt domeſtica, apud Hollandos, Phryſios, & confines ditiones maritimas ſylveſtris. Et quia à nullo planta hæc depingitur authore, præterquam eruditiſſimo Dodonæo, qui tamen in ejùs delineatione multum deliquit, volui ego primus poſteritati exhibere genuinam effigiem.


Cochleariæ integræ forma.



§ 6. Contendunt plerique hanc eſſe Telephium, quod portulacæ ſimilia folia habere judicent: id quod à me negatur. Licet quoque ad ejus ſimilitudinem folia habeat, nequit tamen unica hæc conditio nobis inde creare telephium: alioqui cepea, crithinum, tribulus terreſtris, tithymallus, helioſcopius etiam forent telephium, quum folia ſortiantur portulacæ, hoc eſt craſſa, lenta, carnoſa. At plures ſunt notæ repugnantes. Primùm enim, Telephium habet folia cærulea, id eſt obſecurè nigricantia: ut plumbago Plinii, branca urſina, &c. Cochlearia ſaturati eſt viroris. Secundò, illius folia ſunt plana, æqualia: hujus ut plurimùm ad cochlearis formam incurva, cum exiguis angulis. Tertiò, *Cochleariam non eſſe Telephium.*

 cauli-

Adolescentia & hyberna cochleariæ folia.



cauliculi telephii altius surgunt, suntque referti foliis plurimis: Cochleariæ pediculi à radice assurgunt plurimi, cum foliis singulis in unoquoque pediculo. Quarto, nec caulem hæc habet portulacæ similem, hoc est pinguem & rotundum: Sed pediculos solummodo introrsum angulosos, extrorsum rotundos. Quinto, illius flos quandoque est albus, nonnunquam luteus: Hujus semper albus. Sexto, loci ratione diversitas contingit. Telephium enim in cultis, & maxime inter vites nascitur: Cochlearia vero in Phrysiæ & Hollandiæ pratis & aggeribus mari finitimis, non vinetis. Septimo, facultatis gradu differentia liquet, quandoquidem illud exiccandi & detergendi virtute præditum esse dicit Galenus, quemadmodum & Dioscorides, quum vitiligines curare scribat: Sed non esse calidum insigniter, nisi in primo gradu. At cochlearia eundem occupat gradum, quem sisymbrium, cardamine: Acrimoniam enim insignem præbet gustui. Telephium itaque & Cochleariam discrepare, asserendum.

Cochleariam & Britanicam diversas esse plantas. § 7. Jam vero, neq; esse Cochleariam eandem cum Plinii Britannica plantam, ut nonnullis placet, hinc præter cætera demonstratur, quod non sit altera à Dioscoridis Britannica, quæ sylvestris lapathi sortitur folia; Sed nigriora, pilosiora, & gustu astringentia: Cochlea-

Cochlearia autem rotunda, viridiora, asaro similia, lævia, minimè hirsuta, ut nec ullo modo astringentia. Urinam etenim promovet: proinde etiam anginæ nullatenus conducit, velut illa, ut Plinius vult. Britannica item habet caulem: cochlearia verò multos pediculos cum singulis foliis ab una radice, quæ etiam hic ad spithami longitudinem tendit: illius, brevis est.

Sisymbrium Cardamine sive nasturtium aquaticum minus, nasturtium aquaticum majus, & nasturtium hortense hyemale.

§ 8. Sisymbrium quibusdam Cardamina dictum, nasturtium est aquaticum minus, exiguis primo exortu foliis rotundis, quæ adolescendo paulatim gracilescunt, prolonganturque: ramulis numerosis, in cacumine tantum comantibus, in quibus flosculi emergunt candicantes circa veris initium. Id non modò in aquosis & riguis locis provenit. Sed in hortis quoque & circa itinera: sapore admodum acri. Alterum nasturtium aquaticum, majus dictum, folia habet multo majora, primò rotunda: quum verò adoleverint, erucæ modo dissecta, sativo nasturtio sapore proxima. In locis riguis, & potissimùm circa fontium rivos discurrentes nascitur. Italis nuncupatur Sisembro aquatico & Crescione, Gallis *Cresson*, Hispanis *Berros* & *Agriais*, Germanis *Brunkressen* & *Wasserkressen*. Utriusque icones à Matthiolo exquisitè proponuntur.

Sisymbrium cardamina. Nasturtium aquaticum minus. Nasturtium aquaticum majus. Cresson. Wasserkresse.

§ 9. Est & nasturtium dictum hybernum, majori aquatico primùm simile: quo autem hujus folia ætatem consequuntur maturiorem, eo frequentius profundiusque laciniantur, maximè caulem versus, irionis modo, antrorsum verò cum quinque angulis in circumferentia variant. Caulis autem altius rectà excrescit angulosus, striatus, racemosus & flexilis, floribus in cacumine luteis, qui in Majo & Junii initio florent: quibus pereuntibus emergunt siliquæ oblongæ, rotundæ & erectæ, exiguum continentes semen. In hyeme nasturtii aquatici majoris effigiem refert: in acetariis familiare. Dodonæus ψευδοβούνιον Dioscoridis esse arbitratur, nuncupatque Barbaream, vel herbam S. Barbaræ: Gallis *herbe de sanct Barbe* dicitur, nostratibus **Winterkerss**. Tres hæ nominatæ nasturtii species in Scorbuti curatione sunt utilissimæ.

Nasturtium hybernum. Pseudobunium. Herba S. Barbaræ.

De quartana.

QUæ rara observatuque dignissima in febre. *Quartana* animadverterim, hæc ferè existunt. Ex veterum medicorum decretis, & posteriorum scriptis, sententiam adhuc inter nostri ordinis viros præstantes hoc sæculo perdurare constat, qua hanc febrem, ut longissimè, in duodecimum extendi annum censent: secus autem, ipso artis usu, observatione sedula, & exemplorum indubitatorum testimonio ostendam. Enimverò quendam agricolam nomine Henricum Hassen, in peninsula vulgo *Steinswert* dicta, supra Embricam ad Rhenum. Quartana triginta tribus laborasse annis, ex eaque interiisse intra annos non multos, tam in universa illa vicinia notum est, ut in dubium minimè vocari debeat: hac occasione & in cœlibatu permansit. Febris quandoque dies aliquot, vel paucas hebdomadas intermittebat, ut lecto non affigeretur æger: ea tamen semper recurrebat. *Nam quæ in morbis relinquuntur, recidivas facere consueverunt.*

Avic. lib. III. fen. I. tract. 2. cap. 61. Triginta tribus annis durare potest quartana.

Hippoc. lib. II. Aphor. 12.

§ 2. Comitem à Morval itidem Quartana triginta tribus exercuit annis. Porrò senex, aurei velleris, Burgundis noti, insignibus donatus, post dies tres expiravit. Mortem verò ex gaudii magnitudine, ob honorem quo affectus fuerat, subsequutam ferebatur.

§ 3. Dominus de Role, œconomus (ni fallor) Cæsaris Maximiliani, ejus nominis primi, ea febre annis circiter octodecim laboravit. Ab ea autem integrum fermè restitutus annum, interiit. Quod sibi prædictum fuisse ajebat: mortem nimirum consequuturam, ubi desiisset febris. Cæterùm quem septimo anno Quartana enecarit, Nobilem novi: quemadmodum & Parochum, quinto anno ex ea mortuum. Quid enim vetat longioris durationis spatium? Perseverante siquidem & melancholici humoris generatione, & pravi victus usu, necessario ejusmodi requiritur effectus. Neque verò ex materia semel tantum coacervata talem gigni ægritudinis prolongationem sentio: nisi quotidie nova caussæ accessione locupletetur: quæ quo major est, eo temporis prorogatio diuturnior. Quemadmodum è diverso, si quoque caussa minuatur, vincatur, tollaturque (quod pro ejus paucitate in corporibus alioqui non tam malè affectis, nonnunquam post accessiones non frequentes fieri potest) quare in paucarum septimanarum spatio morbus hic

omnino abigi nequibit? Exemplis id comprobarem facilè, si actionum mearum præco dici amarem. Quare nec ullius prærogativæ momentum jactabundis Paracelsistis in ejusmodi curationibus relinquo.

§ 4. Ætius præterea Hippocratem de hebdomadibus citat, asserens, *eundem hominem Quartana bis non laborare; neque laborasse unquam: neque laboraturum, si semel evaserit.* At, Deus bone, quoties ego observavi, eundem bis hanc febrem fuisse perpessum, plurium intercessione annorum? Documento sit, præter obscuri nominis quàm plurimos, eximiæ & virtutis & nobilitatis vir, FRANCISCUS à LOE, Dominus in Wissen: qui licet Quartanam in ætate juvenili excoxisset, nihilominus circa annum ætatis suæ quinquagesimum, ea denuò correptus, ultra sex laboravit menses: sicuti tum ipse testabitur adhuc superstes, tum ego diligenter notavi, dum curationi interessem. Quid autem admirationis in hoc eventu? Non ego quidem inficior, difficiliorem esse Quartanæ repetitionem: propterea quòd ejus caussa materialis ob sui substantiam crassam, viscidam, fæculentam ac terrestrem, longa indigeat & tarda productione. Sed eam interim cur pronuntiem impossibilem, nulla adducor ratione. Nam affectis malè visceribus, facilè regenerari potest paulatim tantus materiæ delinquentis cumulus, quantus ad inducendam quartanam desideratur. Unica enim ægritudinis perpessio, atque unica materiæ morbificæ absumptio, ejusdem mali reiterationem excludere nequit. *Æt. l. 5. cap. 82.* *Quartanam bis hominem corripere.*

§ 5. Quod item medicinam facientes, Quartanam occidere, si sexagenariæ vel gravioris ætatis hominem apprehendat, pro raro ferè habeant: non ita perpetuum est, qui oppositum me docuerit exemplorum frequentia tum in viris tum in fœminis, ex quibus uno hoc reliquum numerum terminemus, quod nobilis apud nos matrona Herteveldia, ætatis longè plusquam sexagenariæ, in autumno anni quinquagesimi septimi supra sesquimillesimum, in Quartanam fuerit delapsa: quæ & purgato & inuncto sæpius corpore, convaluit. Sequenti insuper æstate, eadem in gravem incidit tertianam, cum quotidiana conjunctam, (dixisset quis Hemitritæum) cui denuò meam feliciter præstiti operam, propinata ex syrupo acido & aqua Card. benedicti potione: vacuato corpore cum Rhabarbari infuso, & electuario de succo rosarum: illinitis quoque renibus, de quorum æstu impendio querebatur, cum oleo rosaceo & *Quartanam senes non semper enecare.*

ceo & aceto: tandem etiam capiti admodo oxyrhodino. In promptu autem ratio est: Siquidem interficere nequit Quartana, nisi deficiat virtus ad materiam morbi abolendam sufficiens: quæ certè non omnino desiderabitur ex paucorum annorum accessione. Etenim deprehendimus quandoque juvenes unà cum *Quartana* commori, quinquagenarios verò periculo liberari.

§ 6. Quid ita? Nisi quòd hi, licet provectiores, nullum tamen ex ætate sentiant virium detrimentum: illi, quamvis juniores, facultate vitali, ad copiosæ materiæ concoctionem requisita, destituantur. Senium enim certi anni proprietati semper assignari nequit.

Virgo Gygantea ex Quartana reddita.

§ 7. In hoc præterea tractatu minimè oportuit prætermitti historiam raram, & quidem memorabilem, explicatuque dignam. Virginem vidi, quæ ob molem corporis gyganteam per diversarum regionum civitates circuibat, se velut monstrosi hominis idolum seorsim in conductis ædibus visendam ostentans omnibus qui stipem numerarent, ex cujus collectione hæc cum matre victum quæritabat. Ad hanc ego quoque ingressus, diligenti inquisitione singula percunctor: doceorque, ex matris & grandissimæ filiæ responso, eam ex staturæ brevis parente utroque natam, nec ullum in avita progenie fuisse visum qui communem aliorum hominum altitudinem superaret, eamque virginem à sui ortus initio, ad annum duodecimum parvæ staturæ vulgaris fuisse: sed eorum tempore quartana correptam; qua cum mensibus aliquot luctata fuerat, ea prorsus remittente, cœpit in eam excrescere molem, cunctis membris æqua dimensione in magnitudine debita respondentibus, ut nihil à justa proportione appareret alienum. Annum, ni memoria fallar, agebat vicesimumquintum, quum eam inspicerem, quo nondum menstruæ fluxionis senserat evacuationem. Illum etenim sanguinem excrementitium in nutritionem, & tantæ molis conservationem requirebat natura. Bona interim fruebatur valetudine, forma non venusta, colore subobscuro, ingenio simplici & stupido, ac toto corpore torpido. Virtus æquidem animalis ab initio huic corpori à Deo infusa, in ea quæ vulgaris hominis amplitudini debetur proportione: postea in vasti corporis mole dispersa, æquali potentia sui operis robur nequivit ostendere, quemadmodum in corpore mediocri:

Major in exiguo regnat nam corpore virtus;

Veluti

Veluti etiam Homerus suum Ajacem, Virgilius Æneam describunt, figura parvos, artificio ingeniosos, quum omnes illis dotes tam corporis quàm animi tribuere statuissent.

§ 8. Virtus enim (ut philosophi loquuntur) coacta seu unita, fortior est se ipsa dispersa. Quæ verò hujus miraculi fuerit naturalis caussa, etsi paulò à speculationis termino remotior, à nobis tamen ea adfertur: quòd Quartanæ febres non præcipitem, sed prolixam sui sortiantur generationem. Argumento est tarda resolutio: quæ enim difficulter abolebuntur, facili privantur ortus progressu: inter ortum & interitum est relatio. Videmus enim quartanarios, consumpta affectus sui minera semel, nec citò nec promptè in eundem morbum relabi. Lenta enim & copiosa ejus materia longum coacervationi tempus requirit. Unde etiam illud à priscis medicis quasi per manus traditum axioma: *Qui semel Quartanam vicerit, hic tota deinde vita ab ea immunis erit.* Eo posito fundamento, fœminam hanc dico intervallo longo congessisse quartanam, cujus generatio incrementi sustulit impedimentum. A navitate enim hæc increvisset continuò: sed vetabat humor ille melancholicus, quo absumpto, naturæ institutum primogenias vires extendebat in corpus jam mundatum ac purum, quum sanguinis alimentum optimum à fæce melancholica segregatum tutò attrahere posset.

§ 9. Exemplum præbent arbores. Eæ enim tabescunt, si vitioso humore surculus aliquis corrumpatur: parte verò amputata, vigore denuò expandit stirps. Ita etiam corpus nostrum tabidum absumpta ἀτροφίας malitia, avarè admodum haurit, imò deglutit alimentum, quo citius perpessum damnum restauret. Unde à convalescentia quartanarios multa devorare, quasi exsatiari possent nunquam, cernimus: ita ut recidivam inducat sæpenumero ingluvies nimia. Natura autem in hac fœmina externo cibo convenientius habebat nutrimentum, sanguinem scilicet menstruum, quem alioqui anno circiter duodecimo expurgari oportuit, quo magis apparere incipiebat moles ista gigantea: at eum jam sibi ad castigandam ἀτροφίαν reservavit. Et quia corpora diu extenuata non affatim reficere oportet, natura paulatim retinendis mensibus in nutritionis usum assuevit: ideoque ob alimenti copiam, id corpus in tam stupendam statuam excrevit. Nam quum ejusmodi fluxus ordinatus semel derivatur, vix postea suppletur. Etenim quum

quartanarii ferè omnes, ubi convaluêre, magis increscere compe-riantur, nisi ætas aut relicta symptomata impediant: tum sanè hæc fœmina ejusmodi naturæ motioni magis exponebatur, ex alimen-ti largioris accessione: & quòd auctrix illa virtus consopita ad tempus, postea validius suas exereret actiones: sicut ignis paulu-lum oppressus, liberior mox vehementiori insultu se prodit.

§ 10. Et quid mirum, in adolescentia, circa legitimum tem-pus eruptionis menstruorum? Materia & forma sufficiente, quid tantæ molis fabricam remorabitur? Videmus enim corpora non semper eàdem increscere & proportione, & tenore. Siquidem ple-raque primò proceritatem acquirunt, postea verò crassitiem, & è contrà. Quum autem natura proceritati in primis sæpenumero in-cumbat: postea nutritionis subsidio destituta, relinquit corpus im-proportionatum, debile, & quandoque ridiculum. Tale se vidisse narrat Julius Cæsar Scalig. Mediolani, in publico nosocomio, post victoriam sub Ludovico Rege ad Laudem *Pompejam habitam.* Ju-venis etenim erat tantæ proceritatis, ut stare *nequiret: itaque jace-*bat, duosque lectos simul junctos explebat: nam ad *crassitiem &* robur alimentum desiderabatur, deeratque.

§ 11. Subjungam hic nonnihil de pernicioso telæ araneæ usu, in hujus febris curatione: nec video quonam distinctionis consensu imitari debeamus Guiljelmum Vatignanam, quòd Rhasis testimo-nio ad Quartanæ profligationem prædicet telam araneæ, si cum vi-no potui exhibeatur hora unica ante consuetum paroxysmi insul-tum: quoniam ejus usum nec gravioris noxæ periculo vacare, nec effectus suæ commendationi pares edere, experimento depre-hendi.

Tela aranea noxia assumptio in Quartana.

§ 12. Enimvero anno 1559. Muliercula quædam Hambachi in ducatu Juliacensi, quum ex temeraria alicujus persuasione hoc re-medium improvidè adversus Quartanæ violentiam usurparet, in horrenda venenositatis symptomata incidit: ad quam accersitus, præter alia medicamenta electam propinavit theriacam, qua postea sanitatis amissæ jacturam recuperavit. Deinde ne vel minimum huic errori patrocinium suggerere potest Dioscoridis auctoritas: quia in ejus contextu duo subjicienda considerationi veniunt. U-num est, quod *araneum quidem quartana circuitibus mederi tradat, sed extrinsecus saltem lacerto appensum, non autem per interiora assum-ptum:* alterum, quod solita quadam scribendi proprietate, nullam

vel

vel ipsemet tribuat veritatis fidem iis rebus, quas extra ulteriorem censuræ suæ interpositionem affirmat sub personæ tertiæ prolatione: uti apparet evidenter in cap. de Basilico, Othonna, Lapide Thracio, Smilace aspera, Trifolio, & id genus reliquis. Telam adhæc araneæ albam in corio ligatam, & collo vel super adjutorium appensam, quartanarios curare, scribit præter alios insignis Medicus Petrus Bayrus in sua praxi, distinct. 20. cap. 6.

§ 13. Alii secus persuasi, curationem nimis superstitiosam contra Quartanæ pertinaciam ex aranea usurpant, nucis nimirum putaminibus, exempti nuclei loco araneam vivam includunt, eaque colligata, suspendunt in collo, ac dies novem relinquunt: inde in ignem conjiciunt cum horum verborum additione: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Cæterum à primo inchoatæ hujus curationis die oportet Orationem Dominicam, Angelicam salutationem certo recitare numero quotidie: ut primò novies, secundò octies, tertiò septies repetantur, imminuendo usque ad nonum diem, quo semel eæ referuntur. Qui se hac incredulitatis ratione liberatum fuisse, ac aliis deinceps quasi per manus tradidisse artem assereret, hominem levem novi. Credulitatem, sive incredulitatem si lubet appellare id, perinde est: multùm sæpe possunt, dum certissima persuasione se mutuò inducunt, ut hanc curationis formam juvare, firmissimè confidant, usurpentque homines conscientiæ nullius religione ducti, auxilium undiquaque accipientes, sive à dæmone, sive à Deo, modo subleventur, flocci reliqua faciunt. *Quartana ex aranea curatio superstitiosa.*

§ 14. Hoc incredulum genus hominum transversum agi, & in reprobam labi mentem, ac consequi frequenter opem requisitam, Deus quandoque permittit: mulcta tamen severiori olim redimendam, resipiscant maturè.

§ 15. Observamus alios quoque nonnunquam successus in diuturno hoc malo, maximè si desiderio singulari quid appetatur: quod tamen non ita perpetuum est, quin pro morbi vel excrescentis vel declinantis tempore, sive pro corporum ratione, aut virium modo id vel juvare plerunque, vel sæpe etiam opprimere experiamur. Enimvero qui halecibus semitostis viginti & uno, simul ante Quartanæ accessionem in universali morbi declinatione, voratis liberaretur, intercedente tamen gravissimi paroxysmi insultu, mihi intus & in cute notus est. Erat autem hic natura impendiò vorax,

alioqui saburram hanc non tam illæsè concoxisset, exonerassetque. Quare & alius imbecillior ea oppressus, facile interiisset.

§ 16. Sunt qui arcano hoc antidoto tenaces Quartanæ vires se infringere gloriantur:

℞. *Olei vitrioli rite apparati guttas septem,*
syr. è cichorio ℥ j.
aquæ absinthii ℥ ij. s.
misce pro haustu.

§ 17. Quæ autem linimenta spinæ in Quartana ante accessionem feliciter applicantur calidè, ejusmodi sunt:

℞. *Ol. laurini* ℥ j. s.
succi rutæ ℥ j.
vini sublimati opt. ℥ ij.

misceantur diligenter in vitro apto, quod cineribus imponetur primùm tepidis: calor verò fotu paulatim lento augebitur, donec coctione linimenti consistentia appareat.

Item, ℞. *Olei olivarum*
vini generosi ana ℔. j.
rutæ m. j.
vermium fluviatil. ℔. s.

ebuliant, donec crassescat ut oleum.

Item, ℞. *Salviæ rutæ, absinthii, rorismar.* an. m. s.
mastiches olibani an. ʒ j.

In vini malvatici & olei olivarum an. cyatho coquantur, donec liquor consumatur: hinc valida fiat expressio. Usurpari quoque hic potest oleum de scorpionibus.

§ 18. Observationes has, enarratione non inutili, dè quartanario Reverendissimo Episcopo Coloniensi, D. Antonio ex Comitibus à Schouwenburch, finiam.

§ 19. Hic constitutione corporis sanguinea circiter annos natus quadraginta, ex alia febre in quartanam incidit, in autumno anni millesimi quingentesimi quinquagesimi septimi. A qua ubi circiter vernum tempus nonnihil respirasset, huic neutra adhuc valetudine freto, se insinuat Ambrosius ille Magirus, annuis mendacium libellorum, vel si mavis Prognosticorum plaustris notus nimis: qui cum quidem graviter laboraturum prædixit, evasurum tamen, si à medicamentorum usu caveret. Interim venam ille pertundi jubet, balneumque præscribit. Confisus hic prognostico, o-

Quartanarius Episcopus Coloniensis.

pem medicam tamdiu respuit, donec à capite & finitimis partibus primùm circa sinistram scapulam decumberet humoris copia: qui neglectus, lento defluxu musculos ventris sinistros intersecuit: ubi excitata phlegmone, pus genitum copiosum putidissimumque, continuas partes decubitu sedulo vitiavit, tandemque ad lævum peritonæi latus resedit, cum tumore: qui à chirurgo sectus, ingentem fœtidissimi puris quantitatem reddidit; hoc tamen postea non nisi ventre compresso fluxit: quare viribus indies magis ac magis flaccescentibus, post septimanas tres, de ventris inferioris incisione, ex cujus sinu pus defluere existimabatur, ab iis seriò agitatur qui curationi intererant: rogaturque Princeps noster clementissimus, Dux Cliviæ, Juliæ, &c. Ægrotum invisens, ut eundem insectionis consensum induceret: eo etenim modo promptius liberiusque sine expressione pus fluxurum sperabant. Se, quid hac in re proficuum esset, non satis intelligere, respondit Princeps: at se missurum eò suum medicum, medicinæ & chirurgiæ peritum: cui si incisio probaretur, se quoque calculum addere. Proinde eo ablegatus, vulnere conspecto, corpus emaciatum, viresque impendio prostratas, cum pulsu debili, ac de hora in horam magis inclinante, comperi. Quare nihil spei in sectione ponendum esse, sed extrema imminere judicavi. Hora matutina, mortem proximam significavit pulsus interceptus: contra impudentes Fedronis Paracelsistæ calumnias, qui pulsus animadversionem ridet in mendaci famosoque suo libello Germanico. Paulo post hic in Domino obdormit: cui ex immensa sua bonitate locum in justorum resurrectione largiatur Deus. Ventre circa umbilicum inciso, tanta putidissimi puris copia effluxit, ut ex ventris pleni cavo id exundare jam crederent, qui antea in ea opinione fuerant. At sectionem prosequuti, inter musculos transversos & obliquos, uti dictum est, cloacam deprehendimus. In sinistro autem latere cor erat flaccidius, ex gravi & continuò exhalante fœtenteque vapore putido: atro adhæc sanguine nigricabant venæ cor cingentes. In vesicæ collo coctum delitescebat pus album: quare nec urinam continere potuit aliquandiu, quod ad calculi læsionem referabatur? sed aliunde id contractum apparuit. In ventriculo quiddam instar humoris biliosi innatabat. Reliqua viscera, uti & universi corporis partes, videbantur illæsa.

Abscessus inter ventris musculos.

De epidemica pluritide, Peripneumonia atque Angina Pestilenti.

QUANDOQUIDEM in hac Inferiori Germania, ad ripam Rheni, anno 1564. potissimum apparuerunt tales tres insoliti & contagiosi Pestilentialesque morbi, *videlicet* Pleuritis, Peripneumonia, & Angina Pestilens, quales tunc à Medicis non usquequaque fuerunt cogniti, ego statui in commune bonum de iis scripto tradere, quicquid Experientia didicerim, ut in posterum, si contingat Iustissimum Deum homines iisdem affligere, eorum differentiæ innotescant, & appropriata remedia iisdem adhiberi possint.

Lib. III. *Aphor.* I. § 2. Hippocratis noster scribit Lib. III. Aphor. I. Mutationes temporum potissimum morbos parere, quod idem Aristoteles repetit, imò annis superioribus manifestissime ejus Veritas patuit, quandoquidem Catharrhorum copia, *quæ passim grassabatur*, perniciosos, dolorificos & periculosos morbos *concitabat: Etenim* non solum quamplurimi abortus, vermes puerorum, varii podagrici dolores, & artuum rigiditates extiterunt, sed insuper variolæ & morbilli, quas Germani vocant *Schaffblattern*, veluti prænuncii secuturæ Pestilentiæ rapidæ, quæ integras regiones, & celebres populosasque urbis depopulavit & vastavit: *sicuti* hoc visum est Constantinopoli in Thracia, Alexandriæ Ægypti, Lugduni in Galliis, Londini in Anglia, Dantisci, Augustæ Vindelicorum, Viennæ, Coloniæ, ad superiorem Rheni tractum, Basileam usque. Quanquam verò eodem anno non ita celeriter pestis pervenerit in hunc nostrum inferioris Germaniæ circulum, nihilominus supradicti periculosi affectus in urbe jam commemorata in hac regione, eodem tempore, suas venenatas operationes *produxerunt*, quæ originem suam traxerunt è tenuibus & subtilibus Catharris, qui attenuati à continua aëris humiditate, cum tanto magis ad decidendum proni reddebantur, tum ex putredine venenatam & pestilentem naturam acquirebant. Nam hyberno tempore externis in collo oboriebantur phlegmatici tumores, etiam tubera ferè indolentes, quos excipiebant tempore verno, & per majorem æstatis partem remanebant anginæ quamplures, valdè periculosæ, quo-

Origo horum morborum Pestiferorum.

niam

niam.ratione sui subitanei & venenati contagii, etiam poterant assimilari summè pestilentialibus, ob hanc causam quod eidem affecti primo die, nonnulli tertio aut quarto moriebantur, paucique ad septimum usque pertingebant; Ex iis vero, qui octavum transibant, aliqui sanabantur.

§ 3. In principio comitem habebant febrem & vomitum, quæ utplurimum à causis oriebantur procatarcticis & notis utpote noviluniis, violento immodicoque corporis exercitio, & labore ad solem detecto capite, aut morâ ad Lunæ lumen, similibusque calefacientibus & inflammantibus causis, à quibus catharri in capite & cerebro commovebantur; sequebantur immediatè tumor & inflammatio linguæ, & loquelæ privatio propter obstructam asperam arteriam; imò etiam faux læsa erat, ut potus admitti non posset, multo minus, cibus, adeò ut ob ejusmodi symptomata æger paulatim miserandum in modum suffocaretur; quod sanè deplorandum & horrendum mortis genus est. Et exceptâ quadam rubedine, in modum Erysipelatis nullus in collo tumor apparuit, sed influxus venenosi humoris ad interiora fiebat, è cujus vaporibus ad cerebrum elatis aliquod delirium sequebatur. Sæpius quoque contigit, venenatas & tenues illas defluxiones locum suum mutasse, & ad fauces decubuisse, inferius ad membranulam costas succingentem, excipiebatque lethalem anginam Pleuritis, non minus periculosa quàm prior affectus. Etenim ejusmodi materiæ rarò ad pulmones fluebant, quod si vero hoc contingeret, oriebabatur Peripneumonia cum simili discrimine conjuncta. Sæpius quoque observatum est, quod simul ac ejusmodi Catharri è pectore decesserint, postea ad spinam dorsi fuerint delati, ibique intolerabiles dolores excitarint, præcipuè in mulieribus (quod diligenter notandum) tempore purgationis menstruæ, ex iis autem quæ talem spinæ dolorem patiebantur, vix una sanabatur sed ferè omnes moriebantur. Ejus quidem rei causa ascribenda venit malignæ venenatæ & facilè mobili, subtilique humori, qui suo impetu & veloci ebullitione sanguinem inquinat & corrumpit atque venenata qualitate inficit, & quoniam vena cava juxta spinæ longitudinem sita est, atque ramos suos matrici impertitur. Per quos menstrua expurgantur, hac sanè occasione venenum tanto magis in corpore quatiendo spargitur & vires vitales magis prosternuntur.

Unde oriantur dolores dorsi.

Vena cava.

§ 4. Ob-

§ 4. Observatum quoque est in hac Pestilenti Angina, quod, etsi infantes inprimis hoc affectu tententur, minus tamen periclitentur quam adulti, & plures convaluerint ex iis, qui [illegible] remanserunt, quàm qui lecto decubuerunt; quod nihilominus vel proinde fieri potuit, aut quia in illis venenum non fuit tam copiosum, aut quia viribus pollebant, cum his ob languorem virium, & quia plus veneni hauserant, fuerit decubendum.

Curatio Anginæ Pestilentialis. § 5. Quod attinet ad procedendi modum in Curatione Methodica, observatione constat purgationes & venæ sectiones plus damni quam utilitatis ægris attulisse. Veruntamen juvenibus sæpè auxilio fuit in principio morbi Cucurbitulas sine scarificatione humeris imposuisse, aut venas sub lingua pertudisse. Non igitur sequendum est in hoc Anginæ genere consilium Hippocratis *l. de locis in homine*, quod nempe iis qui Anginâ laborant, vena in brachio secanda, & per inferiora purgatio instituenda, quo morbi causa evacuetur. Sed cum ego hoc animadverti, statim à principio operam dedi partim ut inferiores partes munirem adversus aërem & tenuem catharrum, partim ut antidotis hujus veneni pestilentis vim infringerem demeremq; interdum quoque impositis exterius localibus noxam & dolorificam materiam extraherem atque dissiparem. Oportet tamen hic valdè cautum esse, alioquin consultius esset planè ab iis abstinere, quam ejusmodi resolventibus & digerentibus tenuem & venenatum humorem magis attenuare, ne facilius ad alias partes descendat & periculum creare possit.

Lib. de loc. in homine.

§ 6. Non possum silentio præterire, quo tempore apud nos prædictæ Pestis passim regnabat, & ejus loco succedebant Anginæ, peripneumoniæ & pleuritides pestilentes, fuisse præterita hyeme visos noctu in aëre valdè mirabiles & horrificos, ignes sive volantes continuo sive in eodem loco persistentes, item stellas cadentes, qui etiam per totam æstatem, quamdiu hic morbus duravit, non necessarunt, veruntamen hyemis tempore evanuerunt, quod subitò exstitit tam rigidum quam vix ullum post hominum memoriam. Et quamvis infectus & pestilens aër inaudito hoc frigore fuerit emendatus & sic depuratus, ut etiam ad miraculum usque pestis cessaret, nec amplius grassaretur, ejus tamen loco ubivis locorum valdè miserabiliter hoc, ut & præcedenti anno exortus est morbus, antehac insolitus, & veteribus scriptoribus incognitus: & quoniam is ex subtilibus & acribus Catharris ortum habebat qui ad pectus &

latera

latera decidebant atque venenata sua & contagiosa qualitate plurimos adoriebatur & occidebat, indidi eidem nomen Pestilentis Peripneumoniæ & Pleuritidis. Sicut autem idem morbus valde differens & multiplex erat, ita etiam varia habuit symptomata; Conveniebant tamen in eo, quod morbus hic in principio invadebat cum febre continua, comitata malignis & pessimis symptomatibus, utpote insigni dolore lateris, respiratione parva & difficili atque laboriosa; attamen omnia hæc variabant pro ratione expuitionis & imminutionis doloris. Nam à principio morbi, dolor maximè affligebat continuo unum locum, à quo sensim per universum pectus deferebatur, præsertim si semel aut iterum aliquid erat impositum cum intentione dolorem sedandi, tunc enim superfluus humor ferebatur ad pulmones; & quando iisdem à copioso materiæ influxu erant repleti, per tussim ejiciebantur sanguinea, versicoloria, & prout facilius atque copiosius sæpè ea prodibant, tantò minus de salute sperandum erat, quoniam experientia docuit, eosdem maximè mortuos esse die sexto, nec ad septimum pertingere poterant. Nonnulli planè sanguinem non rejiciebant, & si nonum diem superabant, restituebantur sed non absque periculo: quod si verò recidivam paterentur, multi moriebantur ante finem tertiæ septimanæ. Observare etiam erat in hoc morbo inter alia symptomata, plurimos fuisse mente captos, alios *dysentericos* factos, quæ duo signa legalia sunt, uti testat Hippocrates, & usus longus docuit. *Peripneumonia pestifera & Pleuritis.*

§ 7. Hic contagiosus & periculosus ipsi morbus iterum apud nos valde increvit & perduravit à mensibus Martio, April. Majo, usque in Junium anni à Christi nativitate 1576. quem præcesserat hyems valdè pluviosa, tempestas variabilis, nebulosa, pluviosa venenosa & turbulenta.

§ 8. Sicut autem reperire non possum ab antiquis, medicis hunc morbum gravissimum propriè fuisse descriptum, ita ejus ne exiguam quidem mentionem reperi factam à recentioribus & modernis Medicis. Solus celeberrinus Chirurgus Guido Cauliacensis cap. 5. doct. 2. tract. 2. ad perpetuam rei memoriam describit ejusmodi pestilentem morbum, à quo anno 1348. Magna & inaudita strages fuit causata inter homines tam in oriente quàm Occidente, totaque Europa, tempore Imperatoris Martiani, duravitque per quinquennium, partim comitatus febribus continuis,

partim pestilentibus bubonibus sub axillis & inguinibus. Hunc immanem morbum carmine Latino deinceps descripsit doctissimus Medicus Hieronymus Fracastorius in sua Syphilide. Ex prædicti Guidonis libro aliquam hujus morbi notitiam hausit experientissimus Valesius de Taranta uti videre est in appendice ejus Tractatus de Pleuritide. Atenim cum methodica aliqua curatio à nemine quoquam descripta est, volui breviter & summatim eam indicare, ad utilitatem indigentium miserorum, meam Methodum, quam ego in ejus cura observavi, quæ sanè propter insignem diversitatem quâ ab aliis differt meretur benè expendi.

Venæsectio Perniciosa. § 9. Primo namque, cum in ordinario Pleuritide consuetum sit ante omnia venam incidere, multumque sanguinis detrahere, quo sanguis inflammatus veluti radix hujus mali, una cũ aliis præter naturam tumoribus imminui, & affluxus à latere summoveri & derivari possit, in hoc tamen pestilenti morbo contrarium fuit observatum, videlicet sanguinis missionem valde perniciosam fuisse, apud eos præsertim, qui cum tussi sanguinem excernebant, quod procul dubio hinc factum est, quia per venæsectionem venenum valde fuit agitatum, adeóque spiritus vitales magis fuerint dissipati, & sanguis à veneno magis concussus & infectus fuerit. Accedit & hoc, quod per venæsectionem humores versus interiora pectoris fuerint retracti, unde factum, ut sanguinis sputum fuerit impeditum seu retentum & subsecuta fuerit major inflammatio. Quapropter (meo quidem judicio) Hippocr. L. VI. Sect. 3. partic. ult. Epidem. admodum ingeniosè & prudenter inter impedimenta venæsectiones numeravit Pleuritidem, & sanguinis sputum. Et propter hanc differentiam seu diversitatem, ego in genere expertus sum plus utilitatis & fructus attulisse, nullam si instituissem venæsectionem: quod si cui vena fuerit secta absque periculo, id factum fuit statim in principio, cum nondum sanguinis esset extravasatus & in juvenibus ac plethoricis, aut in iis in quibus consueta aliqua sanguinis evacuatio erat suppressa.

Curatio. § 10. Insuper quando morbus invadit cum acribus, tenuibus & venenatis defluxionibus, à quibus dolor insignis oritur inflammationi conjunctus, ego mox è vestigio utor arcano à me parato, & Tuæ Celsit: cognito, quæ eodem sæpè usa est in periculosis morbis aut gravioribus symptomatibus seu invasionibus, & continuo secum gestat, in forma pilularum magnitudinis demidii pisi

cujus

cujus in principio una in aq. Card. bened. cochleari dissoluta calidè assumatur, superscribendo cochleare aq. ejusdem calidæ, aut aq. scabiosæ, aut, si usus permittat, vini albi ejusdem quantitatis: Eoq; asscripto, ad quietem se coopertum componet patiens, & experietur subsecutatu doloris imminutionem, somnum & fortè etiam sudorem. Quod si post sex ab assumpto medicamento horas, dolor insignis punctorius non remiserit, aliam sumet pilulæ æqualem similemque & eodem regimine utetur, exspectabitque per quinque alias horas. Si adhuc symptomata supersint, cum priori industria tertiam eadem repetentur. At vero, si post elapsos aliquot dies, puta quinque vel octo, dolores atque inquietudines absque somno iterum exacerbentur, poterit dictarum pilularum unam vesperi denuo assumere, sicut ego id cum maximo ægrorum utilitate & commodo sæpius præcepi.

§ 11. Oportet quoque in memoriam revocare, quod Practicorum nostrorum præcipuus scopus in eo consistat pectus aperire, & expectorationem promovere, ad quam rem nihil existimant conducibilius, quam perpetuum lambitionem dulcium syruporum, à quibus & pectus deliniatur, & cruda materia maceretur seu expectoratio promoveri possit: at vero hoc ipsum in præsenti nostro casu, nullum auxilium aut utilitatem potuit adferre, quandoquidem ab iisdem febrilis putrefactio, & venenum pestilens contingebat augeri, quibus tamen hic magis resistendum est, quam dolori lateris. Propterea statim ab initio, ad auferendum acrem destillationem, eamque incrassandam & refrigerandam, oportet uti sæpius syrupo è succo papaveris rhæados parato, aut succo acaciæ, aut decocto eorundum florum. Sed etiam contra communem regulam acida iisdem permiscere oportet, imo, quamprimum fluxus est cohibitus, solis acidis syrupis & decoctis utendum est adversus putredinem & venenum, uti sunt Syrupus acetosus, syr. ex acido citri cum aq. card. bened. Scabiosæ & simil. Quin & Hippocrates l. de locis in homine præcipit in Pleuritide, loco decoctionis, utendo esse oxymelite, aut aceto vini cum aqua mixto.

§ 12. Decocta etiam pectoralia ad hunc affectum utilia sunt, quæ parantur ex diversis herbis amaris, E. G. carduobenedicto, *Scabiosa, Scordio, Apiastro, Trifolio acetoso Plantaginem* & similibus, quibus non solum materia in pulmonibus congesta, & exsiccata, ad eductionem præparetur, sed quod præcipuum, veneno *Potus Pectoralis.*

 conjun-

conjunctæ febris pestilentis resistatur. Cum ejusmodi Decocta fuerint expressa, addere oportet aliquantum Sacchari & aceti, ad gratum saporem conciliandum, & hic ebulliant, *posteaque colentur*.

§ 13. Abstinendum hic est à vehementibus purgantibus, ne vis veneni nimium commoveatur & concutiatur adeóque patientes magis debilitentur: sed prosunt lenientes Clysteres, decoctum item Tamarindorum, aut infusum ex Rhei electi concisi minutim ʒ j. factum in aq. Card. bened. similisve aq. destillatæ convenientis per noctem, cujus expressæ Colaturæ addantur ℥ j. s. syrupi rosati Laxativi, aut ℥ j. mannæ recentis. Non obstante quod antecessores nostri in suis scriptis, & hodierni medici Itali disputent *Variè*, an etiam in morbis pectoris Rhabarbarum conveniat. Pilulæ Pestilentiales communes in nonnullis debito tempore exhiberi poterunt, præsertim ubi calor insignis non adest. Quoniam vero maximum hujus morbi periculum nonnunquam provenit à veneno pestilenti, præscripsi insuper antidotum, quo eidem occurri poterit. Quod.

Antidotum contra venenum Pestilentem.

℞. *Theriacæ optimæ* ℥ s.
boli Orientalis sæpius in aq. Card. bened. loti ʒ j.
pulveris Diamargariton frigidi ℈ ij.
seminis citri, Scordi scabiosæ an. ʒ s.
Unicornu veri ʒ s.

misceantur invicem cum syrupo exacido citri, aut syr. de agresta, ut inde fiat Opiata seu molle Electuarium, quod cum præcedenti decocto aut appropriata suo tempore assumi poterit, Et præsertim inter initia ʒ j. plus minusve pro ægri constitutione, viribus, ætate, aut aliis circumstantiis. In similibus pestilentibus morbis parari etiam poterit sequens confectio.

℞. *Specierum liberantis, Terræ sigillatæ an.* ʒ s.
boli armeni Orientalis loti & præparati ʒ ij.
Theriacæ optimæ ℥ j. s.
Sacchari rosacei, Sacchari buglossæ an. ℥ s.

misce cum syr. Violario, & utere ut præcedenti.

§ 15. Diæta quoad cibum & potum sic eadem quæ in Peste atque etiam in pestilenti Peripneumonia idem regimen observandum, quale præscriptum nunc fuit in pestilenti Pleuritide.

DE

DE CURATIONE FEBRIS MALIGNÆ,

In qua depulsus intermittentis præsagio disputatur.

RUTGERUS à Randwick nobilis, ætate plus quàm quinquagenarius, temperamento biliosus, incidit in febrem summæ malignitatis: quam statim ab invasionis principio comitabatur continuus vomitus materiæ biliosæ, vehemens linguæ ariditas, sitis, inquietudo, intolerabilis æstus ventriculi, cum frequenti eructationum repetitione, quæ per intervalla gulæ communicabat angustias, & coarctationem difficillimam, non secus quàm si integri ovi interpositione meatus fuisset obstructus: adeò ut æger ob causæ morbificæ ignorationem, vereretur inopinatæ suffocationis periculum. Pulsatio arteriarum deprehendebatur valde & inæqualis, & inordinata, usque ad septimum diem, quo percipi cœpit Intermittens: cui quadam motionis vicissitudine caprizans succedebat. Sed hic nondum arripui desperationis ansam, licet haudquaquam me latêret Galeni de hoc signo judicium prorsus formidabile.

§ 2. Ad medelam huic affectioni præstandam accitus, neglecta sanguinis detractione, quam hoc anno in quibuscunque malignis & pestilentibus morbis etiam circa Rheni tractum crudeliter grassantibus periculosam compereram: ilicò exhiberi jubebam antidotum cum aqua card. bened. tum in malis contagiosis familiarem, cujus descriptio talis est: *Antidotum contra pestem.*

℞. *Theriaca elect.* ℥ iij.
rad. tormentillæ, baccarum juniperi, sem. card. bened. an. ʒ j. s.
boli arm. prap. ℥. s.
diamarg. frigid. ℈ ij.
sem. acetosæ, citri, rasuræ eboris an. ʒ j.
syrupi de acetosit. citri q. s.
Fiat conditum:

unde provocato abundè sudore meliusculè habuit.

§ 3. Tertia die, qua primùm accessi ad morbum, penitùs ocu-

laris inspectionis fide considerandum : atque tum observata maxima humorum putredine, & apparentibus incendii adustionisque gravioris indiciis, ordinavi decoctum ex hordeo, card. benedicto & scabiosa confectum, admixto saccharo & aceto in formam syrupi acidi, quo assiduè utebatur : quandoque haustum ex *stillaticia* card. benedicti, & oxalidis aqua bibebat. Nutriebatur *ptisana* subacida, avenato in aqua cum pauxillo aceti præparato, ac tandem jusculo pulli gallinacei simplici, in quo vitellus ovi erat dissolutus: assumpsit quoque succum mali Punici.

§ 4. Quinta die contecto diligenter corpore, exhibitaque aqua hordiacea dulcorata, copiosissimè profluxit sudor : qui mirè ægrotantem sublevabat anxietatis continuæ molestiis. Sexta, per secessum prodibant excrementa penitùs biliosa, cum fœtore magno, adeò ut natura materiæ peccantis diminutionem paulatim moliri jam videretur: sed impedita fuit ab insultu noctis subsequentis, qua symptomatum omnium concursus *ingruebat tanta* & vehementia & celeritate, ut æger condito *ultimæ voluntatis testamento*, migrationis è vitâ momento intenderet.

§ 5. Septima rediens manè, in acerbo consanguineorum astantiumque luctu, citra ullam dilationem digitis carpo admotis pulsum percipio, intermittentem tertia quaque pulsatione. Qui primo quidem contactu terrorem incutit: at examinatis *interea* cæterorum accidentium præsagiis, indeque certa convalescentiæ spe data, quicquid discriminis portendebat variata illa cordis & arteriarum motio, id totum retuli ad acerrimam naturæ cum vi morbi concertationem. Neque profectò conjecturam meam eventus rei fefellit: quoniam reliquo diei decursu *expultrix facultas* occupabatur planè in exonerando stomacho à *noxia* materiæ adustæ multitudine: animadversione habita primò ad virtutis corroborationem, adoratui mala arancia, aquam ros. & acetum rosaceum obtuli : deinde ad juvandum naturæ conatum in ciendo vomitu, exhibui aquam tepidam cum oleo communi, & aranciorum succo mixtam. Inde serosa quidem recrementa nonnulla remanarunt. Sed quum minera mali nondum attingeretur satis ad imbecilliori hoc medicamento, aut ejus tenacissima malignitas infringeretur.: sequenti die (qui octavus numerabatur) deliberato animo, & pulsus intermissione quamvis perseverante, ministravi potionem purgantem sequenti modo confectam.

℞. *Rha-*

℞. *Rhabarb. el. pul.*
senæ laxativi, an. ʒ j. s.

Infundantur seorsum in aquæ endiviæ ℥ iiij. s. horis decem. Post fortem expressionem colaturæ, admisce *syr. ros. solut.* ℥ j. misce.

§ 6. Et quia mentio incidit pulveris senæ solutivi, cujus usum in hac inferiori Germania ego primus introduxi, ejus descriptionem lubenti communicatione obiter subjungam: ut quibus visum fuerit, in suis præparent pharmacopoliis.

℞. *Fol. senæ purgatæ.*
tartari albi an ℥ j.
sem. anisi gariophyllorum
cinnamomi galangæ an. ʒ j.
diagridii ʒ ij.

Comminuantur minutissimè in pulverem, secundum artis legem: cujus dosis est ʒ ij. in substantia, & ℥ s. in infusione.

§ 7. Ex suprascripti pharmaci assumptione sexies æger per alvum excrevit flava, biliosa, adusta, fœtida, cum sedatione omnium symptomatum: ut etiam testaretur sensibili perceptione, sese liberari ab ingenti pondere incensi glomeris, per intestinorum longitudinem à ventriculo delabentis. Postea roboravi intrinsecus conservæ rosaceæ exhibitione, foris vero illinitione olei rosacei immaturi. Convaluit probè nobilis hic & optimus vir, post universalem corporis evacuationem: saltem pulsus intermittens perdurabat adhuc in nonum usque diem, quo commutabatur in parvum, rarum, tardum, qui necessario debilitatem sequebatur ex mutua naturæ & ægritudinis colluctatione natam.

§ 8. Proinde manifestissimè apparet, hanc prædicendi cautionem a Medicis esse observandam, ne animo penitus perculso & commoto de valetudinis recuperatione confestim diffidant, si quando ejusmodi pulsus sensui occurrat, cum causæ quidem morbificæ magnitudinem, & ancipitem oppugnantis naturæ luctam denotet, non tamen mortis propinquitatem, nisi plurium lethalium signorum tanquam τεκμηρίων accessione confirmetur artificiosa conjectura. Etenim prius quam ullum ab ore procedat præsagium, duo in considerationem veniunt: naturæ robur, & vis morbi. Quia tum demum animal interitus perceptionem subit, quando illud succumbit, hæc vero victoria, insignia ostentat.

§ 9. Ver-

§ 9. Verbi gratia: Statuamus ægritudinis causam aut parem esse naturæ, aut imparem. Par si fuerit, non apparebit conversio vel ad salutem, vel mortem; quia mutationis omnis proprietas consistit in unius prædominio. Si igitur impar, tum aut morbus vincet, aut natura. Si natura, evadit æger: sin minus, morietur. Mortem enim invehit defectus naturæ, ex superantia causæ morbificæ. Iam pulsationis omnis continuatio, significat facultatis vitalis robur: defectio autem, ejus imbecillitatem. Itaque si binam pulsationem exhibuerit tactus, bini numerabuntur gradus roboris: si una intermissio, unus gradus morbi. At unus gradus minimè exsuperare potest duos, in actionis ordine. Unde pulsus, licet tertia quaque motione intermittens, non arguit imminentis mortis certitudinem: atque multo sanè minus ille qui decem aut viginti dilatationum & contractionum repetitiones tantum sequitur. Siquidem, ubi idipsum privatur perniciei suæ exequutione, quo tamen major conspirat efficientis potentia & vicinitas, quînam declarabit operationis efficaciam aliquid pusillum, longeque ab agendo remotum? *Talis enim* deprehenditur frequenter in febri pestilenti & ægritudine melancholica, frequentius adhuc in palpitatione cardiaca.

§ 10. Qua decepti Galliæ medici, Marino de Caballis, Reipub. Venetæ ad Francorum Regem legato interitum *prædixere*, sinistro de pulsus intermissione judicio irretiti: ideoque suaserunt, ut post impetratam discessus licentiam, in Italiam confestim rediret: atque ibi condito testamento, dispositisque negotiis, tranquillior deinceps sese armaret ad quodcunque mortis momentum. Ille Venetias animo prostrato reversus, consultationem instituit, accito medicorum collegio: ex quo erat Victor Trincavella, celeberrimus facultatis nostræ in Patavino Gymnasio Professor. Qui quum animadverteret tremorem hunc proficisci tum ex gravioribus curis, tum ex sanguine melancholico ad cor affatim confluente: promittens amissæ sanitatis recuperationem, crebram consuluit incisionem venæ, quam necessariò postulabat plethorica corporis constitutio. Hinc accedente etiam cordialium remediorum usu ritè curatus; in hodiernum diem adhuc superstes est clarissimus vir, omnium rerum gnarus, plurium idiomatum peritus, defunctus interea magnificentissimè muniis legationis ad utrumque Imperatorem Turcicum & Romanorum, nec non Patavinæ urbis præfectura.

§ 11. Ea

§ 11. Ea mihi narravit filius meus Henricus Wierus, philosophiæ & medicinæ Doctor: qui propter assiduos studiorum labores Bononiæ incidebat in similem palpitationis Cardiacæ affectum, cum pulsu inordinatè caprizante, & sæpius intermittente: sed venæ sectione, virtus lege ritè observata, assumptis quoque iis quæ ex artis nostræ præceptis conducibilia judicabat, integram sanitatem ex singulari Dei gratia est consecutus.

DE HYDROPIS curatione.

QUONIAM hydropica affectio vix alibi frequentiori, magisque populari impetu tyrannidem suam exercet, quam in hisce Germaniæ inferioris partibus: volui hoc loco Observationum quarundam mearum, profectò non inutilium, formas in hujus morbi curatione adjungere: quas eo procliviori mentis studio cuicunque bene volenti gratis expono, ne pro meo qualicunque modulo posteritati defuisse videar. Eundem animi candorem ab aliis desidero. Cuilibet interim suum non illibenter permitto judicium.

§ 2. Quum verò pro diversa hydropis specie postuletur diversa etiam medicatio, primum dicemus de Ascite: in qua, propter materiæ ventriculo & hepati propinquæ tenuitatem, promptitudinem & copiam, non requiro longam multamve concoctionem, sed statim ad aquei humoris evacuationem festino. Et præter alia, hic mihi in usu est Gratiola herba: quam licet valde amaram, & propterea minus delicatam, in substantia exhibere queunt alii ad ℥ ij. cum pulveris cinamomi & sem. anisi momento, sacchato, & vini haustu: ego tamen in vino decoquo manipulum ejus parvum, seu ℥ s. cum uvis passis, acinis exemptis: & à forti expressione admixta canella, aniso & saccharo, hora matutina propino. Vel hac ratione apparari potest: *Gratiolæ usus in hydrope.*

℞. *Gratiolæ* ℥ s.
soldanellæ ʒ j.
sem. anisi ʒ ij.
passul. enucleat. ℥ s.

bulliant cum vino, ad remanentiam ℥ v. Liquor expressus exhibeatur.

 § 3. Po-

§ 3. Potens istud est pharmacum, quo setosarum & aquearum superfluitatum libræ non pauciores octo quandoque expurgantur.

Succus iridis. § 4. Proximum potentia ac bonitate μαναγωγικον succedit, succus radicum iridis ex loco ficciore collectarum, mundatarum, contritarumque residendo depuratus: qui cum ovi gallinacei vitello diligenter commixtus, albumine prius effuso, ex testa tepidè sorbeatur. Vel paretur sequens haustus:

℞. *Succi iridis per residentiam parum defecati* ʒ iij. *vel* ℥ s.
Syr. rosati solutivi ℥ j.
Cinamoni electi ℈. j. misce.

Succus cucumeris erratici inspissatus. § 5. Electuarium item præstans in pellenda aquæ saburra, cujus & Matthiolus meminit. In diebus canicularibus succus ex cucumere asinino expressus, soli in vase exponatur, donec siccescat, humore supernatante subinde effuso. Accipe succi hujus siccati, *bdellii* an. ʒ j. *masticbes* ʒ s. *salis gemmæ* ℈ ij. incorporentur. Hinc fabæ instar pilula pro dosi conficiatur, deglutiaturque.

Dantur item pilul. aggregat. ℈ ij. cum *elaterii gra. ij. hinc cum* hydromellitis guttis pauculis fiant pilulæ *vii, super pulvere sem.* anisi.

à Sambuci & ebuli viribus. § 6. Succus item è radicis sambuci vel ebuli cortice expressus, hic confert. Conficiuntur in eundem quoque usum ex hoc succo pastilli. Decoquitur item utriusque radix in vino. Semen adhæc, per diutinas aquæ lotiones à baccarum succo nigro expurgatum, siccatum, & in pulverem redactum, ad drachmæ unius pondus plebejis propinatur cum vino, cui cinamomi ℈. j. & sacchari quantum voles admisce.

§ 7. Cortex etiam utriusque interior flavescens delibratur, vulgoque hic usurpant. Redigitur & ebuli cortex in pulverem, ejusque drachma una cum aquæ linariæ ℥ iiij. Propinatur: unde vel per urinam, vel etiam sedem, aqua cutim subiens, potenter expellitur.

Frangula. § 8. Frangulæ, à clarissimo Matthiolo descriptæ, utilitas hic non vulgaris: cujus cortex interior decoquitur cum eupatorio, absynthio Rom. cuscuta, veronica, radic. cichorii, sem. apii & foeniculi, adjecto postea cinamomo.

§ 9. Efficax hic item vitis sylvestris radix.

Stibium. § 10. Quem stibium artificiosè præparatum delectat, hic ejus translucidi, ad modum lapidum granati vel hyacinthi, grana tria

aut

aut quatuor infundat noctem unam in vini uncia, aut paulò amplius: deinde per linteum colato vino, admisce pulveris canellæ electæ pauxillum, atque bibatur.

§ 11. Sunt qui olei vitrioli guttam, in vini cyatho hydropicis propinant, idque magni arcani loco habent. *Vitrioli oleum.*

§ 12. Innoxium magis erit, si vigilanti præparatione oleum dulce redditum fuerit.

§ 13, Porrò hoc observandum, singulis septimanis ut minimum semel tentandam esse evacuationis repetitionem, ne venter mox denuò saburræ aqueæ affluxu exundet.

§ 14. Quando autem paulatim ventrem & hepar exonerari desideramus, aut propter humoris delinquentis abundantiam, aut labefactatam viscerum virtutem, aut plurium symptomatum concursum: præscribere tunc consuevi apozema magistrale, in ejusmodi propè formam. *Apozema magistrale.*

℞. *Rad. valerianæ, pimpinellæ,*
helenii vel enulæ campanæ; ebuli an. ℥ s.
vitis sylvestris ʒ ij.
medullæ sem. carthami ʒ v.
sem. anisi ℥ s.
fœniculi ʒ iij.
gratiolæ, eupatorii veri an. m. j.
veronicæ, scabiosæ, betonicæ
card. bened. an. m. s.
fl. genistæ, sambuci an. p. ij.
passul. enucleat. vel Corinthiac. incis. ℥ j. s.
sem. Alexandr. expurg. ʒ vj.
soldonellæ ℥ j.
agarici in pastillos redacti ʒ v.

Decoquantur in ℔ v. vini albi maturi, ex artis præscripto, si febris vel causa calida absit: alioqui in aqua, donec absumatur medietas, in vase diligenter tecto, vel potius duplici: à forti expressione, in decocto bulliat denuò saccharum, sufficiens ad potus conservationem, vel mel. Hispanicum aut Livonicum despumatum, suspensa in linteo rharbarb. electi ℥ s. inde admisceantur pulveris cinamomi electi ʒ iij. Hinc quotidie, vel alternis diebus, vel cum longiori interstitio, pro operationis modo, hauriantur tres vel quatuor unciæ.

 § 15. In

§ 15. In eandem rem aliquot taleolæ radicis iridis macerantur in vino albo nocte: postridie verò hujus vini haustus bibitur hora matutina calidè, identidem reliquis diebus, non sine magno ægroti commodo.

§ 16. Recentes item hujus radices saccharo aut melle conditæ, ad unciam quoque exhibentur. Huc quoque facit tale ex ea conditum, si quotidie, vel alternis diebus inde matutina hora voretur semi uncia.

Conditum ex iride.

℞. *Succi rad. irios* ℥ s.
canellæ, galangæ an. ʒ ij.
gariophyl. macis an. ʒ j.
zedoariæ ℈ ij.
soldanellæ elect. ℥ s.

In pulverem trita, misce cum melle despumato, ad electuarii formam.

Succus baccis sambuci & ebuli inspissatus.

§ 17. E baccis quoque sambuci & ebuli, à semine expurgatis, & per colum trajectis, succus cum pauco melle despumato vel saccharo coctione spissescit, hic utilis. Stillatitia item utriusque radicum aqua artificiosè extracta, ad ℥ vj. hausta, commendatur. Prima adhæc arborum harum germina, vel folia adhuc tenella leviter bullita, in acetariis hic cum successu assumuntur: quæ in eundem usum etiam olerum more coquuntur. Prosunt & vina ex chamelæa & thymelæa facta.

Brioniæ usus.

§ 18. In hunc finem præterea infunduntur quandoq; à plebeiis in vino, taleolæ radicis brioniæ, ex quo haustum manè assumunt: cui si cinamomi & macis parum misceatur, minus noxium erit.

§ 19. Apparantur item pro imbecillioribus olea, linimenta, emplastra & cataplasmata, quæ admota ventrem ab aquæ saburra exonerant: quorum substantia est colocynthis interior, chamelæa mezereon nuncupata, thymelæa, esula, & reliquæ tithymali species, ricinus, peplus, gratiola, veratrũ nigrũ, succus cucumeris erratici, radicum iridis, brioniæ, vitis sylvestris, sambuci, ebuli, scammonium, euphorbium, & aloë: quæ cum melle, vel felle taurino, aut oleo liliorum, aut laurino, sive rutaceo vel irino, aut alio liquore convenienti, ad quancunque voles consistentiam vel formam coquantur. Prodest hic quoque oleum de mezereo Mesues, & unguentum exarthanita recens. Sed pro materiæ applicatæ vehementia, ea vel diutius, vel brevius in ventre erit relinquenda, regione hepatis semper libera.

§ 20. In

§ 20. In Anasarca usurpamus ferè eadem purgantia medicamenta: sed in Tympanite talia exhibemus, quæ una cum moderatiori humoris aquei evacuatione flatus dissipant. Cujusmodi inter reliqua est, Electuarum Indum majus: cujus ℥ vj. cum pulveris soldanellæ ʒ s. & vino, vel aqua rutacea, aut ex camomillæ floribus, vel alio liquore idoneo exhibentur non inutiliter. Si vero deprehendantur intestina affici lumbricorum rosione, quod aliquando usu venit, maximè in Anasarca, semen absinthii Santonici non temerè additur. Postridie cujuslibet evacuationis assumi jubeo theriacæ veteris, vel mithridati ʒ j. aut ℥ j. s.

§ 21. Uretica insuper hic unicè prodesse constat. Verùm de iis quæ communiter nota sunt, ut ferè toto hoc Opere, nihil dicam: raris solummodo observationibus contentus. Efficax hic cum primis est oleum è juniperi baccis purè extractum, & cum vino sumptum: item lixivium è juniperi cineribus & vino apparatum: conficitur & ex sarmentorum ac genistæ cineribus, atque cum sacchara & canella frequenter per manicam transfunditur. Datur à plerisque etiam petroleum cum vino: quod urinam, sudorem & vomitum movet. Memini adhæc, ubi Romæ marito Ascite diutius excruciato, pulverem bufonis usti, ut veneno tolleretur, sumptuum pertæsa uxor exhibuerit: unde copiosum hic lotium reddidit. Hinc ipsa denuò eundem propinat pulverem, ut citius ærumnosam sumptuosamque vitam cum subita commutaret morte: qui ab uberiore aqua confertim per vesicam exoneratus, præter conjugis expectationem convaluit. Sunt item, qui propinant decoctionis radicum diureticarum ℥ iv. Cui admixtæ fuerunt sem. lini ʒ iij. correctoriæ scilicet, & cantharides duæ simul decoctæ, sed prius simul colantur. *Oleum juniperinum Lixivium.* *Bufonis pulvis.* *Cantharides.*

§ 22. Medicamenta quibus viscera roboro, mihi, præter electuaria nota, in usu sunt in Ascite & Anasarca: Conserva radicum helenii, ac radices eædem conditæ: conser. absynthii Rom. zinziber Indicum conditum, radices pimpinellæ conditæ. Aut ejusmodi præscribo mixtionem, ut plures simul intentiones compleantur: *Roborantia.*

℞. *Conser. radicum enulæ* ℥ j. s.
absinthii Rom. ℥ j.
specierum diacinamomi ℥. j. s.
dialaccæ ℥ j.
olei juniperini ℈ ij.
cum syr. de eupatorio quant. suff. fiat conditum.

 § 23. Ali-

§ 23. Aliquoties vini sublimati usum permitto, maximè in Hyposarca: cui canella incisa, galanga, calamus odoratus, zimiber vel simile quiddam, imò & panis mica cum saccharo mixta, simul deglutiuntur.

§ 24. Si ex splenis consensu hydrops oboriatur, proderit sequens medicamentum:

℞. *Cons. rad. enulæ* ℥ j.
chamedryis ʒ vj.
specierum diacapparon ʒ ij.
dianisi ʒ j. s.
dialaccæ ℈ ij.
syr. de v. radicibus q. s. misce.

§ 25. Ipsa lienis regio unguento è bryonia contra splenem, cui oleum rutaceum, & è capparibus admixtum fuerit, linitur. Et si tensa fuerit hæc pars, applicatur emplastrum diachylon cum gummis, commixta medietate emplastri è meliloto, *affusis pauculis* olei spicæ guttis.

§ 26. In tympanite mihi commendatur electuarium è baccis lauri, quod flatus plurimum dissipet. Vel fiat ejusmodi compositio:

℞. *Elect. è baccis lauri* ℥ j.
cons. rad. enulæ ℥ s.
specierum dianisi ʒ ij.
diagalangæ, diacumini an. ʒ j.
olei juniperi ʒ s.
syr. de eupatorio q. suff. Misceantur.

Oleum anisi. § 27. Vel olei ex sem. anisi aliquot guttæ, hauriantur cum vini momento. Vel electuarium apparetur tale:

℞. *Specierum dianisi, diacumini* an. ʒ. j. s.
diagalangæ ʒ j.
sacchari puri ℥ iv.

quod dissolvatur cum aqua rutæ. Et post justam coctionem affunde olei anisi guttas sex, & misce diligenter: deinde fundatur in marmore, fiat electuarium in rotulis. Proficit item ex fœniculi semine oleum: item macis oleum. Commendatur & nucum oleum recens, cum generoso vino vel sumptum, vel injectum.

Ventriculo applicanda. § 28. Inunctiones mutantur pro visceris affecti constitutione. Ventriculus enim studiosè illinitur oleo absinthite & mastichino, quibus pro ditioribus admisceto tertiam aut quartam partem olei

macis. Deinde huic feliciter applicantur sacculi, ex absinthio, menta, salvia, ruta, corticibus arantiorum malorum, sem. fœniculi, & cumini, concinnati: qui prius valde incalescunt, si lapidi ignito ollæ impositio tria aut quatuor vini cochlearia infundantur: & mox olla hac sacculo tecta, ne ulla ex parte vapor expiret, tantum caloris hic concipit, ut ventriculo aut universo etiam ventri impositus, suavissimum præbeat fotum.

§ 29. Suspenduntur & scuta quæ vocant: Stomachalia, sed vehementia ea esse oportet.

§ 30. Hepatis locus oleo absinthite, & nardino, cum olei macis pauxillo, inungitur.

§ 31. In Tympanite vero totum ventrem primum quam diutissime, donec rubor excitetur, linteis calidis, vel manibus carnosis, calentibusque fricuisse, ut poris apertis flatus tenuati exhalent, confert. Utiles autem sunt ejusmodi frictiones in quacunque hydrope, quod aperiant, extenuent, discutiant, & exiccent: deinde vel vino sublimato, vel oleo laurino & rutaceo cum calidissime, & perquandiu inungi oportet: postremo, sacculi queunt applicari ratione paulo ante dicta, ex ruta, absinthio, sem. cumini, anisi, fœniculi, dauci, floribus camomil. melilotæ, sambuci, anethi, rorismarini, stechados, consuti: vel spongiæ amplæ. Aut pannus laneus crassus, prius in vinum aut lixivium immersus & expressus, cui præcedentes herbæ, semina & flores fuerint incocta. Hoc autem ante inunctionem faciendum. Postremo adhibeantur emplastra, velut è baccis lauri. Affigitur etiam aliquoties umbilico, sine incisione, cucurbitula magna, cum larga flamma.

§ 32. Cæterum, duo etiamnum reliqua sunt præcipua totius curationis capita, quæ si ritè observentur, mirè conducunt. Primum est, in toleranda siti constantia, quam stricta adeò lege impero, ut ægris non ultra libram unam cum dimidia vini in quemlibet diem permittam. Minori molestia hic obedire queunt, si ex angusti oris vitro bibant. Humectata etenim sæpius vini stillantis momento lingua, promptius fallitur sitis, nec ejus copia gravatur ventriculus. Manduntur in hunc usum & passulæ, diutiusque in ore detinentur. Sic & glycyrrhiza existitit ἄδιψος, maximè recenter effossa: uti pastilli quoque ex ejus succo concreti, si ore retineantur, quousque liquescant. Lapillis item ex vino assumptis, eandem ob rem lingua quandoque colludit. Vinum autem sit *Sitis toleranda.*

album,

album, maturum & potens. Confert plurimum quoque helenites, absinthites, & aromaticum.

Sudor movendus. § 33. Alterum, & ferè maximum, erit sudor: quem quomodocunque, quantum fieri poterit, extorquere oportet. Theriaca postridie purgationis cum vino calido propinata, ut dixi, huc facit. Quibusdam etiam hîc mirè commendatur succus è *rapo rotundo*, in pila contuso & expresso, conditus saccharo & cinamomo, *ut a*liud gustanti quàm rapum referat: hic manè ægro bene cooperto propinatur. Radix item hirundinariæ pondere semi libræ, per noctem in vino macerata, & deinde usque ad tertias decocta, mane jejuno stomacho pota calida, aquam intercutem sudore copiosò mirificè expellit. Eodem modo vinum cum veronica apparatum, valet. De chymici cujusdam pulveris sudorifici potentia, *alias* fortassis dicam.

§ 34. Extrinsecus insuper sudoris profluvium, multipliciter molior: idque pro ægrotorum diversa *conditione*. Tenuioris siquidem fortunæ hominibus consulo, *ut mensæ incubans corpus* universum in clibanum, recenti pane extracto etiamnum repentem, immittatur, sic ut caput extra præfurnium pulvinari innixum, liberè respiret, ne calidiori aëre suffocationis periculum subsequatur. Ut is quoque citius promoveatur, & tibiarum inflatio simul discutiatur, arenam in lebete vel cacabo calefactam, sive etiam cineres quercinos eodem modo calentes, in sacculum infundo, cui colligato imponuntur crura tumida vesperi, atque similiter manè. Silices item calentes, involutosque linteis in lixivio quercino vel vino madefactis, utriusque axillæ sinui & pedum plantis applicari, brachiis in thoracem remissis, tibiisque sibi mutuò incumbentibus, *jubeo*: atque ea ratione è corpore diligenter tecto promptius *serosa recre*menta eliciuntur, vel potius extorquentur.

§ 35. Alius horum exprimendorum modus mirè utilis, & certior existit, si cupa idonea prius igne vasi imposito incalescat, tecta lodice aut panno denso, vel operculo ob tumidum corpus commodo. In hac, super sedecula insideat æger, thorace & collo immunito, ne quid vaporis exhalet: deinde sequens decoctum in cacabo vel vasculo aptiore fervidum intra tibias collocetur, in quod subinde igniti silices immittentur, ut novus copiosiorque demò excitetur halitus, qui semper in ventre tumido quàm fieri potest calidissimè excipiatur: ne tamen primi semper fervoris violentia urat,

urat, cavendum sedulò. Quo autem constantius diutiusque hoc sudoris effluvium toleraverit ægrotus, eo suæ valetudini consulet rectius. Postea hic linteo calido coopertus, in contiguum lectum calentem deponetur, ne præpediatur sudoris fluxus. Interim quod roboret, vel vires reficiat, sive sit sit conserva, *seu zinziber Indicum conditum, vel confectio in rotulis, aut aqua cinamomi, vel aromaticum vinum*, exhibeatur. Decocti jam dicti materia esto: *radices & folia sambuci atque ebuli, raphanus absinthium, pulegium, ruta, abrotanum, marrubium, hadera, rorismarinus, majorana, origanum, salvia, calamentum, lauri folia, thymus, hyssopus, centaurium minus, nasturtii species, bacca juniperi, anethum, chamæmelum: quæ admixtis sulphure potissimum & sale, in lixivio & vino, aut in lixivio solo bulliant.* Vel suffitus hic ita excitetur, solo acri lixivio ex sarmentorum cineribus vel quercinis parato.

§ 36. In Hyposarca verò, cum multa utilitate etiam in ignitos lapides maximè pyrites infundi acetum observavi, cujus vapor fervidus eodem modo in cupa excipitur.

§ 37. Ubi balneorum natura calidorum fuerit copia, licet quædam utilia sunt, velut salsum, nitrosum atque etiam aluminosum: sulphureum tamen præferendum.

§ 38. Juvabit item sudoris expulsionem, si dictarum herbarum & radicum pars in iisdem liquoribus ferveat, additis *aristolochia rotunda, baccis lauri, juniperi, radices iridis*: atque immersis in decocto amplissimis spongiis, vel pluribus simul consutis, & expressis, aut panno denso duplicato similiter imbuto extortoque, aliquoties calidissimè & diutissimè foveatur fatigeturque totus venter, dempta hepatis regione.

§ 39. Inde adhiberi queunt partim liquores & olea antè dicta partim etiam alia, item unguenta, emplastra & cataplasmata: cujusmodi sunt, *oleum juniperinum, irinum*, è lateribus: unguenta, *Martiatum, Agrippæ, Aragonis*: emplastrum semel dictum de *baccis lauri*: cataplasmata ex *farina fabacea, lupinorum, stercoribus caprinis, columbinis, vaccinis recentibus & calidis, caricis, baccis lauri, aristolochia rotunda, staphide agria, pyrethro, cardamomo, radice iridis & sulphure adornata.* Vel si post inunctionem gratiores fuerint sacculi ex lino raro, tenui, trito, & materia bis seorsum enarrata compositi: deinde scripti proximè decocti, vel lixivii, aut vini halitu (ut dixi.) irrigati, calefactique, non debent non esse admodum utiles.

§ 40. Tumores insuper tibiarum discutit, pulmentum ex medulla panis, cum muria aut lixivio coctum: admixto postea oleo irino, sive alio simili.

§ 41. Porrò quia extremi morbi extrema pleraque remedia postulant: quæ hic quoque in actionibus chirurgicis observasse me memini, colophonis vice subjungam. Præter communem verò aquæ extractionem in Ascite, paracentesi vel pertusione ad musculum obliquum ascendentem, eam feliciter, quanquam rarissimè, educi per umbilicum vidi: natura hinc detrahendum commonstrante, ob singularem & notabilem umbilici tumorem. Cura autem comprimis sit, ut exiguo admodum foramine is aperiatur, ne profluvium confertim subsequatur copiosum nimis: quotidie enim circiter libras duas effluxisse satis est. Quare illud tenaci emplastro mox occludendum erit, ne ex præcipiti & nimia humoris simul & spiritus effusione, effluat quoque vita. Ubi etiam remoratur, subsistit, impediturque intus liquor serosus, *siphone leviter* altiusque immisso facile fluet. Cæterùm toto *hujus curationis tempore*, quanto poteris studio, viscerum robori consulendum *medicamentis*, victu delecto, & condituris analepticis. Ea enim nisi restaurentur, quacunque symptomatum ablatione operam ludes: rarus siquidem ejusmodi curationum est successus felix, etiamsi nulla in re deliqueris, quòd eæ nec admittantur nec tententur, nisi quando extremè desperatum est. Suum hic meretur locum elegans Hippocratis sententia: inquit, *æger ex iis quæ aquam purgant, non levior fiat, inurenda sunt crusta quam tenuissima, & quam maximè in superficie, quo aquam continere possis circumcirca umbilicum, & una in umbilico, & emittere singulis diebus. Quum enim morbus sit periculosissimus, in his periclitari oportet. Si enim successerit, sanum facies: sin minus, quod etiam aliàs futurum erat, idipsum perpetitur.*

Aqua extractio per umbilicum.

De locis in homine.

§ 42. Fœlicem præterea curationem in aquæ cutem subeuntis eductione non semel vidi, maximè in hyposarca, ubi super utroque pede tumido instar incisæ venæ, vel paulo altius, fissuræ scalpello vel lanceola infligerentur. Enimvero die noctuque ex iis vulnusculus ingens aquæ copia citra virium læsionem indesinenter exsillat, quod parum simul spiritus pereat. Verum ex continuo salsi humoris ad exigua vulnuscula decubitu, quandoque suboritur erisipelas: quo tamen victo, rursus nonnunquam eodem modo idem pedum tumor finditur. *Proinde non immerito omnibus prædictis efficacius auxilium in Anasacra, vel Hyposarca, sive Sarcite aut Leucophlegmata*

Aqua eductio è pede, & supra talum.

phlegmata chirurgiam præstare, asserit Asclepiades. Fissuras autem circa internum talum infligi vult in loco, quatuor digitorum spatio supra talum eminente, ea profunditate, qua in venæ sectione quis utitur. Novi, qui ex inflatis tibiis aquifolia cæsis, aqua continuo emanante liberarentur. Leonides etiam alias corporis partes scalpello incidi vult, si tardius supra talos extillet aqua: veluti scrotum tumefactum, pudenda, femora, & locos supra manuum juncturas. Hippocrates scrotum & femora vulnusculis solum lancinat, eaque sale confricat: cujus subsidium hic postea ostendit usus. *Scrotum in ejusmodi casu quandoque subtili acu vulnusculis densis facile pertunditur: filoque simul trajecto & relicto, stillat sedulo hic humor.* Refert Antonius Benivenius, *mulierem hydropicam ex alto loco in terram decidisse casu, quum nulla vitæ spes superesset, utroque ad lapidem eliso & disjecto, omnem effluxisse aquam, & pauco post tempore idoneis præsidiis fuisse valetudini pristinæ restitutam.*

Ætius lib. x. cap. 30.

De abdit. morb. caus. cap. 109.

§ 43. Siccantem, calefacientem, & facilis concoctionis victum esse oportet. Alii usus est frequens, maxime tenuioris fortunæ hominibus. *Victus.*

DE LEUCOPHLEGMATIA

à cerebri fluxione orta, Hippocratis sententia lib. de Locis in homine.

QUUM retrò ad vertebras, & in carnes defluxerit, hydrops fit: id quod ex hoc cognoscere datur. Siccæ enim anteriores partes sunt, caput videlicet, & nares, & oculi. Oculis amplius hebetudo accidit, fiuntque cum virore pallidi, identidem & reliquum corpus: ac nihil exspuit homo, etiamsi multum fluat. Fluxus enim per mediam carnem retrò decumbens, & ab anteriore aversus, anteriores partes siccas reddit: posteriorum vero carnem irrigat, & magis eam quæ intus est ad ventrem, quam quæ foris est ad nasum, &c. & post: Intus vero foramina ampliora sunt, & intermedia tenuiora habent: fluxus autem, utpote ab altioribus procedens, & tenuia impedimenta contra se habens, influit, & carnes humiditate implet. Sed & humiditas à cibis in idem procedens corrumpitur: corrupta autem ipsa præ admixtione, & simul cum ipsa ea quæ à capite defluit, corpus nutriunt. Carnes verò multo humore nutritæ, & morboso augescentes hydrope plenæ fiunt.

IN FOEDA MORBOSI CORPORIS

constitione, ubi occultam foveri elephantiasin suspicio erat, hujus nostri praescripti observatione curatus est nuper aeger homo plebejus.

SECTA primum cubiti vena communi, sequentem quotidie hausit potum hora matutina.

℞. *Rad. polypodi* ℥ j. s.
lapath. acuti integri cichorii cum radic.
summit. lupuli an. m. j.
scabiosa, veronica
fumiterra an. m. ij.
fl. borraginis, buglossa an. m. s.
liquiritia rasa ℥ s.
passul. enucleat. ℥. j. s.

Coquantur in aquae rivi ℔ iv. donec absumatur medietas, admiscendo in fine decoctionis senae Alexandr. mundatae ℥ *ij. epithymi* ℥ j. nocte relinquantur in infusione, & à valida expressione adde syr. de succo fumariae ℥ iv. fiat potus.

§ 2. Postea hoc usus fuit balneo frequenter:

℞. *Scabiosa, veronica,*
fumaria, lapathi acuti integri,
furfurum triticeorum an. m. iv.
malva m. vj.

In cacabo aquae bulliant, ad balneũ. Deinde seco inunxit linimẽto:

℞. *Succi scabiosa, veronica, fumaria, lapathi acut.* an. ℥ ij.
aristologia, rotunda, vitrioli Romani an. ℥ ij. s.
sal. nitri ʒ j.
lithargyr. argent. ʒ ij.
aluminis ℈ ij.
sulphuris ℥ s.
olei laurini, axungia porc. an. ℥ ij.

oleum & axungia cum succis coquantur ad eorum consumptionem, inde misceantur reliqua ad linimenti formam.

§ 3. Brachiis & foemoribus affigãtur cucurbitae cũ scarificatione.

§ 4. Cavit à multum salsis, fumo induratis, lacte, crebro casei usu, cerevisia recenti, turbida & acida, vino rubro, ab iis quae diutius in aceto fuêre asservata, denique ab omni intemperantia in victu, atque animi affectibus.

DE

DE CARCINOMATE SINISTRI TESTICULI, *ob emollientium & resolventium medicamentorum usum exulcerato, ac in cancrum immedicabilem converso.*

NOBILISSIMUS & magnificus vir N. annos 28. natus, constitutione gracilis, temperamento biliosus, statim à duodecimo ætatis suæ anno, & frequenti Veneris consuetudine utebatur, & inordinato assiduæ equitationis exercitio corpus exagitabat: quæ duo tum meatuum relaxatione, tum debilitationis interventu disposuere membra genitalia ad suscipiendos defluxionum impetus à partium superiorum concitatione: veluti etiam capitis, quod acuminati verticis respectu continuæ destillationi adeo erat obnoxium, ut præter ingruentes quasdam arthritidis minitationes, vereretur ne materiæ ad pulmones delapsus, aliquando tandem induceret insanabilem tabidæ luis contagionem. Huic verò apparatui materiam suppeditat prava victus observatio, quæ maximè propter patrium (hoc est, Germanicum) compotationum morem sanguineæ moli communicavit summam humorum corruptionem & adassationem, quam forsitan auxerunt reliquiæ labis Neapolitanæ malè curatæ, cujus insigniis alias quoque ornabatur ad lascivæ juventutis imitationem. Ex eo occasionum confluxu incurrit progressu temporis, intercedente tamen hernia varicosa, in sinistri scroti tumorem.

§ 2. Quem primum quidem vulgaris chirurgi studio, cataplasmatibus discussum iri sperabat: at indies malo ingravescente, me citari jussit. Qui prævio loci affecti intuitu, ilico meam de Sarcoceles præsentia sententiam, adstante chirurgo pronunciavi: & hanc eousque progressam, ut nulla rerum applicatione resolvi aut discuti posset; atque operam lusuros, quotquot in eum finem aliquid tentarent. Hoc tamen suasi, ut contentus ad septimanas aliquot, sola incrementi ejus mali prohibitione, per applicationem illorum quæ leviter refrigerando exiccarent, aquæ plantaginis incocta, & victus legis studiosa observatione: ut nimirum à vehementiori equitatione, insolescentium succussantiumq; equorum usu, continua Veneris exercitatione, & poculorum certamine desisteret. Si tamen interea temporis tumorem increscere animadverteretur, posse tuta illius tumidi testis ablatione malum prorsus tolli, maximè si victus & reliquarum necessariarum observatione comitaretur obedientia. Ille neglecto consilio in rerum non naturalium delicto, & natu-

tur: vel ubi in cõgressu meatus viro fuerit præclusus. Utriusq; casus fœminas à me fideliter curatas, etiamnum superstites esse arbitror.

§ 4. In operis hujus administratione novaculam imprimes, secabisque figuram ad naturalis hiatus dimensionem ducta à vesicæ collo deorsum, justo utrinque interstitio relicto, *quod levius securiusque* in operiente membrana, & potissimum *humoris affluxu* tensa effeceris. In adnatæ uero carnis incisione, repetenda aliquoties sectio, ob sanguinis profusionem: quem immissa spongiola, prius in aquam tepidam intincta, expressaque, elues. Curandum autem summopere, ut non oblique collimes, sed rectitudinem in dividendis hujus carnei isthmi angustiis serves, maximè si altius secandum sit. Ab ea minus aberrabis, si tridens illud speculum incurvum altius immiseris: quod etiam commodius inseret decumbens virgo vel matrona, versatili per spiras aciculo supra ventrem sursum innixo: quam eidem quoque, si volet, vertere ad justam expansionem licebit: sic vesicæ cervicem *reprimet dens speculi* superior, ut à sectione tutior ea maneat, *dum dentes reliqui latera* distendent, inter distortos hos tu opus prosequeris. *Si vero* suspecta tibi fuerit carnis innatæ profunditas, per vulnus aliquatenus sectum, violenter intrudito recta specillum tenue, quod nodulum in extremitate rotundum habet: eoque totam carnem perrumpe, donec penetraveris, si possis: nam ob specilli rotundam extremitatem, ubi ad sinum perveneris, vel in matricis osculum impegeris violenta perruptione, non delinques: quod specilli hastati impressione non tam securè feceris. Carnis totius profunditatem hoc modo semel pertusam, specilli immissi subsidio deinde facilius secare poteris. Ego tamen angustum foramen specillo obtuso factum, aliis similibus instrumentis crassioribus prosequutus, eatenus perrupi, donec forcipem antrorsum oblongam validamque per eandem hanc fissuram transmittere valerem: inde manubriolum utrinq; rotundum manibus violentis simul sursum ac deorsum uno tractu distrahebam, donec dilaceraretur innata caro universa.

§ 5. Incisio etenim & laceratio artificiosa hic suum habent locum. Proinde & digiti indicis extremitatem in distractionem quandoque adhibemus, maximè ubi ob loci aperiendi angustiam vel profunditatem, errorem inter secandum veremur. Sectio, item oblique vel transversè, vel ad crucis formam duabus lineis inter sese transversis administrari poterit.

§ 6. Membranas & connatam carnem si quis volsella apprehendere

dere resecareque volet, id quoque tutò fecerit: quanquam utriusque curationem etiam sine multa earum excisione absolverim, potissimum si post incisionem fissura indicis, vel ferrei instrumenti adminiculo aliquoties dilatetur. Postea enim usque adeo contrahuntur corrugantur que membranosæ vel carneæ partes relictæ, ut nec concubitum nec partum remorentur. In conjugatis vero si membrana fuerit incisa, nec sequuta in signis hæmorrhagia ex uteri venis menstruis, quæ alioqui in claudentem membranam quandoque decumbens, sectioni ansam subministrare assolet: Venus moderata, lentaque, nec violenta aut vehemens, post triduum concedetur. In dissecta autem carne profunda cervicis uteri, nocte octava post incisionem, ejusmodi actionem permisisse me successu læto hora matutina, silentio sepeliendum non putavi.

§ 7. Cæterùm antequam hoc opus in findenda carne aggrediaris, pulvere sanguinis profluvium inhibente ex bolo armeno, sanguine draconis, & ovi albumine, vel id genus aliis restringentibus, te instructum esse oportet: licet iis nunquam usus fuerim, nec levem compescuerim fluxionem, quanquam altero etiam die adhuc sanguinis satis proflueret, eo quod constarent vires: decubitum tamen & quietem, donec is prorsus consisteret, imperabam. In sanguinis etenim defluvio habenda virium singularis ratio, ne vel labefactetur cordis robur: vel syncope aut spasmus, aut aliud symptoma gravius consequatur. Ex membranæ vero exanguis pertusione, nihil de sanguinis fluxu timendum, quem connatæ carnis venæ vel stillant, vel fundunt. Ab incisione si quæ fuerit obvia sanguinis ex uteri venis antea expulsi, velut menstrui vel cujusvis alterius humoris colluvies, ea statim prius aqua hordei tepida syringe injecta, deinde cum hydromelite identidem sæpius eluenda. Quicquid autem injicitur, infunditur vel inseritur, tepidum esse oportet. Interim inspicienda est aliquoties fissura, sive speculo sive forcipe dilatanda, vel gentianæ radicis immissione: vel certius spongiæ, quæ ceram liquefactam imbiberit, & mox, ne comburatur, extracta fuerit, præloque validè expressa, unde turunda longa crassaque pro rei præsentis necessitate excidetur, illinenda aut abstergente aut exiccante, reprimente, & cicatricem inducente medicamento, pro vulneris constitutione. Enimverò huc studium omne converti oportet, ut à carnis, non item membranæ incisione conglutinationem quibuscunq; valueris modis impedias: tam hæc pars rursum promptè coalescit, atq; huc omnino propendet natura.

§ 8. Quapropter ubi cutem obduci voles, post dies pauculos, tubulus argenteus vel plumbeus, cavus, lævis, oblongus, cum foramine unico majore antrorsum, cum multis verò minoribus in circumferentia, ne saniei effluxio impediatur, ab aurifabro confectus, inseretur, maximè ubi profundius fuerit vulnus: tubuli autem pars posterior nonnihil inclinabit cum obtusa extremitate, utrinq; duobus locis pertundenda: unde fila duo fortia dependebunt, ut quum in sectam rimam tubulus fuerit intrusus, anterioris pudendi angustiis & osse sacro intercludatur, retineaturque nec mulieris incessum aut deambulationem præpediat: & quando voles, aut postulet necessitas, filis extra pendulis hic confestim retrahi queat.

§ 9. Tubulorum forma esto diversa, pro fissuræ modo & altitudine. Nupta, maritique jam congressum innoxium experta, in frequentiori hujus repetitione moderata, eidem morem gerat.

§ 10. Porrò quoscunque cordatos hic præmonitos volo, non quemvis ad hujus curationis administrationem temerè admittendum esse: sed quacunque diligentia prius *inquirendum*, *quoad* fieri potest, hujus sectionis peritum vel *medicum, vel chirurgum*, vel obstetricem: ut quæ ex sinistræ curationis errore consequuntur perniciosa symptomata, providentiæ subsidio declinentur.

Lib. I. cap. 72. Alraticam. Clausura. Lib. III. fen. 21. tract. 4. cap. 1. Lib. VII. cap. 28.


§ 11. Hoc cervicis uteri vitium Albucasis, inter Arabes chirurgus minimè poenitendus, *Alraticam nuncupat*: *Clausura*, apud Avicennam redditur. Ejus meminit etiam Cornelius Celsus. *Malo* hoc affectæ, Græcis dicuntur ἀτρῆται, id est, imperforatæ.

§ 12. Cæterùm ut penitius intelligatur, quibus in ejusmodi curatione usus fuerim organis, horum icones & formam in Reipubl. utilitatem subjungere volui.

DE EXTREMITATE COLLI VESICÆ.

IN his meis Observationibus, propter argumenti affinitatem, medicos obiter volui admonitos, extremitatem colli vesicæ exteriorem non eodem incunctis fœminis loco apparere. Enimvero pluribus ea supra cervicis uteri angustias exteriores: sub nympha conspicitur: paucis introrsum in superiori parte pudendi latet: quare hujus dilatatione opus est, si quid in eam immittendum quacunque occasione fuerit. Ejus verò meatum collumque integrum usq; in vesicam eatenus organo dilatante commodo extendi posse, ut magnũ digitum non difficulter intrò admittat, meminisse operæ pretium est: si fortassis huc calculum impingere, vel

alius



alius necessitatis occasionem requirere tantam dilatationem contingat.

DE HYMENE.

OB dictos ostii matricis affectus, eadem opera meá de hymene sententiam paucis annectere placuit, adversus multorum etiam insignium medicorum conceptam semel opinionem, quasi eo non omnes muniantur virgines. Diversum autem à me asseritur, eo nimirum universum puellarum genus ab initio dotatum esse, nulla excepta: atque hunc virginitatis existere custodem, claustrum & munimentum. Eum Arabes novêre, ut Avicenna *lib.* III. *fen.* 21. *tract.* I. *cap.* I. item Almansor. Habuisse item ejus notitiam Cornelium Celsum, inde colligo, quòd in calculi fœminarum exectione, virgini digitos subjici vult tanquam masculo (hoc est, per anum, ob hymenis videlicet interpositum & pudendi ostium contractius) mulieri verò, per naturalia. Ex neotericis, hunc admisere Alexander Benedictus, & cum eo alii numero pauci.



§ 2. ANDREAS VESALIUS, qui principem facile locum in dissectionis exercitio obtinet, etsi in doctissimis suis de Humani corporis fabrica commentariis, hymenis leviter ex Arabum sententia in priori editione meminisset solum, quod nullas aut raras admodum secuisset virgines: tamen postea in libello de radicis Chynæ usu, hunc ex frequentiori observatione diligenter describit, iis verbis:

In uteri cervice puellis, mox post ingressum colli vesicæ, in superiorem muliebris sinus partem, septum quoddam occurrit transversum, carnea cuticularique constans substantia: illi prorsus simili, qua nymphas efformari cernimus. Septum hoc cervicis uteri lateribus sua crassitudine est adnatum, paulo in connexu quam reliqua amplitudine crassius, quamvis interim membranæ crassitiem non multum superet. In medio septi foramen occurrit longa sectione pudendi modo dissectum, adeo ut menstruas purgationes in virginibus non retineat: neque opus sit confingere venas aliquas hoc septo seu hymenæo inferiores, è quibus menstruus sanguis virginibus promanaret: aut quæ ab illis distingui debeant, quæ mulierem menses alioquin dimittunt, discrimine inter prægnantes & utero non gerentes subaudito. In secunda autem editione suorum Anatomicorum librorum, copiosus Hymene disserit.

Lib. v. cap. 15.

§ 3. Nec minus exactè in suis Observationibus Anatomicis hanc virginitatis zonam depingit celeberrimus in hoc artificio GABRIEL FALLOPIUS, ad hunc modum: Aliud etiam notandum in hoc sinu mulierem est, quòd Anatomici aliquot reperiuntur, illos deridentes, qui hymena ibi collocant. *Verum mea sententia non sunt ita deridendi: quoniam revera tu videre poteris in virginibus membranam quandam nerveam, non autem carneam, quæ immediatè post* οὐρήθραν *(ita enim Græci vocant canalem, per quem mingunt fœminæ, vel rectius collum ipsius vesicæ) adest, & claudit sinum per transversum: Attamen non est integra membrana, sed in medio perforata, ut minimus digitus manus suo apice in adultis facile ingredi possit: hocque virginale claustrum est, ac per foramen ipsius facillime egrediuntur menses.*

§ 4. *Hoc noluit Soranus esse membraneum: sed potius esse ipsius sinus muliebris angustias, factas ex quibusdam rugis collectis, quæ à vasis ex utero illuc prodeuntibus contrahuntur: cumque hæ dictæ rugæ extenduntur in stupratis virginibus, atque dum vasa dicta disrumpuntur, dolorem pariunt, & sanguinem (veluti si mactata esset victima) effundunt.*

§ 5. *Pace tamen ego tanti viri dixerim, quod mihi potius videtur membrana non admodum crassa, atque in medio annuli modo perforata, quæ postea lacerata in stupro, ac præter modum distenta, dolorem incutit, & tandem (veluti in viris fit, dum laceratur glandis frenum) evanescit.* Hactenus ille. Hisce Carpi, & quorundam Anatomicorum sententia stabilitur. Claustrũ id cognovit & author carminis vulgo triti:

Est magnum crimen, perrumpere virginis hymen.

§ 6. Existit autem in aliis membrana hæc tenuior, fragiliorq;: in plerisq; tam solida, crassa & firma, ut sectione opus sit. Ea tamen

inter-

interdum à mariti validi insultu frequenti, etiam post menses aliquot pertunditur: qui si quandoque segnior aut impotentior fuerit, chirurgi adminiculo erit juvandus. Dum vero ea tenacior seduli initus violentia impetitur, fatigaturque, intumescit plerunque usque adeò cum annexis particulis, ut penem amplius non admittat, precludatque viro accessum omnem, nisi incisa. Hæc exemplis mihi notissimis facile demonstravero.

§ 7. Hymena præterea novit divinus ille legislator Moses, promulgato ex Dei voluntate ejusmodi edicto *Deuteron.* 22. ubi indiciorum virginalium meminit: *Si duxerit vir uxorem, accesseritque ad eam, & odisse eam cœperit, quæsieritque divortii occasiones, nomen pessimum ei objiciens, & dixerit: Uxorem hanc duxi, & ingressus ad eam, non inveni virginem, vel virginitatis signa: tollent eam pater & mater ejus, & proferent signa virginitatis puellæ ad seniores civitatis, qui sunt in porta. Dicetque pater: Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat. Non inveni tuam filiam virginem: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis, apprehendentque senes urbis illius virum, &c. Quod si verum est verbum illud, & signa virginitatis in puella non fuerint inventa, ducent puellam ad ostium domus patris sui, obruentque eam cives illius civitatis lapidibus, ut moriatur.* Hucusque Moses.

§ 8. Ex hymene, ejusque usu intellecto, non difficulter hic locus explicabitur. Enimvero in matrimonium traditis virginibus, in primo congressu ex hujus membranæ violenter ruptæ venulis profluit sanguis: cujus lituris, uti virginitatis vel virginalium notarum argumentis, testibusque, tincta quibus hæ teguntur vel incumbunt linteamina, coram magistratu, suspiciosis, conjugesque violatæ antea pudoris zonæ falsò insimulantibus maritis expandi, palamque ostendi jubet Moses.

§ 9. Ex historia item memorabili à me conscripta lib. II. de Præstigiis dæmonum, è Suida, in explicatione nominis JESU, de perpetua virginitate divæ virginis, hoc castitatis munimento quascunque verè puellas esse donatas, evidentissimum est. Quemadmodum & ex Cypriani epistola II. ubi agit de virginibus Deo dicatis, quæ cum viris congressæ fuerint, scribit sexum fœmineum esse infirmum: hinc subjungit. *Inspiciantur virgines ab obstetricibus diligenter: & si virgines inventæ fuerint, accepta communicatione, ad Ecclesiam admittantur, &c. Si autem de iis aliqua corrupta fuerint deprehensæ, agant pœnitentiam plenam.*

§ 10. Africanis & Barbaris hoc quoque virginalium ornamentum tam innotuit, ut in nuptiarum solennibus, certis de causis celebre habeatur.

§ 11. Cæterum, Nigrorum viri huic fragili sepimento minus fisi, validioribus certioribusque præsidiis filiarum virginalia muniunt. *Hi etenim (authore Petro Bembo lib.* VI. *historia Venetæ, ubi de Lusitanorum navigatione loquitur) & boni homines, & strenui bellatores, filiabus suis, ubi primum natæ sunt, pudenda consuunt; sic tamen, ut urinæ meatus non impediatur. Illæ autem ubi adoleverint, sic consutæ nuptum dantur: sed primum ea sponso relinquitur, incumbitque cura, ut ferro conglutinata cervicis uteri labra secet, dividatque.* Tanto est in honore apud homines illos barbarissimos, in conjuge ducenda, virginitatis certitudo. Iis si innotuissent illud linimentum Paracelsi, quod oris hiatui illitum, momentò id (si diis placet) contrahere conglutinareque posset (quemadmodum ex ejus asseclis quidam non indoctus nuper, lingua nimis petulanti, *ne dicam mendaci*, effutire, jactareque suo more est ausus, ita à *suis doctus magistris*) acu, filo, & dolorificis puncturis in consuendo *hoc meatu, opus* fuisset minimè.

COLLI MATRICIS PHYMA, *ejusque Curatio.*

IN hoc affectuum colli matricis catalogo, recensebitur quoque phyma, sive tuberculum quoddam oblongum in iis angustiis enatum: quo quum nobilis & generosa Domina usque adeò afficeretur, ut ejus impedimento difficilior redderetur marito initus: malo hoc clam detecto, consilium ob conjugis molestiam cum pudore rogat. Ego auferendum censui. At ad ejus inspectionem non admissus, sciscitatus vero num digitis id comprehendi posset? illa annuit: Ut itaque fili sericei duplicati, ceraque firmati, vinculo ad radicem id constringeret, indiesque arctius contraheret, donec tandem filo prorsus constricto abscissum decideret, suasi. Hæc dicto audiens, consiliumque fœlici successu sequuta, indicavit postea, se phyma illud eo modo ablatum secuisse, & lacteum quiddam emanasse. Potest vinculum hoc sericeum etiam efficacius reddi, si requirat necessitas, ut nimirum antea horas aliquot in aqua sublimata vel forti, ter aut quater maceretur, & exiccetur.

GANGRÆ-

GANGRÆNÆ PUDENDI CURATIO.

Gangrænam adhæc in uteri ostio gravissimam fœtidissimamque, in nobili matrona juvene annorum viginti quinque, superiori anno curavi. Æstuante canicula tuberculum quoddam in eo sinu, fortè ex vehementiori insultu mariti exortum, imperitus rerum chirurgus inidoneo cataplasmate, & nescio quibus aliis admotis vincere conatus est: unde intra dies non multos tanta sævitia efferbuit, ut è vestigio pars ea universa putresceret, nigricaret, & intermoreretur: pestisque hæc celeritate incredibili anum versus sæviret, & sic simul partes anteriores cum posticis letali clade perderet. Accedebat calor, febris, extrema virium debilitas, summa cordis angustia, & reliqua symptomatum malignorum congeries, quæ profecto ex putidissimæ cloacæ halitu vix ferendo augeri oportuit. Horrenda erat cladis hujus facies. Accitus ego in extrema rei desperatione, haud mora uberrimum solani & plantaginis succum primum syringe in utrunque meatum ter vel quater interdiu injicio, deinde horis illis intermediis lini lapsum iis succis admixto aceto imbutum applicui: qui exuccus, eodem rursus permaduit liquore: ac ejusmodi repetita aliquoties applicatione perseveratum est, donec restingueretur fervor, & desineret putrefactio. Assumebat interim quoque potionem singulis diebus ter ex decocto acetosæ, scabiosæ, pimpinellæ, prunorum Damascenorum, summitatum borraginis, buglossæ, florum calendulæ, cum aqua saccharo & aceto ad syrupi acidi longi formam apparata. Victus erat paucus, sed refrigerans & acidus, putredinis occasionem præscindens. Tertio die reversus, incendii furiam sævitiamque putredinis rémisisse comperi. Quare carnem nigram mortuamque exiguo forcipe attrahi, & circunquaque à vino firmè, sine doloris sensu separari resecarique jubeo. Inde reliquum ad vivum usque Ægyptiaco unguento absumebatur: eodemque modo ad cicatricatricis inductionem, uti in aliis ulceribus, progrediebamur.

§ 2. Atqui inter curandum erant aliquoties enemata ex hordei & aliorum alvum mollientium decocto infundenda. Nec quæ cordi & visceribus reliquis robur conciliarent, negligebantur: cujusmodi sunt, rosarum, florum borraginis, buglossæ, calthæ, conservæ, idque genus reliqua, atque ea ratione convaluit brevi.

§ 3. Ad

§ 3. Ad Gangrænæ hujus curationem si alteram adjunxero, à me in Rolmanno Bilandio, viro certè præter insignem ejus nobilitatem optimo, peractam, non videbitur absonum. Huic propemodum septuagenario, corpulento, cacochymicoque, à tertianæ febris afflictione subito quasi per crisin exoritur erisipelas phlegmonodes in sinistro brachio, quod ab axilla ad carpum usque cum dolore, rubore & dolore plurimum intumuit: suppuratumque brevi, & à chirurgo sectum, copiam saniei reddidit largam.

Erisipelas phlegmonodes.

§ 4. Ubi deinde citra intermissionem die noctuque nihil coctæ saniei, sed liquor serosus proflueret, cataplasma ex farina hordeaca cum fabaceæ momento in aqua decocta, vitellis ovorum & olei rosacei quantitate debita admixtis. applicui: unde mox aquei crudique humoris profluvio remittente, pus coctum promanavit. Quare animadversa chirurgus, qui cum mihi antea ob crudi illius succi effluxum ab eodem laudatum controversia fuit, materia magis exiccante, dum abessem, consilii mei successum se sperabat victurum: linteisque madefactis in vino cui incoctum fuerat cuminum, vestit brachium universum. Eo tantum promovit, ut brevi omnia vulnera, quæ supra viginti erant in uno illo brachio, absque ullius saniei guttula livescerent, & brachium deinde totum nigricareocciperet. Revocatus, excandui conspecta gangræna: itaque haud mora, altioribus vulnusculis brachium scarifico, foveoque spongiis utrinque sibi correspondentibus ex lixivio decoctionis farinæ lupinorum: deinde cataplasma ex farina hordeacea, fabacea, lupinorum & oxymelite apparatum admoveo. Atque horum usu continuo sanguis & spiritus revocantur, pus redit coctum, naturalis reviviscit color, ulceribusque melle rosaceo (cui plerunque admiscebatur vel pulvis præcipitatus, vel unguentum Ægyptiacum) abstersis, curatur æger, & ad solita revertitur munia.

Gangræna brachii

§ 5. Idem post annos quinque, quum à prandio fervente canicula ad miliare equitaret, febre denuo tertiana notha corripitur. Duodecimo autē die à morbo inchoato, corpore sic satis per alvum sponte exonerato, natura crisim moliebatur, sed imperfectam, ex caloris naturalis (ob corporis impuri molem, senium & morbum) defectu: sic humores putridos ad sinistram tibiam propulit, erisipelas ibidem excitatura; verum præ sui impotentia in ipso opere subsistit, neque foras versus cutim protrudere valuit. Proinde è vestigio post intensum dolorem, pauci tamen temporis, pars

hæc

hæc gravata, obstructaque, interiit die decimo tertio, perdito omni sensu, motu, calore, vividoque colore, reliquis interim partibus, corporis velut illæsis: seminarium tamen hoc tam excrevit subitò, ut quum ego vocatus, decimoquarto accederem, haud mora confirmatum esse σφάκελον pronunciarem: quem *Aschachillos* Arabes, Latini *Siderationem*, vulgares *Ignem sancti Anthonii*, Chirurgi *Ignem frigidum* Germanica lingua nuncupant Hollandi **koout vyer**. *Sphacelus. Aschachillos. Sideratio. Ignis sancti Antonii. Ignis frigidus.*

§ 6. Quare paucis cum eo horis commoratus, ob extinctam ea in parte vitam, totius porrò corporis interitum in sene valetudinario consequuturum prædixi, abiique. Sectionis etenim occasionem præscidit ætas, afflicta valetudo, familiæ splendor, & honor artis. Decimo octavo itaque die in Domino obdormiit: cui locum in justorum resurrectione precor.

§ 7. Extremum pedem aliquando repentè sphacelatum vidit Joannes Fernelius, sine causa externa, sine tumore aut rubore conspicuo: oborto primùm dolore immanissimo, mox sensum in eo ac motum periisse, partem totam livore contabuisse, exulcerationem fœdam insequutam, quæ accerrima causticaque medicamenta sine sensu admitteret: non multo pòst arteriam brachii dextri, deinde etiam sinistri pulsare desiisse: ita sensim universo corpore obsesso, miserum extingui, sine febre, sine symptomatibus admodum gravibus. Ad venenatam qualitatem in omnes partes propagatam, quæ extremam perniciem hanc inferat, hic causam refert. *Lib. 7. cap. 15. de abd. rer. caus.*

Clausæ Glandis masculæ ratio.

AD clausarum partium tractationem pertinet glandis masculæ occlusus anterior meatus, quem in nobili adolescente Westphalo conspexi: qui lotium redditurus, acu longa & crassiuscula meatum aperiebat, coalescentem rursus paulatim exonerata urina. Huic affectui secure medeberis, altiori incisione ab ora loci naturalis & consueti, usque ad apertum virgæ canalem: inde turundulam rotundam, cavam, tenuem, ex plumbo vel argento concinnatam inseres, prius tamen oleo rosaceo illitam: & postea linimento cicatricem inducente, uti diampompholigo cum pauxillo rosacei dissoluto, vel simili. In turundæ autem

 usu

usu perdurabis, donec cuticula munitam esse urinæ viam senseris. Ea verò interim quandoque movebitur, ne in sanatione connascatur impedimentum. Si pellicula durior postea videbitur, oleo amygdalarum dulcium, vel butyro insulso tepido introrsum illinatur aliquoties.

Clausi Ani Curatio.

ANVM item concrevisse infanti recenter nato, memini: vestigio tamen exiguæ fissuræ liquori transmittendo idoneæ relicto. Hoc sepimentum ad justam naturalis hiatus divisionem dissecabatur sorficula: cujus inferiorem cuspidem per dictum foramen immittendam prius abrumpi, obtundique, ne læderet acies, oportuit: deinde interpositis exiccantibus (velut pulvisculo rosarum, bedegaris, boli cum aluminis usti momento) facilè absolvi potuit curatio.

Deglutitarum Acicularum Curatio.

PROBA quædam fœmina infantem curatura Duseldorpii, in Martio anni sexagesimiquarti supra sesquimillesimum, aciculas ore retentas duas, unam magnam, alteram minorem, arrepto infante quem inopinatò in ignem casurum verebatur, fortè deglutiit. Hærebant autem primùm aliquot horis in gula circitur palmam latam sub larynge, cum multo dolore & angustiis. Ad quam tandem accersitus, ut nihil cibi vel potus prius exhiberetur, quàm incurva forcipe exigua mox adferri jussa, tentassem num illæ retrahi possent, vetui. Vix ad teli jactum digressus, sorbitiunculum propinatam intelligo: qua in œsophagi partes inferiores, paululum supra ventriculi orificium deprimuntur. Ubi novo cruciatu pungitivoque dolore excitato, revocatus jussi cerevisiam cum butyro & pane secalino, nostratibus consueto, crassiusque inciso hauriri affatim, atque eam decubitu erecto somnum capere: siquidem nox erat. Hoc modo aciculas ad ventriculum deturbatum iri sperabam: quum eas infixas, vomitu has partes contrahente, firmiusque eo nisu impingente, tutò per fauces reddi posse non viderem. Sic post noctis medium tertia hora, panis illius pondere depressæ, in ventriculum resederunt. Inde

eam

eam secundo die jusculis pinguibus cerevisiaque cum butyro ali, ac in dextra decumbere libero ventre, pulvinaribus suppositis femori & brachio, ut minus impeditè ex stomacho per pilorum in intestina descenderent acus, jussi. A meridie surgentem, hinc inde inflectere corpus nolui, ne inæquali motu in intestinis alicubi infigerentur aciculæ: sed ut citra inflexionem erecta moderatè inambularet, quo cum excrementis proclivius ad intestina magna siderent acus, consului: atque ut deinde exoneratæ primùm feces, in vase conservarentur: quibus postero mane depositis, apparuerunt aciculæ, qua dixi forma: longior verò erat curvata nonnihil. Hæ eo quoque fuere gratiores, quòd mulier hæc vel metus magnitudine, vel alia de causa, graviter ægrotare videretur. Post dies verò non multos omnino convaluit.

Observationum *Ioannis Wieri Libri. I.*

FINIS.



JOANNIS WIERI
OBSERVATIONUM MEDICARUM
LIBER II.
DE VARENIS MORBO, &c.


ICUT antehac de Scorbuto feci; *ita &* nunc de mirabili quodam gravique *morbo* (qui *miserandis* symptomatibus *conjunctus*, *hactenus equidem* ignotus, ideoque nullam curandi methodum certam adipisci potuit) quid sentiam, exponere decrevi.

§ 2 Morbus iste à Germanis, præsertim vero Westphalis (inter quos maximè grassatur) voce Teutonica *die Varen* appellatur, Varen. Nos Latinè varenos (ad differentiam varorum) dicamus; quos Ditmarsi Danis contermini, eidem malo valdè obnoxii vocant *die Kadden*. Brunswicensibus, *die gutte Kindern*: Gottingensibus, *die gutte Holden* nuncupantur.

Origo Nominis. § 3. Origo nominis *Varen*, à quodam verminum *genere sic* dicto fluxit, subinde tamen cum adjectivo *die lauffende Varen* vocatur: quasi dicas, currentes varenos.

§ 4. Prodit se affectus iste, cum latè vagantibus, calidisque aliquando doloribus, per omnes corporis partes, præcipue autem spinam dorsi & lumbos; soletque à parte aliqua primum initium capere: Verbi gratia, à manibus, progrediens celeriter per brachia, totumque corpus. Deprehenditur tamen subinde in una aliqua solummodo parte radices egisse: & in illa nonnunquam cum cruciatu moneri, in modum morbi articularis, ex tenuis materiæ defluxu nascens. Sicut etiam in illo morbo apparet, *remittentibus* se pedum cruciatibus, mox sursum in humeros dolores rapi, in

quibus ubi desierint, in manus descendere. Fitque hoc modo mira quædam & cita sursum deorsumque per membra factarum discursionum vicissitudo. Proprietas doloris, est edenti aut rodenti similis, instar vermiculi, qui musculos aliasque partes vehementer, imò interdum quasi in nictu oculi, ad loca afflicta, prorepere, & arrodere videtur.

§ 5. Hujus luis sunt duo genera; unum cum tumore articulorum, quo diu durante, sequuntur aliquando maculæ, quales in Scorbuto, quæ nonnunquam abscessus aut ulcera pariunt, potissimum circa pedes, quæ sanè valdè difficulter sanari solent. Ex quibus & vermiculi quidam exiles (licet rariusculè) apparent. Deinde id periculi accedit, quod ulcera talia interdum velut carcinomata magis magisque erodendo augescant. Acciditque subinde, ut universa hujus tenuis pravi, & virulenti humoris moles, in partem aliquam decubitu facto, erumpat, ut reliquo corpore, omnis tormenti experte) abscessus subnascatur, in fistulam tandem transiens. A quo discrimine præservari possunt, quicunque consilio salubri tempestivè obsequuntur. *Duo Genera hujus luis.*

§ 6. Alterum hujus luis genus est, ut (quamvis omni tumore careat) cruciamina tamen priori æqualia, manifestam totius corporis atrophiam secum trahant, in morem phthiseos, cum debilitate & membrorum lassitudine. Retinent nihilominus ambo hæc genera tantam communionem, ut per noctem dolores ingravescant, sicut in morbo Gallico, somnique sint inquieti, licet vigiliæ quibusdam non ita magnam molestiam facessant. Imò evenit aliquando, ut hoc malo affecti nullum appetentiæ edendi detrimentũ patiantur: interim tamen quotidiè magis magisque extenuentur. *Alia species.*

§ 7. Quærat autem quispiam: an nullus antiquorum admirandi hujus morbi meminerit? Respondeo, Græcis ignotum prorsus fuisse, multo minus descriptum, quamvis quidam dracontios objecerit, à Galeno l. VI. loc. aff. cap. 3. ita descriptos, ut quodam Arabiæ loco cruribus hominum, forma, crassitie & colore minutis vermibus simili illos innasci tradat, confessus tamen sibi nunquam conspectos. Paulus Ægineta Medicus & ipse Græcus l. IV. c. 59. exactius dracontios describit, ex Sorani tamen, Leonidæ aliorumque testimonio magis, quam experientia sua: & quidem his verbis: In India & superioribus Ægypto locis, dracontii generantur, seu animalia quædam lumbricos imitantia, in partibus musculo- *An Veteribus antiquis cognitum.*

sis, putà brachio, femore, tibia: In pueris etiam latera sub cute perreptant, & palam moventur: Deinde cum diu extremum aliquod dracunculi remanserit, locum suppurat, & cute ipsius adaperta, initium ipsius progreditur: cum trahitur, dolores movet, præcipuè abruptus. Quapropter nonnulli dicunt, plumbeam molem ex Dracunculo suspendendam, ne universim, sed particulatim molis pondere decidat: Alii verò hos damnant: quod nihilo magis pondere molis plumbeæ dracunculus abrumpatur, & dolores varios concitet. Jubent partem in aquam dimitti calidam, quo Dracunculus tepefactus foras prorepat, deinde digitis ipsum membratim extrahere. At Soranus neque animal prorsus, sed nervosi cujusdam substantiam esse putat, quod opinionem motus solum præbeat. Sive autem hoc sit, sive quod prius dictum est, *Sorano & Leonidæ aliisque visum est, &c.* Simili modo Aëtius tetra lib. IV. Serm. 2. cap. 8. ex sententia Leonidæ. Facit & luis hujus mentionem Plutarchus cap. 9. Symposii *octavi*. Inter Latinos autem Savonarola in cap. de vermibus *sic scribit: Stercus bovillum oleo & melle permistum, inunctumque eliciendis vermibus prodest.* Asserunt & quidam, si eodem unguento, dorsi *spina* perlinatur, fore, ut multorum vermiculorum capitula per locum delibutum ereptantia spectentur quę si pręcidantur, ægrotantem adjutum iri. Cui tamen rei vix ego fidem adjungere ausim *licet rem* sibi visam astruentibus. Videturque inde, morbum Græcis *dracontium* Latinis dracunculum dictum, ab Avicenna Arabe Venam Medeni, ab Haliabbare Venam saniosam, à quibusdam venam civilem appellari. Ego autem judico, affectum hunc, illum esse, qui superioribus Germanis, *Mitesseren* vocitatur; Etymo pura hinc sumpto, *dasz es mit oder mitten esse oder nage*, quasi simul vel intus edens aut rodens. Nurenbergæ nominatur *die dürre maden*, id est, vermes sicci. Aliis dicuntur, *zehrende würme*, quasi consumentes vermes; eò quòd puerorum corpora, inde malè affecta, contabescant. Estque communis apud Germanos in pueris, absque causa nota tabescentibus de tali morbo suspicio. Ideoque hypocausto inferuntur, in quo ubi modicum sudarint, humeri polline triticeo, melli commisto, perunguntur, & post horæ quadrantem, plurimi vermiculi tenues vivi prodeunt, qui novacula præsecantur. Elapsis inde diebus octo, perlinuntur itidem in hypocausto brachia & pedes, & ereptantes Vermiculi simili modo decapitantur.

Dracunculi Vena medeni.

§ 8. Neque

§ 8. Neque est istud fictitia fabella; sed res verissima, attestante id multis in locis experientia quotidiana, licet illud nec Galenus viderit, neque Savonarola credere voluerit. Neque mirandum tam paucos, tamquè inconstanter de dracontiis scripsisse: cùm res adeò fuerit pauculis cognita: Imò æquè antiquissimis, ac hujus seculi scriptoribus ignota, præterquam quod quidam eorum, vel ex aliorum relatu, vel transcriptione ex aliorum monumentis in libros suos redegerint. Commemorat in Saxoniæ historia Albertus Crantzius, Henricum Quintum Imperatorem morbo illo, quem dracunculos appellant, ipsique congenitus fuerat, extinctum esse, Anno 1125.

§ 9. Quod autem affectus nobis præpositus, quemque Varenos dicimus longè alius sit à dracontiis, aut Mitesserenis, dignoscent perfacilè illi, qui ex veterum testimoniis, varenos hosce nostros cum dracontiis, aut Mitesserenis conferre velint; præsertim cum proprietatem morbi, aut curandi rationem penitius inquirere studebunt.

§ 10. Rectè quidem Mitesserenos Germaniæ superioris, celeberrimus chirurgus Albucasis cap. 94. lib. 11. descripsit, dicitquè appellari quodam in loco bovinum morbum, eò quod boves tali sæpè infestentur. Deinde capite sequenti, denotat varenos nostros sub nomine Nekir. Verum quamvis morbi descriptio adsit; est nihilominus apud nos longè diversa morbi curandi methodus. Similiter Guilielmus Placentinus praxi Chirurgica clarissimus, amborum affectuum cum discrimine duobus posterioribus chirurgiæ suæ capitibus meminit. Leonardus quoque Bertapalia Chirurgiæ peritissimus, obiter morbum hunc attigit in capitulo de flatibus vagabundis: Sicut & Avicenna quondam novisse eundem videtur, lib. IV. fen. 3. tract. 2. cap. 19. Postremo quoque Cardanus in lib. de Meth. medendi sect. 4. cap. 5. in quo agit de discurrentibus errantibusque doloribus.

Morbus Bovinus.

Nekir.

§ 11. Ut ut sit, posteaquam omnia tam obscurè adeoque sine methodo curativa scripta sunt; laborem hunc mihi à prædecessorib. relictum video; ut originem causamque hujus affectus perscruter, rectamque curandi viam commonstrem. Interim non in videbo, si qui id dexterius me præstare poterunt, quibus tamen gratum esse debebit, sibi per me se mitam præparatam fuisse.

Prius

§ 12. Prius tamen quam rem aggrediar alterius cujusdam ignoti, & portentosi morbi (qui territorio Trevirensi, viciniisque locis vulgaris, *der nachgrifft*, quasi nocturna comprehensio dicitur) mentionem facere volui. Symptomata autem notæque, quibus proditur, sunt acerbissimi cruciatus, unam aliquam partem subito corripientes, quale est dorsum, comprimis tamen *coxendices*. Quò fit, ut imperitiores Ischiadicum esse suspicentur, qui in superiore femoris junctura gignitur, propter similitudinem dolorum ambarumque partium. Persuasa quoque plebecula est, vestigia quædam esse cruenta 3. aut 4. impressorum digitorum, quod tamen falsum est, neque diu durat. Animadverti verò debet, quod si malum negligatur, subsequi soleat, aut femoris aut cruris atrophia, vel extenuatio, ut robur movendi amittat. Creditur autem tantundem temporis ad curationem requiri, quantum succrescendo impendit morbus; verùm methodo omni caret ejus curatio. Quandoquidem in superstitione educata *plebs, si quis ita ægrotet*, refugium habet ad excantationes & exor*cismos*, *quibus peragendis* non tam properè sacrificos, quàm rudes & *idiotas quosdam rusticos*, hac in re famosos (quos etiam antiquis Marsis *ea* propter comparare possis) adhibere consueverunt.

Nacht-griff.

Curatio. Superstitiosa.

Exorcismus.

§ 13. Hoc autem ordine peraguntur. Ante *omnia* cingulum ægroti, quo cingi quotidiè solitus, nudo ejus corpori *secundum* longitudinem ac latitudinem pro consuetudine, *circumdatur*; quod deinde ademptum clavo appenditur his verbis: Ego te precor Domine Deus, per trinas virgines, Margaretam, Mariam Magdalenam, atque Vrsulam; ut in hoc ægroto signum exhibere velis, an morbo *nachtgrifft* vocato, aut alio defectu sit afflictus, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Post horum prolationem verborum, cingulum clavo detractum metiuntur; quod si brevius quam prius fuerat, reperiatur; colligunt inde certò, morbo illo *nachtgriff* putato, ægrum premi; ac demùm ad auxilium ferendum se accingunt. Sin autem ægrotans precari aut nesciat, aut nolit; tunc vetula ad hoc conducitur, cui aliquot precatiunculas dominicas & salutati unculas angelicas certo numero admurmurare mandatur per totidem dies, quot morbus durârit. Neque quicquam sub vitæ periculo deesse præscripto numero debet. Cum autem *nachtgriff* etiam à Comitissis aliisque prudentibus piisque hominibus in illa regione, usu lumbricorum terrestrium, quos *pieren*

& *regen-*

t *regenwürm* nuncupant, curari intelligam, inde ego conjecturam
ıcio, *nachtgriff*, quandam nostrorum varenorum speciem esse;
rout excuratione deinceps latius certiusque cognoscetur.

De causis varenorum.

CUM jam ex supradictis quilibet cognoscere possit, me in hujus argumenti tractatione, nullius nec antiqui nec recentioris auctoris opera juvari posse: Decrevi methodo analyca causas hujus luis investigare, partim ex collatione cum proimè agnato affectu facta; partim etiam ex proprietate & permuıtione signorum; maximè verò ex curationis consideratione.

§ 2. Primò itaque statuendum, materium hujus mali esse reuem & subtilem; Et quidem hoc argumento: Quod quicquid citò t, & citò perit, ex tenuitate & subtilitate materiei originem duere debet. Quæ propositio adeo est certa, ut ulteriori demonratione non indigeat: Quamvis Galeno nostro id adversetur, ontendenti contrarium astruere, dum ex concepta semel opinioe docere conatur, magnum illum gravemque morbum caducum t crassa materia generari. Cujus sententiæ si locus daretur; multa ɔsurda necessariò sequerentur: Quippe quò crassior est materia ɔ plus temporis ad sui coacervationem & longiorem moram ad ırationem requirit, antequam à natura superari possit; quod jeɔris splenisque obstructiones clarè docent sicut & febres quartaæ; durique tumores frigidi, & similes. E contrario, quo tenuior : subtilior materia est; eò minus temporis ad morborum generaonem & curationem opus est. Exemplo sunt affectus omnes ex atu, aut flavabile, aut alio tenui humore, aut à vaporibus ex rti. Testanturque speciatim iliaci colicique dolores, spasmi, inıbus, Epilepsiæ, suffocationes ex utero, Erysipelata, tertiana :bris pura, similesque alii morbi qui vel à natura ipsa, vel meicinæ adjumento (cum materia talium affectuum subtilis omninò xistat) admodum citò expelluntur. Ex quibus facilè colligitur, : irrefragabiliter concluditur, causam materialem hujus mali on crassam; sed tenuem subtilemque humiditatem esse; quæ facilè in flatum resolvatur, qui deinde irrepit in musculos, distenit, contrahitque eosdem, perinde ac si eo loco Ulcerosi essent; noque momento per multa membra huc illuc vagantur, & sicut

invasio inexspectata prorsus, ac vehemens existit: ita quoque celeriter cedit: alioquin materia non tam expedite sudando expurgaretur.

§ 3. Interim tamen & hoc simul scire oportet, non omnes tenues humores æquè comparatos: ut tam dolorificos *affectus* suscitent sed occulta quædam virulentia concurrere debet, *quod* anxietas magna cum respirationis difficultate, membrorum *subita* debilitate, & vitalis facultatis lapsu (haud aliter, quam si æger Venenati quid hausisset) statim in primo assultu manifestant.

§ 4. Præterea observavi, omnibus remediis huic morbo destinatis, antidota admisceri qualia adversus Venena luemque pestilentem propinari solent. Item Venenum istud sudando magna ex parte dissipari; imò morbum hunc vehementer purgantia, *sine* detrimento corporis evidenti ferre non posse; sed clementia solum idque hanc ob caussam, quia noxius humor *facillimè* commovetur, & ad irrequietam rabiem rursus *irritatur*.

§ 5. *Postremò* judico hujus mali *sedem esse in nervis*, qui musculis aliisque cognati generis partibus, *tendonibus & ligamentis* communes sunt; in quos tenues illi, subtiles, vaporosi & venenati humores se insinuant, idque ex natura affectus patet; qui pungendo, rodendo, eum in modum adoritur; ut imperitus aliquis Medicus, multò certiùs ægrotantem insania, *aut* melancholia laborare; quàm tam intolerabilibus cruciatibus *affligi existimaret*; Deinde ex eo: quòd dolores maximâ ex parte in dorso, lumbisque, sub quibus medulla spinalis se producit, excitantur nec non, quod vis motiva læditur; Et postremò, quod tales ægri juventur pharmacis, quæ nervos corroborant.

De signis hujus Morbi.

SIGNA hujus morbi, partim ex antedictis, partim ex mox dicendis desumi possunt. Et primò quidem ex curationis modo; potione nempe ex vermibus parata, quam post describemus. Si enim tali potione curatur affectus, pro certo habeto esse Varenos. Vermes namque isti, pro peculiari hujus morbi theriaca, aut antidoto æstimantur: Sin contrà ex vermium potu nihil *levaminis* sentit æger; judicio est, Varenos non esse. Secundo ex *Vermium* applicatione: Si enim Vermis loco affecto impositus, *vel* etiam plan-

lantis pedum subligatus, statim vel emoritur, vel consumitur, el exarescit; opinantur etiam inde quidam Varenos esse. Sin ontrà eveniat? non esse tálem affectum. Tametsi hujus rei periulum ego nondum fecerim.

Prognosticum & præcautio.

SICUT supra de scorbuto dixi; ita & modò de Varenis dico, hæreditarios esse,& à parentibus in filios transire&innasci;videntur quoque esse contagiosi. Attamen ego opinor, id potius ommuni victui cibi & potus attribuendum, quod interdum univerfa familia uno similique morbo correpta&infecta existat; Quin tiam, nisi malo huic ordinariis remediis tempori occurratur; in ongum certè tempus; imò in multos menses atque annos miserandos cruciatus extendere poterit.

Victus ratio.

QUOD in aliis omnibus morbis usitatum,& ab antiquis benè traditum; ut circa curationis initium victus ratio instituatur, id ipsum & hîc faciendum est. Illa autem est duplex: Una ab omnibus hoc malo correptis in genere observari debet. Altera pro symptomatum discrimine in specie accommodanda venit. Quantum ad priorem: vitanda in universum omnia crassi succi, & coctu difficilia cibaria: Item omnia pinguia, & quæ ex lacte paratur, & pultes avenacæ & sinapi, nec non ova. Licet ova me judice minime sint prohibenda.

§ 2. Potus esto bona, suavis, benè cocta & probè defœcata cerevisia, & quæ non sit potens, ut in caput vaporet, neque sit acida. Aqua hordeacea non est inutilis; cui sub finem coctionis, pauxillum exquisiti cinamomi injectum fuerit; præsertim si quid caloris præter naturam adsit: Alioquin vini albi oligophori haustus subinde utiliter sumi posset, quod tamen maturum limpidumque sit, neque caput petat.

§ 3. Præterea pro symptomatum discrimine, ut modò dictum, regimen mutari oportet: Quippe si quis tumor simul appareret; tunc assis cibariis, & quicquid est siccum actu, aut siccandi vim habet, uti decet; modò tamen boni succi existat; idque putre-

dinis causa, quæ in humoribus membra subeuntibus, tumoresque generantibus delitescit. Si verò fortassis ægrotus gracilis, aut extenuatus esset, tunc sanè humidiore, boni succi alimento, & probè nutriente utendum; quò uberius refici queat. Verùm in diæta præscribenda diutius immorari nolo, putà quam artis peritus Medicus per se procircumstantiis, & discrimine locorum accommodare sciet.

De peculiari Curatione.

PRÆCIPUUM & præstantissimum Bezoar aut antidotus venenatæ hujus & permolestæ luis, latet abdita in legitimo horum Vermium usu, quos Belgæ **pieren & dauwpieren**/ alii & **regenwormen**/ quod sonat vermes roscidos aut pluviales, item **aerdtwormen**/ id est, Vermes terrestres, & Officinæ lumbricos terrestres vocant, ex quibus oleum lumbricorum parant, de *quibus Dioscor. l. 11.* cap. 61. Et ἔντερα τῆς γῆς, hoc est, terræ *intestina nominat. Inter quos* præcipui sunt illi, qui anulis rubicundis collum in*signitum* gerunt; comprimis verò, qui in cœmiteriis, & circa sepulchra reperiuntur. Multi autem super tali facultate lumbricorum eò magis mirabuntur, quod veteres horum vermium virtutes tam paucis perstrinxerint: quod tamen majori pro parte per negligentiam ulterioris considerationis accidit in illis, qui quarumdam rerum abditas proprietates (quarum causas inquirere deberent) eruere impossibile esse sibi persuaserunt. Quamobrem ego tantò libentius Vermium horum terrestrium vires vitæ humanæ utiles, ex multiplici eorum operatione, quum diuturna experientia observavi, *in lucem* proferre & describere conabor.

Virtus lumbricorum terrestrium. lib. 11. cap. 61.

§ 2. Primum enim excellentem urinas movendi virtutem habent, teste Dioscor. Ipso, loco paulò antè citato; quod inde patet, si cum pullo aut carnibus coquantur, & jusculum bibatur, supra fidem urinam pellit, præsertim asparagi aut fœniculi radiculis simul incoctis. Quo remedio pueros aliquot aliosque ab hydrope liberatos novi. Neque hoc ignoravit Dioscor, & Galenus lib. x1. simpl. c. 39. Scribunt enim, intestina terræ seu lumbrici terrestres, si contundantur, & in mulsa bibantur urinam diu suppressam propellere.

§ 3. Secundò non ignaviter sudores cient; si modo rectè præparati usurpentur; quod in hoc morbo evidens fit. Memini enim

liquo-

liquorum ex his lumbricis destillatum, hydropicis quibusdam sudorem adeò provocasse, ut hoc modo à tumore liberati, tandemque sanati fuerint. Et quanquam liquor iste gravem odorem spiret; est nihilominus sapor non ingratus, potestque interim odoris inamœnitas pauxillo aquæ cinamomi affuso mitigari, aut herba fœniculi simul destillari.

§ 4. Tertio singulare donum habent aperiendi, & hepatis obstructiones tollendi, testante id experientia quotidiana, in decoloratis & arquatis, in quibus efficaces valdè existunt, si quando purgati, probeque loti, in mortario lapideo contusi, cum liquore ex floribus genistæ, aut marrubii, aut ex corticibus fraxini, aut ex urticis minoribus stillato, vel cum vino albo, aliove utili humore percolati fuerint, cumque modico sacchara, cinamomo & croco, potu calefacto assumantur. Aut rursus ut nequaquam ægri abhorreant, potest ex illis pulvis fieri, cum simili prioribus liquore bibendus. *Probatissimum Remedium.*

§ 5. Præterea similem potentiam eorundem deprehendimus, in externis nervorum, aut nervosarum partium obstructionibus. Quippe si quæ corporis pars, ut brachium aut crus, nervorum illas partes transeuntium culpa tabescit, aut extenuatur: reperimus singulare auxilium, si quando debilitatam illam partem liquor ex Vermibus hisce extracto frequenter perunxerimus, qui liquor ex lumbricis purgatis, lotis, rusis in gutturnium, aut bombilium, angusti putà oris vitrum (*ein Guttorf* Germanis appellatum) circumlutatum, furnòque impositum, injectis, facilè parari potest. Quo unguento perliti, percipiunt sensibiliter, sanguinem potenter in partem infirmam attrahi. *Succus lumbricorum.*

§ 6. Quartò habent admirandam vim sedandi dolores in omnibus corporis membris, comprimis verò in nervosis, quæ acerrimè dolere solent. Potestque id oleo lumbricorum facilè ostendi, quod non in æneis, sed vitreis vasis absque alterius olei additione, per balneum Mariæ conficitur, donec lumbrici (qui prius repurgari vinoque lavari debuerunt) vitreis accuratè obturatis inclusi, in pinguem liquorem oleo similem dissolvantur, quo dolentia membra inungantur; sed contra graveolentiam momentum olei Lavendulacei addendo. Aut si malis pulverem eorundem partibus unctis illinendo, aut eundem illum linimentis vel Emplastris permistum, superponendo. Pari modo iidem, cruciatus arthritidis, *Oleum lumbricorum.*

 poda-

podagræ, paralysios, nec non morbi Gallici leniunt. Quapropter iidem commiscentur etiam Emplastris, quæ ex ranis ad morbum Gallicum adornantur. Et veluti nervosis commodare diximus: ita quoque prosunt aliis defectibus, qui ex læsione illorum originem ducunt, qualis apoplexia, convulsio, & similes; quin etiam nervos recens contusos, aut punctos, aut scissos, aut quoquo modo vulneratos mitigant non solùm; verum insuper eosdem persanant. Ideoque Emplastris contra rupturam inseri solent, sicut & Emplastro de pelle arietina Arnoldi de Villa Nova adjectos videmus. Similiter quoque juvant & curant, debilita & exulcerata intestina, si quando, liquor, in quo lumbrici elixi fuerunt, Clysteris tubulo infundatur. Si quis etiam ex alto lapsus, intus læsus sit; eidem quoque omninò utiles sunt poti; sicut & aqua inde destillata, unciæ pondere hausta, prodest iis, quibus intestina punctim sauciata sunt Sic quoque pota, grumos sanguinis dissolvit. Aut si cui inflictum vulnus cruorem extrà non emiserit, eidem *commodat, cruorem* dispellendo. Eadem aqua calefacta & *gossipio excepta, calensque* vulneribus immersa, quotidiè, renovata, sistit *eorundem ichores*, Germani *das Gliedwasser* dicunt, glutinatque dissectos nervos in vulneribus.

§ 7. Quintò auxiliantur egregiè adversus morsus venenatos, proinde contra rabiosi canis morsum, usui esse potest *confectio* quædam ex vivo lumbrico melli immerso, ne succum suum *excernat*, cui pulvisculum ex taxi ligno, & argento puro, lima abrasum admiscent.

§ 8. Sextò cum manifesta utilitate exhibentur vermes isti mulieribus ad lactis generationem, & copiam ejus augendam teste Aëtio tetrabibl. primo serm. 4. cap. 6.

Pulvis lumbricorum.

§ 9. Postremò utiliter datur horum Vermium pulvis contra lumbricos puerorum, ad illos expellendo, cujus præparationem ego in gratiam lectoris docebo; nempè conjiciuntur Vermes terreni recentes in ollam, ibique per biduum hyberno tempore, per unicam autem diem æstivo detinentur; ut à terrena sorde emundentur; deinde vino abluti, novo fictili induntur, quod obturatum & benè lutatum, calenti furnò imponitur, donec sint arefacti.

Præparatum lumbricorum terrestr. ad Vermes.

§ 10. Cum itaque jam in aperto sit, tam præclaris virtutibus viles hos contemtissimosque terræ vermes à Deo ornatos esse; minus

nus est mirandum, in curatione varenorum, remedio & viribus vermium eorum, per Urinas exturbari, præcedentem illam humoris tenuis pravitatem, quæ in venis existit, sicut etiam venenosam illam materiam partim per eosdem meatus, partim per sudores, præsertim cum materia in exterioribus corporis partibus consistit: Simul etiam quod mitigatoria virtute, cruciatus mitescunt, nervorumque obstructiones (in quibus vareni sunt irretiti) recluduntur.

§ 11. Ad ordinarium verò horum lumbricorum usum quod attinet, illi profectò valdè differenter apud imperitos medicos, sciolasque & curiosulas mulieres in Westphalia, Saxonia & Balthici maris littoribus usurpantur, & quidem interdum cum certâ vermium in numero observatione. Reperi tamen subsequentem *Potio.* mox formulam, apud quosdam maximi usus esse; nempe ut primo die capiant novem lumbricos, accuratè ablutos, tusosque, & cum vino aut cerevisia per cribrum cilicium transmissos, propinant unico haustu summo mane ebibendos, obtectoque diligenter corpore sudorem provocant, qui in hoc affectu inprimis requiritur, quo probè prolecto, de feliciore curatione spes est; Si placet aliquid macis aut cinamomi, aut his simile aroma aliud, ad stomachi robur & gratiam potioni conciliandam, admisceri, permittetur. Postridie paratur iterum, bibiturque idem pharmacum, eo tamen discrimine, ut lumbricorum numerus duplicetur, & XVIII. existant. Tertio die XVII. vermes sumuntur. Quod si hoc modo malum superetur, ut ferè fit, tunc acquiescunt. Sin verò dolores recrudescunt. Repetendus modus prior, sicut modò dictum, cum novenarii vermium numeri adjectione in dies singulos. Quòd si verò morbus radices adeò altè egerit, ut dicta curandi ratio non satis faciat; contunduntur quidem rursus vermes; sed cum liquore ex salvia, betonica, abrotono & angelica in aqua decoctis, per cribrum, ut antè, trajiciuntur, & potui exhibentur.

§ 12. Matrona quædam celebris in territorio Monasteriensi, sequentem potionem pro arcano mysterio habebat; Capiebat autem salviæ, betonicæ, rutæ singulorum folia quinque, vermes terrenos cum anulis circa collum rubentibus etiam quinq; sabinæ parum, & succisæ, seu morsus diabolici, radices duas, quæ omnia simul contundi oportebat in pila marmorea; contusa cum quinq; cochlearibus aquæ ex sambuci floribus destillatæ humectari, & per cribrum

expres-

expressa primo die exhiberi mandabat. Postridie numerum ex quinario ad septenarium augendum esse. Tertiò verò, pro septenario singulorum novenarium substituendum. Verùm hisce tribus dosibus simul radicum aristolochiæ tritarum ʒ. ij. admiscendas, puta singulis potiunculis ℈. ij., tandem mellis virginei cochlear unicum plenum infundi præcipiebat.

§ 13. Alii hanc formulam servant: Accipiendo lumbricos quindecim, totidemque folia betonicæ, simul in pila contundunt, & cum dimidia cerevisiæ mensura, cui pauxillum sabinæ incoxerit, trajiciunt, de quo haustulum cum modico theriacæ mane exhibent per triduum continuum, crescente Luna, & totidem dies in Lunæ decremento.

§ 14. Alia potio; ad quam sumitur cerevisiæ mensura dimidia (quæ communis est in prædictis regionibus potus, atque urinas movet) cui incoquatur dimidius sabinæ manipulus cum cochlearibus quinque ejusdem potus, contere, *& per cribrum pelle* septem lumbricos ante contusos, *addendo theriacæ optimæ* ʒ. ſ. & saccharis quantum libebit; hanc *potiunculam* æger primo die ebibit. Postridiè verò parem; sed cum lumbricis undecim concinnatam. Tertio autem die æqualem dosin; verùm cum lumbricis tredecim confectam. Hanc curationem continuare opus est per menses duos aut tres. Apparebitque *tandem* in fundo urinæ quiddam chondro avenaceo (Germ. *Habern gatte*) simile, quod pro signo salubri habetur.

§ 15. Alii accipiunt lumbricos novem, latos & tusos, cum manipulo pervincæ herbæ, Germ. *Ingrim*, affusaque cerevisia percolant, exhibentes ante mutationem Lunæ, & post quoque.

§ 16. Non desunt, qui potum parent ex salvia angustioris folii, ruta & betonica, & cum lumbricis simul tundunt, additaque cerevisia dulci, per cribrum trajiciunt, deinde per novem dies præbent quotidie ℥. vi., crescente Luna, & tantundem totidemque dies eadem decrescente;

§ 17. In prænominatis terris sunt etiam quidam, qui potiones hujusmodi absque lumbricis ad tales affectus in frequenti usu habent, sequenti forma:

Rec. Aristolochiæ longæ ℈. j.
Aristolochiæ rotundæ ʒ. ſ.
Rutæ, sabinæ, levistici ana ʒ. j.

Beto-

Betonicæ, salviæ tenuis folii, pulmonariæ, singulorum folia undecim, baccas lauri quinque, ossis sturionis combusti ʒ. iv.

Quæ omnia prius arefacta, deinde singula seorsum trita, postea commiscentur. Pulvis iste in tres æquales partes dividitur, cujus una tertia quotidie exhibenda venit, in cerevisia aut vino, crescente Luna, & totidem dies, tantundem decrescente sidere.

§ 18. Alii inter Westphalos feliciter eundem morbum sanant, potu ex herba glycypicri, Germ. *je lenger je lieber* vocata, (totam cum radice sumendo) confecto, quotidie usurpando, qui mane sudorem placidum provocat, nec absque ratione: Laxat enim ista herba clausos meatus viscerum, morbosq; inde exortos curat, ac urinas pellit: Quapropter eadem illa adversus hydropisin utiliter bibitur. *Dulc. amara.*

§ 19. Nonnulli accipiunt radices oxylapathi aut rumicis majoris Germ. *Grindwurtz*, bonam quantitatem contusam, & vino percolant, tribusque matutinis porrigunt.


§ 20. Quidam hoc remedio utuntur, putà pavonis ovo, croci, drachmæ semissem, acetique, quantum ovi testa capit, commiscent, potuique exhibent.


§ 21. Neque desunt, qui vivam Salamandram, Germ. *ein Molwurm* æreo vasi inditam urunt, ejusque pulverem cum mica panis mistum offerunt.

§ 22. In Ditmarsia juxta littora Balthica, Daniam versus, vicinisque locis, vermem quendam volatilem habent, quem *Maywurm* & *Euer* ipsi, alii *Kadden* appellant. Hunc vermem filo circumligato ad collum, suspendunt ex alto, præsertim mense Majo, distillatque pendentis ab ore flavus liquor, quem venenatum judicant. Hunc vermem unum, vel sesqui, sive ad summum duos cum dimidio, sic arefactum & pulveratum, propinant ægroto ex cerevisia, quem pharmaco epoto exerceri ad sudorem usque jubent, qui si non sequatur, in furnum adhuc calentem, cui panis extractus recens est, irrepere cogitur, ut facilius sudet; qui deinde symptomata gravia patitur, cardiogmum nempe miserabilem cum toties corporis debilitate, viriumque omnium defectu, durantque illa ferè dimidium diem: postea si necessitas postulet, datur illi rursus post dies tres aut quatuor idem pulvis, adeoque interdum usque ad novem dies, si necesse videatur. Ditmarsi hunc potum ex vermibus talibus factum, sua lingua appellant *Kaddentranck*. *Vermes Verni.* *Potio ex Vermibus Vernis.*

DESCRIPTIO HUJUS VERMIS.

Hæc est Diatyposis, seu figura Vermium istorum Vernorum, quos Venenatos esse arbitror.





VErmis iste alatus, caput collumque habet in circuitu fuscum, qualis violaceus color, & non absque nitore quodam, à capite prodeunt flagella duo longa ad digiti latitudinem, inter quæ cornicula totidem acuta, parva, lunata, veluti forcipes minutuli. Alæ ex virore obscurescunt. Sub alis & super dorso annuli sunt colore discriminato, modò nitore virescenti, modo flavedine obscura. Venter & pedes, capitis collique colorem simulant. Ventri tres plærumque pedes utrinque adhærent longi, in medio articulis suis curvatis, ad articulorum in aliis formam. Quam diu juvenes sunt, colore spectantur in universum magis cæruleo. Accrescunt in longum ad binum digitorum latitudinem: crassescunt in digiti unius latitudinem. Reperiuntur in viis publicis Majo mense, videnturque esse ex cantharidum genere, veruntamen ego eos venenatos esse censeo.

§ 2. Habent magno quoque in pretio Ditmarsi, sicut & Westphali, nec non & comitatus Teckelnburgici incolæ, herbam, quam

Solanus somniferus, *seu* Walckenbaum.



quam *Walckenbaum* indigitant, crescentem copiosè juxta arcem Teckelnburgum, Latini solanum somniferum vocant. Hanc tusam cum cerevisia contra varenos Potui offerunt; post quem æger tam vehementi sopore obruitur, ac si cum morte luctaretur: sed per 24. horas magna cura à somno distinetur; quod nisi fieret, periculo non careret. Nam ex hoc potu visus mirificè obscuratur, sensusque ac intellectus per aliquot horas debilitatur: Quod tamen mirandum non est, cum herba ista supra modum assumta, venenosa sit, videlicet frigida in tertio gradu, potentiam habens, gravem soporem inducendi, non tamen ita periculosum, ut opium solet. Verùm duro nodo durus cuneus quærendus est.

§ 3. In territorio Brunswicensi similibus potionibus utuntur, quibus ægroti per horas circiter 24. soporati quiescunt, opiniorque ex eadem planta *Walckenbaum* dicta, potiones illas elixari. Neque mirum id videri; quippe ego quendam ex meis novi, qui adversus varenos, mane quidem vermes dabat, sub vesperam verò, propter dolorum acerbitatem, Philonii Romani ℥. j. præscribebat: est autem dicata confectio ista somno provocando, & dolori sedando. **Philonium Romanum.**

§ 4. Alii omnigena medicamenta potus, pulveres, electuaria construunt pro diversitate regionum, multifariaque experientia & observatione uniuscujusque. Interea deprehendo plæraque absque ratione, & legitima methodo administrari.

§ 5. Quapropter ego summa solicitudine secundum artis præcepta, conditionem magni hujus morbi consideravi; communemque curandi usum expendi. Insuper & meam medendi rationem ob oculos ponere volui, ad liberum cujusque judicium, aut commodum, quo occasio detur, majori certitudine indagandi res illas per quas gravissimæ huic ignotæque & venenatæ lui, certius ob viam ire, & auxiliari detur.

Ordinaria Curatio. Purgatio. § 6. Ante omnia autem corpus, ut aliâs usitatum, expurgari convenit cum electuarii rosati Mesues ʒ. vj; aut cum *Diacatholici* ℥ j: aut cum Diacarthami ʒ.vj. Jusculo gallinæ, aut pisorum insulso permistis; vel si mavis radic. mechoacæ (quibusdam rhabarbari albi dicti) & rhabarbari singul. ʒ. j. tenuiter *simul concisa* cum ʒ. ij. pulveris Sennæ purgativi per noctem *unam cum modico juscu*li insulsi, calido loco macerata, mane exprimantur.

Deinde sequenti apozemate quotidie mane utendum.

Potio. ℞. *radicularum succisæ, seu morsus diaboli* ℥. j.
Aristolochiæ rotundæ, ʒ. iij.
Salviæ, betonicæ, ana manip. j.
Abrotoni, rutæ, pervincæ, sabinæ ana M. s.

Decoquantur simul in aquæ fontanæ dimidia mensura, aut ℥. xxxij. donec ferè dimidium sit absumptum. De hoc apozemate percolato & clarificato, sumantur quotidie mane circiter unciæ quatuor; addendo quinque lumbricos anulum in collo gerentes, qui vino loti prius & contusi, cribro cilicio simul transigi debent, quo facto admisce theriacæ optimæ drachmæ semissem, cinamomi boni ℈. j. & sacchari quantum suavitas requirat. *Potus iste* quotidie taliter concinnandus, & bibendus est ad sudoris provocationem.

§ 7. Quod si cum præscripti potus usurpatione, radix virusque hujus mali sudando nondum exturbata funditus, nec satis per alvum subducta fuerit; tunc subsequenti decocto, quod simul mediocrem purgandi vim habet, pro ratione circumstantiarum, uti licebit.

℞. *Radic. polypodii* ℥. *j.*

Salviæ,

Salviæ, betonicæ ana M. j.
Scabiosæ, rutæ, abrotoni ana M. s.
Sem. anisi, sem. citri ana ʒ. ij.
Passul. Corinth. vel aliarum expurg. & minutim incisarum ʒ. iv.

Decoquantur simul in fontanæ ℥. xxxij. dum tertia pars exhalarit, & postremò fol. Sennæ selectæ ʒ. x. additæ, semel ebulliant, stentque per noctem benè tecta; mane recalfacta, exprimantur validè; deinde novem lumbrici mundati, ut antè dictum, simul trajiciantur, addita sufficiente saccharis puri quantitate, ne potus corrumpatur. De isto apozemate per ternas auroras ægroto dosis calida propinetur, non tamen ut sudet. Quod si verò ægro dosis unica ad purgandum sufficiet: utendum erit sequenti, cum meliori formula:

℞. *Pulv. sennæ purgativi ʒ. ij.* Purgatio.
infusus in aquæ betonicæ ℥. ij. & semis.

Stet calido loco per horas xij. postea exprimatur validè adhuc calens, per cilicium, admistisque diacarthami ʒ. iv. detur patienti totum una vice, calefactum in aurora.

§ 8. Cum in Aprili anni 1569. mihi oppidum Mœrsam ingresso puella adduceretur, quæ varenis correpta, membrorum debilitatem subitò incurrerat tanto cum angore, partiumque externarum calore, ut nihil aliud, quam intus acri toxico infectam suspicarentur: Consilio extemporaneo ac parabili, prout locis à pharmacopolio remotioribus fieri potest, succurri; & subscripto remedio juvi: videlicet lumbricos quinque expurgatos contritosque haustulo bonæ mitisque cerevisiæ percolari, probatæque theriacæ drachmam dimidiam, cum cinamomi crocique & saccharis modico admisceri, maneque omnia potui calefacta dari, & insuper sudari, nec non per aliquot dies usurpari, præcepi; ut ad omnium admirationem puella sanaretur.

§ 9. Si quando verò virus in singularem aliquam particulam decumbens apparuerit; solet multum commodi conferre, & auxiliari plantago cum sale in mortario lapideo trita atque superimposita.

§ 10. Si qui etiam tumores in abscessus versi, ex hoc morbo ad eruptionem se comparent: Ditmarsenses chirurgi cataplasma formant, ex radicibus cicutæ aquaticæ, quam ipsi linguā sua *Wadendunck*; Germani *Wasserschirling* indigitant. Radices autem has stuppa obvolutas, sub cineribus assant; inde tusas melle permiscent *Unguentum cicutæ aquaticæ.*

 in cata-

in cataplasma; persuasi vermiculos (quos *die Varen* appellant) mellita dulcedine illectos prodituros, & radicum veneno morituros esse.

§ 11. Alii cataplasma aut pultem parant ex radicibus sigilli Salomonis, Germani *Weiszwurtz* dicti, aquæ aut cerevisiæ incoctis, addentes aliquando radiculas dryopteris (*Eychelfarn* Germ. vocatæ locoque affecto imponunt: Quia verò ex artis chirurgicæ peritia, abscessus hujusmodi curari possunt, non puravi hac de re plura verba facere.

§ 12. Descriptio pulveris sennæ purgativi Joan. Wieri, cujus ante mentionem fecit, ita se habet, in tractatu de scorbuto, p.790.

℞. *fol. sennæ Alexand. Electæ* ℥.j.
Tartari albi ℥. IV.
Epithymi ʒ. ij.
Cinamomi, Gariophyll. galangæ, sem. anisi. ana ʒ.j.
Diacrydii ʒ.j.s.

Ex tritis mistis, cribroque cretis, fiat pulvis ex arte.

DE
MORBO GALLICO.

D hunc Tractatum de novis morbis, jure merito refertur præcipua lues, & horribilis pœna pudendæ libidinis, quam communiter Germani vocant Morbum Gallicum, quæ circiter annum 1494. exoriri primum cœpit, cum Carolus Rex Galliæ potentissimo exercitu Italiam ingressus, celeberrimam urbem Neapolim in suam ditionem redegit. Eo namque tempore (uti scribunt autores) leprosus Eques, pro sua satianda unius noctis libidine, famigeratæ Meretricis Valentianæ in Hispania concubitum, pretio 50. coronatorum impetravit, ad quam postmodum alii libidinosi, impii, & brutales ingressi sunt tanto numero, ut brevi temporis spatio circiter 400. fuerint infecti: quorum plurimi, Gallos in Italiam expeditionem sumentes, insecuti sunt, atque eandem hisce cimeliis ornarunt: Unde postea factum est, ut, retrocedente exercitu, & ad sua unoquoque loca redeunte, hæc Italica Bellaria & Hispanica scabies inter alia de honestamenta, nobis quoque Ger-

Germanis cæterisque Christianis nationibus fuerint transcripta; à quibus per hæreditariam ad posteros transmissionem non parum debilitata fuit nostri corporis constitutio; cujus clementer Deus misereatur. Non equidem ignoro, alios, quos inter est Leonardus Fioravantus, in libro cui titulum fecit *Capricci Medicinali*, longè alia ratione de origine hujus mali scripsisse; sed quia brevitati nunc studeo, hæc omnia suis relinquam autoribus. Similiter novus hic & fœdus Morbus, nova eaque contumeliosa nomina consecutus est à suis primis Inventoribus, à quibusdam enim vocatur Morbus Gallicus, ab aliis Lues Hispanica, ab aliis contages Neapolitana; quælibet namque natio quàm longissimè à se voluit removere hanc infamiam. *Nomina Morbi Gallici.*

§ 2. Quoniam vero nunc temporis Morbus hic nimis quam communis est, præcipuè inter Magnates, quapropter etiam de ejusdem Curandi ratione plurimi libri excusi extant, poteram equidem huic labori supersedere, tamen cum existimarem posse me longa & continuata mea exercitatione & experientia, nonnihil utilitatis iisdem afferre, consultum mihi visum esse breviter Curandi rationem describere, & cum adjunctis commonitionibus hoc quicquid esse officii, indigentibus exhibere.

§ 3. Principiò itaque iis qui sanguinis copia abundant Mediana brachii dextri erit pertundenda, & prout necessitas suaserit, sanguis parcius aut largius detrahendus: Dehinc per aliquot dies continuatos Apozemate longo corpus benè esse præparandum & purgandum, antequam ulterius pergere possimus in usu Antidotorum & alexipharmacorum. Poterit autem hoc apozema sequenti aut simili formula præscribi, *Vena Sectio.*

℞. *Radicum Polypodii* ℥. *ij.*
Hermodactylorum ℥. *j.*
Mechoacan ʒ vi.
Interioris corticis flavi Frangulæ ℥. *j. s.*
Radicum veratri nigri benè præparatorum ʒ. *iij.*
Scabiosæ, fumariæ, veronicæ, dulcamaræ ana pugill. Item:
Seminis anisi, granorum mali citri, carduibenedicti. ana ʒ. *iij.*
Liquiritiæ rasæ ʒ. *vj.*
Caryophyllorum ℥. *s.* *masz* est 4. ℔.

Decoquantur omnia hæc in Mensura lixivij. ex cineribus clavellatis parati, ad consumptionem ferè dimidiæ partis. Tum adde fol

sennæ

Sennæ Alexandrinæ elect ℥.ij., & fac simul bis terve ebullire, tum per noctem benè tecta relinquatur olla: manè factâ iterum ebullitione, quàm fortissimè exprime, & post unius horæ residentiam, decanta, relictis in fundo fœcibus: Ex hoc apozemate ebibat æger singulis matutinis, calidè urceolum exiguum, & deinceps per 4. horas jejunet: atque prout plus minusve purgatus ex eo fuerit, augere possumus aut imminuere potionis quantitatem. Quod si non sufficienter ex hoc purgatus fuerit apozemate, eodem absumpto, licebit haustum eidem præbere purgantem,

℞. *Electuarii diacarthami* ℨ. IV.
Confectionis Hamech ℨ. ij.
Cum aq. fumariæ aut jure calido, dissolvantur.

Sin placuerit pilulas assumere, licebit circa tertiam matutinam devorare novem ex ℨ. j. pilularum de Nitro, quæ valdè in hoc morbo præstantes sunt, vel de Hermodactylis, vel aggregativis confectas.

Lignum Guajaci. § 4. His peractis decoctum ligni *Guajaci ita parabitur.*

℞. *Ligni Indici recentis, & subtiliter raspati* ℔. *j.*
Corticis ejusdem ℥. ij.
Zarsæ-parillæ, liquiritiæ minutim concisar. ana ℥. j.

Omnia indantur ollæ aut cantharo, intus & extus vitriato, capienti circiter mensuras 6. (hoc est XVI. ℔.) & super affunde 3. *mensuras* aquæ, unam vini albi, ut per diem ac noctem macerentur: deinde juxta lentum è carbonibus ignem per 6. horas lentè decoquantur ad dimidias. Inter ebulliendum spuma est auferenda, seorsimque asservanda. Ubi parum refrixerit, fortissimè est exprimenda materia, & vitro aut ollæ sive cantharo, arctè concluso, in cella deponenda, ad usum.

§ 5. Deinceps huic decoctæ & expressæ materiæ iterum affundendæ sunt 4. mensuræ aquæ, & duæ vini, macerentur simul per 24. horas, denuóque ad dimidias erunt coquendæ: quod si patiens siti valdè torqueatur, & copiosè bibat ex hoc decocto, sufficit tertiam partem solum coquendo absumi.

§ 6. De primo decocto singulorum dierum hora matutina quinta 7. aut 8. unciæ bibendæ sunt calidè, & tum sudor per horas duas aut tres provocandus, pro tolerantia patientis, à quo sudor pannis lineis calefactis abstergeatur; qui itidem in calido cubiculo detineri debet, ne frigus subingrediatur poros corporis,

poris, proinde nec manus aut faciem aqua frigida perfundat abluatve. Sed æstivo tempore non est necesse ut tantopere se excruciet, quin imo, si dies fuerit calidus & serenus, etiam licebit ipsi foras exspatiari.

§ 7. Hora circiter decima jentaculum sumet æger, sed admodum parcum, sensim singulo die parum adhuc detrahens, à cibo consueto, per 14. dies usque: ideoque ex assata aut elixa carne gallinæ vel perdicis aut vervecina tantum sumat, quantum sufficit ad comedendum panem album mediocrem, aut duo ôva recentia seu tremula & sorbilia, cibusque sit aut nullo aut pauco sale conditus. Deinde per 14. dies utendum erit strictissima dieta, nec amplius sumere quàm circiter, ℥. ij., aut ℥. ij. ſ. uvarum passularum cum biscocti tantillo, quantum sufficere possit. Per totum autem Curationis tempus non bibat nisi de secundo decocto, loco vini aut cerevisiæ, quantum libuerit, quovis tempore, etiam pomeridiano, ubi sitis monuerit. Post meridiem hora circiter tertia patiens se recipiat in lectum calefactum, uti manè fecit, & 6. uncias primi decocti calidè bibet, vacabitque sudationi per horam unam aut alteram, sudoremque abstergeri jubebit: post horam cœnabit minoreque cibi quantitate, quàm in prandio contentus erit: Et postquam hac stricta diæta per 14. dies usus fuerit patiens, sequentibus quatuordecim diebus sensim augebit ciborum quantitatem, donec ordinariam paulatim attigerit: sed secundo semper decocto utetur, nisi virium debilitatis ratione haustus vini concedatur. Tandem per 4. aut 5. dies manè solummodo bibet de primo decocto, non verò pomeridiano tempore, & sic spatio, 5. septimanarum integram intermiserit seu absolverit Curam, habita tamen ratione mali. Interim accuratè observandum, ut semper prospectum sit ægro de duplici hoc decocto.

§ 8. Si quæ vulnera hiulca adfuerint, ea manè & vesperi, pòst sudorem elicitum, cum ablata spuma, aut primo decocto abluentur & mundabuntur, aut si majora fuerint, à perito Chirurgo, artis lege, tractabuntur.

§ 9. Necessum quoque est, singulis decem aut quatuordecim diebus corpus semel expurgare, ut non solum tenuis & subtilis materia per poros cutis sudando absumatur vel evacuetur, sed insimul crassæ illæ impuritatis, quæ meatus sudoriferos penetrare nequeunt, per inferiora abscedant: ad hanc rem apprimè conducunt.

cunt. Pulvis sennæ supra in Tractatu de Scorbuto descriptus, ut & Electuaria, Confectio Hamech & Diacarthamum, aut pilulæ, quarum facta est mentio in initio hujus Curationis: Hac tamen usurpata cautione, ut isto purgationis die ab assumento sudorifico potu abstineamus; probè interim attendentes, sitne morbus recens an inveteratus, sitne æger ille juvenis an ætatis provectæ, debilis ne ad robustus; etenim juxta has circumstantias, non tantum purgatio instituitur blandior, sed etiam materia potionis sudorificæ majori aquæ quantitati incoquitur, quo tanto tardius suam perficiat operationem.

§ 10. Paucis abhinc annis arbor quædam viribus excellens, innotuit, quæ primum ex Insula Florida huc ad nos delata est, hanc Indi indigenæ *Pauame* vocant, Hispani, Itali & Germani *Sassafras* appellant: Sapore est acri, & aromatico, & gustui grato admodum, præcipuè ejus cortex, uti in cinnamomo, sed quo vicinior radici est, tanto est sapore efficacior: *Ejus ad morbum* Gallicum fælix admodum usus est, *ut & ad plurimas alias æ*gritudines, videlicet febres lentas, catharros, *vapores & fri*gida materia sublatos, lumbaginem, renumque calculum, pellit flatus inflationesque, menses ciet, ventriculum corroborat, & admodum refragatur arthritidi. At enim præparato prius corpore medicamentum purgans, ad potionis ex eadem confectæ usum accedemus; cujus parandi *modus hic* esto.

Pauame seu Sassafras.

§ 11. Accipe electi hujus ligni unà cum suo cortice minutim incisi ℥. IV., cui affunde aquæ fontis ℔. IV. stent in infusione bene tecta, per 12. horas, deinde in olla terrea *decoquæ* ad dimidias, cola deinceps per linteum, & asserva in cella pro potu primo. Ad hunc semel decoctum pulverem adde ℥. *ij*. recentis pulveris, & in ℔. x. per sex horas plus minus infundatur & decoquatur ad remanentiam ℔. VI. Hujus primi decocti ℥. v. aut VI. manè patiens calidè assumet, similiterque post meridiem hora 3. aut 4. & postea ad sudorem largum in lecto se componet: Altero decocto loco vini, sive in prandio, sive extra illud, urgente siti, utetur; in reliquis eadem observentur quæ superius de Diæta dicta à nobis sunt.

§ 12. Sæ-

§ 12. Sæpe sæpius contingit, cum morbus hic est inveteratus, aut alloquin in pejus vergit non rectè à medicastris curatus, ut gummata seu nodi duriusculi enascantur in tibiis, brachiis, & capite, quæ sanè in causa sunt, ut quod curatio majori cum difficultate ad optatum finem perduci queat, præcipuè si ossa fuerint exesa, corrupta, tabefacta, aut si debilitatio hæc extremos artus affligat nocturnis iisque intolerandis doloribus: Hoc in casu Zarza-parillæ præsentaneum est & pretiosum remedium, quam possumus absque ullius alterius admixtione decoquere, & in usum convertere, juxta supra descriptam formulam, aut hanc sequentem. *Zarza-parilla.*

℞. *Sarzæ-parillæ minutim incisæ & contusæ* ℥. IV.
Macerentur per noctem in ℔. xij. *aquæ in loco calido, sive in hypocausto, sive supra cineres calidos, & decoque ad consumptionem quartæ partis.*

Tunc adde ℥. j. Hermodactylorum subtiliter pulverisatorum, & invicem bene misceto & sinito refrigescere, posteaque percolato: Ex hoc bibet manè & post meridiem ℥. VI. & inter prandendum utetur simplici Sarzæ-parillæ decocto, nimirum cum ℥. j. Salzæ-parillæ decoquitur in ℔. xij. aquæ, donec absumta fuerit tertia pars; & tota hæc Cura peragi poterit spatio trium septimanarum, neque est necesse patientem se adstringere strictæ huic diætæ, sed gallinas aut vitulinam elixam comedere interea potest: attamen corpori per debitam expurgationem prius est prospiciendum. *Unguentum seu adeps.*

§ 13. Quod si tam altas radices morbus egerit, ut per superius descripta medicamenta cedere nolit, nonnunquam accidit, ut sub finem decocti Zarsæ-parillæ Inunctiones quoque in usum venire debeant, quibus etiam majori cum certitudinæ, minorique periculo, quàm si decocta non præcessissent, usti nunc possumus; itaque formulam Unguenti hic subjungere volui.

℞. *Ædipis suillæ non salitæ & repurgatæ* ℥. VI.
Axungiæ anatis ℥. iij.
Axungiæ gallinæ ℥. ij.
Ol. Laurini, Liliorum, ana ℥. j.
Ol. Iuniperini, Aq. vitæ, singulor ʒ. IV.

Mercurii ℥. vj.
Lythargyrii auri, thuris albi ana ℥. j.
Mirrhæ ℥. s.

Prius Mercurium in mortario marmoreo unam cum adipibus subigere oportet, commiscere & mortificare (ut vocant), posteaque addenda sunt reliqua, donec acceperint unguenti consistentiam: Minuenda quoque est pro exigente patientis necessitate, quantitas mercurii, aut insuper adjungenda alia corrigentia, uti sunt Mastix, Ladanum, Styrax, Unguentum marciatum, ol. Therebinthinæ similiaque.

§ 14. Poterit etiam loco prioris unguenti, hæc minor formula parari.

℞. *Axungiæ suillæ, anatis, ung. marciati ana* ℥. j.
Ol. Lilior. Spicæ, a. ʒ. ij.
Argenti vivi ʒ. vj.
Thuris albi Mastiches, Lythargyrii, auri, Salviæ, Stæchados a. ʒ. j. s.
Aq. vitæ. ʒ. ij.
Ol. Laurini ℥. iij. ex quibus omnibus fiat unguentum.

Suffumigia. § 15. Multi sunt, qui ad profligandum morbum Gallicum utuntur suffumigiis, quorum usus est omnium præstantissimus & incomparabilis, si quando laboratur de fluvio capillorum: nisi robustioribus. Estque hujus medicamenti basis cinnabrium, quod est mercuriale, proindéque juxta vires patientis nunc augeri nunc minui debet, additis Correctoriis sequenti consimilive formula.

℞. *Cinnabrii* ℥. iij.
Myrrhæ, Aloës, Thuris a. ℥. j.
Ladani ʒ. iv.
Styracis calamitæ, Benzoini a. ʒ. ij.

Contundantur omnia grosso modo, ejusque pulveris unà vice ℥. ſ. adhibe pro suffumigio, nunquam tamen nisi debita corporis præparatione præmissa. Utendi verò modum sive unguentum sive suffimigium describere, supervacaneum existimo, cum sit quotidianum Chirurgorum opus; quos tamen monitos velim, ut inter ungendum abstineant à præcipuis & nobilioribus corporis partibus, capite videlicet, corde, abdomine, cervice, ventriculo, pudendis, & tantum artubus extremis brachiis & fœmoribus unguen-

guentum adhibeant. Observaturque nunc temporis in Gallia hic procedendi modus, ut per triginta dies utantur decocto ligni, deinceps aliquot diebus unguento mercuriali, donec effectus se prodeat sive per os salivando, seu per sudorum, seu per alvi fluxum.

§ 16. Solent quoque, præmissa purgatione, Emplastra applicari artubus, præcipue iis, qui nequeunt domi se continere, sed necesse habent aut proficisci peregre, aut in publicum prodire, volui itaque celebrem formulam adjicere Unguenti de Ranis dicti. *Emplastrum.*

℞. *Ol. Camomillæ anethini, Spicæ, Liliorum alborum a.* ℥. j.
Axungiæ suillæ, vitulinæ a. ℥. vj.
Euphorbii ʒ. ij. s.
Thuris ʒ. iv.
Ol Laurini ʒ vj.
Pinguedinis serpentinæ ʒ. x.
Ranas viventes n. iij.
Lumbricorum vino lotorum ʒ. 14.
Succi rad. Ebuli, succi rad. Enulæ a. ℥. j.
Schœnanti, Stœchados matricariæ a. m. s.
Vini albi generosi ℔. j.

Decoquantur simul, donec vinum fuerit absumptum, postea exprime, & exactè cum expresso misce Lythargyrii auri ℥. vj. ceræ mundæ. q. s. cum Therebinthinæ ℥. j. dein ab igne aufer, in eoque dissolve Styracis liquidæ ʒ. vj. & cum parum refrixerit, Mercurii mortificati, saliva jejuni hominis ℥. ij. probe misceto, & f. a. fiat Emplastrum, quod efficacius erit, si addideris ad huc ℥. j. Mercurii. Potest hoc emplastrum confici absque admixtione ranarum aut pinguedinis Serpentinæ.

§ 17. Quod si huic Morbo grave aliquod symptoma superveniat, necesse est peritum Medicum advocare; nam quod concernit faucium aut gingivarum exulcerationem, ad eam supra in Tractatu de Scorbuto descripta sunt Gargarismata, pulveres, unguenta & similia.

§ 18. Insuper, possumus quoque subitaniam illam salivationem, quæ è faucibus & ore, unà cum insigni pituitæ copia profluit, minuere usu Pilulæ Cocchiarum, è cujus ʒ. j. formentur pill. n. vij. aut ʒ. iij. Diacarthami plus minusve, pro statu patientis, disso-

dissolutis in aq. fumariæ, aut jusculo gallinæ aut cicerum decocto.

Unguentum Paralytica. § 19. Ad motus impotentiam, hoc quoque unguentum justo tempore articulorum adhibitum summopere conducit.

℞. *Saponis Veneti* ℥. iij. *Quas dissolve in s. q. aq. vitæ,*
Lumbricorum terrestrium vino lotorum, contusorum & per setaceum trajectorum ℥. iij.
Euphorbii, Castorei ana ʒ. ij.
M. f. Unguentum.

Ad affectus exteriores. § 20. Ad alia ulcera seu affectus in hoc morbo valde conducit Oleum Sulphuris & Vitrioli, ubi acrimonia fuerit justè temperata per additam aquam pro mali exigentia. Poteſt etiam parari lixivium è decocto ligni indici, in cineres redacti, & cum aqua aliquoties percolati, quo gummata & Tubercula manè & vesperi laventur.

Præcipitatum. § 21. Ulcera quoque maligna & putrida feliciter mundantur pulvere rubro Mercuriali, dicto *Præcipitato*, estque excellens admodum, modo ritè paretur. Ejus autem præparatio talis est. ℞. Mercurii & aq. fortis. s. regiæ ana partes æquales (quanquam alii plus aquæ sumant) inde Matracio, usque dum Mercurius probè fuerit dissolutus & per aquam dispersus, tum inpone cineribus calidis, donec aqua tota exhalaverit: licet etiam matracium imponere igni lento, illumque parumper augere, donec aqua absumta fuerit & exhalaverit, dein matracium seu phiola est rumpenda, & asservandus pulvis ruber, qui tunc vocatur *Mercurius præcipitatus:* quod si verò nonnulla grana Mercurii, nondum soluti, remanserit, iterum igni imponemus in cacabo æneo aut terreo, & sinemus evaporare. Si vero adhuc melius Mercurium præparare quis velit, abluendus ille est, & infundendus in aquam rosaceam aut plantaginis, deinde in ænæa olla igni imponendus probéque agitandus usque dum exsiccetur. Aliqui aurum merum admiscent Mercurio, infunduntque simul aq. regiæ, relinquentes donec fuerit planè solutum, & Mercurio benè permixtum, deinde supra ignem evaporant, uti superius dictum, & ad pleniorem correctionem super affundunt aq. vitæ, donec aqua ea à pulvere tingitur, deinde aq. rosaceam affundunt, & super ignem lentum, spa-

ſpatulâ tantiſper circumagitur, dum nihil Mercurii appareat, & pulvis planè exſiccetur.

§ 22. Si aliam deſideras artificioſam formulam præparandi Præcipitatum, invenies eam in libello Fallopii de Morbo Gallico.

§ 23. Hujus benè præparati & purificati pulveris interius dantur 3. aut 4. imo 5. grana, habitâ ratione ægri, cum ℈. j. aloës roſatæ, aut pilular. aloëphanginarum, aut pil. de Maſticho, formantur inde pill. n. iij. cum paucis guttis aq. cinnamomi. Hujus Præcipitati ſimiliter uſus adhibetur in Peſte, una cum optima Theriaca. Novi quendam, qui junioribus gr. j. provectioribus ij. gra. præbebat, non tamen jejuno exiſtente homine, ſed oportebat patientem prius aſſumere panem butyro illitum, deinde pulverem butyro permixtum, cum buccella panis aſſumere, aut cum butyro ſubactum in recentis ovi vitello abſorbere, poſtea aſſidere igni, exſpectaréque ſudorem, cæteramque ſecuturam operationem. Plurimi miſcent gr. IV. Præcipitati cum ℥. IV. ſacchari roſacei, ſicque patienti à Peſte infecto, exhibent. Hoc autem medicamentum operatur tum per inferiora tum per ſuperiora: Et cum venenatæ ſit indolis, putant multi inter doctos, illud aptum natum eſſe ad educendum ſecum venenum peſtilens foras: ſimili ratione uti Galenus Theriacam ſcribit facere, quamquam eam ingrediantur viperæ venenatæ. Celeberrimus Medicus Gabriel Fallopius, in dolore Iſchiatico, pro ſecreto habuit, ſi ℈ j. muſcerdæ cum gr. IV. Præcipitati pauculoque cinnamomi cum juſculo calido offeratur patienti, modo is ante comederit aliquot ova ſorbilia. Eodem modo Præcipitatum etiam, uti ſuperius dictum, hoc tempore in Morbo Gallico ſæpius præbetur, uti ante pluſculos annos ſæpiſſimè in Italia fieri ſolebat. Eſtque hoc idem Arcanum, quod à Paracelſiſtis nomine *Turpethi Mineralis* fuit occultatum. Nonnulli ex eodem paratas pilulas exhibent manè, alii veſpertino tempore, etiam vel paulo ante vel poſt cibum, prout à ſuis cuique perſuadetur magiſtris. Succedit ad ejus uſum vehemens diarrhœa, ut etiam nonnunquam ſanguinis fluxus ſubſequatur, quam excipit inſignis vomitus & ſudor. *Turpetum Minerale.*

§ 24. Quandoquidem igitur apud quamplurimos doctos & Celebres Medicos Mercurius habetur & æſtimatur pro ſummo My-

ſterio

sterio & veluti antipharmaco, non solum exterius applicatus, sed & interius exhibitus, adversus morbum Gallicum tandem eousque devenit hominum industriorum experientia, ut etiam Electuarium ex eo confecerint, hujusce ℥. iij. singulo mane & vesperi exhibuerunt, fuitque brevi tempore patiens à morbi Gallici tuberibus & ulceribus sanatus. Hinc quoque contingit ut validæ *pilulæ* ex eodem fuerint paratæ quas Barbarossa Turcici Imperatoris *Archithalassus* Regi Galliæ primus transmisit, unde & nomen suum, *pill. Barbarossæ*, traxerunt. Possunt autem sequenti modo parari.

Pilulæ Barbarossæ.

℞. *Mercurii* ʒ. iij. *tere eundem super porphyritem cum succo Limonum aut arantiorum, donec Mercurius taliter fuerit extinctus, ut amplius internossi non possit.* dein adde *Rhabarbari, Agarici a.* ʒ. ij.
Myrrhæ, Mastiches a. ʒ. j.
Cinnamomi, Gariophyllorum a. ℈. j.

Omnia misceantur & incorporentur *in massam pilularem cum Therebinthina Veneta, è cujus* ʒ. j. *Formentur pilulæ* IX. *Capiat principuo pilulas* iij. *Dein, sed pro morbi conditione,* ʒ. s. *Tandem,* ℈. *ij.* habita semper patientis ratione.

Usus harum pilularum esse in malo Gallico inveterato, aut cum adsunt ulcera in collo aut palato, aut cum patientis nolunt subire curam quæ per decoctum ligni fit: possumus tamen aliquid præcedenti compositioni adjicere aut demere, eapropter describam adhuc duas formulas, quarum prior purgantia habet admixta, posterior non item,

℞. *Mercurii* ʒ. vj.
Rhabarbari ʒ. iij.
Farinæ Tritici ʒ. ij.
Scammoneæ ʒ. j.
Moschi ℈. j.

Præparandum est Mercurius, ut supra dictum, cum succo Limonum, postea adde farinam tritici, & tere ulterius, & sensim permisceto reliqua ingredientia.

Altera formula talis est,

℞. *Mercurii in aq. Salviæ extincti* ℥. j.
Sem. papaveris nigri ʒ. iij.
Amyli ʒ. ij.
Moschi gr. 14. Formetur Massa.

formenturque pilulæ exiguæ quod si post earundem usum dolor aliquis corpus exagitaverit, assumendus erit haustus purgans.

§ 25. Tandem etiam repertæ fuere & indies reperiuntur eximiæ præparationes è Mercurio à Chymicis adversus hunc morbum, & alias quamplurimas ægritudines, uti est cinericeus pulvis, dictus *Mercurius Diaphoreticus*, cujus paucula grana sudorem feliciter promovent. *Mercurius Diaphoreticus.*

§ 26. Expertum quoque est in hoc morbo, præcipuè verò cum externa ulcera aut tumores adsunt, vitrum Antimonii, si 3. aut 4. grana cum conserva rosacea patienti exhibeantur. Etenim ulcera Cacoëthe post ejus usum apprimè mundari incipiunt: Sed quia ejus Operatio est paulo vehementior, ideò præstabit 4. grana ejusdem Antimonii in duabus Cochlearibus vini per noctem infundere, & manè per linteum nitidum transcolare, atque colaturæ admiscire parum aqua cinnamomi, quod patienti tum præbeatur. Alioquin est Antimonii usus in variis morbis, & in prima Pestis invasione licet exhibere gr. IV. ejusdem cum ʒ. j. Theriacæ optimæ, aut confectionis liberantis; attamen oportet vires adhuc sint constantes. Insuper pulvere antimonii præparati uti possumus in Ulceribus malignis, sicuti Saccharum Saturni, (quod nihil aliud est nisi pulvis albus ac dulcis paratus è plumbo in aceto destillato dissoluto) magno cum fructu ejusmodi externis malis applicari potest. *Antimonium præparatum.* *Saccharum Saturni.*

§ 27. Alia quoque via est, hunc Morbum curandi, per suffimigia, ex cinnabari atque adjunctis. Et quamvis sit remedium violentum, licet tamen eo uti satis tutò, præsertim in tribus casibus, primo, cum volumus præcavere defluvium pilorum, nihil enim efficacius ad hoc quàm unguentum mercuriale, & suffimigia, quandoquidem decoctum ligni aut sarseparillæ nihil huc faciat, nisi longissimo temporis spatio; secundo, cum ulcera depascentia, & maligna adsunt; tertio cum in hoc morbo Oculi Machryonationibus vel granciis exulceratione infestantur. Utendi verò modum unctionum & suffimigiorum nolo hic adscribere, partim ne imperitis ansam præbeam his tam periculosis remediis abuti, partim quia est quotidianum Chirurgorum officium, quos tamen monitos volo, ut inter inungendum abstineant à partibus corporis præcipuis, capite videlicet, corde, pulmonibus, stomacho, pudendis, quæ omnes à Mercurio læduntur, & in effectus insanabiles conjiciuntur; *Tremores.*

tur; sed ut solummodò ungant brachia & femora. Neque etiam particulariter hîc memini Bubonum, gonorrhϾ, pustularum similiumque; qui enim perfectè de his agere instituerete, integrum librum conscribere necesse haberet.

§ 28. In catalogo accidentium Morbi Gallici, non possum non commemorare inauditum & intolerandum malum, *quod milites* Hispani in nostram inferiorem Germaniam, cum aliis quoque perpetuis nobisq; improbandis novitatibus, ultimo suo reditu intulerunt, communicarunt: vocatur Formica, estq; venenatus malignus & contumax Serpes sive serpigo; sumit autem initium à verendis, progreditur ab iis per universum corpus cum doloribus & intolerabili pruritu, nominabo itaque *Formicam Gallicam*, Teutonicè *Zitterschen*, sive *Flechten*. In quantum verò hic morbus cum Gallico habet quid commune, ejus curationē per interna delumere possumus ex Tractatu præcedenti. Exterius verò corpus inungemus lixivio è ligno Guajacino parato aut *oleo Guajacino* parumper correcto, hoc est leniore reddito *per additionem* aquæ cujus mentio facta est in Historia Scorbuti ad *luxuriantes gingivas*. Alioquin valdè etiam prodest aqua plantaginis, *cui in* mortario adjungatur tantundem æruginis & sacchari, donec mordacitatem possideat exiguam: Vocatur hæc aqua à nonnullis *aqua di Cazzo*; sed & alia conficitur ejusdem nominis, *quæ etiam* huic intentioni inservire potest, ex ℔ j. aquæ Ligustri, alum*inis* ℥ iij. & parum æruginis: insigniter medetur tonsillis collique inflammationibus: possumus re sic exigente, aliquot grana sublimati eidem addere.

Formica Hispanica.

Formica Gallica vel Franzosen Flechten.

Acidula.

§ 29. Conclusionis loco duplicem hic addam Cautionem. Prima est ne quisquam, qui Gallico morbo sit infe*ctus*, curam subeat acidularum, sive Spadanarum, Birckenfeldianarum, sive Schwalbacensium, aut quarumvis aliarum. Neque possum satis mirari, haud paucos doctos & probos viros, tantum habuisse de utilitate harum acidularum, (nulla tamen suadente id experientia) conceptum, ut etiam statuerint eas conducere ad quorumvis morborum sanationem, atque etiam libris suis inserere non dubitaverint, ut post expurgationem corporis per pharmaca, acidulas mane & vesperi biberent ægri, & sudorem promoverent, simili modo uti fit in usu decocti *ligni* Guajaci aut Zarsæ-parillæ. Proverbium est, tam tritum, quam verita-

veritate munitum: *Sit modus in rebus*; fateor enim præstantissimum Dei donum esse acidulas, easque ad quamplurimos morbos sanandos, ad miraculum usque conducere, præcipuè iis prodesse, qui ex viscerum dyscrasia laborant, aut intemperie ventriculi frigida; & hepatis calida, unde contingit vapores multos cerebrum petere, & catharrales morbos progigni: Item juvare eos qui calculo renum & arenulis tentantur, aut morbis lienis, febribus erraticis, venarum obstructionibus, imbecillitate virtutis retentricis, & ab eadem pendentibus debilitatibus: sed ita res se non habet in morbo Gallico, propter antipathiam quæ inter aquas has & morbum intercedit: Etenim acidularum virtus maximam partem pendet ex vitriolo, alumine, ferro, sale similibusque, quæ omnia mineralia habent facultatem adstringendi; quod ex eo patet, quia ventriculum roborant, appetitum acuunt, dysenteriam & diarrhœam omnem sistant, & insuper notabilem pectori angustiam concilient, quapropter neque asthmaticis conducunt, nisi forte angustia ea procedat à catharris à capite decidentibus: Similem ob rationem acidulæ malo Gallico sunt adversæ: insuper lues Gallica curam postulat à centro ad circumferentiam, & solennes atque insignes evacuationes per secessum, sudorem corporis, & salivationem: sed acidulæ utplurimum suas operationes perficiunt per vias urinæ, auferunt obstructionem venosi generis temperantque intemperiem viscerum tum calidam tum frigidam.

§ 30. Altera Cautio est, ut in morbo Gallico vitentur thermæ, seu balneæ aquarum calidarum, quoniam aquas non fert, ut testatur experientia, propter actualem suam humiditatem, quod inde patet, quia specificum Gallicæ luis remedium est virtute exsiccante proditum, sive ea per accidens sive per se rebus aut medicamentis insit.

DE PESTILENTI ET EPIDEMICA TUSSI,

Qui Anno 1580. universam fere Europam invasit.

PRIORI Libro harum observationum morbos nonnullos Pestilentes descripsimus, qui regnabant aut in nostra tantum regione aut in vicino Belgio, sicut etiam suo tempore Hippocr. descripsit in sua regione grassantes lues: & inter alias etiam lib. VI. Epid. sect. 7., meminit cujusdam Tussis Contagiosæ. At vero Anno 1580. universalis, pestilens & rapida Tussis non Belgium solummodo aut Germaniam (*ut quidem contigit in sudore Anglico*) veruntamen *universam Europam* brevissimo tempore, & subito invasit & peragravit: *Qualis cum hactenus* nefando quidem fuerit intellecta, & cum præcedentibus morbis magnam gerat affinitatem, operæprecium erit, ut posteritas fiat ejusdem particeps. Nam omnes hi morbi ex una eademque causa originem suam habent, videlicet ab Epidemico *Catarrho*, ab quem profluxisse consentaneum est ab humiditate aëris nimiâ, causatâ à superiorum annorum ventis meridialibus & occidentalibus, subsequente per totam ferè æstatem Euro, comitato à calore siccitate, & serenitate aëris continuà, quod uberrimus vini proventus & natura abunde probavit, cujus tanta fuit *præstantia* tempore autumnali, ut à longo tempore ejusmodi non fuerit visa. Et sic æstate adulta & autumno prædicto Tussis sæviit, & circa æquinoctium autumnale præcipuè grassari cœpit. Statim à *principio* adfuit incredibilis capitis dolor & febrilis calor, attamen absq; tremebunda corporis concussione in quamplurimis observabatur inevitabile dormiendi desiderium, sicut in peste: Alii contra continuis vigiliis torquebantur & impotentia indormiscendi: Hoc è vestigio excepit tussis arida, pectoris dolor, sed præcipuè mediastini seu menbranæ dividentis cavitatem pectoris in dextram & sinistram, & tandem rhonchus, ut in moribundis: Et quanquam tussis paucos saltem dies affligeret, permansit tamen *rhonchus*

per

per quatuordecim dies. Plurimi in sudores solvebantur, & hi trium aut quatuor dierum spatio à morbis liberabantur, nec multum tussi ejiciebant, sed causa morbifica expellebatur per habitum corporis seu externum opus sudoris. Alioquin ordinariè circa quartum diem expectoratio subsequebatur, & ferè omnes sanitati fuerunt restituti, adeò ut ex mille vix unus interierit, iis exceptis, qui vel apostemata occulta intus in corpore latentia habebant, aut quibus prona quædam materia hepati aut cuidam visceri erat impacta, aut qui venesectione usi sunt. Nam penes nos Germanos, proh dolor, prava ea consuetudo invaluit, quamprimum morbus Epidemicus regnare incipit, sive novus ille sit, sive communis, venam pertundere: & siquidem tussis conjuncta fuerit, bibunt decoctum pectorale, ex hyssopo, ficubus, seminè fœniculi & similibus paratum, quod si malum cessaverit, bene quidem, in Nomine Domini; si verò non, dicunt, oportere morbum finere suam absolvere periodum, nullum aut parum admodum remedium assumendu esse, quoniam putant Medicos, eam ægritudinem non cognoscere, & hoc pacto multi abeunt ad plures.

§ 2. In hoc malo curando, siquidem mihi obvenerit, nemini jussi venam aperiri, ob rationes præcedenti libro allegatas, & etiam experientia edocti sumus, omnes ferè ei, quibus sanguis fuit detractus, fato cessisse. Quæ res fortasse in causa fuit, quod in Italia & Gallia plurimi mortui fuerint, adeò ut audiverim Romæ ultra 2000. mortuos fuisse, proculdubio duplici de causa, tum quia Medici Itali mox, & forte nimis præcipitanter suaserint venæsectionem, non attendentes ad venenum & ardorem conjunctum, tum quod adjuncta febris in regionibus calidioribus graviora & periculosiora symptomata produxerit, quàm apud nos.

§ 3. Quantum verò ad Purgationes attinet, hunc ego methodum observavi, quòd illis non indifferenter in omnibus, sed in plurimis usus fuerim non tamen ante quartum diem, postquam ex variis mutationibus symptomatum cognovissem, quod materia inciperet furere tum enim exhibui *Cassiæ recens extractæ*, ℥. j. *aut Mannæ in aq. hordei & decoctionis Polypodii*, ℥. j. s. à quo non tantum causa materialis imminuebatur, sed etiam expectoratio promovebatur. Præter hoc etiam mox in principio Antidotum exhibui, veneno refragans, sequens verò mihi probatum.

℞. Methridatii optimi, ℥. s.

 Spec.

Speci: Diamargariton frigid. liberantis ana ʒ. j.
Boli Armeni orientalis, aut quod nunc in Misnia reperitur, Scordii, diptamni Cretici, rad. Scorzoneræ, aut ejus loco Vincetoxici, ana ʒ. j.
Corticum citri, sem. Card. bened. ana ʒ. ſ.
Camphoræ ℈. j.

Omnia contundantur, & cum ſyr. papav. rhæados redigantur in formam electuarii: E quo aſſumatur ʒ. j. ſ. plus minuſve pro conſtitutione ægri cum aq fl. cyani ſeu rhæados ſudor exſpectetur. Similiter pauperibus exhibui cum felici ſucceſſu tantundem theriacæ diateſſaron quæ paratur ex Gentiana, baccis lauri, myrrha & ariſtolochia rot. quibus ego ſolitus ſum addere diptamnum, carduum benedictum & carlinam.

§ 4. Hoc præmiſſo, decoctum præſcribo pectorale, quo ſingulis diebus bis terve utatur patiens, hujus aut ſimilis formulæ.

℞. *Radic. Eryngi, Tuſſilaginis, altheæ, labri Veneris. ana* ℥. ſ.
Scabioſæ, ſcordii, cardui benedicti hordei hybernalis, Jujubarum violarum. ana m. j.
Liquiritiæ. ʒ. vj.

Omnia coquantur in menſura aquæ, ad conſumptionem quartæ partis, poſtea coletur abſque expreſſione, & tum adde ℥. ij. ſ. aut ℥. iij. ſyrupi papav. rhæados. Aut ſi materia jam ſit expectorationi apta, licebit ejuſdem loco accipere ſyrupum ſcabioſæ: Et ad promovendum expectorationem juſſi die noctéque ut aſſumerent ſyrupum papav. rheados, qui etiam ſolet ſudores ciere, interdum præſcripſi Looh è papavere, aut Looh è pſyllio, præſcripſi itidem potionem veſpertinam ex raparum ſucco cum ſaccharo, non ſine utili ſucceſſu.

§ 5. Et quandoquidem multi ægri dormire non poterant, & interim præ ſiti torrida nihil exſpuebunt, è ℈. ſ. pilularum mearum deſcriptionis de ſtyrace formavi pil. num. vj. & exhibui veſperi tribus poſt cœnam horis.

℞. *Styracis Calam.* ℥.
Succi liquiritiæ, Rutæ, Myrrhæ, Opii ana ʒ. ſ.
Croci. ℈. j.
Redigantur in maſſam cum ſyr. papav. rheados, quæ aſſervari poterit per aliquot annos.

Magna ſanè utilitas ex uſu harum pilularum extitit, nam & ſomnus fuit conciliatus, & dolor capitis imminutus, & materia in pectore contenta ad maturationem perducebatur. Nihilominus pro eodem ſcopo ſequentem emulſionem cum fructu exhibui tribus à cibo horis.

℞. *Amygdalorum dulcium excorticatorum*, ℥. j.
Sem. papav. albi ʒ. vj.
Sem. 4. frigid. maj. a ʒ. j.
Omnia contundantur minutim, poſteàque per ſetaceum *transcola cum* ℥. iv. *aut* v. *aq. hordei decorticati, adde* ℥. j. *aq. roſar. &* ʒ. iij. *manus Chriſti perlatæ.*

§ 6. Sed quia ægrorum plurimi nihil expectorabant, ii maximè, qui in ſudorem erant proclives, eo in caſu matutinis horis ſudores excitavi hauſtu calido ex partibus duabus aq. hordei, uno vini & duobus cochlearibus ſacchari albiſſimi.

§ 7. Exterius præſcripſi pro ditioribus inunctiones ex ol. amygd. dulc. pro pauperibus verò butyrum recens mixtum mucilagine ſemin. lini. Quod ad potum ſpectat, non omnes interdixi vino promiſcue, attamen majori parti, iis maximè, quibus febris ingens adfuit.

DE SUDORE ANGLICO.

HIsce graviſſimis, periculoſiſſimis & hactenus in Germania inauditis morbis adnumerari equidem debet lues illa peſtilens & horribilis, quem vocant *Sudorem Anglicum*, cui hoc nominis inditum fuit, quoniam anno 1586 per univerſam Angliam, cum miſeranda conſternatione, propter ſubitaneum mortis periculum, & inexpertam morbi indolem terribili modo infeſtavit.

§ 2. Principium tale fuit, quod homines, qui bellè valere videbantur, veluti in ictu oculi ita inceſſebant ſummi dolores cum incredibili calore & anxietate circa ſtomachum & caput, ſubſequenti fœtido ſudore univerſali, ſiti inexhauſta, & virium naturalium & vitalium diſſipatione, ſpatio 24 horarum moriebantur.

§ 3. Cau-

Putatitia Morbi causa. § 3. Causam nonnulli retulerunt in continuam & excedentem humiditatem aëris Anglici, quæ sanè opinio meo adversatur judicio, sic enim & antea & post hoc tempus idem morbus ibidem regnasset, cum causa semper præsto sit.

§ 4. In Anglia tali utebantur præcautione, Quisquis isto morbo corripiebatur, si interdiu, mox vestibus indutus ad sudorem se componebat: si verò noctu lecto decumbens invadebatur, è vestigio benè cooperiebatur, ad sudorem proclivius evaderet, & frigus sedulò arcendum. Nam si aër frigidus accederet, tam periculosum habebatur ut è centum vix unus evaderet, aut semel terve recidivam patiebantur, tandemque moriebantur.

§ 5. Licet vero hic morbus postea per Angliam ulterius fuerit sparsus, placuit tamen omnipotenti & justo Deo eodem flagello subitò & vehementissimè castigare dum primò maritimas Belgici contermini partes, & deinde & paulò post quasi per tempestuosum turbinem ab occidente, Germaniam *Anno* 1592. affluvit, atque ita in circumjacentibus regionibus, *ratione improvisi afflatus* & invasionis, partim ratione subitanei periculi mortisque *præsentaneæ*, partim quod anxietas in ejusmodi novo morbo adhuc dum comperta non essent, maximus error & consternatio oborta est.

§ 6. Sed morbus in sua essentia, quantum equidem indicare possumus ex symptomatis & circumstantiis, est *Ephemera* sive *Diaria pestilens*, quoniam spatio 24. horarum aut remittat, aut ægro animam extinguat. Quanquam eruditorum plurimi hunc morbum revocaverunt ad febres Græcis dictas *Typhodes*, in quibus continuo sudore ac madore corpus quidem consumitur, attamen non adeò venenum ejusmodi lethale ac præsentaneum, ut nominatim quædam pestilens plaga sit à Deo immiscus procul omni dubio.

Ephemera Pestilentialis.

Febris Typhodes.

§ 7. Hoc venenum pestilens & subtile admodum primam sedem suam figit in Spiritu vitali, seu vitalibus viribus cordis & sic porro accendit corrumpitque sanguinem humores corporis, ubi tamen obluctans natura valdè conatur hunc perniciosum, hostem quam citissimè à se propellere, & secundum robur facultatum naturalium hostis citius aut tardius superatur & expellitur; quod si è eadem nimis fuerint debiles, æger interit: Et sicuti maligni isti morbi, quos *acutos* vocant; judicantur Criticè, die 4. 7. 9. 11. 14. 17. 20., aut 24. sic in peracuto hoc morbo

bo

bo in paucissimus horis ejusmodi Judicium decernitur, ut deinceps patebit.

§ 8. In hisce nostris regionibus invasit morbus potissime cum frigore aut horrore, durante per mediam horam & amplius, & cum magnis torminibus circa diaphragma & inguinis partes cum palpitatione Cordis, & tam vehementi virium jactura, ut æger, pedibus vix posset insistere, aderat etiam nonnunquam dolor capitis & vertigio, nonnunquam, licet rarius, superveniebat etiam vomitus sanguinis nigri, aut bilis. Nonnunquam morbus subitò invadebat tempore somni, aut statim ab eo, subsequente mox calore, eodemque tempore per universum corpus, maximè in Thorace, erumpebat sudor copiosus & graveoleus. Et sedulo adhibebatur cautela, ne aër frigidus, ullo modo ad ægros pertingeret, adeò ut urinam in lecto decumbentes reddere cogerentur, nec etiam pulsum explorare audebant, si etenim frigidus aër corpus tangeret, metuendum erat, ne sudor ille venenatus erumpens intro recederat versus interiora, & mortem causaret. Nonnullus venenatus ille humor per urinas exit. Ordinariè autem durat vis hujus morbi circiter 24. horas, interdum deciditur citius, videl. 14. aut 17. aut 20. horis. Verùm in nonnullis morbus & venenum adeò erat potens, ut spatio, 6. 7. aut 9. horarum exspirarent.

§ 9. Sed præsertim magna cura est adhibenda, quando æger sub invasionem morbi è vestigio calefactum lectum ingreditur, & stragulis, ad evitandum frigus ambiens tegitur, ne stragulis nimium oneretur: recordor enim, quod multi à stragulorum pondere nimio fuerint, excalefacti, suffocati & mortui fuerint. Modus itaque hac in re adhibendus est, juxta uniuscujusque complexionem & qualitatem; tegantur autem magis circa pedesque quam corpus, quod moderatè, uti & caput tegendu est: & si patiens in alterutro latus volvatur, oportet ut astantes diligenter prospiciant, nè stragula alicubi hient, adeoque aër frigidus corpus attingat: Neque verò rari quid est, aliquos robustos & validos ante præstitutum & debitum tempus à sudore surrexisse & tamen sanitatem recuperasse, sed hoc absque insigni periculo non fit.

§ 10. Præterea, etiam quamdiu durat vis sudoris fœtidi, nec manus detumescunt, nec symptomata cessant, oportet à somno abstinere, eiq; resistere vel piis colloquiis vel aliis licitis mediis: Nihilominus

minus ab hoc rigore aliquid licet remittere seu dispensare, modò somnus nimis diu non potrahatur, etenim hoc morbo laborantes ordinariè somno profundo detinentur, à quo metus est, ne venenum istiusmodi interiora versus aut in caput proserpat, producatque phrenesin, quam excipit morbus comitialis & tandem mors.

§ 11. Postquam igitur sudor, cordis palpitatio & anxietas cessaverint, & patiens aliquod levamen persentiscit, ejusque manus, quæ durante morbo intumuerant & obriguerant, iterum detumuerunt & ad naturalem statum redactæ sunt, detergendus ante omnia sudor est linteis calefactis, indusiumque calefactum induendum, atque ita sensim corpus denudandum, aliaque facienda, quæ in Curatione recensentur.

Causa hujus Morbi. § 12. Principalis causa hujus ægritudinis est *Divina virga & pœna*, quandoquidem inauditis blasphemiis & peccatis iram *Dei* super nos concitamus, justus Deus etiam eisdem incognitis antea mediis utitur ad puniendos contumaces, & ad *pœnitentes* castigandum clementer. *Sicut* idem, proh *dolor, ultimis hisce* depravatis & Terribilibus Temporibus *singulis anniversariis, imò* singulis ferè diebus nimium & miserandum experimur *& ad oculum* videmus. Deus nostri misereatur secundum suam bonitatem infinitam, & ineffabilem misericordiam, & mala hæc clementer avertat, & ab iisdem nos præservare dignetur virtute *sui Sancti* Spiritus per Dominum nostrum Jesum Christum.

§ 13. Si verò naturales spectemus causas, quibus mediantibus Deus etiam sua opera hominibus ostendit, cum lues hæc tempore autumnali & initio hyemis venenum suum quaquaversum dispersisset, qui proximè antecesserat annus, præsertim verò æstas valde fuit humida, & calor mediocris, talis verò aëris *constitutio* valdè est noxia, & morbis generandis opportuna, præcipuè pestilentibus contagiis & febribus, quod & ratio, & experientia quotidiana & testimonium Hippocr. Galeni & Avicennæ *satis* superq; evincunt. Et in variis tractibus Belgii hæc pestis incœpit præcedente crassa ac fœtida nebula, & venenam suum dirum magis effudit, multosque interfecit, mediante calido humidoque vento Meridionali, magnàque pluvia.

Signa. §. 14. Signa morbi hujus cognosci possunt ex recensito *initio*; sed breviter talia sunt, Frigus & horror, sudor fœtidus cum magna angustia & caloris sensu circum cor & pectus seu præcordia, etiam pulpitatio

palpitatio cordis, & calor. Rubor & tumor faciei cum dolore capitis: multi etiam dolore lumborum tentantur, alii ventris, alii stomachi, alii aliis in partibus dolores percipiunt.

§ 15. Pulsus, uti dictum, rarò potest explorari ob continuum sudorem, sed eodem finito reperitur talis, qualis in fine febris ardentis, nempe sub digitis plenus, mollis, & undosus, interdum quoque color, varius & mutabilis, pro diverso ægri temperamento. Urinam inspicere & examinare propter rationes prædictas, non possumus, quandoquidem initium adeò est vehemens, & æger in lecto cogitur decumbere, uti dictum. *Pulsus.*

§ 16. Quamvis autem hic morbus pestilens sit, non est tamen adeò contagiosus, quandoquidem ii, qui continuo ægris ministrant, non adeò à veneno hoc afficiuntur, atque ii, qui magnam sui curam gerunt, & longè recedunt, cujus equidem hac causa est, quod hi valde sint ad suscipiendum dispositi ratione constitutionis & temperamenti tales videlicet sunt præsertim, plethorici, ventricosi, & qui humoribus pravis scatent; tales etenim magno in periculo versantur, si contingat eos ab hoc morbo corripi. Juniores & seniores magis fuerunt liberi, præ aliis mediæ ætatis hominibus, quos præcipuè lues hæc invasit.

§ 17. Ut igitur pergamus ad Methodicam Curationem, quoniam hic morbus est acutissimus, ideò ut veneno huic rapido occurramus illudque evacuemus extra corpus, vires cordis vitales conservemus, statim ab initio nullâ interposita morâ, dabimus sequentis Electuarii ℥. ij. aut ℥. j. ſ. aut ℥. j., pro ætate, temperamento & viribus ægri cum haustu calido ex media parte aceti vini, altera medietate aqu. acetosæ aut scabiosæ, aut carduibenedicti, aut melissæ, & eo assumpto agrum cooperiemus, & sudorem promovebimus, ut supra dictum. *Curatio.*

℞. *Pulveris liberantis* ʒ. ij. *Electuarium.*
Coralli præparati, margaritarum præpar. ana ʒ. j. ſ.
Corticum citri, radic. tormentillæ ana ℈. ij.
Florum sulphuris ʒ. ſ.
Omnia redigantur in pulverem minutissimum, &
cum ʒ. ij. ſ.
Theriacæ optimæ, syrupi ex acido citri q. s. ad pulverem excipiendæ fiet opiata.

§ 18. Aliqui præbent simpliciter theriacam Andromachi,
 alii

alii ovum aureum aliaque antidota pro cujusque arbitrio.

Modus Parandi salem ex Herbis.

§ 18. Similiter Salia quædam utilia sunt, e. g. Sal absynthii, Scabiosæ, Card. Bened. quæ hoc modo parantur, *Herbæ* in cineres rediguntur ustione, tum affunditur aq. calida recens ex herba destillata, aut aqua bona communis, stentque *simul (alii* per horam cum dimidia decoquunt) dein aq. filtratur per *linteum*, & asservatur, tum verò alia denuò aqua relictis cineribus affunditur, iterumque stent aliquandiu aut decoquantur, & aqua iterum colata affundatur priori, demum nova solvens aqua affunditur, & ita porro, usque dum talis affusa aqua nullo sapore salso amplius prædita sit, nec in sapore aut colore alterata cernatur. Postea aqua hæc colabitur inclinando per filtrum laneum, eaque filtrata aqua indetur vasi testaceo, imponaturque *carbonibus*, aut arenæ cineribusve calidis & evaporetur, ita remanebit sal in fundo aut parietibus adhærebit, *quod in phiala* vitrea est asservandum. Hujus præbeantur *gr. xij. cum* vino albo, aut aq. Card. Bened. aut aq. *Borraginis aut Scabiosæ* calida. Valde utile est ad morbum, & sudorem promovet. Admisceri etiam poterit syr. ex acido citri, aut Saccharum rosaceum. Etenim hæ res valdè resistunt pestilentiæ. Ex hoc Sale paratur etiam oleum valdè efficax. Etenim hoc *sal primò* dissolvitur in aq. vitæ, quæ bis terve in balneo Mariæ *est rectificata*, ad abstractionem humiditatis aqueæ. Cum hac Spir. vini sal istud putredini exponetur per 5. aut 6. dies in fimo equino, aut balneo, deinde destillabitur; sic prodit oleum, cujus 3. aut 4. guttulæ cum aquis convenientibus seu potione exhibitæ potenter sudores movent. Licet quoque Sal istud *igne forti* calcinare, & supra porphyritem in subtilissimum pulverem, conterere, illumque phiala vitrea exceptum aut inditum *loco* humido in cella suspendere donec liquescendo resolvatur in substantiam oleo similem.

Oleum Salis.

Potio sudorifera.

§ 19. Paratur etiam commune decoctum valdè proficuum ad sudorem movendum ex milio, quod in aqua excoquitur donec exterior pellicula abscedat. Hujus decocti sumimus ℥. iij., & vini albi generosi ℥. j., miscæ & sumat calidè. Datur idem in febribus aliisque morbis in quibus sudores sunt ciendi.

§ 20. Quod si sudor brevi non apparuerit, ægroto apponemus silicem aut laterem ignitum, involutum tamen prius linteis in aq. & parum aceti madefactis, aut pedibus applicabimus lagenam staneam, aut vesicam communem aq. calida plenam, & lintea calida circumponemus tibiis, & brachiis, aut umbilico, ut tanto citius prodeat sudor.

§ 21. Eodem tempore dum sudor propellitur, utile erit conservas & condita cordialia præbere, e. g. Saccharum perlatum seu manus Christi, conservam fl. calendulæ, fl. Rosarum, Boraginis, Buglossæ, mixtam cum succo ribesiorum aut berberis, ad gratum saporem conservis concitandum, & ut tanto melius ingens sitis restinguatur, cui præcipuè sedandæ incumbendum est, in quem finem sumere oportet pruna Damascena in aq. cocta, sapam, (defrutum) aut rob. ribesiorum, cerasa condita & exsiccata, aliosque fructus acidos ritè præparatos. Quod si à potu abstinere æger non possit, tale Julep ad cor roborandum ac sitim extinguendam parari poterit. *Confortativa Cordis.*

℞. *Aquæ Acetosæ, Scabiosæ, Card. Benedict. ana* ℥. iij. *Julapium.*
Syr. de accido citri, de succo acetosa ana ℥. j. ſ.

Quæ invicem permixta, pro libitu patientis exhiberi poterunt ita tamen, ut durante sudore, semper tepidus reddatur potus. In magna animi defectione parum aq. cinnanomi cum aq. rosacea mixta poterit dari.

§ 22. Conducit etiam succus Granatorum, malorum aurantiorum, quorum odor etiam ad cor roborandum efficacissimus, ut est & mala citria, etiam aqua rosarum cum pauco mixta, & spongia excepta sapius naribus admoveatur.

§ 23. Conducibile est, si duæ partes aquæ rosarum & una aceti cum ʒ. j. caryophyllorum contusorum, & tantundem ligni santalini continuo in cubiculo ægroti super ignem decoquatur, id enim recreat valdè & adversus pestem prodest.

§ 24. Non oportet quoque cibum exhibere, quamdiu durat anxietas, præter jusculum Gallinæ, aut ex ovi vitello

paratum, avenæ aut hordei, aut ptisanam hordeaceam, cui admisceri poterit parum vini ad virium conservationem. Præberi debet tenuis cerevisia defœcata, aut aque hordei cui incocta sint pruna Damascena & acetosa, omnia tamen hæc sub declinationem morbi rectius.

Præservatio. § 25. Sub finem dierum majoris accessionis, post *sudorem* abstersum, & vestimentis indutis calefactis, & igni assidentes, cibo probæ digestionis & potu convenienti reficiendæ sunt vires & roborandæ, si patiens sic postulaverit, qui postea iterum in lectum mundum se conferet, & ad somnum se componet, qui tamdiu continuabitur, uti tunc natura requisierit.

§ 26. Ad præservationem hujus tam vehementis & venenati morbi, eadem adhibenda quæ in peste, de qua multa exstant, & corpus expurgandum à superfluis humoribus qui verò nimiâ humorum saburrâ premuntur, purgari debent regulariter, & temperatum corpus suum conservare per bonam *diætam*, & adversus aëris contagium munire cor Vita*lesque spiritus præscripto* Electuario, & quotidiano usu acidorum cibis admiscen*dorum. Ex.* grat. Omphacii, aceti vini, succi malorum aurantiorum, acetosæ, uvarum immaturarum, ribesiorum: insuper moderato usu aromatum Ex. gr. acinamomi, nucis moschatæ, macis, cariophyllorum, zinziberis, croci, rorismarini similiumque herbarum.

DE
ERYSIPELATE.

QUANQUAM origo affectus illius externi, qui *Erysipelas* dicitur, non sit recens, sed Antiquitati jam cognitus, & eapropter alicui mirum videri possit, eum sibi locum vendicare inter novos, incognitos & hactenus non descriptos morbos; Attamen, quandoquidem ejus curatio planè nova est, & minimè conveniens iis quæ à veteribus tradita sunt, tum etiam, quod idem affectus in nostra Germania curetur melius & certius à Mulierculis, quam à Medicis experientissimis Italis, qui è Græcis scriptoribus erroris sui circa Curationem fundamentum hauriunt: Necessarium duxi, etiam hujus mentionem

nem

nem facere, & hunc affectum collocare in numerum morborum hactenus non è fundamento sufficienter descriptorum.

§ 2. Apud Græcos nomen sortitur Erysipelatis, Belgis De Roose/ Germanis *Das Rotlauff*, & in quibusdam regionibus, quanquam non sine fallaci errore Carbunculi. Et quidem consentio planè in hoc cum veteribus, uti & modernis exteris & indigenis Medicis, quod hic morbus seu affectus originem suam habeat ex inflammatæ bilis nimietate, quæ ad conservationem partium internarum, puta cerebri, cordis, & præcipue jecinoris, vi & robore naturæ venas, in habitum corporis, utpote partem debiliorem ignobilior & veluti Emunctorium expellitur. Sed hic insuper addam biliosum illum humorem esse acrem & venenatæ naturæ utplurimum; etenim hic tumor invadit improvisò & tanta cum celeritate cum rigore & subsequente calore febrili, item glandularum inflammationibus & bubonibus, ut aliquis statim credat se Peste correptum donec malum hoc se patefaciat in tibia aliave parte cum insigni ardentissimoque rubore, sed exiguo admodum tumore. *Erysipelas.*

§ 3. Hinc equidem Tumoris tria sunt genera, videlicet Erysipelas purum, Erysipelas phlegmonodes, & œdematodes, proveniens è mixtura bilis & pituitæ salsæ, quanquam scriptores nostri plures recenseant species. Et licet ultima hæc species non sit adeò frequens in peregrinis regionibus; tamen Germani admodum sunt eidem subjecti, ratione frigidæ & pituitosæ constitutionis. *Species Erysipelatis.*

§ 4. Ut hoc malum tutò curari possit, duo sunt scopi attendendi, primò, causa antecedens & affluens est, per derivationem aliò ducenda, aut est planè tollenda & radicitus exstirpanda per evacuationem; secundum malum parti affectæ inhærens est discutiendum. Ad prius obtinendum bonam, oportet instituere diætam, abstinere à vino, bibendo ejus vice cerevisiam, aut aq. coctam, aut acidulas ubi ea haberi poterunt: vitare cibos qui calorem accendere in sanguine possint, E. g. aromota, sinapi, cepas & similia, quæ unusquisque novit. Deinde circumspiciendum, num patiens sit plethoricus, & venas habeat amplas ac tumidas & an bilis foveatur à sanguine, unde oritur Erysipelas phlegmonodes communiter in Germanorum corporbus athleticis; Tunc vena Hepatica aut Mediana dextri brachii est incidenda, neque tamen pertimescendum *Vena sectio.*

timeſcendum eſt, ne bilis tam modica ſit aut tali copia in ſanguine ſuprabundet, ut per eam venæſectionem efferveſcat, & veluti turgens ab una parte in alteram diſcurrat, quam regulam & cautionem obſervare ſolent Practici in Phrenitide, aliiſque à bile cauſatis morbis, ne bilis ſanguinem faciat furere, nam & veterum axioma eſt, ſanguinem eſſe frenum choleræ: quoniam *corpora* noſtra non ſunt temperamenti tam calidi, ſed magis ſanguinei, *ut* adeò nullus ejuſmodi metus adeſſe debeat: Imo novi ego Comitem, qui ex Eryſipelate mortuus eſt, præ timore & puſillanimitate Medici, qui ſanguinem ipſi verebatur detrahere.

Purgatio. § 5. Quod ſi verò plethoræ ſigna non adſint, ſuperſedere poſſumus venæſectioni, & quamprimum naturæ laboranti ſubvenire potiuncula leniter purgante quæ dicata ſit bilis expurgationi; quale eſt ſequens.

℞. *Rhabarbari optimi* ʒ. ij.
Spicæ nardi gr. vj.
Minutim conciſa infundantur per noctem in ℥. iij. ſ. *aut* IV. *aq. Endiviæ, dein fortiter exprime, & Col. expreſſæ adde Elect. Catholici & roſati Meſues ana* ʒ. iij.
Syr. roſ. ſol. ℥. j. M. f. hauſtus.

Circa quintam matutinam aſſumendus. Si vero Eryſipelas magis ſit œdematodes, tumorque elatior, loco Elect. *roſ.* Meſues ſumemus Elect. diacartham. Quod ſi corpus ſcatuerit *mix*tura variorum bilioſorum, pituitoſorum & aquoſorum humorum, quos impoſſibile eſt omnes una vice expurgare, tunc apud me in uſu eſt ſimile Apozema, è quo hauſtus aſſumendus per ties quatuorve dies continuos horis matutinis,

℞. *Endiviæ, Helitropii, Chamedryos, Bugloſſæ ana* m. ſ.
Tamarindorum ℥. ij.
Sem. Fœniculi ℥. ſ.
Omnia coquantur in ſ. q. aquæ donec remanſerint ℔. ij., *tum exprimantur, & expreſſæ Col. adde fol Sennæ Alexandrinæ* ℥. j. ſ.
Agarici ℥. j.
Rhabarb. ʒ. VI.
Zinzib. ʒ. iij.

Ebulliant ſimul, & ſuper cineres calidos, aut loco calido per noctē ſtent in infuſione, manè iterū caleſiant & per goſſypinum pannum

ſetaceum diligenter exprimendo colentur, tum admiſce ſyr. roſ. ſolut. ℥. v. Hujus Apozematis ſumantur ſingulis diebus manè ℥. vj., continuando per quatuor dies & ſucceſſum expectando.

§ 6. Huc uſque alii Medici mecum unanimiter concordabunt, ſed deinceps peculiari modo mihi procedendum eſt. Poſtquam igitur & pravis humoribus expurgatum eſt, ſive una vice, ſive apozemate pluribus, ſequenti die ſudoriferum eſt exhibendum, ut natura partim per ſudores expellat humores peccantes reſiduos, partim materiam contentam & impactam per habitum digerat, ſi forte eadem aut imbecillis nimium, aut cutis denſior exiſteret. Et ſiquidem cognoverimus, non adeſſe humorum plenitudinem, aut non permittere inſtans vel præſens iter, aliuſve caſus venæſectionem aut purgationem, nihilominus ſudoriferum erit exhibendum. Quoniam ordinariè unuſquiſque ſecum fert, aut habere poteſt ubique locorum Theriacam, cujus aſſumatur pondus aurei coronati, plus minuſve pro conditione patientis cum aq. Card. Bened. aut aq. hordei ſimplici. Poteſt quoque ſequens propinari, quod *Sudorifera.*

℞. *Aq. Sambuci* ℥. iij. *ſem. Apii* ℈. ij.
Terræ ſigillatæ ℈. ſ. miſce.

§ 7. Ad eundem affectum utilis eſt ſyrupus S. Ambroſii, qui ſic parari poterit. *Syr. S. Ambroſii.*

℞. *Mili decorticati* ℥. ij.
Coque in ℔. ij. *aq. ad remanentiam quartæ aut quintæ partis, tum Col. tantundem vini admiſcæ*, & aſſume calidè expectando ſudorem.

§ 8. Aliâs quoque probatum experimentum eſt, conducit *ut* ℈. ſ. *ſulph. ol.* cœparum *aut plus cum aq. fumariæ lupuli & heliotropii ana* ℥. j. *aq. portulacæ.* ℥. ij. Miſce & aſſumatur. Hæc in peſte quoque prodeſt; ſi bis terve aſſumatur.

§ 9. Veniamus nunc ad externos affectus, qua ratione iis ſit ſuccurrendum, & utrum veteres atque exteri, an verò nos melius eos curemus, perluſtrandum. Veteres Scriptores, Galenus, Paulus Ægineta, Avicenna eorumque aſſiclæ, docent unanimiter, exterius refrigerantia medicamenta eſſe Eryſipelati adhibenda, imo aq. frigida illud eſſe refrigerandum quin imò aſtringentia eſſe applicanda, quæ omni medica- *Topica ſeu Externa medicamenta.*

 menta

menta acerbioris sunt naturæ, & repellentia. Sed quod magis mirére, nonnulli eorum suadent, procedendum esse ad ea quæ in summo gradu refrigerant, videl. Opium, Mandragoram & similia; sed hæ opiniones erroris sunt plenæ, has ob rationes, 1. quod humor in hoc affectu peccans acris sit, & sæpius malignus ac venenatus, qui dum impeditur per imposita exterius refrigerantia per vaporosum halitum exire, *interius* oritur suppuratio, quæ juxta Hippocratis doctrinam lib. VII. Aph. 2. valdè periculosa existit. 2. Succedit facile partis mortificatio, quia statim adest gangræna s. inflammatio mortificans, & tanto magis, siquidem opium fuerit impositum, sicut ego vidi ex sola cum opio suffumigatione facta crus fuisse suppuratum & mortificatum, multaque ulcera porosa fuisse enata, ad quæ tandem patiens è vita decesserit, quæ res sæpius accidere debet Medicis Italis, & idem contigisse debuit veteribus Græcis & Arabibus, quapropter monuerunt, non esse nimis diu hæc refrigerantia, parti *affectæ applicanda*, ne pejor præcedenti morbus suboriatur. *Quapropter Paulus Ægineta* tria signa recenset, quibus cognoscere possumus, quando medicamenta refrigerantia sufficienter opus suum peregerint videl. 1. cum patiens ipse experitur partem magis esse attemperatam, 2. cum calor ferè refrixerit. 3. cum color mutatur in lividum aut nigrum, sed in hac tam ancipiti eorum *methodo*, antequam cavere sibi possint, reliqua recensita jam pericula adsunt. Tandem etiam facilè intelligere possumus, tales acres & venenatos humores retrocedere debere, & interiores partes principes inficere, præsertim si Natura nimis debilis sit ad resistendum, aut quando humor biliosus fervidus est *nimius*, sicut in ea Erysipelatis specie experimur, quam Plinius *Zonam* vocat, in quo affectu malum à cruribus usque ad guttur continuo Erysipelate se ostendit, sicuti memini me vidisse, sed hic casus rarus est: Indéque fit, dum Eysipelas collum occupat, aut caput, adhibitis refrigerantibus & repercutientibus medicamentis bilis feratur ad cerebrum, & ibidem producat phrenitim, surditatem, aut Erysipelas cerebri, quod lethale est, aut anginam aut similes affectus, quod etiam bene animadvertit Ægineta, ubi dicit; Erysipelas in capite esse

Aphor. 2.

esse periculosum, & causare angustiam colli, sed causam erroris silentio præterit; quod si versus cor eadem materia feratur, succedit febris ardens *causos* Græcis, similiter, si ad hepar materia accedat, subita nascitur inflammatio. Et iccirco refert Hippocr. Aph. 25. lib. 6. periculosum esse, si Erysipelas à partibus externis intrò feratur, uti contra pro bono habet signo, si ab intra foràs vergat. Aph. 25. lib. VI.

§ 10. Quid igitur faciendum hîc est: Hoc breviter dicam; Erysipelas nihil est aliud quàm ardens inflammatio cutis, cum exiguo tumore, ab influxu bilis procedens, & eo ferè modo, quod ad Topica concernit, curari debet, uti solent Ambusta, si aliquod membrum sive pes fuerit sive brachium fervescente aqua adusseris, indasque in aquam frigidam ad refrigerandum; quid sequitur? Nimirum, ardor ille per caloris concentrationem, introrsum cedit celerius, & dolor adaugetur. Nec solum in ejusmodi combustione exigua, sed si contigerit Turrim accendi à pulvere pyrio, aut si tormentum bellicum explosum fuerit, non est illud restinguendum aquâ, sed aceto, quod penetrare potest, & extrorsum evocare calorem: itaque adhibenda sunt talia medicamenta, quæ licet videantur esse naturæ calidæ, tamen possunt penetrare, & ardorem extrahere. Sed hic mihi fortè aliquis objiciat Veterum Medicorum receptum Axioma; *Contraria contrariis curari*, adeóque calorem refrigerantibus, frigida calefacientibus esse adjuvanda. Fateor sanè, neque enim inficias ire possum, sed videndum quis sit verus hujus axiomatis sensus? videlicet, in quacunque parte adest calor præternaturalis, ea per imminutionem causarum calefacientium est refrigeranda & reducenda ad naturalem temperiem: neque enim hoc modo procedendum est; hæc pars est nimis calefacta, & influxum patitur humoris calidi, Ergo per refrigerantia calor, & per repellentia medicamenta influxus est corrigendus. Nam causa Erysipelatis non tam peccat quantitate ac qualitate, quod vel ex eo facilè est colligere, quoniam sæpius die unò duobus aut tribus contingat illud curari absque adhibita purgatione aut venæsectione aut similibus, sola externa applicatione. Neque hoc solum, imò multi tantum Erysipelas Mastiche suffumigant, aut thure; aut herba hypericonis; nonnulli adhibent lin-

teum quod adhuc lotionem expertum non est sed recens à textore venit: Alii verò tibiæ circum ligant filum rubrum supra in locum affectum, & ex imaginationi superstitiosa existimant Erysipelas non ulterius ascendere, aut filum oblinunt Theriaca. Ideò communicare vobis volo, quædam remedia experta, quæ exterius applicari poterunt, & primo quidem è lixivio communi subsidentis quod penetrat & validè evocat, plurima parantur.

℞. *Lixivii communis, Olei Olivarum* ℔. j.

Adde pro dolore mitigando vitellum ovi principio affunde parum lixivii oleo, & conquassato benè, postea plus & plus donec omnia fuerint simul mixta.

Intinge linteum in hoc liquore, & applica loco affecto poterit quoque vitellus omitti, quodsi copia tibi sit sambucinorum florum olei, erit tanto præstantius.

§ 11. Similiter sicuti autem è lixivio subsidente seu liquido paratur smegma, sic etiam illud ad hoc *opus admodum est utile*, si sapo conquassetur in aq. florum sambuci, *aut in ejus defectu* in aq. communi, & linteum intingatur, & contin*uò exsiccetur* & tepide applicetur loco affecto, & quam primum incipit exsiccari, iterum renovetur. Possumus etiam miscere partem unam saponis Veneti, & duas fimi vaccini in aqua, & ex iis conficere Cataplasma, quod Erysipelati applicetur. Sic etiam varia possunt comparari remedia ex solo sambuco; nam præcipio, ut statim Erysipelate incipiente cortex sambuci abradatur, & circumcirca membro toto patienti obvolvatur, renovando idem ter de die, ut cito exsiccetur, Alioquin miscere soleo ʒ. j. Theriacæ cum 4. aut 5. ℥. aq. flor. sambuci, & linteum immergo, illudque expressum tepidè impono Erysipelati, *quod sæpius* à me probatum est, potestque hoc commodè adhiberi capiti, aut collo, aut lateribus seu costis. Hoc remedio curavi aliquando nobilem, qui apostema habebat sub brachio sinistro, quod aperiebatur, & multam saniem fundebat, cui supervenit Erysipelas, totum occupans latus, quod, ob Cordis viciniam, valdè erat periculosum, si frigida fuissent adhibita, & præcipuè cum experientia nos *Aphoris. 19. l. 7.* doceat, & Hipocr. testetur Aph. 19. l. 7. Erysipelas valdè periculosum esse, quod supervenit ulceribus atque vulneribus, & præter Topicum illud memoratum nihil adhibui amplius, quam cassiam recens extractam ad blandam biliosæ materiæ expurgationem.

§ 12. Si-

§ 12. Similiter possumus internæ corticis Tiliæ manipulum unum, aut alterum minutim concidere, & per noctem macerare in aq. florum sambuci, eique linteum intingere, quod leviter expressum imponitur, & exsiccatum, iterum recens adhibetur. Ex quo facilè patet, similia ferè adhibenda esse in Erysipelate, veluti ad ambusta. Est etiam secretum præstans, si Erysipelas inungamus leviter pluma idtincta in felle carpionis superponendo linteum nitidum seu exsiccatum.

§ 13. Hisce remediis scopum tuum obtinebis; interim poteris quoque uti baccis juniperi in aceto coctis, & inter duo lintea affecto loco impositis, renovando illud sæpius, sicubi ab ardore loci fuerit exsiccatum.

§ 14. Alii felici successu inungunt atramento scriptorum communi, quæ res probabili ratione non caret, & ni memoriâ fallor, à Benedicto Victorio Faventino in Empirica sua recensetur.

§ 15. Nonnulli accipiunt vitellos ovi nº. vj. addunt parum salis, & pauxillum boli Armeni, ex iis Emplastrum conficiunt, inponuntque affectui, quod ardorem extrahit: similes plurimas medicamentorum formulas hic possem addere, sed supervacaneum existimo, cum in omnibus rebus modus sit.

§ 16. In Erysipelate œdematoso, quod frigidioris est naturæ, & majore tumore conspicuum est valde expertus sum utile, si inferior crusta panis atri in cerevisia decoquatur, addendo manipulum flor. Camomillæ, donec pulticula inde fiat, quæ vel intra duplicatum linteum, vel simpliciter cuti admoveatur.

§ 17. Quod si per negligentiam, aliudque infortunium contingat cutim abscedere (separari) & Erysipelas in ulcus transeat, affectui inspergendus est pulvis lapidis calaminaris vel diapalma inponatur, vel sequens sparadrapum.

℞. *Ol. olivarum* ℔. ij. *ebulliat in vase terreo vitreato, adde cerussæ super porphyrite lævigatæ* ℥. iv.

Agita continuò & ebullire fac ad usque nigredinem, deinde admisce lythargyrii aurei, similiter lævigati ℥. ij. & agita donec spissum evadat; dinceps ab igne remove & agitando misce ℥. j. myrrhæ pulverisatæ, in quo lintea petia immergantur; eaque lævigentur, serventurque ad usum, sunt enim petia hæc utilia quoque ad ambusta, similesque affectus.

§ 18. Quandoquidem verò multi hoc affectu tentantur mul- *Cura Praeservativa.*

tæque sint familiæ, quibus ille hæreditarius est sicut ego novi Electoralia Principumque stemmata, quæ ad hoc malum hæreditariam habent dispositionem; iis valdè necessarium est, tempestivè verno tempore purgari, &, si res postulat, sanguinem detrahi, & bonam diætam observare: nonnulli præservationis loco, mense Majo, per novem dies singulo mane utuntur hac placentula. ℞. *Chamædryos, dentis Leonis, Absynthii ana m. j. Vitellos ovorum* nº. ij., concisa in butyro frigere oportet & placentulam conficere, & singulo mane eâ uti; alioquin iis præscribo mense Majo per aliquot dies serum lactis, in quo prædictæ herbæ sint decoctæ.

DE MIRABILI TORMINE PRÆDOMINANTE,

Seu

ILIACA PASSIONE,

Quâ laboravit Illustrißima Comitissa de Teckhelnburg, Bentheim & Steinfurdt.


FFECTUS hic summè dolorificus invasit Illustrissimam Dominam 1569. mense Decembri, cum esset annorum 38. complexionis sanguineæ, & habentem tum internas tum externas partes valdè sensiles, quæ causa fuit, quod dolores celerius advenerint, & intensiores fuerint, præterea corpore ensarco præditam & prætumidam, ita ut corporis regio subjacens septo transverso, longo tempore ante hujus mali invasionem fuerit inflata, accedente respirationis difficultatė. Ad quæ omnia tandem accessit seu supervenit inauditus & intolerabilis dolor, præcipuè in latere dextro circa regionem Hepatis in Intestino Ileo, cum inflatione, tumore, & tensione, ac si tota ea pars cordam tensam repræsentaret, in tantum ut metus esset, ne totus venter inferior disrumperetur; subsecutus deinde est

tam vehemens vomitus limosæ pituitæ & variæ bilis, ut adstantes putaverint internum aliquod apostema fuisse. Et quanquam dolor postea per aliquot dies nonnihil fuerit imminutus, morbus tamen tractu temporis taliter recruduit, ut insignes & miserandi dolores iterum fuerint oborti, ægramque Illustrem graviter afflixerint, circa horam noctis potissimum undecimam, & ordinariè tertio quoque die, instar motus seu typi Tertianæ febris, nonnunquam quarta etiam nocte, aut sexta, interdum ulteriore vicissitudine. Postea mense Majo insigne frigus continuò adfuit in abdomine, ad quod demulcendem usi sumus clysteribus cum lenibus purgationibus, quibus peccans materia fuit expurgata, etiam Emplastra fuerunt imposita, quibus frigus fuit superatum & frigidi flatus die noctéque fuerunt exclusi, adeò ut æstatem ferè totam transegerit valetudine sic satis commoda, nisi quod interdum parvæ aliquæ remanserint motionum reliquiæ. Attamen incipiente hyeme iterum affectus hic incepit sese ostendere, noctis hora circiter decima, & statum tempus circuitus retinuit de quarta in quartam noctem, nonnunquam quinta, sexta, imò nona redibat, prout major aut minor materiæ copia per vomitum rejiciebatur: Et hi miserandi dolores identidem sentiebantur intra Hepar & renem dextrum, in fine intestini Ilei, cui adhæret intestinum cœcum. Et quia hinc ascendit intestinum Colon ad cava Jecoris, itidem dolor dispergebatur versus fundum ventriculi, versus lienem in latere sinistro, & porrò descendebat versus os pubis, quo loco idem intestinum retorquetur versus Umbilicum, sed magis ad latus sinistrum, tandemque desinebat in intestinum rectum.

Ileum. Cæcum. Saccus. Mono-culus. Colon.

§ 2. Quandoquidem verò insignis ille dolor pro diverso ductu intestini Coli nunc huc nunc illuc locum seu sedem suam mutabat, multi opinabantur, eum provenire è matricis ascensu, verùm ita se res non habet, quanquam Germanorum plurimi, quibus non innotuit constitutio corporis humani, hanc passionem Iliacam prædominantem viri Matricem *die Mans Mutter* appellent. Nam Iliaca passio tam subitus & miserabilis, imo lethalis affectus est, præsertim in senioribus, qui raro evadunt mortem, ut apud plurimos veterum scriptorum ob hanc causam nomen acceperit *Miserere mei*, Latinis autem, ob dolores pungentes corripientesque in ambitum veluti & circulum *Volvulus* aut

Miserere mei. Volvulus.

Con-

Convolvulus Chordapsus.

Convolvulus dicitur: ob eam causam Græcis dicitur *Ileos*; aut etiam *Chordapsus*, à tensione & inflatione chordarum instar. Et principio accedit cum vomitu impetuoso multisque ructibus absque levamine tamen, cum borborygmis, alvi suppressione & flatuum retentione, talique dolore lancinante, ac si venter acubus pungeretur, aut terebrà perforaretur, etiam cum valida & forti contractione nervorum, usque ad posteriora capitis, instar spasmi. Galenus verò noster in ea fuit opinione, vix aliquis evadere, præter infantes & pueros, quibus humiditas naturalis præsidio est.

§ 3. In augmento hujus morbi, omnia vergunt ad partes superiores, & sequitur vomitus pituitæ cui bilis est admixta, frigus per universum corpus, dolor divellens, in multis respirationis difficultas, & fœtidus oscitantium halitus, ut etiam stercus, quod per inferiora exitum non invenit, nec eo deduci potest per clysteres validos, necessario cum eructationibus aliisque symptomatibus debet sursum vergere, & per os exire, quæ omnia iis citius accidunt, qui interituri sunt.

§ 4. Cum itaque miserabilis hic affectus hoc modo aliquamdiu duravit tandem solet imminui & cessare, post insignem & (copiosum) vomitum materiæ phlegmaticæ, & variæ bilis, subsequebatur nonnunquam, licet rarius, vomitus materiæ nigricantis & melancholicæ, primò enim evacuatur illud quod in ventriculo est, (nam durabat ordinariè tempus accessionis per tres horas) deinde acris & inflammata urina cum arenula divellente, quæ prius tempore majoris doloris planè erat suppressa, excernitur, uti etiam flatus retenti, quanquam horum duorum, extra paroxysmum, nunc tanta non sit abundantia. Invadebat autem semper cum tanta vehementia & violentia, instar febris subitaneæ rapidæque, sed post varios cruciatus perpessos corpus reficiebatur somno, solummodo sine singulari tormento remanebant ructus plurimi, & murmur intestinorum, & sitis magna, ratione prægressi dolorifici laboris.

§ 5. Quanquam verò multi existimabant, in hoc malo optimum esse vini potum, & cibos conditos herbis calefacientibus atque aromatis ad meliorem digestionem, atque ad præcavendos flatus, tamen ego observavi purgatione excretam materiam fuisse liquidam, tenuem & cholericam; urinam verò inflammatam & acrem. Post 12. Decembris anni 1570. qui fuit dies summæ

mæ afflictionis, singulo mane exhibebatur haustus cerevisiæ lenioris cum vitello ovi recentis, additis subinde duobus Cochlearibus syr. rosʃ. laxativi, interdum quoque pulvis intestinorum lupi cum pauco cinnamomio. Præterea in principio mensæ, in prandio & cœna bonam defœcatam & lenem cerevisiam bibebat, & deinde vinum album purum, Interim ad sedandos intolerabiles dolores valdè conducebat ℥ s. philonii Romani cum ℈ j. mithridatii exhibiti cum duobus cochlearibus aq. camomillæ calidæ, aut tantundem vini optimi. Sed optimum & excellens supra omnia alia remedia fuit antidotum nostrum s. arcanum, quod Illustª. patiens continuò secum habebat, ut eo uti posset, redeunte gravi paroxysmo, forma exiguæ pilulæ magnitudinis seu instar dimidii pisi, quo ejusmodi dolores brevi compescuntur absq; ulla molestia, estque hoc medicamentum præcipuè Illustª. dominationi valde conveniens, quæ solet incredibiliter à quibusvis pharmacis abhorrere.

§ 5. Summopere item profuit, & conservavit abdominis temperiem naturalem Emplastrum excellens, quod continuò ventri applicatum gestatur, & sic componitur. *Malagma.*

℞. *Rutæ, absynthii*, an. m. ij. *menthæ cruciatæ majoranæ* an. m. j. *Flor. Camomillæ Romanæ*, m. ij. *Flor. Meliloti Romani, flor. anethi* an. m. j. *flor. rorismarini* m. s. *seminis cumini, anisi, fœniculi, dauci* an. ℥ vj. *baccar lauri* ℥ j. *cariophyllorum, galangæ* an. ℥ s.

Omnia pulverizentur, sed non cribrentur, deinde inspergatur panno laneo coloris ostrini ad magnitudinem ventris præparati, imponaturque gossypium & irroretur ol. sem. anethi destillato, iterum desuper inspergatur pulvis, & irroretur ol. sem. anethi destillato, tum supra sindone rubri coloris cooperiatur, & s. a. consuatur sæpius filum traducendo. Quoniam verò sua natura hepar calidius existit, poterit hic sacculus in ejusdem regione parum abscindi (aut resecari) ne jecur offendatur.

§ 6. Ad renum calorem & tormina inuncti fuerunt lumbi. Ung. rosaceo, & exhibitur sequens pulvis valdè temperatus. *Pulvis adversus Calculum & Tormina.*

℞. *Oc. cancri super porphyritem levigatorum, lapidis Iudaici similiter præparati* an. ʒ ij. *intestinorum lupi siccatorum* ʒ j. *Seminis anisi, nucis moschatæ, cinnamoni* an. ʒ s.

Omnia redigantur in pulverem subtilem, cujus sumantur singulis vicibus ʒ j. cum aq. parietariæ. ℥ ij. & parum sacchari, aut cum jusculo convenienti, aut vino oligophoro & maturo.

§ 7. Etiam adversus matricis suffocationes, cujus ascensus continuo metuebatur, quia Illustª. patiens facilè læditur à minimis gratis *Adversus suffocationes matricis.*

 odori-

odoribus, excellit gutta una olei è nigro succino. Assumpta cum cochleari vini, aut si una aut altera seq. pilularum sumatur.

℞. *Gummi serapini* ʒ j. *Castorei* ʒ s. *misce cum s. q. succi cardiacæ aut rutæ, adde guttas duas ol. succ. nigri aut succini communis,*

Fiant Pilulæ l.a. ex singulis drachmis novem, & utatur uti dictum.

§ 8. Quandoquidem vero Illustrissima patiens valdè delectatur arte destillatoria, & valdè ipsi placebat compositio aq. vitæ quæ ad præcavenda symptomata plura, in apopleziam. Torminibus utiliter sumi posset, addidi formulam compositionis ad præcavenda mala commemorata, & etiam ut in accessione eadem uti posset.

℞. *Radic. pæoniæ maris recentium* ℥ j. *rad. pimpinellæ angelicæ, zedoariæ, tormentillæ, Valerianæ* an. ℥ s. *rad. Cariophyllatæ, diptamni veri* an. ʒ ij. *visci quercini* ℥ s. *cortic. citri, aurantiorum* an. ʒ v. *sem. sinapi albi, anisi, fœniculi, coriandri, citri* an. ʒ iij. *sem. nardi* ʒ j. *sem. pæoniæ decorticatorum* ℥ s. *saccharum Juniperi, lauri, decorticatorum, cardamomi, cubebar:* an. ʒ *ij. s. cinnamomi cortic. electi* ʒ vj. *nucis moschatæ, macis, cariophyllorum, galangæ* an. ʒ iij. *calami, zinzib. piperis longi & rotundi, granorum paradisi* an. ʒ ij. s. *Salviæ, rutæ, carduibened.* an. m. j. *melissæ, majoranæ, menthæ cruciatæ, hyssopi, scabiosæ* an. m. s. *Flor. liliorum convallium* ℥ ij. *fl. primulæ veris flor. Tiliæ* an. ʒ vj. *flor. lavendulæ, pæoniæ, betonicæ stœchados arabicæ* an. ℥ s. *Camomill. Romanæ* ʒ iij. *flor. calendulæ, buglossæ borrag.* an. ʒ *ij. Cui visum fuerit, addere poterit folia auri* n°. v.

Omnia conquassentur & contundantur grosso modo, & matratio vitreo indantur, affundendo mensuras duas (℔ viij.) vini Malvatici aut Moscatellini optimi, aut generosi Rhenani, vaseque probè obthuratum soli exponatur ad macerandum per dies XIV. subinde agitando, & postea in Balneo Mariæ destillando.

§ 9. Si quis desiderat egregium & ingeniosum instrumentum, quo mediante subtilissimi spiritus ex herbis, aut olea ex aromatibus, aut etiam spiritus vini elici possit, quanquam ejusmodi varia sint excogitata, volui tamen sub finem hujus tractatus in gratiam eorum qui artem hanc amore prosequuntur ejus construendi modum docere.

§ 10. Primo igitur fiat fornax quadratus, cui inponatur vesica ænea exigua, una cum suis è lamina tubulis ac instrumentis fabricatis. Uti schema ostendit.

§ 11. Deinde Vesica fornaci imponatur, relinquendo in uno quoque

die IX. Februarii MDLXIV. Hora vespertina in sublimius tabulatum eum vocans, ut simul pecuniam perditam inquirerent, inde eum præcipitem per tabulati valvas dedit: moxque insequuta, caput & brachium sinistrum securi amputat, ac in ignem conjicit, sic porro reliquas corporis partes flammis absumptura. Strepitum & nidorem gravem animadvertunt vicini, in ædes irruunt, & tragici spectaculi furias contuentur. A magistratu in carcerem abripitur fœmina hæc, & distracta prius ignitis forcipibus, rotæ imponitur 12. Februarii. Attende justis Dei judiciis, pie Lector.

§ 8. Conjuratio Magdeburgi familiaris cuidam mulieri Catharinæ nomine adversus maritum militem, si quando ipsa vapulet: asseritque hac ratione securam à verberibus se esse, quorum alioqui frequēti impressione tantum non pessum ivisset. A nobili fœmina se edoctam fuisse fatebatur anno 1573. in Augusto, quum illac in Prussiam, comitatu solenni illustrissimam Ducissam Mariam Leonoram deduceremus. Germanica exorcismi verba ita sonant Latinè: Conjuro tuam insolentiam, ut cor tibi infringatur, nec os tuum loquatur, & brachium mutiletur: sic me juvet Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen. Extrema verba ter reiterantur. En insignem impietatem.

De exorcismo & missa ad gehennam condemnante.

CAP. XXV.

OBITER hic inserendum occurrit, apud Theologos quosdam arcanam esse Exorcismi formam, sed execrabilem, quam vocant Condemnationem ad gehennam. Hanc usurpant, quando anima corporeo scilicet vestita aspectu, per solitarias ædes noctu vagatur, & habitatoribus molesta est ejulatibus altisque suspiriis, ex tormentis, quæ in Purgatorio misere suffert, ob facultates male quæsitas aut patrata facinora, aut ministeria non rite administrata, aut quacunque alia de causa, nec vel Missis vel exorcismis communibus aliisve imprecationibus potest abigi, vel ad quietem cogi: tunc, inquam, exorcista, adhibitis prius ceremoniis, tumulum demortui corporis, quod hæc anima repræsentabat, conculcat pede, prolatis his verbis, Vade ad gehennam: ac illico parens dicto ad inferos delabitur ista anima, in perpetuum condemnata. Inde nihil amplius animadvertitur nocturni terroris: raro tamen nec libenter ad hoc venitur remedium, quum habeatur periculosum, nisi aliis irritis. Non ignotus Confluentiæ civis est, quem monachi sunt hortati, ut in ejusmodi exorcismum, suum dare votum non gravaretur.

Missa ad gehennam deturbans. Seinckmissa.

§ 2. Huc facit & Missa in gehennam deturbans, nostratibus Theologis *Seinckmiss.* nuncupata: cujus celebratione, uti decreto irrevocabili ad tartara incunctanter demergitur irrequietus spiritus. De hac exemplum memorabile mihi nimis cognitum enarrare non pigebit, si forte usui quandoque in similium casuum dignotione esse possit. Circiter annum 1548. in civitate comitatus Montensis apud generosam dominam in Wiss, in cubiculo quodam (vbi & ego *lecto* fruebar eodem, siquando vocabar, stipendiarius nimirum huic matronæ medicus) vir quidam ecclesiasticus mihi non ignotus, dignitatem postea consequutus, quum dormiret, & per effractum vitri orbiculum noctu felis insiliens exiliensque, eundem è somno excitasset inquietumque reddidisset, hic apud generosam Dominam, nimis ad tales suggestiones facilem, hora matutina suas effundit querelas, se scilicet in cubiculo illo, inauspicato tota nocte à vagabundo *spiritu* terriculamentis insomnem redditum, & velut acerbum sibi impressum tormentum. Quid multis? Illa attonita pavidaque, quæ ejusce modi mulierculanum est conditio, consilium mox *rogat*. Seinckmissa ad gehennam præcipitante opus fore, *statim respondet alter*. Placet consilium. Conditione accepta, ad Collegium suum ille *redit*.

§ 3. Post septimanas paucas se Dominæ rursus sistit, solutione Seinckmissæ importunius iniquiusque postulata: se quidem nihil petere, subjungens: sed miseris illis sacrificis, qui frequenti *talium* Missarum celebratione non ignavam præstitissent operam, indeque victum quæritarent, non prorogandam solutionem Mercedem *illa* quærit: octodecim, si recte memini, equites aureos Geldrienses inde deberi, asserit hic Ecclesiasticus. Illa quum Doesburgi apud Geldros esset, & tunc temporis pecunia careret, à Patre societatis Fratrum vicino, petit mutuo pecuniam, altero inscio: qui eadem accepta, ostium domus aperiens, prædam ablaturus, Patrem illum forte obvium, quippe ad prandium à Domina vocatum, impudenter ita salutat alloquiturque extensa manu, qua pecuniam ostentabat: Pater, hoc mihi cessit, quid tu es consequutus? E vestigio hic infert: Quum pecuniam illam postremo viderem, mea erat. Sic cũ Seinckmissæ precio se surripit presbyter ille, Plutonis spiritum usuram usque adeo liberalem refudisse ob operam præstitam, in sinu ridens: mire autem celebris ob pecuniæ aucupium. Credulitatem hanc & passam fraudem postea Dominæ aliquando coram exprobrasse me recordor.

Celebris

qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium malum, & dominatus eis, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem innotuit omnibus Iudæis simul & Græcis, qui habitabant Ephesi, & timor incidit super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini IESU. Multi vero ex iis, qui curiosas exercuerant artes, comportatos libros exusserunt coram omnibus: & supputatis illorum preciis, pecuniæ quinquaginta millia repererunt.

Historiæ memorabiles quorundam exorcistarum.

CAP. XXIV.

RARAM, sed memorandam historiam cujusdam exorcistæ, ex eorum numero, qui ad se solum spectare exorcismis dæmones expellendi officium, persuasum habent, negligere decuit minime. Quidam pastoris munere fungens in pago Durweiss, circa Esweiler, puellam nomine Helenam diaboli obsidione pressam in Loen pago, prope Aldenhovium sito, in Iuliæ ducatu, suis execrationibus se liberare velle, elato supercilio promittebat, convocatis ad hujus miraculi spectaculum solenne aliquot ecclesiasticis vicinis: quorum unus, pastor nimirum in Biecht Ioannes Windelius, qui actioni interfuit, rem omnem mihi recensuit ordine, atque ex mea petitione scripsit.

§ 2. Exorcistæ huic, aliquamdiu suis dejerationibus frustra sudanti in exturbando dæmone, hic tandem ait, se mansurum propterea, quod circa vitrum loco illi illustrando, ut fieri solet, applicatum versarentur multi ejus collegæ, à quibus confirmaretur. Miser ille pastor mendaciorum authori confisus, ad eos per vitrum expellendos, quod hic scilicet commonstrarat, evestigio convertitur: atque se operam ludere videns, indignabundus tandem in hæc erupit verba Latina, quæ non intellecturum dæmonem, fortassis sperabat: Si ullam habes potestatem transmigrandi in Christianum sanguinem, transmigra ex illa in me. Cui incunctanter Latine, & quidem juridice respondit diabolus: Quem pleno jure in postremo die possidebo, quid opus est illum tentare? Postea dæmonis testimonium de Missa cognoscere cupiens Ioannes Sartorius parochus in Leon, materna lingua rogabat dæmonium, quare puella mox ad sonum campanæ, indicantem missæ actionem celebrandam, semper ab eo cogeretur ad templum: num Missa tam esset bona, aut mala? Ad hanc quæstionem se jam non respondere, deliberaturum tamen, inquit. Actus hic celebratus anno 1559. circiter 17. Augusti.

Exorcistæ Latine respondet dæmon.

§ 3. Si exorcista ille assuevisset lectioni vitæ Francisci, non difficilem dæmonis fugandi modum invenisset. Cum enim Franciscus in eo pel-

In lib. Conform. Fol. 84. Impipetus

Christi nauta. eo pellendo quandoque se aërem verberare intelligeret, Iuniperum Christi nautam se missurum minitabatur: quo nomine audito, fugam sine ulla mora arripiebat diabolus.

Fol. 154. 155. § 4. In eadem narrationum obscurarum historia legitur, Franciscanum suis exorcismis diabolum compulisse ad veritatis confessionem, quater alta voce repetitam de virtute indulgentiarum ad D. Virginem, uti dicunt, pro pœna & culpa, tam efficacium, ut quidvis in ecclesia remitteretur, etiamsi universi mundi homines quis trucidasset. *Indulgentiarum ad D. Virginem potentia.* Querebatur item, earum potentia omnes subtrahi animas, quarum antea potestatem obtinuerat: & proh dolor non paucas ex purgatorio evolantes animas summam indulgentiarum energiam mire prædicare: mulierem quoque ea ratione à se obsideri, ut maxima earum vis innotesceret. Fatebatur insuper rogatus, earum contemptori consultius esse, ut asinum cauda traheret Ravenna Mediolanum.


§ 5. Monachus dæmonem expulsurus, cum numerosa & solenni supplicatione, quam Processionem vocant, ad obsessum venit. *Michea 6.* Quare huic cœtui illudens Satan, Latine ait: Popule *mi, quid feci tibi?*

§ 6. Anno adhæc millesimo quingentesimo *sexagesimo* tertio, quũ apud Vesaliam inferiorem noverca privignam annorum *circiter* duodecim. Gerardam nomine, tam premeret duriter verbis verberibus & fame, ut in morbum illaberetur caducum: dæmonium ex ea pellere conatus est exorcismis, & pixide cum pane missali gulæ admota, monachus quidam Winandus, ex Dominicanorum cœtu: *Vesaliensis exorcista.* qui & vaccæ exorcismos applicuit, stolæque Missalis portionem in pascuis jussit fodi, ubi pascebatur vacca. Demirandum sane, tam impune ejusmodi dæmonum mancipia tolerari à magistratu, ægerrime etiam hospitium concedente piis quibusdam, vel certe pio zelo ductis, si propositæ confessionis formulæ subscribere graventur. Qua in re, velut & id genus reliquis, moderationem & judicium præferre decet consulis in venerando illo ordine clarissimi, D. Theodori Gronii, ob non vulgarem doctrinam, pietatem, prudentiam ac humanitatem, sua laude multa citra controversiam dignissimi.

§ 7. Qui suis adjurationibus diabolo bellum Coloniæ facit, pater est collegii Conversarum, nomine Godhardus ab Hagen. Simon Molitor ex Hassia, sive non procul à Moguntia oriundus, exorcista bis cæcus & corpore & mente, quum diris exorcismis, & nescio quibus suis fraudulentis modis pellendi dæmonis artem apud Westphalos & ditiones vicinas annos aliquot exercuisset, tandem Osnaburgi (ubi degerat jam triennium, sed admonitus, magistratus eum abigere decreverat) cum uxore ob surreptam sibi pecuniam lites movet, qua

dic

que angulo fornacis aliquod foramē quod fumus exire possit, Tunc repleatur vesica ad medietatem aq. puteali, & res destillandæ minutim contusæ, eidem indantur, eiq; capitellum s. alembicum cum suis tubulis, uti figura apposita demonstrat, est firmiter in ponendum beneficio vesicæ bubulæ, ne aliquid exhalare possit, deinde in principio lentus ignis adhibendus, sensinque successus expectandus. *Elegans organum, ad eliciendum spiritus vini aliorumque aromatum. Tubuli è lamina alba stanno obducti. Sequitur delineatio instrumenti.* *Inscriptio instrumenti.*



En. Explicatio litterarum A. B. C. D. E. F. Capitellum. G. G. Focus ubi capitellum è vesica exoritur, fermento inungitur. H. I. vesica ænea, K. fornax. L. spiraculum, M. locus pro extrahendis cineribus: N. O. Sedes s. hypoxodium. P. vas ligneum Q. recipiens vitreum.

§ 11. Vas

§ 11. Vas Ligneum in sui medio foramen habere debet, per quod transire possit tubulus, quo transmisso, foramen obthuretur cera aut linteis, & aqua repleatur.

§ 12. Possumus etiam alio modo elicere subtilissimum vini spiritum, si spiritus vini semel destillatus deinde sæpius rectificetur in balneo Mariæ, donec, (quæ probandi ratio est) accensus in Cochleari spiritus planè avolet, nullo post se relicta humiditate. Sed plebeji homines contra sentiunt, qui ubi uti volunt aq. vitæ, prius illum accendunt & spiritum avolare faciunt, quem existimant esse nihil aliud quam impuritates sulphureas vini adusti, bibuntque quod remanet, quod tamen nihil aliud est, quam crassior & impurus humor, quem tamen gustui gratum, reddunt additione sacchari. Eodem modo quo delirantes illi compotores, *bellariis* solent adhibere vinum, è quo dicunt se sulphur prius accensum absumere, & ita vinum depurare, imo sunt in ea sententia, quod vinum ardet diutius, & plus absumi sulphuris, cum tamen *illud* signum sit, vinum fuisse generosum & opti*mum. Dicunt insuper* vinum sic depuratum non petere caput, *quod sanè ita se habet, quod* enim remanet, & ab ipsis bibendo absumitur, nihil *aliud* est, quam impuritas aquea, quæ caput vapore suo afficere nequit, quia virtute spirituosa per accensionem est privata, aliumque saporem nanciscitur ex adhibito cinnamomo, zinzibere, saccharo similibusque additamentis, alioquin stomachus jure merito erga eos artifices conqueri posset, quibus ego hic valedicere volo, eosque monere ut pœnitentiam agant, ne regno Dei excludantur, uti serio idem inculcat sanctus Paulus 1. Corinth. 6.

Abusus in accendendo spiritum vini & alia bona vina.

FINIS.

Deo laus & Honor in secula.

INDICES RERUM AC VERBORUM

Memorabilium Copiosissimi

Operum omnium

JOANNIS WIERI

Quorum primus ille de præstigiis Dæmonum &c.

Prior numerus Paginam, posterior Paragraphum designat.

A.

Aaron an magus fuerit. 101.18
Abacuc ab angelo per aërem delatus. 194.4
Abaddon dæmon, Græcè ἀπολλύων, quid significet. 67.10
Abbaris magus. 98.6
Abdiæ Bab. Episc. locus de Waldath deo. 11.7
Abel à Caino fratre occiditur. 8.5
an magus fuerit. 101.18
Abigor dæmon. 651.12
abnegantes fidem Christianam 170.5
abnegationis veræ exemplum. 444.5
Abraham an magus fuerit. 101.18
Accius Navius cotē novacula dividit. 119.14
Achabi historia. 531.10
achemenidon planta ad quid utilis. 484.6
Achillis anima ab inferis evocata 131.2
forma dæmon Maximiliano Imperatori apparet. 46.1.
aciculas duas Duseldorpii mulier quædam deglutit. 284.9
aconitum quis primum invenerit. 545.3
Acquirensis concilii decretum contra magos. 470.17
acus à muliere deglutita, exq; ea noxa. 284.8
deglutita Venetiis à virgine quadam, cum lotio excreta 320.21
acus, mulier maleficio læsa, evomit. 292.1
acus plurimas pueri dæmoniaci Amsterdami vomitu rejiciunt. 296.1
Adæ libri magici sub falso titulo circumferuntur. 101.18
Adamum fuisse medicum. 253.3
S. *Adalberti anathema magicum.* 371.2
Adamantis lapidis virtutes. 412.5
Adolphi Clarebachi efficax oratio. 450.4
Adolphi comitis à Nassau prudentia. 508.6
Adonis dæmon. 11.5
Adramelech dæmon. 10.3
Adrianus [illegible] *Nicolai Geldriæ cancellarius.* 465.4
Adulterii pœna. 244.2
Adulteriū quando jure civili puniatur. 593.4
Ægyptii animalibus divinos honores tribuerunt. 11.2
maximi cultores idololatriæ. 121.5
Ægyptiorum magia unde originem ducat. 8.2 & 97.1
sacerdotes magos fuisse. 100.14. & 357.2
Ægyptiis 666. genera sacrificiorū fuisse. 13.8
Aër cur inter deos geniales sit connumeratus. 13.6
Aëris turbatio ingens. 220.27
Aëra concitare posse dæmonem. 187.3
nullo modo à Lamiis turbari posse. 210.1
Æsculapii magia. 357.2
Aethiopica magia unde venerit. 95.1
Aethiopidis herbæ usus. 384.3
Aetiū characteribus magicis usum esse. 406.1
Afflictio qualiscunq; patienter ferenda. 433.1
Afri infantes palā Saturno immolabant. 17.4
Afrorum sacerdotes à Tyberio suspensi. 17.4
Agamemnonis filia Iphigenia mactata. 16.2
Agathensis concilii decretum contra magos. 470.19
Agares dæmon. 650.2
Aglaophotidis herbæ vires. 416.4
Agnan dæmon apud Americos. 76.24
Agrippa herus & præceptor Wieri. 260.2
cur aliquando a Wiero laudetur, aliquando non. 625.6
Agrippæ defensio. 111.11.*mors* ibidem.12
Agrippæ testimonium de Tritemio. 628.10
censura de suis libris de occulta philosophia. 610.28
de Agrippa Tritemii judicium. 628.10
Ἀγγελομαντεία *quid sit, & qui ea sint usi.* 134.14
Albæ mulieres dæmones. 75.21
Albaniæ incolæ quales. 263.4
Albani lacus exundatio. 138.10
Albathara. 338.6
Albertus Bremensis episcopus magus. 358.4

Albertus Teutonicus cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Alchindus magus. 98.6
Alchindi Arabis error. 392.6
contra Alchindum Ioan. Fransc. Picus. 379.10
Alchymiæ quid tribuat author & medici. 153.4
Alciati sententia de Lamiarum innocentia. 521.1
Alcimi carmen de diaboli operibus. 63.12
Alcmena. 237.2
Alcoranus sacrum volamen esse, cur credatur. 59.4
Aleæ inventor. 77.1
ἀλεκτρυομαντεία quid, & unde orta sit. 136.6
Alexander I. Romanus pontifex aquæ lustralis consecrationis author. 414.16
Alexander Tyrum expugnat. 24.4
Alexandri & Darii conflictum unde dæmon præcoverit. 24.3
Alexandri ab Alexand. locus de miro quodam spectro. 43.12
Alexandro Severo qui versus in Virgilio obvenerint de regno. 137.8
Alexandrum Trallianum magicis characteribus usum esse. 406.1
Alissi in domo suspensi virtus. 411.4
alligationum usus apud medicos. 406.1
Almadal. 98.6. & 114.10
Alocer dæmon. 663.63
ἀλφιτομαντεία quid. 134.15
alruna. 240.8
alrunna. 161.3
Althæa & Meleagri fabula. 204.7
Amatoria pocula quantum valeant. 272.1
venena. 271.5
Amatorio poculo tres ordine abbates interempti. 274.8
Ambrosii locus de omnipotentia Dei. 84.13
Ambrosium eadem hora Mediolani & Turonis in Martini exequiis fuisse. 119.17
Amduscias dæmon. 661.52
amentes quid efficiat. 224.6. & 272.5
Americorum mos in petendis oraculis. 76.26
sacerdotes. ibid.
Ammonitæ hostias humanas Moloch Deo immolabant. 15.1
Ammonitarum idolum. 10.3
Amon vel Aamon dæmon. 650.5
amor & timor fortes imagines gignunt. 184.3
amoris curatio magica 381.7
vis. 242.2
amorem cujusdam mulieris conciliandi modus magicus. 385.7
quæ res concilient. 270.2. & 271.5
Amoymon dæmon. 663.68
Amphionem Thebanum magum fuisse. 99.9
Amsterodami pueri circiter triginta miserè à dæmonio exagitati. 292.1
amuletorum physicorum virtutes. 409.2
Amy dæmon. 662.60
Anacephalæosis de Lamiis. 547.1
anachitidis lapidis virtutes. 412.5
anagallidis rubro flore ad quid utilis. 409.2
anathema magicum. 370.7
Anamelech dæmon. 10.3
Ancyritani concilii constitutio seu decretum de magis. 469.9
Andras dæmon. 661.53
Andreas Masius. 89.1
Andreas medicus. 417.5
Andreæ Tiraquelli lex connubialis. 276.13
Androalphus dæmon. 661.54
Androgei cædes quibus rebus sit placata. 16.2
Angeli an sint creatura. 7.4. quales & ad quid conditi sint à Deo. 2.4
de Angelorum lapsus causa qui Theologi scripserint. 4.1
angelorum & diaboli distinctio. 80.9
ministerio cur Deus utatur. 434.2
natura & officium. 2.4
angelos nescire futura. 26.8
animæ beatorum, magorum carminibus è designata à Deo sede non evocantur. 125.4
quot modis appareant. 37.6. an subjectum cujuspiam rei assumere possint. 603.14
animarum apparitiones unde, & quo tempore fiant. 36.5
animas in manu Dei existentes diabolus è sua quiete turbare non potest. 87.1. mortuorum quibus præstigiis dæmon ludificare soleat. 34.1. multas defunctorum per se expressisse viva voce causam purgationis. 36.3
animalcula cum urinis excreta. 316.7
animalia perfecta & imperfecta quæ sint. 238.5
animalium feritates quid domet. 409.2

animalia nulla ex se concipere. 238.4
ne à maleficiis inficiantur, conjuratio superstitiosa. 455.4
animantia si præter naturam quid pati videantur, quid faciundum sit. 458.1
animantium morbis probibendis suffimentum utile. ibid.2
pestes. 348.1
animantia quomodo lædant venefici. 277.1
Anna Lemgou virgo monialis à diabolo mirè exagitata. 302.3
Anna à Virmont venenũ propinatum. 267.12
Annabergius dæmon. 72.7
annulus nuptialis. 381.7
annuli magici figura & virtus. 382.
annulo inclusæ radicis dæmonem extrahentis historia. 415.1
annulorum usus apud medicos. 406.1
magicorum nugæ. 381.5
Anquirensis concilii decretũ de Lamiis. 522.4
Anselmus Parmensis cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Anseres in Scotia ex arboris fructibus in aquam decidentibus nascuntur. 238.5
Antonius Heliogabalus magus. 98.8
antirchinon herba ad quid utilis. 411.2
Antisthenes Atheniensis magus. 98.8
Antonini Caracallæ edictum contra magos. 405.4
Antonius archiepiscopus Coloniensis. 310.6
Antonius Hovæus. 482.5
Antonius Sucquetus. 258.2
Antonii Sucqueti filii uxor miserè vexata à dæmonio. ibidem.
D.Anton. *quomodo distinguat dæmones.* 79.6
Antonii Ægypti lucta cum dæmonibus. 435.5
Antonii Sabellici verba de veneficiis horrendis. 264.2
Appennini montis incolarum superstitio in tempestatibus arcendis. 414.14
Apionis sinistra opinio de Mose. 102.19
aproxis usus in magia. 115.3
Apollinaristarum hæresis. 518.12.& 13
Apollo Deus. 12.3.& 13.5
Pythius unde sit dictus. 139.2
Apollonius Tyaneus magus. 98.6
puellam Romæ è mortuis suscitat. 131.2
Apollonii Molonis sinistra opinio de Mose. 102.19
Apollonium è Smyrna celer, imò Ephesum translatum esse. 119.7
apostata qui dicatur. 538.25
Appion Grammaticus Homeri animam ab inferis evocat. 131.2
L.*Apulejus ob artẽ magicam damnatus.* 466.6
Apuleii fabula. 118.12. & 167.18.& 332.4
metamorphosis. 99.9.& 189.1
apud regulum cur lamiæ devorent. 484.6
Apuscorus magus. 98.6
aqua cribro hausta. 119.15
aquæ lustralis varius usus. 114.16
aquam insalubrem Hierichuntis quibus rebus Elizæus salubrem reddiderit. 114.17
Arabes quid de lapsu dæmonum senserint. 2.5
quantum honorem tribuerint magicæ arti. 100.12
Arabum vaticinia. 143.4.
dii. 12.2
Arbatel libellus magicus. 111.13
Arcadum transformationis in feras explicatio. 333.9.
sacrificia. 224.13
arena per alvum mulieris reddita. 295.2
Areopagitarum sententia de veneficis. 546.5
Arescusa virgo in marem mutata. 337.1
argentum vivum vetula quadam marito suo propinat. 268.14
arioli qua pœna afficiendi. 463.1.& 467.1 & 520.2
Aristei anima corvi effigie visa. 38.3
Aristodemus filiam & seipsum jugulat. 16.2
aristologiæ radix ad quid utilis. 411.2
Aristomenis Messenii cor exectum pilis refertum. 319.15
Aristophanis locus de Eurycle mago. 92.13
Aristotelis sententia de Lamiis. 493.2
de hippomanes. 274.5
Aristotelici negant dæmones. 1.2
Arnoldus de Villa nova cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Arnuphis magus. 98.6
Arphaxat magus fulguris ictu mortuus. 104.3
Arrianorum secta. 518.13
Arsatius Christi nomine dæmoniũ expellit. 450.3
arsenici usus. 266.7
Artemisia herba consecrata usus & virtutes. 113.11

Artephii ars. 114.10
ritus incantationum. 118.13
Artephium fuisse magum. 99.9
arteria aspera. 282.3
arthritidis curatio magica. 377.5
aruspices quomodo apparitiones spectrorum olim Romæ interpretati sint. 42.8
quomodo sint puniendi. 520.2
ἀριθμομαντεία quid. 136.4
Ascikpassa Deus Turcarum, quem in matrimonio invocant. 14.10
Asia quomodo ad Macedones pervenerit. 24.3
Asima dæmon. 10.3
asini mira docilitas. 58.1
in Asinum juvenis mutati figmentum. 189.1
Asmodæus dæmon. 66.4. & 657.35
Asmundus demortuus luci restitutus. 607.22
asphalti usus & virtus in arcendis dæmonibus. 411.1
Assur imago diaboli. 70.28
Assyrii quantum honorem Zoroastri tribuerint. 97.3. *quid de dæmonum lapsu senserint.* 2.5. *quem Deum coluerint.* 10.3
maximi cultores magiæ. 100.12
Assyriorum monarchiæ devastationem unde dæmon prænoverit. 24.5
Astaroth dæmon. 10.4. & 398.1. & 656.28
Astarte dæmon. 10.3
ἀστραγαλομαντεία quid sit. 136.3
astrologi cujusdam miserabilis interitus. 148.9
astrologica à magicis quid differant. 391.4
Asuiti & Asmundi pactum. 606.22
Atalanta & Meleagri fabula. 204.7
Ates deæ sub nomine quid Homerus intelligat. 2.5
Athanasii locus de abolitione oraculorum. 19.3
sententia de hæreticis non enecandis. 512.10
item de jejunio. 440.3
Athenienses quotannis septem adolescentes & totidem puellas in Cretam Minotauro devorandas miserunt. 26.2
Atheniensium & Persarum prælium. 43.10
Athenodori philosophi obfirmatus contra dæmonis terriculamenta animus. 40.3
Atrebati lamiæ complures combustæ. 205.8
avaritiæ exemplum. 212.7
augures qua pœna sint puniendi secundum leges. 467.2
in Auguriis quæ observata sint. 91.9
Augustini locus de abolitione oraculorum. 19.3
item de dæmonum studiis. 61.7
de diaboli origine. 3.7. *de diaboli moribus.* 23.1. *de diabolo, an hominum cogitationes sciat.* 88.3. *de diis gentium.* 12.12
de omnipotentia Dei. 84.13
de Samuelis apparitione. 128.1
de Donatistarum improbitate. 514.4
de hæreticis non enecandis. 509.2
de transformatione hominis. 332.4
Augustini Steuchi sententia de Sibyllarum oraculis. 622.52
Augustus Cæsar oculis lucidissimis præditus. 263.4
Avitus Alcimus Episcopus Viennensis. 124.12
Auli Gellii verba de veneficis. 546.6
Aurelianensis concilii decretum contra magos. 470.15
Aurelianensis spiritus exorcismi celebris historia. 422.1
Aureliani Imperatoris clementia erga femineum sexum. 524.3
Ausonius reprehenditur. 338.4
Ausonii versus de quadam venefica. 267.10
Ἀξινομαντεία quid. 134.10
Aym dæmon. 661.56
Ayperos dæmon. 652.16

B.

BAal dæmon. 10.3
Baal Zephan idolum. 230.4
Baalberith dæmon. 11.5
Baalim dæmon. ibid.
Baaras radix & locus. 416.3
Babylonicæ captivitatis causa. 160.3
Babylonii quos Deos coluerint. 10.3. & 11.2
Babyloniorum magia unde originem ducat. 8.2 & 97.1
Baccharis herba virtus. 411.4
Bacchus unus ex diis selectis. 13.6
Biæl dæmon. 650.1
Bajanus se in lupum transformari posse credidit. 336.5
Balan dæmon. 662.62
Baldi censura de Lamiarum confessione. 520.4
Balduini Ronssei judicium de Opere præstigiarum dæmonum Wieri. 646.1
balis herba qua magi usi sunt. 131.3

balsa-

balsamum quo veteres reges sunt inuncti. 415.18
Balsami in Ecclesia Romana consecratio. ibid.
Balthasaris successoris Nabucaduezar insomnium. 642.6
bangue planta. 227.4
baptismatis aqua & missæ usus in magicis artibus. 110, 9. *vim externa exemptione tolli non posse.* 171.2
Barbas dæmon. 650.3
Barbatos dæmon. ibid.6
Bardi Druidæ. 17.3
Bartholomæus Pisanus. 49.8
Bartolus Richius L l. Doctor. 643.1
Bartoli sententia de Lamiarum potentia & pœna. 121.31
Βασκαίνειν *quid sit.* 95.28. & 530.9
Bathym dæmon. 651.10
Batscumbassa Deus apud Turcas. 14.11
Βδέλυγμα *quid sit.* 125.3
Beal dæmon qualis. 656.27
Beelphegor quid significet, & à quibus sit cultus. 10.3
Beelzebub princeps dæmoniorum. 9.3
legatos emittit ad interficiendum Franciscum. 50.10
Behemoth quid significet. 65.2
Bel quid significet, & quorum Deus fuerit. 9.3
Belial dæmon. 654.23
Bellona dea. 13.6
hostiis humanis placata. 17.4
Bellonius opium sine nocumento comedit. 226.2
benedictæ herbæ virtus. 411.2
benedictionis formula vulgò in maleficii curatione usurpata. 299.1
Benedictus quomodo pontificatum sit adeptus. 358.4. *equo nigro post mortem vectus.* 47.3
Benedicti noni mors. 48.4
Berengarii error. 519.14
Berith dæmon. 656.27
Bernatium monachorum tragœdia venefica. 227.6
Bernhardus Cronenburgius medicus. 319.16
Bernhardus episcopus Hildesheimensis ducatum Visenburgensem invadit. 73.13
D. Bernhardo dæmon apparet. 48.9
Bestiarum maleficii curandi modus vulgaris. 454.1
in Bestias homines non transformari maleficio. 331.1. *hominum transformatio phantastica quomodo fiat.* 189.1
Bifrons dæmon. 660.45
Bitru dæmon. 653.22
Bœoti quem Deum coluerint. 12.12
Bœotiorum lingua. ibid.4
Boethius in quibus historicum munus sit sequutus. 202.3
Boethii fabula de incubo dæmone. 251.2
historiæ ubi non fides sit tribuenda. 633.19
carmen de Vlyssis sociis. 331.2
Bolfri dæmon qualis sit. 656.27
Bombardarum ictus quid probibeat. 405.6
Bononiæ mulier à dæmone exagitata. 321.2
cujusdam venefici facinus. 266.7
Bononienses qua pœna Lamias afficere soleant. 523.1
Bontenbrouch in arce quidam à dæmonio miserè vexatus. 293.3
Βοτανομαντεία *quid sit.* 335.17
Bothnicorum populorum septentrionalium incantationes. 116.8
Botis dæmon. 651.9
Boves ab esu quid exterreat. 277.1
Boum pestilentia. 394.2
Brisiaci in Basiliensi diœcesi unguentum terribile à Lamiis confectum. 168.1
Brugis mulier misere vexata à dæmonio. 258.2
Brugensis vetulæ fucata religio. 389.9
Brutus Romanum imperium obtinet. 137.8
M. Bruto dæmon apparet. 42.6
Bruxæ. 192.4
Bryoniæ radix ad quid utilis. 411.2
Bucardus comes de Luca interfectus. 73.13
Bucolica qui scripserint. 458.1
Budericiæ mulier dæmoniaca miserè vexata. 339.2
Buer dæmon. 651.7
Bufones fugandi modus magicus. 376.4
Bulaphiæ ars. 114.10
Bune dæmon. 655.24
Busas dæmon. 650.4

Busfiducis puella quadam à dæmone vexata. 306.5
Byleth dæmon. 652.20
Bythiæ monstrosæ fœminæ in Scythia. 262.2

C.

CAacrinolaas vel Caassimolar dæmon. 652.18
Cabala à magia infami vitiata. 101.17
Cabalisticæ artis usus. 142.2. & 143.4
Cacodæmon unde dictus. 66.8
Cain Abelem interficit. 8.5
Calchantis & Tiresiæ vaticinia de humanis victimis. 15.2
Calculus gypseus in tonsillarum faucium abscessu repertus. 315.2
Calculi ad centum & viginti tres in bilis receptaculo inventi. ibid.4
Calecbutorum Dei effigies horribilis. 76.23
Caldenbroce in arce virgo quædam à dæmone miserè agitata, à Wiero curatur. 32.10
C. Caligula potionatus ab uxore. 273.4
Callicia herbæ usus in magia. 115.3
Callisthenes veneficus Lucium Lucullum interficit. 272.4
Cambyses magus. 98.6
Cameli saltatio. 58.2
Campanæ pulsu in die D. Ioan. lemures & lamias pulsari. 361.3
Campanæ baptizatæ an tempestates pellant. 21.4
Campanarum baptismus & exorcismus. 20.2
sonitus an grandinem avertere possit. 579.10
Canibalum idololatria. 135.19
Canis rabidi morsus remedium Paracelsisticum. 631.15. Curatio magica. 377.6. Curationem ad quos medici inepti referãt. 156.1
Canis nigri fel ad quid utile. 411.4
Carabia dæmon. 661.51
Carceris & custodiæ discrimen. 481.4
Carchedonii lapidis virtutes. 412.5
Cardanus reprehenditur. 256.3
Cardani censura de lamiis. 639.4
libri de subtilitate. 108.2
Cardani sententia de lamiarum imaginationibus. 202.3. item confessione. 486.63
unguento. 223.4
Cardani verba contra magos. 391.5
de lamiis. 493.3
Carminum usus apud medicos. 406.1
Carnibus vesci diebus à pontifice Rom. vetitis quando liceat. 174.6
Carnifex quidam in ducatu Wirtenbergico pascua pecoris venenis inficit. 277.2
Carnificis pertinacia Antverpiæ. 388.6
Carolus 7. Rex Galliæ Egidium regni mariſchalcum suspendit ob magiam. 466.6
Caroli Galli epistola ad Wierum. 640.1
Carpocrates magiam publicè docuit. 176.12
Carthaginensis concilii decretum contra magos. 470.16
Casali venefica & venefici complures capti. 265.5
Casitii ex virgine puer factus. 337.1
Caspari Barcholti Epistola de Opere Wieri. 643.1
Cassiani sententia de diaboli prænotione. 88.4
de dæmonum potestate. 81.3
Cassii Parmensis interitus. 41.4
Cassio Parmensi genius malus apparet. ibid.
Castoris natura. 167.18
Catalepsis à melancholico sanguine. 447.5
Catharinæ Loe historia. 448.4
Catoni membra luxata carmine sanata. 376.5
Cauponæ reginæ descriptio apud Apuleium. 167.18
Caym dæmon. 659.40
Cerberus dæmon. 652.17
Ceremoniæ inania rerum simulachra. 418.3
Ceremoniis pueros occidi non posse. 172.1
Ceres dea. 12.6
Ceromantia quid. 134.13
Cethim terra. 24.4
Chaldæi Lecamantiæ cultores. 132.3
qua pœna sint afficiendi. 467.2. quantum honorem magicæ arti tribuerint. 100.12
Cham filius Noe primus magiæ cultor. 97.1. & 658.36. ejus execratio. 8.1
Chamos dæmon. 10.3
Chanaan quod simulachrum extruxerit. 11.6
Channon piscem ex seipsa nasci. 239.7
Characterum usus apud medicos 406.1
magicorum nugæ. 381.5
Characteribus nõ inesse activas virtutes. 392.6

Charadii virtus. 263.5
Charoibes sacerdotes apud Americos. 76.26
Charondas magus. 98.6
Chartula inanis collo subnexa. 404.2
Chasaph Hebraica dictio quid significet. 89.2. & 587.15. ad quid propriè spectet. 90.4
Chatrab quid. 3363
Chax dæmon. 659.37
Chirurgus sceleratus. 395.1
Chirurgi cujusdam facinus Clivia. 427.3
Chirurgi indocti in quos referant inscitiam suam. 152.1
Chiridirelles Deus apud Turcas, quem viatores invocant. 14.10
Chrisma à dæmone adimi non posse. 490.7
Chrismatis vim externa exemptione tolli non posse. 171.7
Christiani regis Daciæ in folliculo calculi complures inventi. 315.4
Christiano homini quæ necessaria sint. 571.9
Christianos quàm variè diabolus illudat. 19.1
Christophorus Probus cancellarius Palatini. 507.2
Christus ab hæreticis magiæ insimulatus. 102.20
an à dæmone fuerit delatus & raptus, an verè deductus saltem. 193.7.
cur venerit. 19.3. & 26.1
Christi corpus post resurrectionem quale. 199.5
meritorum insignis contemptus. 664.2
miracula qualia fuerint. 97.5. nomen quare seductores precationibus & exorcismis immisceant. 419.7. nominis invocationis efficacia. 450.2. promissio post lapsum hominis. 7.5. testimonium de medicis. 153.3.
Christum cur dæmones prius penitius, quàm Apostoli noverint. 26.1
cur diabolus tentarit. 28.1
Christo nato cessarunt oracula. 19.3
Chrysoliti lapidis virtutes. 412.5
Chrysostomi sententia de aptis sathanæ organis. 177.1. de hæreticis non enecandis. 511.7
de Pythia vel Apollinis oraculo. 139.3
de sexus fœminei fragilitate. 178.1
de anathemate. 374.5
Choastes magus. 99.01
Choatræ incantatores insignes. 100.13
Cholera morbus unde oriatur. 283.6
adusta qualia somnia pariat. 185.6
Cholericus vapor qualia insomnia moveat. ib.
Chymiæ quantum tribuat author. 153.4
Cicchus Ascalus Florentinus cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Ciceronis locus de dæmone qui Tagi apparuit. 42.8
Ciceronis testimonium de Sibyllarum doctrina. 619.46
Cimeries dæmon. 662.59
Circe venefica. 545.4. socios Ulyssis in bestias mutavit. 124.13. & 333.9
Circes omnipotentiæ descriptio. 162.6
Circenses ludi jussu dæmonis de novo instituti. 401.7
Circulatoris insignis exemplum. 56.9
circulatores apud Fessas. 142.13. & 143.3
Circumcellionum secta. 514.3
Citieus magus. 98.8
Claudiani versus de Lauro. 135.18
Claudio Imperatori qui versus ex Virgilio regnum prædixerint. 137.8
Clausa quæ herba aperiantur. 384.3
Claustrorum apertio diabolica. 383.2
Clavus ferreus sub illæsa cute latens & excisus. 297.1
Clavos mulier maleficio læsa evomit. 292.1
Cleopatra venenum bibit. 348.4
Clementis locus de dæmonum subtilitate. 23.2
sententia de dæmonum machinationibus. 59.2
Clementis & fratrum oculos quomodo Simon magus effascinarit. 95.2
clerici cujusdam melancholia & insanitas. 181.4
Clivensis turris cygnea. 254.4
Clivensis principis laus. 638.3
prudentia. 506.1. & 644.3
Clivensium ducum originis vetustas unde comprobetur. 254.4
Cliviæ cujusdam chirurgi facinus. 427.3
Cobares magus. 98.6
Cobali dæmones. 72.8
cælibatum Plato è sua Republ. exterminavit. 238.4
cæli imaginibus nulla magicæ voces conveniunt. 378.10
cælo quem Deum præfecerint Græci. 12.5

Albertus Teutonicus cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Alchindus magus. 98.6
Alchindi Arabis error. 392.6
contra Alchindum Ioan. Fransf. Picus. 379.10
Alchymiæ quid tribuat author & medici. 153.4
Alciati sententia de Lamiarum innocentia. 521.1
Alcimi carmen de diaboli operibus. 63.12
Alcmena. 237.2
Alcoranus sacrum volumen esse, cur credatur. 59.4
Aleæ inventor. 77.1
ἀλεκτρυομαντεία quid, & unde orta sit. 136.6
Alexander I. Romanus pontifex aquæ lustralis consecrationis author. 414.16
Alexander Tyrum expugnat. 24.4
Alexandri & Darii conflictum unde dæmon prænoverit. 24.3
Alexandri ab Alexand. locus de miro quodam spectro. 43.12
Alexandro Severo qui versus in Virgilio obvenerint de regno. 137.8
Alexandrum Trallianum magicis characteribus usum esse. 406.1
Alissi in domo suspensi virtus. 411.4
alligationum usus apud medicos. 406.1
Almadal. 98. 6. & 114.10
Alocer dæmon. 663.63
ἀλφιτομαντεία quid. 134.15
alruna. 240.8
alrumna. 161.3
Althæa & Meleagri fabula. 204.7
Amatoria pocula quantum valeant. 272.1
venena. 271.5
Amatorio poculo tres ordine abbates interempti. 274.8
Ambrosii locus de omnipotentia Dei. 84.13
Ambrosium eadem hora Mediolani & Turonis in Martini exequiis fuisse. 119.17
Amduscias dæmon. 661.52
amentes quid efficiat. 224.6. & 272.5
Americorum mos in petendis oraculis. 76.26
sacerdotes. ibid.
Ammonitæ hostias humanas Moloch Deo immolabant. 15.1
Ammonitarum idolum. 10.3
Amon vel Aamon dæmon. 650.5
amor & timor fortes imagines gignunt. 184.3
amoris curatio magica 381.7
vis. 242.2
amorem cujusdam mulieris conciliandi modus magicus. 385.7
quæ res concilient. 270.2. & 271.5
Amoymon dæmon. 663.68
Amphionem Thebanum magum fuisse. 99. 9
Amsterodami pueri circiter triginta miserè à dæmonio exagitati. 292.1
amuletorum physicorum virtutes. 409.2
Amy dæmon. 662.60
Anacephalæosis de Lamiis. 547.1
anachitidis lapidis virtutes. 412.5
anagallidis rubro flore ad quid utilis. 409.2
anathema magicum. 370.7
Anamelech dæmon. 10.3
Ancyritani concilii constitutio seu decretum de magis. 469.9
Andras dæmon. 661.53
Andreas Masius. 89.1
Andreas medicus. 417.5
Andreæ Tiraquelli lex connubialis. 276.13
Androalphus dæmon. 661.54
Androgei cædes quibus rebus sit placata. 16.2
Angeli an sint creaturæ. 7. 4. quales & ad quid conditi sint à Deo. 2.4
de Angelorum lapsus causa qui Theologi scripserint. 4.1
angelorum & diaboli distinctio. 80.9
ministerio cur Deus utatur. 434.2
natura & officium. 2.4
angelos nescire futura. 26.8
animæ beatorum, magorum carminibus è designata à Deo sede non evocantur. 125.4
quot modis appareant. 37. 6. an subjectum cujuspiam rei assumere possint. 603.14
animarum apparitiones unde, & quo tempore fiant. 36.5
animas in manu Dei existentes diabolus è sua quiete turbare non potest. 87. 1. mortuorum quibus præstigiis dæmon ludificare solet. 34. 1. multas defunctorum per se expressisse viva voce causam purgationis. 36.3
animalcula cum urinis excreta. 316.7
animalia perfecta & imperfecta quæ sint. 238.5
animalium feritates quid domet. 409.1

an-

animalia nulla ex se concipere. 238.4
ne à maleficiis inficiantur, conjuratio superstitiosa. 455.4
animantia si præter naturam quid pati videantur, quid faciundum sit. 458.1
animantium morbis prohibendis suffimentum utile. ibid.2
pestes. 348.1
animantia quomodo lædant venefici. 277.1
Anna Lemgou virgo monialis à diabolo mirè exagitata. 302.3
Annæ à Virmont venenũ propinatum. 267.12
Annabergius dæmon. 72.7
annulus nuptialis. 381.7
annuli magici figura & virtus. 382.
annulo inclusæ radicis dæmonem extrahentis historia. 415.1
annulorum usus apud medicos. 406.1
magicorum nugæ. 381.5
Anquirensis concilii decretũ de Lamiis. 522.4
Anselmus Parmensis cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
anseres in Scotia ex arboris fructibus in aquam decidentibus nascuntur. 238.5
Antonius Heliogabalus magus. 98.8
antirchinon herba ad quid utilis. 411.2
Antisthenes Atheniensis magus. 98.8
Antonini Caracallæ edictum contra magos. 405.4
Antonius archiepiscopus Coloniensis. 310.6
Antonius Hovæus. 482.5
Antonius Sucquetus. 258.2
Antonii Sucqueti filii uxor miserè vexata à dæmonio. ibidem.
D.Anton. quomodo distinguat dæmones. 79.6
Antonii Ægypti lucta cum dæmonibus. 435.5
Antonii Sabellici verba de veneficiis horrendis. 264.2
Appennini montis incolarum superstitio in tempestatibus arcendis. 414.14
Apionis sinistra opinio de Mose. 102.19
aproxis usus in magia. 115.3
Apollinaristarum hæresis. 518.12.& 13
Apollo Deus. 12.3.& 13.5
Pythius unde sit dictus. 139.2
Apollonius Tyaneus magus. 98.6
puellam Romæ è mortuis suscitat. 131.2
Apollonii Molonis sinistra opinio de Mose. 102.19
Apollonium è Smyrna celerrimè Ephesum translatum esse. 119.7
apostata qui dicatur. 538.25
Appion Grammaticus Homeri animam ab inferis evocat. 131.2
L.Apulejus ob artẽ magicam damnatus. 466.6
Apuleii fabula. 118.12. & 167.18.& 332.4
metamorphosis. 99.9.& 189.1
apud regulum cur lamiæ devorent. 484.6
Apuscorus magus. 98.6
aqua cribro hausta. 119.15
aquæ lustralis varius usus. 114.16
aquam insalubrem Hierichuntis quibus rebus Elizæus salubrem reddiderit. 114.17
Arabes quid de lapsu dæmonum senserint. 2.5
quantum honorem tribuerint magicæ arti. 100.12
Arabum vaticinia. 143.4.
dii. 12.2
Arbatel libellus magicus. 111.13
Arcadum transformationis in feras explicatio. 333.9.
sacrificia. 124.13
arena per alvum mulieris reddita. 295.2
Areopagitarum sententia de veneficis. 546.5
Arescusa virgo in marem mutata. 337.1
argentum vivum vetula quædam marito suo propinat. 268.14
arioli qua pœna afficiendi. 463.1.& 467.1 & 520.2
Aristei anima corvi effigie visa. 38.3
Aristodemus filiam & seipsum jugulat. 16.2
aristologiæ radix ad quid utilis. 411.2
Aristomenis Messenii cor exectum pilis refertum. 319.15
Aristophanis locus de Eurycle mago. 92.13
Aristotelis sententia de Lamiis. 493.2
de hippomanes. 274.5
Aristotelici negant dæmones. 1.2
Arnoldus de Villa nova cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Arnuphis magus. 98.6
Arphaxat magus fulguris ictu mortuus. 104.3
Arrianorum secta. 518.13
Arsatius Christi nomine dæmoniũ expellit. 450.3
arsenici usus. 266.7
Artemisiæ herba consecrata usus & virtutes. 113.11

Artephii ars. 114.10
ritus incantationum. 118.13
Artephium fuisse magum. 99.9
arteria aspera. 282.3
arthritidis curatio magica. 377.5
aruspices quomodo apparitiones spectrorum olim Romæ interpretati sint. 42.8
quomodo sint puniendi. 520.2
ἀριθμομαντεία quid. 136.4
Asçikpassa Deus Turcarum, quem in matrimonio invocant. 14.10
Asia quomodo ad Macedones pervenerit. 24.3
Asima dæmon. 10.3
asini mira docilitas. 58.1
in Asinum juvenis mutati figmentum. 189.1
Asmodæus dæmon. 66.4. & 657.35
Asmundus demortuus luci restitutus. 607.22
asphalti usus & virtus in arcendis dæmonibus. 411.1
Assur imago diaboli. 70.28
Assyrii quantum honorem Zoroastri tribuerint. 97.3. *quid de dæmonum lapsu senserint.* 2.5. *quem Deum coluerint.* 10.3
maximi cultores magiæ. 100.12
Assyriorum monarchiæ devastationem unde dæmon prænoverit. 24.5
Astaroth dæmon. 10.4. & 398.1. & 656.28
Astarte dæmon. 10.3
ἀστραγαλομαντεία quid sit. 136.3
astrologi cujusdam miserabilis interitus. 148.9
astrologica à magicis quid differant. 391.4
Asuiti & Asmundi pactum. 606.22
Atalanta & Meleagri fabula. 204.7
Ates dea sub nomine quid Homerus intelligat. 2.5
Athanasii locus de abolitione oraculorum. 19.3
sententia de hæreticis non enecandis. 512.10
item de jejunio. 440.3
Athenienses quotannis septem adolescentes & totidem puellas in Cretam Minotauro devorandas miserunt. 16.2
Atheniensium & Persarum prælium. 43.10
Athenodori philosophi obfirmatus contra dæmonis terriculamenta animus. 40.3
Atrebati lamiæ complures combustæ. 205.8
avaritiæ exemplum. 212.7
augures qua pœna sint puniendi secundum leges. 467.2
in Auguriis quæ observata sint. 91.9
Augustini locus de abolitione oraculorum. 19.3
item de dæmonum studiis. 61.7
de diaboli origine. 3.7. *de diaboli moribus.* 23.1. *de diabolo, an hominum cogitationes sciat.* 88.3. *de diis gentium.* 12.12
de omnipotentia Dei. 84.13
de Samuelis apparitione. 128.1
de Donatistarum improbitate. 514.4
de hæreticis non enecandis. 509.2
de transformatione hominis. 332.4
Augustini Steuchi sententia de Sibyllarum oraculis. 622.52
Augustus Cæsar oculis lucidissimis præditus. 263.4
Avitus Alcimus Episcopus Viennensis. 124.18
Auli Gellii verba de veneficis. 546.6
Aurelianensis concilii decretum contra magos. 470.15
Aurelianensis spiritus exorcismi celebris historia. 422.1
Aureliani Imperatoris clementia erga femineum sexum. 524.3
Ausonius reprehenditur. 338.4
Ausonii versus de quadam venefica. 267.10
Ἀξινομαντεία quid. 134.10
Aym dæmon. 661.56
Ayperos dæmon. 652.16

B.

BAal dæmon. 10.3
Baal Zephan idolum. 230.4
Baalberith dæmon. 11.5
Baalim dæmon. Ibid.
Baaras radix & locus. 416.3
Babylonicæ captivitatis causa. 160.3
Babylonii quos Deos coluerint. 10.3. & 11.2
Babyloniorum magia unde originem ducat. 8.2. & 97.1
Baccharis herba virtus. 411.4
Bacchus unus ex diis selectis. 13.6
Bael dæmon. 650.1
Bajanus se in lupum transformari posse credidit. 336.5
Balan dæmon. 662.62
Baldi censura de Lamiarum confessione. 520.4
Balduini Ronssei judicium de Opere præstigiarum dæmonum Wieri. 646.1
balis herba qua magi usi sunt. 131.3

balsa-

balsamum quo veteres reges sunt inuncti. 415.18
Balsami in Ecclesiæ Romana consecratio. ibid.
Balthasaris successoris Nabucadnezar insomnium. 642.6
bangue planta. 227.4
baptismatis aqua & missæ usus in magicis artibus. 110.9. *vim externa exemptione tolli non posse.* 171.2
Barbas dæmon. 650.3
Barbatos dæmon. ibid.6
Bardi Druidæ. 17.3
Bartholomæus Pisanus. 49.8
Bartolus Richius L l. Doctor. 643.1
Bartoli sententia de Lamiarum potentia & pæna. 121.31
Βαρυγλέων *quid sit.* 95.28. & 530.9
Bathym dæmon. 651.10
Batscumbassa Deus apud Turcas. 14.11
Βδέλυγμα *quid sit.* 125.3
Beal dæmon qualis. 656.27
Beelphegor quid significet, & à quibus sit cultus. 10.3
Beelzebub princeps dæmoniorum. 9.3
legatos emittit ad interficiendum Franciscum. 50.10
Behemoth quid significet. 65.2
Bel quid significet, & quorum Deus fuerit. 9.3
Belial dæmon. 654.23
Bellona dea. 13.6
hostiis humanis placata. 17.4
Bellonius opium sine nocumento comedit. 226.2
benedictæ herbæ virtus. 411.2
benedictionis formula vulgò in maleficii curatione usurpata. 299.1
Benedictus quomodo pontificatum sit adeptus. 358.4. *equo nigro post mortem vectus.* 47.3
Benedicti noni mors. 48.4
Berengarii error. 519.14
Berith dæmon. 656.27
Bernatium monachorum tragœdia venefica. 227.6
Bernhardus Cronenburgius medicus. 319.16
Bernhardus episcopus Hildesheimensis ducatum Visenburgensem invadit. 73.13
D. Bernhardo dæmon apparet. 48.9
Bestiarum maleficii curandi modus vulgaris. 454.1
in Bestias homines non transformari maleficio. 331.1. *hominum transformatio phantastica quomodo fiat.* 189.1
Bifrons dæmon. 660.45
Bitru dæmon. 653.22
Bœoti quem Deum coluerint. 12.12
Bœotiorum lingua. ibid.4
Boethius in quibus historicum munus sit sequutus. 202.3
Boethii fabula de incubo dæmone. 251.2
historiæ ubi non fides sit tribuenda. 633.19
carmen de Vlyssis sociis. 331.2
Bolfri dæmon qualis sit. 656.27
Bombardarum ictus quid probibeat. 405.6
Bononiæ mulier à dæmone exagitata. 321.2
cujusdam venefici facinus. 266.7
Bononienses qua pæna Lamias afficere soleant. 523.1
Bontenbrouch in arce quidam à dæmonio miserè vexatus. 293.3
Βοτανομαντεία *quid sit.* 335.17
Bothnicorum populorum septentrionalium incantationes. 116.8
Botis dæmon. 651.9
Boves ab esu quid exterreat. 277.1
Boum pestilentia. 394.2
Brisiaci in Basiliensi diœcesi unguentum terribile à Lamiis confectum. 168.1
Brugis mulier misere vexata à dæmonio. 258.2
Brugensis vetulæ fucata religio. 389.9
Brutus Romanum imperium obtinet. 137.8
M. Bruto dæmon apparet. 42.6
Bruxæ. 192.4
Bryoniæ radix ad quid utilis. 411.2
Bucardus comes de Luca interfectus. 73.13
Bucolica qui scripserint. 458.1
Budericiæ mulier dæmoniaca miserè vexata. 339.2
Buer dæmon. 651.7
Bufones fugandi modus magicus. 376.4
Bulaphiæ ars. 114.10
Bune dæmon. 655.24
Busas dæmon. 650.4

Bustiducis puella quadam à dæmone vexata. 306.5
Byleth dæmon. 652.20
Bythia monstrosa fœmina in Scythia. 262.2

C.

Caacrinolaas vel Caassimolar dæmon. 652.18
Cabala à magia infami vitiata. 101.17
Cabalistica artis usus. 142.2. & 143.4
Cacodæmon unde dictus. 66.8
Cain Abelem interficit. 8.5
Calchantis & Tiresiæ vaticinia de humanis victimis. 15.2
Calculus gypseus in tonsillarum faucium abscessu repertus. 315.2
Calculi ad centum & viginti tres in bilis receptaculo inventi. ibid.4
Calecbutorum Dei effigies horribilis. 76.23
Caldenbroce in arce virgo quædam à dæmone miserè agitata, à Wiero curatur. 32.10
C. Caligula potionatus ab uxore. 273.4
Calliciæ herbæ usus in magia. 115.3
Callisthenes veneficus Lucium Lucullum interficit. 272.4
Cambyses magus. 98.6
Cameli saltatio. 58.2
Campanæ pulsu in die D. Ioan. lemures & lamias pulsari. 361.3
Campanæ baptizatæ an tempestates pellant. 21.4
Campanarum baptismus & exorcismus. 20.2
sonitus an grandinem avertere possit. 579.10
Canibalum idololatria. 135.19
Canis rabidi morsus remedium Paracelsisticum. 631.15. Curatio magica. 377.6. Curationem ad quos medici inepti referãt. 156.1
Canis nigri fel ad quid utile. 411.4
Carabia dæmon. 661.51
Carceris & custodiæ discrimen. 481.4
Carchedonii lapidis virtutes. 412.5
Cardanus reprehenditur. 256.3
Cardani censura de lamiis. 639.4
libri de subtilitate. 108.2
Cardani sententia de lamiarum imaginationibus. 202.3. item confessione. 486.63
unguento. 223.4
Cardani verba contra magos. 391.5
de lamiis. 493.3
Carminum usus apud medicos. 406.1
Carnibus vesci diebus à pontifice Rom. vetitis quando liceat. 174.6
Carnifex quidam in ducatu Wirtenbergico pascua pecoris venenis inficit. 277.2
Carnificis pertinacia Antverpiæ. 388.6
Carolus 7. Rex Galliæ Egidium regni marischalcum suspendit ob magiam. 466.6
Caroli Galli epistola ad Wierum. 640.1
Carpocrates magiam publicè docuit. 176.12
Carthaginensis concilii decretum contra magos. 470.16
Casali venefica & venefici complures capti. 265.5
Casini ex virgine puer factus. 337.1
Caspari Barcholti Epistola de Opere Wieri. 643.1
Cassiani sententia de diaboli prænotione. 88.4
de dæmonum potestate. 81.3
Cassii Parmensis interitus. 41.4
Cassio Parmensi [illegible] apparet. ibid.
Castoris natura. 167.18
Catalepsis à melancholico sanguine. 447.5
Catharinæ Loe historia. 443.4
Catoni membra luxata carmine sanata. 376.5
Cauponæ reginæ descriptio apud Apuleium. 167.18
Caym dæmon. 659.40
Cerberus dæmon. 652.17
Ceremoniæ inania rerum simulachra. 418.3
Ceremoniis pueros occidi non posse. 172.1
Ceres dea. 12.6
Ceromantia quid. 134.13
Cethim terra. 24.4
Chaldæi Lecamantiæ cultores. 132.3
qua pœna sint afficiendi. 467.2. quantum honorem magicæ arti tribuerint. 100.12
Cham filius Noe primus magiæ cultor. 97.1. & 658.36. ejus execratio. 8.1
Chamos dæmon. 10.3
Chanaan quod simulachrum extruxerit. 11.6
Channon piscem ex seipsa nasci. 239.7
Characterum usus apud medicos 406.1
magicorum nugæ. 381.5
Characteribus nõ inesse activas virtutes. 392.6

Chara-

Charadii virtus. 263.5
Charoibes sacerdotes apud Americos. 76.26
Charondas magus. 98.6
Chartula inanis collo subnexa. 404.2
Chasaph Hebraica dictio quid significet. 89.2. & 587.15. *ad quid propriè spectet.* 90.4
Chatrab quid. 3363
Chax dæmon. 659.37
Chirurgus sceleratus. 395.1
Chirurgi cujusdam facinus Clivia. 427.3
Chirurgi indocti in quos referant inscitiam suam. 152.1
Chiridirelles Deus apud Turcas, quem viatores invocant. 14.10
Chrisma à dæmone adimi non posse. 490.7
Chrismatis vim externa exemptione tolli non posse. 171.7
Christiani regis Daciæ in folliculo calculi complures inventi. 315.4
Christiano homini quæ necessaria sint. 571.9
Christianos quàm variè diabolus illudat. 29.1
Christophorus Probus cancellarius Palatini. 507.2
Christus ab hæreticis magiæ insimulatus. 102.20
an à dæmone fuerit delatus & raptus, an verò deductus saltem. 193.7.
cur venerit. 19.3. & 26.1
Christi corpus post resurrectionem quale. 199.5
meritorum insignis contemptus. 664.2
miracula qualia fuerint. 97.5. *nomen quare seductores precationibus & exorcismis immisceant.* 419.7. *nominis invocationis efficacia.* 450.2. *promissio post lapsum hominis.* 7.5. *testimonium de medicis.* 153.3
Christum cur dæmones prius penitius, quàm Apostoli noverint. 26.1
cur diabolus tentarit. 28.1
Christo nato cessarunt oracula. 19.3
Chrysoliti lapidis virtutes. 412.5
Chrysostomi sententia de aptis sathanæ organis. 177.1. *de hæreticis non enecandis.* 511.7
de Pythia vel Apollinis oraculo. 139.3
de sexus fæminei fragilitate. 178.1
de anathemate. 374.5
Choastes magus. 99.01
Choatræ incantatores insignes. 100.13
Cholera morbus unde oriatur. 283.6
adusta qualia somnia pariat. 185.6
Cholericus vapor qualia insomnia moveat. ib.
Chymiæ quantum tribuat author. 153.4
Cicchus Asculus Florentinus cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Ciceronis locus de dæmone qui Tagi apparuit. 42.8
Ciceronis testimonium de Sibyllarum doctrina. 619.46
Cimeries dæmon. 662.59
Circe venefica. 545.4. *socios Vlyssis in bestias mutavit.* 124.13. & 333.9
Circes omnipotentiæ descriptio. 162.6
Circenses ludi jussu dæmonis de novo instituti. 401.7
Circulatoris insignis exemplum. 56.9
circulatores apud Fessas. 142.13. & 143.3
Circumcellionum secta. 514.3
Citieus magus. 98.8
Claudiani versus de Lauro. 135.18
Claudio Imperatori qui versus ex Virgilio regnum prædixerint. 137.8
Clausa quæ herba aperiantur. 384.3
Claustrorum apertio diabolica. 383.2
Clavus ferreus sub illæsa cute latens & excisus. 297.1
Clavos mulier maleficio læsa evomit. 292.1
Cleopatra venenum bibit. 348.4
Clementis locus de dæmonum subtilitate. 23.2
sententia de dæmonum machinationibus. 59.2
Clementis & fratrum oculos quomodo Simon magus effascinarit. 95.2
clerici cujusdam melancholia & insanitas. 181.4
Clivensis turris cygnea. 254.4
Clivensis principis laus. 638.3
prudentia. 506.1. & 644.3
Clivensium ducum originis vetustas unde comprobetur. 254.4
Cliviæ cujusdam chirurgi facinus. 427.3
Cobares magus. 98.6
Cobali dæmones. 72.8
cælibatum Plato è sua Republ. exterminavit. 238.4
cæli imaginibus nullæ magicæ voces conveniunt. 378.10
cælo quem Deum præfecerint Græci. 12.5

Albertus Teutonicus cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Alchindus magus. 98.6
Alchindi Arabis error. 392.6
contra Alchindum Ioan. Fransf. Picus. 379.10
Alchymiæ quid tribuat author & medici. 153.4
Alciati sententia de Lamiarum innocentia. 521.1
Alcimi carmen de diaboli operibus. 63.12
Alcmena. 237.2
Alcoranus sacrum volumen esse, cur credatur. 59.4
Aleæ inventor. 77.1
ἀλεκτρυομαντεία quid, & unde orta sit. 136.6
Alexander I. Romanus pontifex aquæ lustralis consecrationis author. 414.16
Alexander Tyrum expugnat. 24.4
Alexandri & Darii conflictum unde dæmon præneverit. 24.3
Alexandri ab Alexand. locus de miro quodam spectro. 43.12
Alexandro Severo qui versus in Virgilio obvenerint de regno. 137.8
Alexandrum Trallianum magicis characteribus usum esse. 406.1
Alissi in domo suspensi virtus. 411.4
alligationum usus apud medicos. 406.1
Almadal. 98. 6. & 114.10
Alocer dæmon. 663.63
ἀλφιτομαντεία quid. 134.15
alruna. 240.8
alrumna. 161.3
Althææ & Meleagri fabula. 204.7
Amatoria pocula quantum valeant. 272.1
venena. 271.5
Amatorio poculo tres ordine abbates interempti. 274.8
Ambrosii locus de omnipotentia Dei. 84.13
Ambrosium eadem hora Mediolani & Turonis in Martini exequiis fuisse. 119.17
Amduscias dæmon. 661.52
amentes quid efficiat. 224.6. & 272.5
Americorum mos in petendis oraculis. 76.26
sacerdotes. ibid.
Ammonitæ hostias humanas Moloch Deo immolabant. 15.1
Ammonitarum idolum. 10.3
Amon vel Aamon dæmon. 650.5
amor & timor fortes imagines gignunt. 184.3
amoris curatio magica 381.7
vis. 241.2
amorem cujusdam mulieris conciliandi modus magicus. 385.7
quæ res concilient. 270.2. & 271.5
Amoymon dæmon. 603.68
Amphionem Thebanum magum fuisse. 99. 9
Amsterodami pueri circiter triginta miserè à dæmonio exagitati. 292.1
amuletorum physicorum virtutes. 409.2
Amy dæmon. 662.60
Anacephalæosis de Lamiis. 547.1
anachitidis lapidis virtutes. 412.5
anagallidis rubro flore ad quid utilis. 409.2
anathema magicum. 370.7
Anamelech dæmon. 10.3
Ancyritani concilii constitutio seu decretum de magis. 469.9
Andras dæmon. 661.53
Andreas Masius. 89.1
Andreas medicus. 417.5
Andreæ Tiraquelli lex connubialis. 276.13
Androalphus dæmon. 661.54
Androgei cædes quibus rebus sit placata. 16.2
Angeli an sint creaturæ. 7.4. *quales & ad quid conditi sint à Deo.* 2.4
de Angelorum lapsus causa qui Theologi scripserint. 4. 1
angelorum & diaboli distinctio. 80.9
ministerio cur Deus utatur. 434.2
natura & officium. 2. 4
angelos nescire futura. 26.8
animæ beatorum, magorum carminibus è designata à Deo sede non evocantur. 125.4
quot modis appareant. 37. 6. *an subjectum cujuspiam rei assumere possint.* 603.14
animarum apparitiones unde, & quo tempore fiant. 36.5
animas in manu Dei existentes diabolus è sua quiete turbare non potest. 87. 1. *mortuorum quibus præstigiis dæmon ludificare soleat.* 34. 1. *multas defunctorum per se expressisse viva voce causam purgationis.* 36.3
animalcula cum urinis excreta. 316. 7
animalia perfecta & imperfecta quæ sint. 238.5
animalium feritates quid domet. 409.2

animalia nulla ex se concipere. 238.4
ne à maleficiis inficiantur, conjuratio superstitiosa. 455.4
animantia si prater naturam quid pati videantur, quid faciundum sit. 458.1
animantium morbis probibendis suffimentum utile. ibid.2
pestes. 348.1
animantia quomodo lædant venefici. 277.1
Anna Lemgou virgo monialis à diabolo mirè exagitata. 302.3
Anna à Virmont venenū propinatum. 267.12
Annabergius dæmon. 72.7
annulus nuptialis. 381.7
annuli magici figura & virtus. 382.
annulo inclusæ radicis dæmonem extrahentis historia. 415.1
annulorum usus apud medicos. 406.1
magicorum nugæ. 381.5
Anquirensis concilii decretū de Lamiis. 522.4
Anselmus Parmensis cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
anseres in Scotia ex arboris fructibus in aquam decidentibus nascuntur. 238.5
Antonius Heliogabalus magus. 98.8
antirchinon herba ad quid utilis. 411.2
Antisthenes Atheniensis magus. 98.8
Antonini Caracallæ edictum contra magos. 405.4
Antonius archiepiscopus Coloniensis. 310.6
Antonius Hovæus. 482.5
Antonius Sucquetus. 258.2
Antonii Sucqueti filii uxor miserè vexata à dæmonio. ibidem.
D. Anton. quomodo distinguat dæmones. 79.6
Antonii Ægypti lucta cum dæmonibus. 435.5
Antonii Sabellici verba de veneficiis horrendis. 264.2
Appennini montis incolarum superstitio in tempestatibus arcendis. 414.14
Apionis sinistra opinio de Mose. 102.19
aproxis usus in magia. 115.3
Apollinaristarum hæresis. 518.12. & 13
Apollo Deus. 12.3. & 13.5
Pythius unde sit dictus. 139.2
Apollonius Tyaneus magus. 98.6
puellam Romæ è mortuis suscitat. 131.2
Apollonii Molonis sinistra opinio de Mose. 102.19
Apollonium è Smyrna celerrimè Ephesum translatum esse. 119.7
apostata qui dicatur. 538.25
Appion Grammaticus Homeri animam ab inferis evocat. 131.2
L. Apulejus ob artē magicam damnatus. 466.6
Apuleii fabula. 118.12. & 167.18. & 332.4
metamorphosis. 99.9. & 189.1
apud regulum cur lamiæ devorent. 484.6
Apuscorus magus. 98.6
aqua cribro hausta. 119.15
aquæ lustralis varius usus. 114.16
aquam insalubrem Hierichuntis quibus rebus Elizæus salubrem reddiderit. 114.17
Arabes quid de lapsu dæmonum senserint. 2.5
quantum honorem tribuerint magicæ arti. 100.12
Arabum vaticinia. 143.4.
dii. 12.2
Arbatel libellus magicus. 111.13
Arcadum transformationis in feras explicatio. 333.9.
sacrificia. 124.13
arena per alvum mulieris reddita. 295.2
Areopagitarum sententia de veneficis. 546.5
Arescusa virgo in marem mutata. 337.1
argentum vivum vetula quædam marito suo propinat. 268.14
arioli qua pœna afficiendi. 463.1. & 467.1 & 520.2
Aristei anima corvi effigie visa. 38.3
Aristodemus filiam & seipsum jugulat. 16.2
aristologiæ radix ad quid utilis. 411.2
Aristomenis Messenii cor exectum pilis refertum. 319.15
Aristophanis locus de Eurycle mago. 92.13
Aristotelis sententia de Lamiis. 493.2
de hippomanes. 274.5
Aristotelici negant dæmones. 1.2
Arnoldus de Villa nova cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Arnuphis magus. 98.6
Arphaxat magus fulguris ictu mortuus. 104.3
Arrianorum secta. 518.13
Arsatius Christi nomine dæmoniū expellit. 450.3
arsenici usus. 266.7
Artemisia herba consecrata usus & virtutes. 113.11

Artephii ars. 114.10
ritus incantationum. 118.13
Artephium fuisse magum. 99.9
arteria aspera. 282.3
arthritidis curatio magica. 377.5
aruspices quomodo apparitiones spectrorum olim Romæ interpretati sint. 42.8
quomodo sint puniendi. 520.2
ἀρυθμαντεία quid. 136.4
Asçikpassa Deus Turcarum, quem in matrimonio invocant. 14.10
Asia quomodo ad Macedones pervenerit. 24.3
Asima dæmon. 10.3
asini mira docilitas. 58.1
in Asinum juvenis mutati figmentum. 189.1
Asmodæus dæmon. 66.4. & 657.35
Asmundus demortuus luci restitutus. 607.22
asphalti usus & virtus in arcendis dæmonibus. 411.1
Assur imago diaboli. 70.28
Assyrii quantum honorem Zoroastri tribuerint. 97.3. quid de dæmonum lapsu senserint. 2.5. quem Deum coluerint. 10.3
maximi cultores magiæ. 100.12
Assyriorum monarchiæ devastationem unde dæmon prænoverit. 24.5
Astaroth dæmon. 10.4. & 398.1. & 656.28
Astarte dæmon. 10.3
ἀστραγαλομαντεία quid sit. 136.3
astrologi cujusdam miserabilis interitus. 148.9
astrologica à magicis quid differant. 391.4
Asuiti & Asmundi pactum. 606.22
Atalanta & Meleagri fabula. 204.7
Ates dea sub nomine quid Homerus intelligat. 2.5
Athanasii locus de abolitione oraculorum. 19.3
sententia de hæreticis non enecandis. 512.10
item de jejunio. 440.3
Athenienses quotannis septem adolescentes & totidem puellas in Cretam Minotauro devorandas miserunt. 16.2
Atheniensium & Persarum prælium. 43.10
Athenodori philosophi obfirmatus contra dæmonis terriculamenta animus. 40.3
Atrebati lamiæ complures combustæ. 205.8
avaritiæ exemplum. 212.7
augures qua pæna sint puniendi secundum leges. 467.2
in Auguriis quæ observata sint. 91.9
Augustini locus de abolitione oraculorum. 19.3
item de dæmonum studiis. 61.7
de diaboli origine. 3.7. de diaboli cruciatibus. 23.1. de diabolo, an hominum cogitationes sciat. 88.3. de diis gentium. 12.12
de omnipotentia Dei. 84.13
de Samuelis apparitione. 128.1
de Donatistarum improbitate. 514.4
de hæreticis non enecandis. 509.2
de transformatione hominis. 332.4
Augustini Steuchi sententia de Sibyllarum oraculis. 622.52
Augustus Cæsar oculis lucidissimis præditus. 263.4
Avitus Alcimus Episcopus Viennensis. 124.12
Auli Gellii verba de veneficis. 546.6
Aurelianensis concilii decretum contra magos. 470.15
Aurelianensis spiritus exorcismi celebris historia. 422.1
Aureliani Imperatoris clementia erga fæmineum sexum. 524.3
Ausonius reprehenditur. 338.4
Ausonii versus de quadam venefica. 267.10
ἀξινομαντεία quid. 134.10
Aym dæmon. 661.56
Ayperos dæmon. 652.16

B.

Baal dæmon. 10.3
Baal Zephan idolum. 230.4
Baalberith dæmon. 11.5
Baalim dæmon. ibid.
Baaras radix & locus. 416.3
Babylonicæ captivitatis causa. 160.3
Babylonii quos Deos coluerint. 10.3. & 11.2
Babyloniorum magia unde originem ducat. 8.2 & 97.1
Baccharis herba virtus. 411.4
Bacchus unus ex diis selectis. 13.6
Bael dæmon. 650.1
Bajanus se in lupum transformari posse credidit. 336.5
Balan dæmon. 662.62
Baldi censura de Lamiarum confessione. 520.4
Balduini Ronssei judicium de Opere præstigiarum dæmonum Wieri. 646.1
balis herba qua magi usi sunt. 131.3

balsa-

balsamum quo veteres reges sunt inuncti. 415.18
Balsami in Ecclesia Romana consecratio. ibid.
Balthasaris successoris Nabucadnezar insomnium. 642.6
bangue planta. 227.4
baptismatis aqua & missæ usus in magicis artibus. 110, 9. *vim externa exemptione tolli non posse.* 171.2
Barbas dæmon. 650.3
Barbatos dæmon. ibid.6
Bardi Druidæ. 17.3
Bartholomæus Pisanus. 49.8
Bartolus Richius L l. Doctor. 643.1
Bartoli sententia de Lamiarum potentia & pœna. 121.31
Βαρνάλιον *quid sit.* 95.28. & 530.9
Bathym dæmon. 651.10
Batscumbassa Deus apud Turcas. 14.11
Βοδίλυγμα *quid sit.* 125.3
Beal dæmon qualis. 656.27
Beelphegor quid significet, & à quibus sit cultus. 10.3
Beelzebub princeps dæmoniorum. 9.3
legatos emittit ad interficiendum Franciscum. 50.10
Behemoth quid significet. 65.2
Bel quid significet, & quorum Deus fuerit. 9.3
Belial dæmon. 654.23
Bellona dea. 13.6
hostiis humanis placata. 17.4
Bellonius opium sine nocumento comedit. 226.2
benedictæ herbæ virtus. 411.2
benedictionis formula vulgò in maleficii curatione usurpata. 299.1
Benedictus quomodo pontificatum sit adeptus. 358.4. *equo nigro post mortem vectus.* 47.3
Benedicti noni mors. 48.4
Berengarii error. 519.14
Berith dæmon. 656.27
Bernatium monachorum tragædia venefica. 227.6
Bernhardus Cronenburgius medicus. 319.16
Bernhardus episcopus Hildesheimensis ducatum Visenburgensem invadit. 73.13
D. Bernhardo dæmon apparet. 48.9
Bestiarum maleficii curandi modus vulgaris. 454 1
in Bestias homines non transformari maleficio. 331.1. *hominum transformatio phantastica quomodo fiat.* 189.1
Bifrons dæmon. 660.45
Bitru dæmon. 653.22
Bœoti quem Deum coluerint. 12.12
Bœotiorum lingua. ibid.4
Boethius in quibus historicum munus sit sequutus. 202.3
Boethii fabula de incubo dæmone. 251.2
historia ubi non fides sit tribuenda. 633.19
carmen de Vlyssis sociis. 331.2
Bolfri dæmon qualis sit. 656.27
Bombardarum ictus quid prohibeat. 405.6
Bononiæ mulier à dæmone exagitata. 321.2
cujusdam venefici facinus. 266.7
Bononienses qua pœna Lamias afficere soleant. 523.1
Bontenbrouch in arce quidam à dæmonio miserè vexatus. 293.3
Βοτανομαντεία *quid sit.* 335.17
Bothnicorum populorum septentrionalium incantationes. 116.8
Botis dæmon. 651.9
Boves ab esu quid exterreat. 277.1
Boum pestilentia. 394.2
Brisiaci in Basiliensi diœcesi unguentum terribile à Lamiis confectum. 168.1
Brugis mulier misere vexata à dæmonio. 258.2
Brugensis vetulæ fucata religio. 389.9
Brutus Romanum imperium obtinet. 137.8
M. Bruto dæmon apparet. 42.6
Bruxæ. 192.4
Bryoniæ radix ad quid utilis. 411.2
Bucardus comes de Luca interfectus. 73.13
Bucolica qui scripserint. 458.1
Budericiæ mulier dæmoniaca miserè vexata. 339.2
Buer dæmon. 651.7
Bufones fugandi modus magicus. 376.4
Bulaphiæ ars. 114.10
Bune dæmon. 655.24
Busas dæmon. 650.4

Busciducis puella quadam à dæmone vexata. 306.5
Byleth dæmon. 652.20
Bythia monstrosa fœmina in Scythia. 262.2

C.

Caacrinolaas vel Caassimolar dæmon. 652.18
Cabala à magia infami vitiata. 101.17
Cabalisticæ artis usus. 142.2.& 143.4
Cacodæmon unde dictus. 66.8
Cain Abelem interficit. 8.5
Calchantis & Tiresiæ vaticinia de humanis victimis. 15.2
Calculus gypseus in tonsillarum faucium abscessu repertus. 315.2
Calculi ad centum & viginti tres in bilis receptaculo inventi. ibid.4
Caleebutorum Dei effigies horribilis. 76.23
Caldenbroce in arce virgo quædam à dæmone miserè agitata, à Wiero curatur. 32.10
C. Caligula potionatus ab uxore. 273.4
Calliciæ herbæ usus in magia. 115.3
Callisthenes veneficus Lucium Lucullum interficit. 272.4
Cambyses magus. 98.6
Cameli saltatio. 58.2
Campanæ pulsu in die D. Ioan. lemures & lamias pulsari. 361.3
Campanæ baptizatæ an tempestates pellant. 21.4
Campanarum baptismus & exorcismus. 20.2
sonitus an grandinem avertere possit. 579.10
Canibalum idololatria. 135.19
Canis rabidi morsus remedium Paracelsisticum. 631.15. Curatio magica. 377.6. Curationem ad quos medici inepti referãt. 156.1
Canis nigri fel ad quid utile. 411.4
Carabia dæmon. 661.51
Carceris & custodiæ discrimen. 481.4
Carchedonii lapidis virtutes. 412.5
Cardanus reprehenditur. 256.3
Cardani censura de lamiis. 639.4
libri de subtilitate. 108.2
Cardani sententia de lamiarum imaginationibus. 202.3. item confessione. 486.63
unguento. 223.4
Cardani verba contra magos. 391.5
de lamiis. 493.3
Carminum usus apud medicos. 406.1
Carnibus vesci diebus à pontifice Rom. vetitis quando liceat. 174.6
Carnifex quidam in ducatu Wirtenbergico pascua pecoris veneniis inficit. 277.2
Carnificis pertinacia Antverpiæ. 388.6
Carolus 7. Rex Galliæ Egidium regni marischalcum suspendit ob magiam. 466.6
Caroli Galli epistola ad Wierum. 640.1
Carpocrates magiam publicè docuit. 176.12
Carthaginensis concilii decretum contra magos. 470.16
Casali venefica & venefici complures capti. 265.5
Casini ex virgine puer factus. 337.1
Caspari Barcholti Epistola de Opere Wieri. 643.1
Cassiani sententia de diaboli prænotione. 88.4
de dæmonum potestate. 81.3
Cassii Parmensis interitus. 41.4
Cassio Parmensi [illegible] apparet. ibid.
Castoris natura. 167.18
Catalepsis à melancholico sanguine. 447.5
Catharinæ Loe historia. 448.4
Catoni membra luxata carmine sanata. 376.5
Cauponæ reginæ descriptio apud Apuleium. 167.18
Caym dæmon. 659.40
Cerberus dæmon. 652.17
Ceremoniæ inania rerum simulachra. 418.3
Ceremoniis pueros occidi non posse. 172.1
Ceres dea. 12.6
Ceromantia quid. 134.13
Cethim terra. 24.4
Chaldæi Lecamantiæ cultores. 132.3
qua pœna sint afficiendi. 467.2. quantum honorem magicæ arti tribuerint. 100.12
Cham filius Noe primus magiæ cultor. 97.1. & 658.36. ejus execratio. 8.1
Chamos dæmon. 10.3
Chanaan quod simulachrum extruxerit. 11.6
Channon piscem ex seipsa nasci. 239.7
Characterum usus apud medicos 406.1
magicorum nugæ. 381.5
Characteribus nõ inesse activas virtutes. 392.6

Charadii virtus. 263.5
Charoibes sacerdotes apud Americos. 76.26
Charondas magus. 98.6
Chartula inanis collo subnexa. 404.2
Chasaph Hebraica dictio quid significet. 89.2. & 587.15. *ad quid propriè spectet.* 90.4
Chatrab quid. 3363
Chax dæmon. 659.37
Chirurgus sceleratus. 395.1
Chirurgi cujusdam facinus Clivia. 427.3
Chirurgi indocti in quos referant inscitiam suam. 152.1
Chiridirelles Deus apud Turcas, quem viatores invocant. 14.10
Chrisma à dæmone adimi non posse. 490.7
Chrismatis vim externa exemptione tolli non posse. 171.7
Christiani regis Daciæ in folliculo calculi complures inventi. 315.4
Christiano homini quæ necessaria sint. 571.9
Christianos quàm variè diabolus illudat. 19.1
Christophorus Probus cancellarius Palatini. 507.2
Christus ab hæreticis magiæ insimulatus. 102.20
an à dæmone fuerit delatus & raptus, an verè deductus saltem. 193.7.
cur venerit. 19.3. & 26.1
Christi corpus post resurrectionem quale. 199.5
meritorum insignis contemptus. 664.2
miracula qualia fuerint. 97.5. *nomen quare seductores precationibus & exorcismis immisceant.* 419.7. *nominis invocationis efficacia.* 450.2. *promissio post lapsum hominis.* 7.5. *testimonium de medicis.* 153.3
Christum cur dæmones prius penitius, quàm Apostoli noverint. 26.1
cur diabolus tentarit. 28.1
Christo nato cessarunt oracula. 19.3
Chrysoliti lapidis virtutes. 412.5
Chrysostomi sententia de aptis sathanæ organis. 177.1. *de hæreticis non enecandis.* 511.7
de Pythia vel Apollinis oraculo. 139.3
de sexus fœminei fragilitate. 178.1
de anathemate. 374.5
Choastes magus. 99.01
Choatra incantatores insignes. 100.13
Cholera morbus unde oriatur. 283.6
adusta qualia somnia pariat. 185.6
Cholericus vapor qualia insomnia moveat. ib.
Chymiæ quantum tribuat author. 153.4
Cicchus Ascalus Florentinus cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Ciceronis locus de dæmone qui Tagi apparuit. 42.8
Ciceronis testimonium de Sibyllarum doctrina. 619.46
Cimeries dæmon. 662.59
Circe venefica. 545.4. *socios Ulyssis in bestias mutavit.* 124.13. & 333.9
Circes omnipotentiæ descriptio. 162.6
Circenses ludi jussu dæmonis de novo instituti. 401.7
Circulatoris insignis exemplum. 56.9
circulatores apud Fessas. 142.13. & 143.3
Circumcellionum secta. 514.3
Citieus magus. 98.8
Claudiani versus de Lauro. 135.18
Claudio Imperatori qui versus ex Virgilio regnum prædixerint. 137.8
Clausa quæ herba aperiantur. 384.3
Claustrorum apertio diabolica. 383.2
Clavus ferreus sub illæsa cute latens & excisus. 297.1
Clavos mulier maleficio læsa evomit. 292.1
Cleopatra venenum bibit. 348.4
Clementis locus de dæmonum subtilitate. 23.2
sententia de dæmonum machinationibus. 59.2
Clementis & fratrum oculos quomodo Simon magus effascinarit. 95.2
clerici cujusdam melancholia & insanitas. 181.4
Clivensis turris cygnea. 254.4
Clivensis principis laus. 638.3
prudentia. 506.1. & 644.3
Clivensium ducum originis vetustas unde comprobetur. 254.4
Cliviæ cujusdam chirurgi facinus. 427.3
Cobares magus. 98.6
Cobali dæmones. 72.8
cælibatum Plato è sua Republ. exterminavit. 238.4
cæli imaginibus nullæ magicæ voces conveniunt. 378.10
cælo quem Deum præfecerint Græci. 12.5

cogita-

Cogitationes hominum an diabolus sciat. 88.3
sine Coitu viri cur multi nati fingantur. 242.1
Colici doloris remedium physicum. 409.2
Coloniæ in monasterio Nazareth virgines religiosæ à dæmone miris modis vexatæ. 305.1
monstrum nascitur. 319.16
turris inquietissima ob spectra. 450.4
Coloniam trium regum ossa missa, & ibi condita. 197.13
Columbæ Mahometus mira docilitas. 59.3
Columellæ locus de Dardaniis. 99.10
Cometho Dianæ Triclariæ mactatur. 16.2
Connata quæ sunt occulte, non debent referri ad potestatem lamiarum. 262.1
Conatus perfectus quid sit. 594.5
sæpe habetur pro facto. 590.4
Conciliorum decreta contra magos. 468.8
Concubitus cum dæmone imaginarius. 228.1 & 230.1. & 488.4. & 538.27. cum lupa imaginarius. 501.14. promiscuus. 176.13
Concubitus impotentiam etiam à dæmone modo naturali invehi. 362.1
in Concubitus maleficio quid faciendum. 447.1
Concubitum dæmones exercere non possunt. 84.14
Concupiscentia quale vitium. 4.1
Confessio erronea. 498.2. fallaciter eblandita. 504.4. qualis esse debeat. 520.3
Confessioni soli non est standum in criminalibus. 520.4. mente læsi non est standũ. 485.2
tormentis exactæ fides non est tribuenda. 472.4. & 639.6
in Confessione crimina celare, an sit peccatum reale. 175.8
ex Confessione sola non judicatur, nisi in heresi. 520.4
Confessiones in criminali causa quales esse debeant. 585.8
Conformitatum liber à quo & ubi sit conscriptus. 49.8
Conjectores qui dicantur. 94.17
Connubiales leges. 276.13
Consecratio ridicula. 456.8
Consentes dii qui dicantur. 13.6
Constantinus à Lyskerken. 306.2
Constantini Imperatoris sententia de philtris. 274.6. constitutio de Lamiis. 467.1
lex de potentia Lamiarum. 221.31
Coracesiæ usus olim in magia. 115.3
Coralli rubri virtutes. 412.5
Corinthadis usus in magia. 115.3
Cornelia lex de veneficis. 530.7
de quibus veneficis agat. 544.1
Cornelii orationis & eleemosynarum vis & virtutes. 441.1
Corpus quid sit. 199.5. unum eodem tempore duobus in locis esse non potest. ibid.4.
Corpus non nisi per justa spacia ferri posse. 198.1
Corporum penetratio. ibid.1
Corporibus hominum cur se immergere cupiant dæmones. 59.2
Corpora an dæmon sine corpore ferat. 195.6
an & quando possint spiritus transferre. 193.1. quando dæmon per aerem deferat. 196.10. quomodo sine corpore assumpto dæmon per aerem ferre possit. 197.11
Craca saga. 206.1
Crantii locus de Vandalorum diis. 14.9
Creare solius Dei. 84.14. & 120.2. & 122.8
diabolus nihil potest. 84.14
Credulitas temeraria quantum in magicis curationibus valeat. 403.1
Credulitatis constantis potentia. 402.3
Creontis filius pro patria mactatus. 16.2
Cretenses semper mendaces. 619.47
Cribri divinatio quomodo fiat. 134.11
Criminalis actionis probationes quales esse debeant. 486.3
Crocodilis in forma dæmon cultus in Arsinoe. 29.1
Cræsi interitus. 25.5
Crux ab Ægyptiis inter sacras literas relata. 287.4
Crucis vis & potentia. ibid.3
Crucem calcare secreto, an sit peccatum reale. 175.9
Cruciatuum insensibilitatem qui lapis inducat. 389.11
Crystallomantia quid sit. 133.6
Cupidinis & Psyches velitatio venerea. 252.3
Curson dæmon. 651.11
Curtio Rufo dæmon mulieris forma apparet. 40.1
Culter ex cujusdã puellæ latere exectus. 307.1
ejusque longitudo & forma. [illegible].14
Culter

Cultri in ventriculo demortui inventi. 298.1
Cuspis ferrea in thorace relicta, quæ juxta alvum post biennium excidit. 320.20
Custodiæ & carceris discrimen. 481.4
Cuthæorum idolum. 10.3
Cybeles Galli sacerdotes dicti. 139.4
Cygnea turris Clivensis. 254.4
Cygnus naviculam argentea catena trahens. 253.3
Cynocephalia virtus. 411.4
Cynocephalum Hermopolitani pro Deo coluerunt. 11.2
Cynops magus submergitur oratione Ioannis. 104.3. & 450.2
Cynopis magi historia. 103.24
Cynospasti herbæ magicæ virtutes & usus. 416.4
Cyprianus magus D. Iustinam virginem Aglaio frustra conciliare nititur. 98.8
Cypriani locus de diaboli studiis. 60.5 libri magici sub falso titulo circumferuntur. 102.18. sententia de jejunio. 440.3 verba de dæmonis curatione ei studio. 400.5
Cyrenaico Achori litatum, ut muscæ facesserent. 12.4
Cytretæ dæmones. 250.5

D.

DÆmogorgon magus. 98.6
Dæmon Anneburgæ duodecim operarios in specu interficit. 72.7. an corpora sine corpore ferat. 195.6. Cassio Parmensi apparet. 41.4. cogitationes hominum ignorat. 321.1. cuidam puellæ specie Æthiopis apparet. 476.1. cuidam puero sub forma Christi apparet. 369.4. cur coire nequeat. 234.5 cur non manum, sed ejus formam in stipulatione extendat. 168.1. & dæmonium quid significet. 66.7. Hildesheimensi Episcopo noctu apparet. 73.13. in Dianæ templum à Ioanne Evangelista fugatus. 449.3 in quodam cœnobio forma canis sæpissimè visus interdiu. 302.8. juvenem quendam immorigerum parentibus auferre conatur. 44.4. & 45.16. monachi forma viduæ cuidam apparet. 53.3. mulieris forma Curtio Rufo apparet. 40.1. puellæ cuidam sub forma juvenis eximii apparet. 300.5. qua substantiæ commoditate tam varia machinetur. 37.1. quando corpora per aerem deferat. 196.10. quomodo corpora transportet 194.5. quomodo hominum sensus obsideat. 177.2. quomodo in vitro carminibus coercendus sit. 106.9. quomodo lamias in aere concitando illaqueet. 210.2. quot modis hominum mentes constringat. 31.8. quot in species se transformare possit. ibid.7. quibus in locis, & quàm variis sub formis sit cultus apud ethnicos. 28.1. quibus præstigiis religiosos ludificare soleat. 34.1. Tagi pueri specie apparet. 42.8. visibiliter in Hildesheimensi diœcesi multis apparet. 73.12. unde sit dictus, & ubi in sacris literis ejus mentio fiat. 66.7. unde Tyri destructionem prænoverint. 24.4. sub forma felium visus. 302.8
Dæmonis fraus. 252.4. pellendi superstitiosa curatio. 394.1. imbecillitas & impotentia multis sententiis ostenditur. 432.1. in nomine nihil boni fit. 289.3. insidiis quomodo sit resistendum. 351.1. & 434.4. ludibriis qui magis expositi sint. 191.2. mendacium. 390.1. multa studia & opera breviter comprehensa. 28.1. terriculamenta quibus literis arceantur. 161.2
Dæmonem alteri invehi non posse imprecatione. 492.1. captivum qui vitro circumferunt, qua pœna sint afficiendi. 465.3. nulla radice extrahi posse. 415.1. quare Deus constituerit hominibus adversarium. 65.16.
Dæmones an concubitum exercere possint. 84.14. & 230.1. & 233.1. & 235.7. an à magis cogi possint. 116.5. an habeant corpus seminis capax. 636.27. boni & mali quomodo appareant. 78.4. cur aliquando futura prænuncient. 23.1. cujus figuram maximè adaptent. 39.7. cur homines in bestias transformare non possint. 332.5. cur hominum corporibus se immergere cupiant. 59.2. cur in locis separatis ab hominibus se non ostendant. 37.6. cur plus sciant, quàm homines. 23.2. cur prius Christum penitius, quàm Apostoli, noverint. 26.1. cur sint superiores hominibus. 3.7. cur veritatem de Christo & suis Apostolis confessi

sint. 27. 2. *exorcismo quomodo & quando sint ejiciendi.* 448. 1. *expavescunt verè credentes.* 355.14. *familiares.* 71. 5. *familiares privatorum hominum.* 75. 17 *in cavernis mineralibus.* 72. 7. *in quot ordines à Trithemio dividantur.* 112.3. *montani* 72. 7. *montani ubi maximè laborent.* 73.11. *olim communibus precibus expulsi.* 437. 3. *Poetici & fictitii qui dicti sint.* 77. 28. *pro diis habiti, & eorum nomina.* 9.3 *quibus herbis in colloquium allici possint.* 410.3. *quibus plerunque appareant.* 184.4 *quibus sacrificiis maximè afficiantur.* 18.7 *quo nomine expelli possint.* 287. 3. *quomodo agnoverint Christum, quem Iudaei non agnoscebant.* 130.6. *quomodo eleemosynis ejiciantur.* 440. 1. *quomodo jejuniis ejiciantur.* 439. 1. *quomodo pro diis haberi voluerint, & praesidere regionibus.* 9. 1 *quomodo se insinuent corporibus hominum.* 62.11. *quomodo se in varias formas transmutent.* 599. 6. *quomodo sonitum emittant.* 38.4. *quomodo spiritum nostrum suscipiant.* ibidem. *quot modis appareant.* 37. 6. *quot modis hominibus insidias struant.* 60. 4. *tetrici familiares.* 71.7 *tres visi in deserto.* 44. 13. *unde aliquando futura praedicant.* 621. 51. *unde nomina sumpserint.* 10. 4. *unde tam admiranda possint* 23. 2. & 28. 1. *unde vaticinari possint.* 23.2. *ut dii habiti.* 9. 1

Daemonum bonorum & malorum discretio. 78.4. & 80. 9. *signa qualia.* 79. 5

de Daemonum lapsus causa & natura qui Theologi scripserint. 4. 1

Daemonum citatio per magos quomodo fiat. 664 1. *commentitia nomina unde tam varia.* 77. 27. *conatus descriptio ex Augustino.* 22.7. *cultus apud quos potissimùm viguerit.* 100.13. *distincta nomina quis conscripserit.* 80.10. *distinctio secundum Theologos.* 77. 1. *divinationes unde.* 23.2 *epulae* 62. 10. *genus quod pessimum sit.* 72.8 *illusiones.* 21. 5. *illusionibus qui homines maximè expositi sint.* 177. 1. *in arbitrio voluntatem nocendi non esse positam.* 81. 3 *inquisitio quando fieri debeat.* 36.3. *lapsus.* 2. 5. *lapsum qui ex philosophis priscis denotarint.* 2. 6. *machinationum finis.* 64.15 *montanorum statura, forma & operationes.* 72. 9. *nomenclatura.* 9.3. *nomina ex actionis varietate apud ethnicos.* 70.1 *nomina ipsorum studia prodentia, quibus nuncupantur in sacris literis.* 65. 1. *oracula quandiu durarint.* 19. 3. *& quam ambigua sint.* 24. 3. *origo.* 2. 5. *operationes variae.* 32. 9. *potestas nocendi in quo sit sita.* 81.3. *praenotiones unde.* 24.3 *prodigia unde.* ibidem. *profligatio Paracelsistica.* 395. 4. *pseudomonarchia.* 650.1 *studia quo pacto à patribus describantur.* 59.2. *techna saepe à sagacioribus hominibus detectae.* 29. 2. *transformatio quo pacto fiat.* 606.20. *varia apud diversos distinctio.* 78.2. *varia nomina.* 9.3. & 69.27

Daemonibus hactenus multa falsò attributa sunt. 87.4. *limites nocendi constituti.* 80.1 *quae sint impossibilia.* 86. 1. *quomodo in corpora ingrediendi locus detur.* 60. 3 *quomodo quidam restiterint.* 435.5

de Daemonibus fabulae. 1. 2

Daemones cur hominibus adversarios Deus constituerit. 59.1. *corpora hominum pro sua libidine ingredi non posse.* 323. 2. *ejiciendi Ecclesiae veteris modus.* 452.1. *esse qui negent.* 1. 2. *expellendi & aufugiendi methodus certissima ex sacris literis.* 429.1 *fugandi modus Paracelsisticus.* 631.15 *ignorare hominum cogitationes, sententiis patrum ostenditur.* 88. 1. *latronibus similes esse.* 400. 4. *malos in quot gradus theologi distinguant.* 77. 1. *nemo potest imprecando immittere.* 323. 2. *non aliter sanare morbos, quàm à laesione ab illis invecta cessando.* 398. 1. *nullis plantis aut terrena materia allici aut fugari posse.* 409.1 *procreandi potestatem non habere.* 544.2 *prorsus nihil posse, ex Decretis ostenditur.* 87. 3. *qui lapides pellant.* 412.5. *quomodo Latini distinxerint.* 714

Daemoniaca mulier in Saxonia Graecè & Latinè loquitur. 453. 2. *Romae optimum versum ex Virgilio recitat.* 454.4

Daemoniacae femellae figmenti historia elegans. 344. 1. *mulieris partus lamiae imputatur.* 257. 1. *ficta obsessionis curationes certae.* 445. 1. *ob-*

445. 1. obsessionis juvantibus sacrificiis historiæ. 342. 1. prædictionis exemplum. 25.6. puellæ figmentum Cliviæ. 427.3 puellæ historia memorabilis. 286.1. puellæ ridicula curatio. 404. 2. virginis superstitiosa curatio. 394.1. & 395.3

Dæmoniacarum actionum exempla varia. 40. 1. imprecationum punitarum exempla. 325. 1. larvarum exempla. 46.1. virginum curatarum prope Xanctos memoranda historia. 443.4

Dæmoniacæ curationes nihil valere, multis argumentis ex Patrum sententiis probatur. 398.1

Dæmoniacus quidam factus à mali esu. 322.5 apud Gadarenos maleficio læsus. 279.4. ab Hilarione sanatus. 449. 2. quidam equestris ordinis factus. 322.6

Dæmoniaci vaticinii exempla. 25.7. ficti historia festiva. 344.1. obsidii figmenta. 340.1

Dæmoniaci ad quindecim Hammona quibus remediis liberati. 641.3. cur aliquando transferantur. 119.17. cur melancholici judicentur. 339. 1. quibus rebus olim sanati sint. 437. 3. quomodo communibus precibus curentur. 436.1. quomodo sint curandi, certa methodus. 430. 4. & 444.6 ubi plures uno in loco sunt, quid faciundum. 442. 2

Dæmoniacorum historia, qui à Lamiis affici credebantur. 292.1. puerorum Amsterdami historia. 296.1

Dagon dæmon. 10.3

δακτυλομαντεία quid. 133.7

Daniel Brouchusius medicus. 646. 1. an magus fuerit. 101. 18

Danielis vaticinium de Asiæ regni translatione. 24.3

Dani magicas artes in bello timent. 216. 17

δαφνομαντεία quid sit. 135.18.

Dardaniæ artes unde sint dictæ. 99.10

Dardanus magus. 98. 6

Dardani Ægyptiorum magi libri. 99.10

Datura planta. 227.5

Decarabia dæmon. 661.51

Decii Mundi amoris impotentia. 242.2

Decreta quid statuant de magis & ariolis, eosdemque consulentibus. 467. 1. in concubitus maleficio. 447. 2. de magorum miraculis. 124.13

Defunctorum animæ quo tempore & quot modis appareant. 36.5

δείκηλον cur veteres Hecaten appellarint. 70.2

Delphi quem Deum coluerint. 12.2

Delphicum oraculum. 139.2 Ionibus datum. 16. 2

Delphici oraculi ambiguitas. 24.5

Demarchus in lupum conformatus. 331.1

Democritus Abderites magiæ cultor. 99.10

Dentium doloris remedium ex sacris literis. 363. 2

Deumus dæmon à Calechutis cultus. 76. 23

Deus cur diaboli & angelorum ejus ministerio utatur. 434.2

Deus ex homine non potest nasci. 237.3

Deus non vult prædicari suam gloriam ab impio. 290.4. quæ sibi reservarit punienda. 560. 30. solus καρδιογνώστης hominum. 88.1. sine ordine nihil condidit. 82.7. unus ubique est. 199.4

Dei nominis abusus execrabilis in curationibus morborum magicis. 363. 1. minister in quibus sit diabolus. 85. 15. verbi genuinus usus. 374.1

Deo quid impossibile. 84.13. quomodo injuria fiat. 551.10

Deum peculiarem singulis in natura corporibus adesse. 12.5

Dii communes. 13.6. consentes qui dicti fuerint. ibidem. familiares 71.5. geniales. 13.6 gentium quomodo in sacris literis nominentur. 14.13. Græcorum. 12.5. indigetes. 13.7. majorum gentium. 12.6. patrii & tutelares. 13.7. penates. 13.6. populi Dei. 15.14. Romanorum. 12. 6. selecti qui dicti sint. 13.6

Deorum cognomina qui conscripserint. 9.3 commentitiorum supra triginta millia fuisse. 13. 8. gentium genealogiam qui conscripserint. 9.2. libidines per sacerdotes exercentur. 244. 3, provinciarum nomina. 11.1

Deos ac dæmones non coire. 235.6

Diabolus ex quibus interiora hominis agnoscat. 88.3. in cujuscunque materiæ vel nominis idolis colitur. 20. 1, in quibus sit Dei minister. 85.15. monstrosa specie apparet. 42.7. quàm

42.7. quàm variè in Christiana Europa illudat. 20.1. quibus in locis spiritus dicatur. 67. 20. quibus somniis se libentius insinuet. 185.6. quomodo deceperit Evam, & quomodo primùm mundum corruperit. 6. 1. & 7.4. quomodo in tam varias figurarum species transformetur. 37.1. quomodo vaticinetur. 30.5. quid significet. 66.6 simia Dei. 193. 1. specie togarum Romae variis in locis apparet. 42.8. sine consensu Dei nequicquam potest. 84.14. & 578.8. unde futura praedicat 128.2

Diaboli adversus conatus curatio praeservans. 351.2. cibus. 62. 10. concubitus imaginarius cum Lamiis. 539. 27. & angelorum distinctio. 80.9. odium erga Christum. 28. 4. odium erga Deum immedicabile. 6.1 potentia & actiones. 28.1. & 32.9. pravitate omnia mundi mala sunt commissa. 23.7 subtilitatis exempla. 129.4. versutia. 21.5

Diabolo agendi limites à Deo constituti. 80.1 multa falsò attributa sunt. 87. 4. non est potestas permissa in hominis vitam. 294.4 quae sint impossibilia. 86.1

Diabolum creaturas verè nec condere, nec transformare posse. 190. 3. ignorare hominum cogitationes. 88. 1. per se operari maleficia, nec indigere in his Lamiarum consensu. 280.9

Diaboli quando limites transgrediantur. 83.9 unde sint facti. 7.4

Diabolicae commixtionis figmentum comprobantes historias omnes esse fabulosas. 251.1

Diana dea. 12.6

Dianae templi devastatio per Ioannem Evangelistam. 449.3. Triclariae cur Iones annuatim juvenem & puellam immolarint. 16.2

Diasaren Arabes coluerunt. 12.2

Didius magus. 98.8

die Dominico jejunare, an sit peccatum. 173.5

Diluvii causa. 8.5

Diodori Siculi locus de diis gentium. 10.3

Diomedes in insula Diomedea pro Deo cultus. 12.2

Diomedis fuga & exilium. 135.12

Diomedenses quem Deum coluerint. 12.2

Diomedeae aves. 333.9

Dionysio Syracusano daemon apparet. 41.5

Diophanes magus. 143.10

Diti & Proserpinae Romani aram sub terra erigunt. 42.7

Divinatio ex visceribus mactatorum hominum. 18.8. magica Turcarum 144.9

Divinationes daemonum unde. 23.1

Divinationum magicarum species. 132.3

Divinatoris cujusdam miserabilis interitus. 148.9

Divinatrici quid à morte acciderit. 479.1

Divinorum poena inter edicta imperialia Germanica. 471.1

Divinis poena à Mose constituta. 464.2

Dodona, aliàs Epirus. 8.2

Dodonaeum oraculum. 28.1 à quo sit inventum. 8.2

doloris insensibilitatẽ qui lapis inducat. 394.1

Dolus quid sit. 555.19

L. Domitio rure revertenti juvenes gemini apparent. 119.16

Domus infamis Athenis daemonis idolo. 40.2

Donatianorum haeresis. 518.13

Donatistarum secta. 514.3

Donnerbeitel. 414.14

Dordraci duae virgines à daemonio exagitatae. 295.3

Dormienti testes exsecti. 225.9 cuidam spectrum apparet. 43.12

Draco magnus in terram projectus, cujus personam denotet. 2.5

Druidae Bardi. 17.3

Druides Gallorum quã magiã coluerint. 101.7

Duffi regis maleficio laesi historia mira. 200.1 historiae figmentum unde sit sumptum. 204.7

Durvveiss pagus, in qua eo exercitae cujusdam factum. 420.1

Duseldorpii monacho cuidam testes exsecti. 327.4

Dusii daemones. 248.1

E.

Ebrietas cibus diaboli. 62.10 Ebrietatis initium. 8.1

Eckercken daemonium prope Eltem pagum hominibus multa damna inferens. 504.5

Ecnephias ventus. 197.11

Effascinare quid sit. 95.2

Effascinatrices gentes. 263.4

Effigierum magicarum nugae. 381.5

Ἐγγαστρίμυθοι mulieres quomodo vaticinentur. 140.6

Egidius regni Gallici marischalcus ob magiam suspensus. 466.6
D. Egidio epilepsiæ curatio tribuitur à medicis ineptis. 156.1
Eleazari miraculum. 415.1
Eleemosynarum encomion. 440.1
Elephas in sacris literis quid denotet. 65.2
Elephantiacos diabolus mūdare non potest. 86.1
Eligor dæmon. 651.12
Elsa Kamensis à diabolo miris modis exagitata. 304.6
Emath viri quem Deum coluerint. 10.3
Empedocles quas nationes perlustrarit ob magicam artem. 99.12
Empedusæ dii. 71.4
Empusis qui lapis adversetur. 412.5
Engelbertus Holter chirurgus. 327.4
Enthusiastarum origo. 18.1
Εὐρύκλεις & ἐγγάστρι quid significet. 92.10.& 95.2.
Ephemeri avis genitura. 239.6
Ἐφιάλτης quid sit. 229.2
Epilepsia an morbus sacer sit, Hippocratis sententia. 156.1
quid sit, & unde oriatur. 229.2
Epilepsiæ causa & natura. 159.6. curatio Paracelsistica. 624.5. curationem ad quos medici inepti referant. 156. 1. magica & superstitiosa curatio. 376. 1. remedium physicum. 409. 2. superstitiosa curatio apud priscos. 158.5. varia causæ. ibid. 6
Epileptica puella, putatur dæmonica. 342.1
Epilepticus à dæmoniaco quomodo sit dignoscendus. 347.6
Epilepticis quæ sint vitanda. 157.1
Epilepticorum curatio magica. 419.6
Epiphanii Palæstini sententia de philtris. 274.6
Epirus prius Dodona dicta. 8.2
Episcopi plerique infames magi. 358.4
ἐπῳδὴ quid sit. 96.3
Equæ Favonio stante obversæ, animalem spiritum concipiunt. 239.7
Equestris exercitus quo pacto magica arte comparetur. 384 5
Equi in formam fœmina mutata. 190.1
Equum nigrum Stetinenses divino honore prosequuntur. 11.9
Equorum vermis remedium magicum. 365.8
Equos ab esu quid exterreat. 277.1. apud Nigritas carminibus strenuiores reddi. 378.8
quid illæsos conservet. ibid.
Erasmi locus de quodam parocho. 48.7. de quodam spectro ficto. 427. 2. de hæreticis, quomodo cum his sit agendum. 513.1
Erichtho malefica mortuum quendam suscitat. 131.1
Ericus frater Rolleri. 206.1
Ericii Danici prudentia. 524.1
Erophile. 615.39
Errantis nullam esse voluntatem. 557.22
Erucarum è brassicis abigendarum conjuratio magica. 378.9
Esaiæ vaticinium contra magos. 160.3. de Tyri destructione. 24.4
Esau dolus & astutia. 9.5
Evam cur dæmon aggressus sit, & non Adam. 178.1. quomodo diabolus deceperit. 6.1
Evangelia collo alligata an vim contra dæmones habeant. 379.1
Eucharius Rosenbader medicus. 279.1
Euchetarum nefandæ sacrificia. 175.11
Eudemus philosophus & magus. 381.6
Eunus Syrus, fictus dæmoniacus. 342.9
Euphemi Cartandem adventus in Satyrides insulas. 249.3
Eurycles magus. 92.13
Eusebii locus de abolitione oraculorum. 19.3 de Maxentii interitu. 104.4. de Zoroastre. 97.3
Euxodus magus. 98.6
Exorcismus ad gehennam condemnans. 421.1
Exorcismi brevis formula. 451.4
formula apud veteres. ibid.6
Exorcismi quando & quomodo adhibendi sint. 448.1. item à quibus. ibid.
Exorcismorum abusus. 418.2
Exorcistæ cujusdam miserabilis interitus. 640. 2. facinus. 421.35
Exorcistam qualem oporteat esse. 448.1
Exorcistarum quorundam interitus. 620.2
quorundam historiæ memorabiles. 420.1
Exorcizare quibus olim licitum sit. 448.1
Exploratio nocentium per ferrum candens. 484.6. item per aquam bullientem. ibid.
Extispicina auctor quis fuerit. 42.8

F.

Faba inversa usu. 224.6
fabam Graecam quid Ligures appellent. 91.6
Fascinare quid sit. 95.2
Fascinationes quae prohibeant. 411.4
Fascinum quid sit. 96.3
Fascinum quid auferat. 411.2
Fauni. 248.1. dii quando & quales sint creati. 13.7
Faustiniani vultui facies impressa Simonis. 95.2
Faustus Batoburgi captus. 105.8. ubi artem magicam didicerit, ejusque interitus. ibid.
Febris curatio superstitiosa & horrenda. 398.2. curatio magica 363.2. & 378.7. quartanae effectus. 309.2. quotidianae curatio magica. 377.7
contra Febres breviola. 381.6
Felis cerebrum ad quid utile. 271.5
Felem Ægyptii pro Deo coluerunt. 11.2
Feretrii dii fulminum. 12.6
Ferramenta duo aspera in ventriculo inventa. 298.1
Fessa tria divinorum genera. 144.7
Fessensium mulierculorum commixtio cum daemone. 245.2
Festi versus de Strigibus, 161.2
Fesulis ingens multitudo inter sepulchra lugubri veste interdiu ambulare visa. 42.8
Fidei in negocio processus. 518.12
Fidem Christianam qui abnegent. 170.5
Figuris nullam vim inesse. 391 3. & 392.6
Filii immorigeri parentibus, insigne exemplum. 44.14
Filii Dei qui sint. 234.4. ad filias hominum ingressi sunt, locus hic Mosis explicatur. 233.1
Filorum sphaerulae ex ore cujusdam daemoniaci extrahuntur. 293.3
Finni populi Septentrionales olim ventos venales habebant. 117.10
Fiuno insignis magus. ibid.9
Finiti ad infinitum nulla est proportio. 199.5
Flammulenta cur noctu clarius luceant. 55.4
Flauros daemon. 662.61
Flins numen Vandalorum. 14.9
Florina daemon, amasia Pineti. 256.2
Focalor daemon. 659.43
Fodinarum metallicarum daemones. 72.7
Foecunditatem quid impediat. 261.5
Foemina ob nefaria juramenta à daemone avehitur. 326.2. pudica in equam versa. 190.1
Foemina ab initio ad veneficium proclviores. 545.3
Foeminarum in marem mutatio unde. 56.5 transmutatarum in viros exempla aliquot. 337.1
Foemineus sexus cur maximè daemonum illusionibus expositus sit. 178.1
Folleti dii. 71.4
Foraii daemon. 652.15
Forneus daemon. 655.25
Forras vel Fortas daemon. 656.29
Fortes non vident spectra. 184.4
Franciscus Luciferi successor, & Christi vexillifer. 49.8
Francisci error. 436.7
Francisco daemones frustrà insidias struunt. 50.10. diabolus pecuniam offert. 293.4
Franciscanum suis exorcismis diabolum compulisse ad veritatis confessionem. 420.4
Franciscanorum Aureliae figmentum. 422.2 coetum Christo viciniorem esse. 49.8
Fratricellorum Neapolitanorum secta. 176.13
Fricatrices quae dicantur. 246.2
Frigga Gothorum numen. 13.8
Fridericus Austriacus Imperator philtro necatus. 274.5
Fridericus primus Imperator. 493.3
Friderici Palatini electoris prudentia. 507.2
Friderici tertii ducis Saxoniae, in vesicula lapis inventus. 315.4
Froe Upsalensis deorum satrapa. 17.5
Fruges à lamiis non posse excantari, nec laedi, sed à daemone & veneficis. 211.5
Frugum penuria & sterilitas unde. 218.24. & 577.6. ob peccata nostra saepe accidit. 349.5
Fugenstal in pago Eistetensis episcopatus quidam à daemonio miserè exagitatus. 297.1
Fugientes quomodo Turcae ab itinere incantatione retrahant. 330.4

Fugen-

Fulgentii locus de dæmonum lapsu. 4. 1. sententia indigna. 237. 1
Fulmina quid avertat. 413.11
ciere an magi possint. 115.3
Fulminum dii apud Romanos qui habiti sint. 12.6
Funambuli quomodo sua opera peragant, & cujusdam Itali mira agilitas. 57.10
Fur tormenta nil curans. 386.3. & 87.4
ut deprehendatur, magica conjuratio. 369.6
Furis investigandi modus dæmoniacus. 367.1
lædendi impius modus. 370.8
Fureas dæmon. 659.38
Furfur dæmon. 656.30
Furiosi cur non sint puniendi ex aliquo delicto. 559.26
C. Furius Cresinus ob copiam frumenti Romæ accusatus. 211.6
Furorem quæ herba inducat. 227.3
Furti pœna apud Gallos. 16.3
Furta quo pacto magi inquirant. 134.10
Futura per quas imagines olim prædixerint. 145.11

G.

GAbirum Macedones pro Deo coluerunt. 12.2
Gabriel Fallopius medicus. 317.10
Galeni scripta quatenus sint imitanda. 633.17
sententia de epilepsia. 157.1
Galgarandus medicus dæmoniacam curat. 430.4
Galgulus. 263.5
Gallacia dæmon Poeticus. 77.28
Galli Phrygiæ fluminis natura. 139.4
Gallum se esse fingens. 487.7
Gallorum idololatria & victima humana. 16.3. mos & ceremoniæ in mortuis sepeliendis. 422.2. rusticorum superstitio. 31.6
Gallos astragalomantiæ esse cultores. 136.3
Gamygyn dæmon. 660.46
Gaap dæmon. 658.36
Gariophylatæ herbæ usus. 581.2
γαστρομαντεία quid sit. 133.4
γαστρομαντεία quid sit. 140.5
Gaudentii Merulæ credulitas. 412.10
Gedeon Baal idolum destruit. 10.3
Gelotophyllidis usus. 226.3
Gemma Phrysius maleficas herbas in horto suo plantat. 224.8
Gemma stuporem inducens. 225.10
Genevæ venefica multa combusta. 265.6
Geniales dii. 13.6
Genituræ quæ necessaria sint. 636.27
Genius unus ex diis selectis. 13.6
Genii mali qui dii dicti sint. 71.4. & 78.1
Genii qui & quot fuerint. 13.6
Gentium majorum dii. 12.6
Geomantici. 142. 1. Fessæ reperiuntur. 144.7
Georgii Agricolæ locus de virunculis montanis. 72.7
Georgii Buchanani carmina varias historias comprehendentia. 424.1
Georgii Sabini carmen. 50. 1
Georgii Pictorii de Lamiis sententia diluitur. 543.1
Georgio Pictorio quantum sit tribuendum. 636.27
Gerardus Dorn Paracelsi discipulus. 208.6
Theophrasti Paracelsi translator. 624.3
Gerardi vicari in Blatsum maleficium. 151.6
Germa magus. 98.6
Germani locus de Lamiis. 199.6
Germani quantum tribuant Lamiis. 94.19
Gigantes unde sint nati. 234.3
γιγαντομαχία quid designet. 2.5
Gigantum habitatio olim. 10.4
Gilbertus magus apud Ostrogothos in specu ligatus. 330.3
Gisbertus Horstius medicus. 266.9
Gladius spiritus qui sit. 352.2
Glasyalabolas dæmon. 652.18
Gnostici hæretici. 103.23
Gnosticorum nefanda sacrificia. 175.11
γνωστὴς quid significet. 93.14
Goap dæmon. 663.69
Gobrias magus. 98.6
Godhardus ab Hagen bellum diabolo facit. 420.7
Gog magus. 98.6
γοητεύειν quid sit. 95.2
Goivelmirschin Deus apud Turcas. 14.11
Gomorræ & Sodomæ exitium. 8.4
Gomory dæmon. 661.50

Gordiani

Gordiani peregrinatio. 44.3
Gordonius quatenus sit ab authore reprehensus. 635.25
Gorson dæmon. 663.69
Goslariensis ludimoderatoris magi mors. 106.1
Gothi hostiis humanis suos Deos placaverunt. 17.5. quos Deos coluerint. 13.8
Gothorum superstitio in tempestatibus arcendis. 413.10
Græci novarum rerum studiosi. 100.13 scriptores quid de lapsu diaboli senserit. 2.5
Græcorum credulitas. 334.12. idololatria & superstitiones. 12.5. sacerdotes magos fuisse. 357.2. sacrificiorum numerus. 13.8
Græcos quis primùm magiam docuerit. 98.7
Grando unde. 575.2. & 576.5. quibus rationibus averti possit. 579.11
Grandinis Deum esse authorem. 577.7. ex maleficio natæ sedatio superstitiosa. 457.9
de Grandine concio Ioannis Brentii. 575.1
Grandines minimè à diabolo excitari posse. 582.3
Gratiani locus de muliebris sexus imbecillitate. 178.3
Gravia carnificis uxor trium virorum capita vult detruncare. 269.1
Grigri dæmonium apud Americos. 76.25
Groningæ trium melancholicorum corrupta natura, ut se Deum patrem, filium & spiritum sanctum crederent. 180.2
Gueserum Belgicorum consilia & tumultus à diabolo per puerum prædicta. 25.7
Guiljelmus Roschildensis magus. 358.4
Guiljelmus famulus Meineri Clatsii à dæmonio exagitatus. 293.3
Guiljelmi Brabantini locus de quodam qui se lupum esse credebat. 335.1
Guiljelmi comitis Montensis prudentia. 507.4
Guiljelmi ducis Cliviæ &c. prudentia in accusatione ob maleficium. 506.1. & 644.3
Gusoyn dæmon. 651.8
Guteli dæmones. 72.10
Gygis Lydorum regis annuli virtus. 381.6
γυρομαντεία quid sit. 142.1
Gyromanticarum figurarum artificium. 144.5
Gyromantici quomodo suos circulos conficiant. 143.3

H.

HAagenti dæmon. 663.66
Habar Hebraica dictio quid significet. 91.10. & 588.16
Haborym dæmon. 661.56
Hachamim qui dicantur. 94.17
Hadrianus Turnebus. 140.8
Hæreticus quis sit dicendus. 512.1
Hæretici cui similes sint. 480.8. multi ex magis prodiere. 102.21. quomodo sint puniendi secundum constitutionem Codic. 518.12 resipiscentes cur non sint interficiendi, patrum sententiis probatur. 509.2
Hæreticorum conciliabula dissipari possunt. 512.7
Hæreticis Lamiæ non sunt annumerandæ. 480.1
contra Hæreticos articulis & fasciculis agitur à monachis. 516.10
cum Hæreticis quomodo sit agendum, sententia Erasmi. 513.1
Halphas dæmon. 659.42
Hammonis Iovis oraculum. 8.2. & 30.5
Hammelæ omnicolor dæmon tibicen ad centum & triginta pueros abducit. 47.2
Hammonæ dæmon tragædias movet. 77.27 diabolus miris modis moniales virgines exagitat. 640.1
Hammonenses cives quidam à dæmonio miris modis agitati. 304.7
Hans Vatter impostoris commenta. 341.4
Harcalo magus. 99.10
Hartummim vocabulum quàm variis in locis usurpetur. 94.17. quid significet. 587.16 qui dicantur. 93.16
Hattscipettesch Turcarum Deus. 14.9
Haymonis sententia de diaboli prænotione. 88.4
Hecatæa. 70.1
Hecatæ Enodiæ quando causa epilepsiæ attribuatur. 158.4
Hecaten primùm aconitum invenisse. 545.3
Hedeckin. 73.12
Heiran luc herba usus apud Turcas. 226.3
Heliæ preces quantam vim habuerint. 436.1
Helidæus Foroliviensis medicus. 569.2

Helidaus Patavinus Foroliviensis medicus. 266.8
Helinandi monachi locus de quodam milite, cujus ex ore bestiola egressa & rursus ingressa est. 38.2
Heliodori historiæ quanta fides sit attribuenda. 634.19
Heliogabali interitus. 18.8
Heliotropii lapidis virtutes. 412.5
Helisæus oleum in vasibus viduæ vacuis auget. 86.1
Hellerus, alias Lamia. 161.3
Helmoldi locus de Sclavorum diis. 14.9. & 17.6
Henrica virgo quædam miserè à dæmonio exagitata. 32.10
Henricus Wesius jurisconsultus. 210.10. & 573.1
Henrici Wexii Clivensis cancellarii laus. ibid.
Hensbergi in collegio dæmon sub felium specie visus. 302.8
herba lunaria. 55.3
Herbæ maleficia tollentes. 411.2
Herbis an homines in bestias transformari possint. 332.4
dæmones allici minimè posse. 410.4
Hercules Semideus. 237.2
unde sit natus. ibid.
Herculi Canopio, ut culices minus infestarent, litatum est. 12.4
Hermogenes suos magicos libros Iacobo Apostolo comburendos offert. 466.5
Hermanni comitis Nivvernarii prudentia. 507.3
Hermanno Wolfratgen Everfeldensi monacho testes excessi. 327.4
Hermes magus. 98.6
Hermiliana dæmon, amasia sacerdotis. 256.1
Hermippus magus. 98 6
Hermogenem fuisse magum. ibid.8
Hermopolitani quid pro Deo coluerint. 11.2
Herodis animum cur dæmon ita contra Iesum inflammarit. 27.3
Herodoti historiæ quæ fides adhibenda. 634.19
Heroes unde dicti sint. 233.2
Heronitus à quo pro Deo sit cultus. 14.9
Hesus Deus à Gallis humanis hostiis cultus. 17.5
Heveorum idolum. 10.3
Hex quæ dicatur. 161.3
Hibernorum idololatria. 12.3
Hieremias Brachelius medicus. 224.8
Hieremiæ testimonium de Lamiarum impotentia. 221.32
Hieronymi libri magici sub falso titulo circumferunt. 102.18. locus de omnipotentia Dei. 84.13. sententia de feminei sexus debilitate. 178.2
Hierophile Sibylla. 615.39
Hilario dæmoniacum sanat. 449.2
Hilarionis lucta cum dæmonibus. 435.6
sententia de dæmonum veneficio. 350.7
Hildegardis sententia de ligaturis. 331.7
Hildesheimensis episcopi in aula dæmon visibiliter multis apparuit. 73.12
Hipocus magus. 98.6
Hippocratis sententia Christiana. 159.6
contra versutos medicos & sacrilegos magos. 157.2. de epilepsia. ibid.1. de Lamiarum inani conatu. 166.15
Hippolyto privigno suo Phædra amatorium poculum propinat. 275.10
Hippomanes quid sit, & quid scriptores de eo sentiant. 270.5. & 274.5. unde nomen habeat. 271.4. in amore concitando parum valet. 272.1. ejus usus. 270.2
Hircum Mendesii pro Deo coluerunt. 11.2
Hirundinum pulli ad quid utiles sint. 272.5
Hispanus Phillippaldus medicus. 266.7
Hispani cujusdam clerici melancholia. 181.4
Hispani qua ratione in Belgis se à malis & peste conservarint. 364.5
unde virginitatem dijudicent. 231.4
Hispanorum superstitio in Belgis. 365.5
Historiis quibus in rebus author fidem non tribuat. 633.18
Historicis quibus fides sit adhibenda. 633.19
Histrionis cujusdam historia. 57.1
Holisba herba virtus adversus dæmones. 411.3
Hollerus magus trucidatus. 105.6
Homeri umbram ab Appione evocatam esse. 131.2. versus. 610.27
Homerica medicatio. 406.1
Homicida qui sint. 538.26. quomodo sint puniendi secundum legem Mosis. 529.6
Homicidium à quo primum excogitatum, & unde

unde ortum sit. 8.5
Homo à Deo qualis sit creatus. 238.4
bestis Dei factus ex inobedientia. 6.3
post lapsum quantis bonis à Deo sit privatus. 7.3. non nascitur nisi ex utroque sexu. 238.3
Hominis anatome. 419.5
Homines quantis bonis exornati fuerint ante lapsum. 7.4. qui maximè dæmonum illusionibus expositi sint. 177.1. & 191.2
quomodo decipiantur à dæmone. 177.2
Hominum ante lapsum status. 7.4
cogitationes dæmon ignorat. 88.1. & 321.1
corpora quàm variè dæmon transferre possit. 32.11. corporibus cur se immergere cupiant dæmones. 59.2. mactatorum ex visceribus divinatio. 18.8. mentes quot modis diabolus constringat. 31.8. transformatio phantastica in bestias quomodo fiat. 189.1
Hominibus quare Deus dæmonem adversarium constituerit, 59.1. & 65.16
quot modis dæmones insidias struant. 60.4. & 61.9
Homines an dæmones per aërem vehere possint. 194.3. à dæmone in bestias transformari non posse. 332.6. furiosos quæ herbæ faciant. 227.3. impietatis pertinacis cur Deus aliquando magis excæcare & indurare faciat. 126.7. magica arte per aërem ferri non posse. 195.7. in bestias non transformari maleficio. 331.1
in Homines quare aliquid diabolo permittatur. 81.2
Honorii constitutio de magicis libris. 466.5
libri magici sub falso titulo circumferuntur. 101.18
Hornuar nomen dæmonis. 77.27
Horarum ictus rusticus quidam in corde sentiens. 296.5
Horatii carmen de inani conatu lamiarum. 173.4. item de quodam melancholico. 181.3. dictum. 571.7. locus de sortilegis. 138.10
Hospes quidam ob malitiosam imprecationem à diabolo aufertur. 325.1
Hostiæ humanæ à quo sint ortæ. 15.2. & 17.7
Hostium agmen quid trepidet. 115.3
Hovieulsira Deus Americorum. 76.26
Hubertus Faber medicus. 319.16. & 394.1
Huberto Ardennati canis rabidi curatio attribuitur. 156.1
Hugonis Cluniacensis locus de Matisconensi comite. 107.12
Humani generis degeneratio. 8.5. sanguinis victima à quo sit inventa. 15.1. sexus mutatio naturalis. 337.1
Hutgin spiritus. 73.1
Hunni unde sint procreati. 240.8
Hyæna unde nascatur. 239.7
Hydropicus venenato potu præter spem curatur Romæ. 266.9
Hydropicorum curatio. ibid.
Hymenis membrana ratione commonstrari certissimè, dæmonum cum mulieribus concubitum esse vanum. 230.1
Hymene omnes virgines dotatæ sunt. 231.1
Hyosciami succus ad quid utilis. 224.5
Hypericoni nullam inesse antipathiam contra dæmones. 409.3

I.

Iacobus Cujacius Iurisconsultus. 644.3
Iacobus Iodoci de Rosa Cortricensis ob magicam artem exilio punitus. 465.4
Iacobus Savagius. 646.2
Iacobi de Cusa verba de apparitionibus dæmonum. 34.1
Iacobi Domini in Lichtenberg libellus de Lamiis reprehenditur. 313.1
censura de Lamiis. 544.4
Iada Hebraica vox quid significet. 93.14
Iadua animal deque eo Hebræorum fabula. 93.14
Iamblichus quomodo distinguat bonos à malis dæmonibus. 78.4. scholæ Ægyptiacæ Platonicæ patronus. 98.9
Iamblichi opinio de dæmonibus. 1.2
sententia de phantasia. 383.1
Iannis unus ex Pharaonis magis. 102.21
Ianus unus ex diis selectis. 13.6
Iasonis forma Medeæ maleficiis præponderata. 165.13
Iaspidis lapidis virtutes. 412.5
Ibim avem Ægyptii pro Deo coluerunt. 11.2
Ιχθυομαντεία quid sit, & qui ea sint usi. 134.15

Idiota quidam à dæmone brevi tempore doctissimus effectus. 74.16
Idololatra qui dicendus sit. 537.4
Idololatria & incantamentum. 579.11. *varia.* 575. 2. *quando inceperit.* 8.3
Idololatria in populo Dei. 15.14
Iejunari die Dominico utiliter. 173.5
Iejunium in die Dominico à quo sit interdictum. 174.5
Iejunii encomion. ibid. & 439. 1. *in operibus diaboli vincendis energia.* ibid.
Ieremiæ insomnium. 642.6
Iesus Syrach sententia de medicis 153.3
testimonium seu autoritas quantum valeat in Ecclesia. 127.9
Ignis cur ex remotiori loco clarius luceat. 55.4 *cur sit inter Deos geniales connumeratus.* 13.6. *fatuus inter quas res sit connumerandus.* 54. 1. *lambens inter quas res connumeretur.* 55.2
Ignem Orimasda Persæ pro Deo coluerunt. 11.2
Ignorantiæ nullum esse consensum. 557.22
Ibenæ magus quidam ob veneficia cuidam fabro exhibita comburitur. 106. 10
Iidonojim qui vocentur. 93.14
Iideni Hebraica vox quid significet. ibid.
Imaginatio corrupta melancholicorum. 180.1 *intensa sanationis efficax.* 402. 1. *quid sit.* 183.2. & 184.5. *unde oriatur.* 183.3
Imaginationis vis. 184.3
Imaginativa vis quomodo vitietur à diabolo. 183.8. & 185.7. & 186.8
Imagines damnosæ. 384.6. *quæ apparent in somniis, quomodo ad caput ferantur.* 185.6
Imagines somnorina. 186.7
quomodo diversas figuras capiant. 185.6
unde accidant. 604.17
Imagines vanas quæ herba faciat. 227.3
Impii qui dicendi sint. 157.3
Impudicitiæ exemplum. 176.13
Imprecatione neminem lædi posse. 492.1
Imprecationes malitiosas inefficaces esse. 323.1
Imprecationum dæmoniacarum punitarum exempla. 325.1
Imprecandi malum consuetudo vulgaris. 324.3
Incantamentum & idololatria. 579.11
Incantamenta esse muliercularum figmenta. 493.2. *qui lapis pellat.* 412.5
Incantare quid sit. 95.2
Incantatores Italia pulsi. 466. 5. *quomodo sint puniendi.* 520. 2. *præstantissimi qui fuerint.* 100.13
Incantatorum pœna inter statuta imperialia Germanica. 471. 1. *quadruplex familia.* 887.6
Incantatio quid sit. 96.3
Incantatione pluviam cieri non posse. 221.31
Incantationes quid sint secundum Originem. 175.10
Incantationum bonam partem mera esse insomnia. 634.20. *modi apud Septentrionales.* 117.8. *verba nihil posse.* 211. 4. *vis & potestas.* 92.11
Incubus unde dictus. 228.1
vocem edit. 252.4
Incubi congressus exemplum ridiculum. 250.3 *dæmoniaci illusiones esse imaginarias.* 228. 1. *illusionem infestare quandoque probas etiam matronas.* 250.1
Incubum passus sacrificus. 229. 4. *quomodo Germani appellent.* 229.3
ob Incubum virgo religiosa apud Hollandos exusta. 230.1
Incubo dæmone puella gravida facta. 251.2
Incubi quando & quales sint creati, & cur sabbathum fugiant. 13. 7. *qui propriè dicantur.* 243. 9. *quibus & quando contingant,* 221.8. *unde fiant.* 228.1
Incuborum varia appellationes. ibid.2
Indi quantum honorem magicæ arti tribuerint. 100.12
Indigetes dii. 13.7
Indulgentiarum ad D. Virginem potentia. 420.4
Indusium necessitatis. 405.6
Infans posteriore naturæ parte solidus nascitur. 56.5
Infantes à magis quibusdam cocti & devorati. 168.2. *tredecim à Lamiis devorati.* ibid.
Infantibus lactentibus qui dæmones infesti sint. 75.21
Infantes quomodo Lamiæ comedant. 169.3 *mortuos ex sepulchris effodi, delusorium est.*

est. 172.1
Inferis quando parentatum sit. 70.1
Inimici ledendi impius modus. 370.8
Insomnium quid sit. 642.6
Insomnia unde descendant. 184.5
Insomniis quantum sit credendum. 642.6
Intemperantia quot malorum sit causa. 60.3
Invisibilem qui lapis reddat. 412.5
Ioannes Anglicus exorcista. 419.6
Ioannes Antenanus vir celebris. 306.2
Ioannis ab Essen crudelitas in filiam. 327.5
Ioannis Baptistæ verba de Lamiarum impotentia. 222.1
Ioannis Brentii concio de Grandine. 575.1
Epistola ad D. Ioannem Wierum. 588.1
Ioannes Campanus injustè Wierum reprehendit. 542.35
Ioannes Capella medicus insignis. 637.30
Ioannis. Cassiani locus de dæmonum lapsu. 5.3
Ioannes Comisces Orientis Imperator veneno necatus. 265.4
Ioannis Cuspiniani locus de Turcarum religione. 14.9
Ioannes Echtius medicus Coloniensis. 266.8. & 394.1
Ioannes Evangelista in Pathmon insulam relegatur. 449.3
Ioannis Evangelistæ in fugando dæmone contra magum Cynopa miracula. ibid.
Ioannis Evangelii caput collo alligatum an vim contra dæmones habeat. 379.1
D. Ioanni epilepsiæ curatio tribuitur à medicis ineptis. 156.1
Ioannes Fernelius medicus. 322.5
ejus testimonium de quodam mago. 116.6
Ioannis Francisci Pici historiâ de incubo dæmone. 255.1. locus de vana spe magorum. 107. 11. judicium de Rogerio Bachone. 629. 12. locus de magis.98.6. locus contra Porphyrium. 99. 9. libri de prænot. 146.5
Ioannis Francisci Ponzivibii censura de Lamiis. 520.3. sententia de Lamiarum confessione. 192.6
Ioannis Galeacei crudelitas in Astrologum quendam, qui ei vitæ finem prædicebat. 184.9
Ioannes Gerdius Parisiensis 624.3
Ioannis Grammatici historia de Græca saga. 206.1
Iohannis Herold libri de diis Gentium. 9.3
Ioannes Kentman. 315.2
Ioannes Langius vir celebris. 297.1
Iohannes Legereti præsidens Sabaudiæ. 201.1
Ioannis Leonis locus de asino & camelo docili. 57.1. de Fessarum devinationibus. 144.5
Ioannes Lithodius medicus. 250.3
Ioannes Maria Bettus medicus. 266.7
Ioannis Patris figmenta. 341.4
Ioannis Salisberiensis sententia aurea. 419.8
Ioannes Sartorius exorcista. 420.2
Iohannes Sobetius medicus. 330.3
Ioannes Sleidanus. 422.1
Ioannes Sturmius. ibid.
Ioannem Teutonicum Halberstadeum una nocte tribus diversis locis missam celebrasse. 119.17
Ioannis Verneti præceptor. 422.1
Ioannes vicesimus & vicesimus primus pontif. magi infames. 358.4
Ioannes Wundelius pastor in Biechs. 420.1
Iob maleficio affectus. 278.2
in Iobum quatenus Deus diabolo potestatem dederit. 82.5
Iobeth magus. 97.4
Iones qua ratione peste liberati sint. 16.2
singulis annis Dianæ Triclariæ juvenem & puellam mactabant. ibid.
Iosephus reprehenditur. 415.1
Iosephum Israëlis filium fuisse magum secundum Iustinum. 102.19
Iosephum fuisse medicum. 153.3
Iosephi argumenta contra scriptores, qui sinistrè de Mose senserunt. 102. 19. historia quid designarit. ibid. laus. 529. 6. locus de Astaroth dæmone. 10.4
Iovialium malleorum usus apud Gothos. 413.10
Ipes dæmon. 652.16
Iphigenia filia Agamemnonis viva mactata. 16.2
Iphigeniæ transmutatæ fabulæ explicatio. 333.9
Irenæi locus de Carpocrate. 176.12
de Marco mago. 39.6
Irmgardis sacellum & festum. 30.3

pere-

peregrinatio. 29.3
Irmgardem crucifixum Romæ alloquitur. ibid.
Isidis sacerdotes lenones. 243.2
trucidantur. 244.2
Isidem Deum Ægyptii coluerunt. 11.1
Isidori locus de Sortilegis. 136.2
Issim quid. 237.1
Israëlitæ ob magiam à Deo puniti. 465.2
Israëlitarum idololatria. 15.14
punitur. ibid.
Isychius quomodo dæmonem definiat. 69.27
Isychii sententia de magis & maleficis. 471.22. *verba de dæmonum curatione.* 400.6
Italicæ scholæ Platonicæ patronus qui fuerit. 98.9
Iubam Mauri coluerunt. 12.2
Iudas diaboli membrum. 70.28
Iudam cur diabolus ita contra Christum inflammarit. 28.4
Iudicis iniqui pœna. 504.3
Iudices iniqui & inquisitores, opes aliorum, non religionem quærunt. 203.6
Iudicum plebejorum sinistra decreta. 505.6
quorundam tyrannis. 205.7
Iuditha virgo religiosa Busciducis à dæmone miserè vexata. 306.5
Iulianus imperator qua divinationum specie sit usus. 133.5
Iulius Scaliger reprehendit Psellum. 251.4
Iulius Scaligeri verba ad Cardanum de maleficiis. 221.30
Iulio simulachrum Cai Cassi apparet. 42.8
Iumenta si præter naturam quid pati videantur, quid faciundum. 458.1
Iumentorum morbis prohibendis suffimentum utile. ibid.2
Iuniperus Christi nauta. 420.3
à Iuncis lac non emulgeri. 305.9
Iuno Dea. 12.6. *inter Deos Penates numerata.* 13.6. *unde sit petita à Romanis.* 29.2
dæmon Poëticus. 77.28
Iunonis templum Romæ. 29.2
responsum sinistrè interpretatum. ibid.
Iunonem Sami pro Dea coluerunt. 12.2
Iupiter dæmon Poëticus. 77.28
Deus. 12.6. *apud* Enchadas *humano sanguine placatus.* 17.4
Iovis Apameæ fanum communibus precibus destructum. 438.5
Iovis Hammonis oraculum. 30.5
à quo sit institutum. 8.2
Iovis imber aureus. 242.1
Iovi cœli imperium Græci tribuerunt. 12.5
Iurisconsultorum insignium censura de Lamiis. 519.1
Iusti Blancvvalt historici figmentum. 634.20
Iustini locus de abolitione oraculorum. 19.3
sententia de Samuelis apparitione. 130.8
Iuvenalis versus de hippomanes 271.3
de philtris. 270.1
Iuvenis pro Deo coit. 243.2
quidam in asinum mutatus. 189.1
Iuvenis cujusdam parentibus immo rigori insigne exemplum. 44.14

K.

Κακοδαίμων *Cassio Parmensi apparet.* 41.4
Καπνομαντεία *quid sit.* 135.16
Karentina in urbe obscœnum diaboli ludibrium. 22.6
Kasam Hebraica dictio quid significet. 91.7. & 588.16
Κατοπτρομαντεία *quid sit.* 133.5
Kentorpii dæmon tragœdias movet. 77.27
Kentorpio in monasterio vexatio diabolica ad Lamias relata. 302.1
Κεφαλαιονομαντεία *quid sit.* 134.12
Κηρομαντεία *quid sit.* ibid.13
Kimhi opinio de Samuelis apparitione. 128.10
quid per filios Dei intelligat. 235.7
Κληρομαντεία *quid & quotuplex sit.* 135.1
Κλυτωρὶς *quid.* 338.6
Kneckstein abbatia, ubi campanæ non baptizatæ è turri à dæmone fuerunt projectæ. 20.3
Κόβαλοι *dæmones qui dicti sint.* 70.2
Κοσκινομαντεία *quid sit.* 134.10
Κρυσταλλομαντεία *quid sit.* 133.6
Κυνανθρωπία *quid.* 336.3

L.

L*Ac congelatum unde conficiatur.* 31.9
glutinosum. 304.8. *ne per incubos abstrahatur, conjuratio superstitiosa.* 455.5

Lactis vaccini restitutio superstitiosa. 456.8
Lac à juncis non emulgeri. 305.9
consecratio ridicula. 456.8
Lacerta cerebrum ad quid utile sit. 271.5
Lacertas fugiendi modus magicus. 376.4
Lactantii locus de Beelzebub. 9.3
de dæmonum studiis. 61.7
de dæmonum illusione. 21.5
Labas Hebraica dictio quid significet. 92.11. & 588.16
Lamia delusa à Germanis quomodo dicatur. 94.18. *pluviam excitare non potest.* 261.6 *quid sit, & circa quæ versetur.* 161.4
Lamiæ cujusdam resipiscentia. 641.5. & *dæmonis congressum esse imaginarium.* 228.1
Lamiæ à magis ut differant. 531.10. *à Rege Suecia in bellum ducta ad deterrendos hostes.* 216.16. *aliquot in Germania ob tempestates excitatas combustæ.* 218.23 *an ex natatione super aqua sint dignoscendæ.* 483.2. *an igne sint puniendæ.* 580.13 *an miracula edere possint.* 85. 17. *an ob fœdus cum dæmone initum sint puniendæ.* 488. 3. & 533. 14. *an per caminum & per aërem in longinqua loca deferantur.* 222.1 *an propter characterem à dæmone impressum sint occidendæ.* 536.22. *an sint apostatæ.* 538.25. *an sint homicidæ.* ibid. 26 *an veneficium sine contactu inferre possint.* 260.12. *commiseratione dignæ, non pœna.* 559.25. *complures ob vitiatam tempestate vineam combustæ.* 213.9. *complures in arce* Ferressensi *captæ, & quæstionibus appositæ.* 201.1. *complures Atrebati combustæ, earumque confessiones.* 205.8. *confitentes ea quæ sibi imponuntur, amentes sunt.* 554.16. *cur dictæ sint.* 160.1 *cur corpore non transferantur.* 192.6 *cur fruges excantare non possint.* 214.12 *cur non sint idololatræ.* 537.24. *cur non majori pœna puniendæ sint, quàm furiosi.* 559.26. *cur non sit puniendæ.* 584.6 *cur non sint statim occidendæ.* 535.19 *cur pœna capitali non sint puniendæ.* 470.17 *cur regulum apum devorent.* 484.6. *cur sint occidendæ, ratio* Georgii Pictorii. 544.3 *& magi infames quid differant.* 95.1. & 162.4. *exilio vel alia mulcta puniendæ.* 586.14. *hæreticis non sunt annumerandæ.* 480.1. *in professione & fœdere cum dæmone quæ contra ecclesiæ statuta jurent.* 173.4. *maleficio affectæ.* 281.10. *melancholicæ & amentes.* 493.3. *nulli nisi quomodo sint reducendæ.* 525.1. *naturalibus usa pharmacis quandoque deluduntur à satana.* 222.1. *nihil voluntate, sed omnia coactæ & deceptæ faciunt.* 555.19. *non possunt quod creduntur facere.* 547.1 *pœnitentes evitant pœnas corporales.* 519.1 *quæ custodia & carcere sint retinendæ.* 481.4. *quæ pœna à Bononiensibus afficiantur.* 523.1. *qua ratione tam constantes sint in torturis.* 484.5. *quàm crudelibus torturis aliquando exagitentur.* 472.4. *quo pacto res duras in corpus inserere possint.* 313.1 *quo pacto magicam artem ediscant.* 168.2 *quibus lædere creduntur, res ridiculas esse.* 260.2. *quibus rebus fugentur.* 361.3. *quomodo delusæ dæmonis opera putent esse sua.* 480.1. *quomodo illudantur à dæmone in aëre concitando.* 210. 1. & 578.9 *quomodo restituendæ sint.* 481.2. & 537. 22. & 561.31. *quomodo sint reducendæ & puniendæ.* 594.6. *quomodo dementantur à dæmonio, ut credant fateanturque se fecisse, quæ prorsus non potuere.* 191.1. *quomodo sint dignoscendæ, experimenta falsissima.* 482.1. *quomodo sint castigandæ.* 586.14 *quomodo sint puniendæ secundum censuram insignium jurisconsultorum.* 519.1. *unde suam artem petant.* 260.1. *supra centum in subalpinis montibus combustæ.* 521.1
Lamiarum actiones esse imaginarias. 173.3 *actionum anacephalæosis.* 547.1. *in causa cur tot sint opiniones.* 647.2. *confessio cur sit erronea.* 520. 4. & 533. 14. *confessioni cur non sit standum.* 486. 3. *confessiones torturis expressæ, sæpius erroneæ.* 472.4. *confessiones illusiones tantùm esse.* 554.7. *corpora an dæmon per aërem deferat.* 196.10. & *dæmonis stipulatio cur sit dolosa* 168.1. & 170.4 *doctor phantasia.* 260. 1. *deceptio ex quibus causis maximè oriatur.* 203.5 *error.* 557.21. *fœdus cum dæmone quomodo fiat.* 168.1. *fœdus cum dæmone nullum esse.* 555.18. *impotentia.* 210. 1. *imprecationes*

cationes inutiles esse. 323.2. in somno variarum imaginum causa. 223.4. innocenter ob maleficii opinionem punitarum exempla. 502.1. inquisitiones quales esse debeant. 485.1. maleficia à quo exerceantur. 278.1. maleficia falsò credita. 292.1 mentionem nullam in sacris literis fieri. 260.1. & 280.8. & 587.15. nomina in sacris literis. 161.2. nostrarum confessionem phantasticam esse, secundum Augustinum. 188.5. phantasiam quomodo regat dæmon. 192.5 professionis modus. 167.1 & 169.1. quarundam in Moravia opera in Duffum regem. 201.1. sexus & ætas consideranda. 562.32. stulta phantasia. 206.1 tortura qualis. 472.4. variæ appellationes. 161.3. variæ descriptiones secundum diversos scriptores. ibid. variæ imaginationes unde oriantur. 500.9. vis. 556.20 voluntas quomodo sit punienda. 552.14
unguentum secundum Cardanum. 223.4
unguenta unde conficiantur. 222.2
Lamiis Germani nimium tribuunt 94.19. nullam potestatem esse. 540.30. phantasiam esse corruptam. 537.23
Lamias alios non seducere. 540.29. esse amentes. 492.1. extra connatam naturæ humanæ Virtutem nihil posse. 85.16. id non facere quod iis imponitur, experientia docet. 549.7. in spiritu equitare. 193.7
nec Mosis, nec Christi tempore fuisse. 527.1
non esse instrumenta dæmonis. 542.34. & 549.6 non esse domi simul & alibi. 199.6
non invehere eos morbos, quorum se fatentur effectrices esse. 200.1. nullo modo aerem turbare posse. 210.1. pati, & non agere. 542.34. sine tactu prorsus nihil posse. 261.4. tempestates ciere non posse. 467.1
de Lamiis hominum opinio. ibid.
in Lamiis ignorantia facti proprii. 558.23
de Lamiis proverbium nostro tempore. 588.1
Lampsaceni quem Deum coluerint. 12.2
Laodicensis concilii decretum contra magos & incantatores. 469.12
Lares familiares qui dicendi sint. 71.5
aliquando futura pronunciant. ibid.
quid fuerint. 13.6
Larvæ dii qui dicti sint. 71.4
Larynx caput arteriæ asperæ. 282.3
Lapillus tussi rejectus. 282.4. fabæ magnitudine, ex sinistris pulmonibus dissectus. ibid.
Lapis avellanæ magnitudine in steatomate generatus. 314.1. in cerebro repertus magnitudine & forma mori. 315.2. philosophorum qui sit. 451.5
Lapides maleficium tollentes. 411.5
Lapidibus cur sæpe pluat. 197.11
Lappo insignis magus. 117.19
T. Latinus à dæmone exagitatus. 401.7
Latini cur Martem coluerint. 13.6
quomodo dæmones distinxerint. 71.4
Latopolitani piscem latum pro Deo coluerunt. 11.2
Latrocinii pœna apud Gallos. 16.3
Laurus cui consecrata fuerit. 135.18
Lauri virtutes. ibid.
Lausanensi in ducatu magos quosdam proprios infantes coxisse & comedisse. 168.2
Legio cur diabolus nominetur. 67.13
Λεμνομαντεία quid sit. 132.3
Lemures cur sabbathum fugiant. 13.7. dæmones. 71.4. quando & quales sint creati. 13.7. quibus rebus fugentur. 361.3
Lemurum profligatio Paracelsistica. 395.4
Lenocinii pœna. 244.2
Leo Suavius suggillatur, 208.6
Leonis Suavii calumnia in Wierum refutatur. 623.1
Leonem Leontopolitani pro Deo coluerunt. 11.2
Lepidotum piscem Ægyptii pro Deo coluerunt. ibid.
Levensteet in pago cujusdam puellæ admirabilis historia. 307.1
Leviathan quid significet. 66.3
Lex Imperatoria de quibus maleficiis agat. 589.3
Lex Cornelia de sicariis & veneficis. 530.7
quibus conveniat. 544.1
Lex de lamiarum potestate. 221.31
duodecim Tabularum de his qui fruges excantarunt. 211.5. & 570.6
Leges de maleficis an locum etiam habeant de lamiis. 551.11. unde sint sumpta. 552.13
Leges quid statuant de magis & ariolis, eisdemque consulentibus 467.1

Leges unde ferri debeant. 593.3
Λιθομαντεία quid sit. 135.17
Ligationes quot modis fiant. 330.5
Ligatos curantia. 412.7
Ligatura ficta exemplum. 341.4
magica formula. 370.7
Ligatura physica. 329.2. varia. ibid.1
Ligaturas incantatione nullo modo fieri posse. ibid.
Lignum & cultri in ventriculo inventi. 298.1
Lilit Hebraica dictio quid denotet. 161.2
Lindemannus exorcista repentina morte interiit. 640.2
Livia & Lucilla venefica. 273.2
Livonienses lupi, Germanicè Wervvolff. dicti, an veri lupi sint. 190.2
Locale loco suo convenire debet. 198.1
Lælii versus de philtris. 270.1
Lolii usus. 224.6
Loray dæmon. 651.13
Loth ebrii incestus. 9.5
uxor in salis petram mutata. 86.1
Lotharingus quidam Constantinopoli in Galliam per aërem delatus. 196.9
Lucani locus de Tage. 43.8
de maleficiis. 164.12
de Druidis. 17.5
Luciani metamorphosis. 189.1
Lucifer dæmon. 653.22
Lucilla uxor Lucretii marito suo venenum propinat. 273.2
Lucio Valerio Flacco Romæ multa spectra apparent. 42.8
Lucius Lucullus amatorio poculo interemptus. 273.4
Lucretius Poëta amatorio poculo interemptus. ibid.2
Ludorum inventor. 77.1
Ludovici Guarnæ Salernitani filiæ duæ in viros mutatæ. 337.2
Ludovici Romani Patricii locus de Calechutotorum dæmone. 76.23
Ludovici Milichii censura de lamiarum pœna. 544.4. de lamiarum potentia. 313.1
Luna cur sit inter Deos geniales numerata. 13.6. unde dicatur cœlo deduci. 166.16.
Lunæ simulachrum à Iuda Apostolo devastatum. 449.2
Lunaria herba. 55.3
Lunaticus quomodo à dæmoniaco sit dijudicandus 347.6
Lunatici curatio magica. 419.6
Lunaticos quid efficiat. 272.5
Lupina melancholia. 336.3
unde oriatur. ibid.
Lupi in cauda pilus ad quid utilis. 271.5
stercoris usus. 277.1. & 409.2
Lupum Lycopolitani pro Deo coluerunt. 11.2
Lupi noxii in Livonia, qui Germanice Wervvolff. dicuntur, an veri lupi sint. 190.2
quomodo ligari possint, ne armentis noceant. 330.3
Luporum capita januis affixa an dæmones aufugiant. 416.3. ingens turba Constantinopoli apparet. 498.5. in formam qui crediderunt se transmutatos fuisse, quomodo hæc confessio sit intelligenda. 494.1
in Lupos num Lamiæ verè transformentur. 190.3
de Lutheri ortu dæmoniaco commentum. 240.1
Luthero monachi forma dæmon apparet, & cum eo disputat. 54.4
Lutheranorum secta oritur. 203.6
Lutra & lacerta in corporibus inventa. 319.17
Lycaon Arcadiæ rex in lupum mutatus. 336.5
Λυκανθρωπία quid sit. ibid.3
Lyncurii lapidis virtutes. 412.5
Lysimachi sinistra opinio de Mose. 102.19

M.

Macedones quem Deum coluerint. 12.2
Macedoniam esse terram Cethim. 24.4
Macedonii præsidis edictum contra hæreticos. 515.5
Magdalena virgo Constantiæ à dæmonio compressa. 255.8
Magdalenæ Cruciæ Hispanæ & maleficæ historia admirabilis. 476.1
Magdeburgi mulieris cujusdam facinus. 421.8
Magia Ægyptiorum, Babyloniorum & Persarum unde originem trahat. 97.2
à quibus ad Græcos pervenerit. 98.7
Magia infamis quando cœperit. 8.2. quid

sit, & unde originem trahat. 96.3. *cur sit detestanda.* 101.17
μαγεία & γοητεία quid differant. 96.5
Magia naturalis quid, & ejus commendatio. 100.14
Magia unde originem trahat. 96.1
Magiæ artes quædam. 114.10. *origo.* 613.34
stipendia. 107.14
Magiam Ægyptiorum inauspicatam Calasiris. 95.1
Magiam infamem quis primùm docuerit. 658.36. *qui coluerint.* 98.6. & 100.12. & 103.1
Carpocrates publicè docuit. 176.12
Magica ars Constantinopoli publicè docetur. 144.9
Magicæ artis potestas cur à Deo dæmonibus data sit. 107.15
finis qui sit. 121.4. *varii modi.* 114.1
Magicæ artes earumque sectatores à Moyse damnantur. 159.3. *à Nerone sublatæ.* ibid.
capitales. 532.12
Magicæ curationes. 376.1. *voces nullæ cum imaginibus cæli conveniunt.* 378.10
Magicarum divinationum species variæ. 132.2
Magicis verbis & carminibus nulla efficacia inest. 379.12
Magicis artibus an uti liceat. 566.5
Magici libri sub falso titulo Adæ inscripti circumferuntur. 101.18. *cur palàm sint exurendi.* 466.5. *Ephesi exusti.* 420.9. *quo stylo sint scripti.* 108.1. *qui sub titulo Adæ & aliorum patriarcharum circumferuntur, à quo sint scripti.* ibid.
Magicorum librorum catalogus. 108.1. *medicorum punitio.* 463.9. *oraculis cur non sit credendum.* 145.1
Magus infamis quid sit. 95.1
Magdeburgi in aëra cum equulo conscendere videtur. 120.18. *à serpente enecatur.* 107.14. *vivus à diabolo ablatur.* ibid. 11
Magi resipiscentis historia. 475.2
Magi Ægyptii quomodo ad veram fidem conversi sint. 123.11
Magi an dæmones in servitutem cogere possint. 116.5. *an ventos sedare possint.* 118.11 *an miracula faciant.* 115.2. *arioli qua pœna puniendi sint.* 463.1. *Athenis expulsi.* 98.8. *cur nesciant benedicere.* 290.5 *cur non sint adeundi.* 145.1. & 147.8 *transferuntur interdum.* 119.17. *infames quibus nominibus & in quibus locis in veteri testamento significentur.* 89.1. & *Lamiæ quid differant.* 95.1. & 532.12 *malefici.* 21.5. *nostro tempore qui maxime floruerint.* 103.1. *olim philosophi dicti.* 100.15. *quare Christi nomen precationibus & exorcismis immisceant.* 419.7 *qui dicantur.* 124.13. *qui capitali supplicio sint puniendi.* 461.4. *qui res perditas & furto abblatas incantatione recuperare student, quomodo sint puniendi* 63.1 *quot modis artes suas perficiant.* 114.1 *quo pacto præstigias faciant.* 114.9. *quo pacto dæmones advocent.* 664.1. *quomodo sint puniendi secundum leges & decreta.* 467.1. *sacrilegi hujus seculi.* 360.1. *sub nomine qui comprehendantur.* 95.1. *unde suam artem petant.* ibid. & 461.3. *Xerxis copias à tempestate liberant.* 118.11
Magorum Ægyptiorum nomina. 123.11
aliorum non valde lædentium pœna. 462.6
apud varias gentes nomina. 98.6. *ars omnis & potentia unde constet.* 95.2. *blasphemiæ in evocandis dæmonibus.* 664.1
carminibus non obediunt beatorum animæ. 125.4. *curationes nihil valere, multis argumentis probatur.* 398.1. *infamium & divinorum pœna inter edicta imperialia Germanica.* 471.1. *instrumenta qualia sint.* 110.8. *illusiones.* 21.5. *ac Lamiarum artibus quædam esse communia.* 95.20. & *Mosis operum discrimen.* 120.2. *præstigiæ quomodo fiant.* 95.2. *qui annulo vel vitro dæmonem captivum circumferunt, pœna.* 465.3. *quorundam funestus interitus.* 104.5. *quorum mentio fiat in sacris literis,* 527.1. *religiosorum mulcta.* 462.8. *apud Septentrionales populos incantationum modi.* 117.8. *signa cur mendacia dicantur.* 124.12
Magis à Mose pœna constituta. 464.2. *omnibus non debet eadem infligi pœna.* 461.3. *cur magicæ artis potestas data sit.* 107.15
infamibus qui dæmones inserviant. 77.1
Magos quosdam in ducatu Lausanensi proprios

filios coxisse & comedisse. 168. 2. consulentibus qualis pœna sit constituta. 464.2. & 467.1
Magnetis virtutes. 409.1
Mahometes qua astutia se regem fecerit. 59.4
quibus artibus populum seduxerit. ibid.3
Melaphar dæmon. 652.14
Malefica ut capillis suspendatur, imago. 385.8
Maleficæ accusatricis falsæ pœna 503.2
cujusdam resipiscentis historia. 476.1
Maleficæ quid à morte acciderit. 479.1
Maleficarum mutua commixtio. 245. 1. pœna. 469.10. quibus in locis sacræ scripturæ mentio fiat. 513. 10. trium exustarum confessiones excutiuntur veris argumentis. 487.1
Maleficium quid sit. 96.3
Maleficii curatio. 377.5. curandi formula superstitiosa. 394.1. & 418.1. curationis sacrilegus modus. 375.4. curatio magica. 382.1. curandi methodus certissima ex sacris literis. 429.1. curationis per benedictionem formula. 289.1
Maleficio affecti qui. 278.1
læsi ubi plures uno in loco sunt, qui faciundum. 442.2. læsorum multa exempla. 278. 2. & 292.1
Maleficia quibus verbis resoluantur. 388.7
quibus materiis arceri possint. 411.2
quomodo communibus precibus sanentur. 436.1
Maleficia cur aliquando permittat Deus. 297.3
inferendi modus magicus. 384.6
maleficiis repellere an liceat. 566.6
omnia à diabolo exerceri. 278.1
Maleficus quidam à judicibus igni devotus ob maleficium, resipiscit ab amentia meliori victu. 493.4
Malefici cujusdam confessio. 494.3
& malefica qua lege Mosis damnentur. 90.2
Maleficorum quadruplex familia. 587.16
Mali esu quidam factus dæmoniacus. 322.5
Maliciæ radix. 7.4
Malitiarum an diabolus sit author. 88.3
Mallei Ioviales. 413.10
Malphas dæmon. 657.32
Mali origo unde. 648.2
Malum imprecandi consuetudo vulgaris. 324.3
Mammona dæmon quid significet. 66.5
Manasses cur à Deo sit punitus. 465.2
quales Deos ex æde Domini abstulerit. 14.13
Manassis regis flagitia. 96.5
Manichæorum hæresis. 518.11
Mandragora herba unde Hellerumna sit dicta. 161.3
Mandragoræ usus. 224.6
ex radice homunculus. 417.16
Manes qui dii dicti sint. 71.4
C. Manilii versus de fascinatrice. 163.9
μαντίνεσθαι quid significet. 91.7
Maraka. 135.19
Marbas dæmon. 650.3
Marchocias dæmon. 656.31
Marcionistæ hæretici. 103.23
Marcionitarum secta. 576.3
Marcoduri mulier quædam ob maleficii falsam opinionem torturis enecata. 503.3
Marcus dæmonis cultor. 37.1
magus quibus artibus homines deceperit. 39.6
Marcus quibus rebus mulieres ad se attraxerit. 274.7
Marci Servilii temeraria credulitas. 403.1
Mares in fœminas non transformari. 338.4
Margaretha comitissa Burensis à dæmonio exagitata. 300.3
Marmaridius magus. 98.6
Mars Deus. 12.6
Martem quem Deum veteres nominarint. 10.3
Marsilium Ficinum magicum annulum gestasse. 381.6
Martiani carmina de Minerva. 179.4
Marthim dæmon. 651.10
Materias duras per solidas corporis partes diabolus in ipsa corpora immittere non potest. 87.2. ore rejectas, non omnes fuisse in corpore. 281.1. duras in corpus ingerendi ridiculus modus. 313.1
Mathematici libri exusti. 466.5
Senatusconsulto ex Italia pulsi. ibid.
Matisconensis comes vivus à diabolo ablatus. 107.12
Matthæus Curtius medicus. 266.7
Matuta dæmon Poëticus. 77.28
Maubusa quidam se dæmoniacum esse ficte simulat.

mulat. 343.2
Mauri quem Deum coluerint. 12.2
Maxentii Imp. interitus. 104.4
Maximi Imperatoris edictum contra hæreticos. 512.11
Maximiliani verba de consecratione campanarum. 21.3
in Maximiliani 2 corde tres lapilli inventi. 315.3
Maximiliano *Imperatori dæmon Hectoris, Achillis, & Davidis in forma apparet.* 46.1
Mechasepha Hebraica vox quid significet. 90.2. & 531.10. & 587.15
Mechassephim quid significet. 90.4
Medea venefica. 545.3
Medeæ descriptio. 162.7
Medicina artium vetustissima. 150.3
Medicinæ veteris laus. 153.4
Medici indocti in quos referant inscitiam suam. 152.1
Medicorum encomion in sacris literis. 153.3
Medicos eximios alligationibus, characteribus, carminibus usos esse. 406.1. *doctissimos à dæmoniacis sæpe falli.* 320.1
Mediolani aliquot venefici capti. 265.6
quidam maleficus igni devotus ab amentia resipiscit meliori victu. 493.4
Mediolanenses magum contra Fridericum Imperatorem mittunt. ibid.2
Medioxumi dii qui appellati sint. 237.2
Megalopolicis in finibus fæmina quædam à dæmone ob nefaria juramenta avehitur. 326.2
Meineri Clatsii famulus à dæmonio miserè depopulatus. 293.3
Melancholiæ causa. 183.8
Melancholiam esse diaboli balneum. 339.1
Melancholicus humor diabolo convenientissimus. 309.3. *vapor qualia somnia commoveat.* 185.6
Melancholicus quidam Athenis persuasum habebat, omnes naves in Piræum appellentes esse suas. 180.3
Melancholici confessioni non est standum. 485.2 *cujusdam rythm^i de bellis in Gallia ortis, &c.* 180.2. *cujusdam horribile exemplum.* 181.4
Melancholici cur plerique dæmoniaci putentur. 339.1. *cur plerunque sibiipsis necem inferant.* 180.1. *maximè dæmonum illusionibus expositi.* 177.1. *quomodo sint curandi, methodus certa.* 430.3. *tres Groningæ adeò correpti, ut se Deum patrem, filium & spiritum sanctum crederent.* 180.2
Melancholicorum corrupta imaginatio. ibid.1
varia exempla. 182.7
variæ afflictiones. ibid.5
Melanchthon à dæmone irridetur. 32.2
Melchiadis papæ edictum de jejunio in die Dominico. 174.5
Melchom dæmon. 10.3
Meleagri interitus. 204.7
Memaphim & mechassephim qui dicantur. 90.5
Memphis cujusdam asini docilitas. 57.1
Memphitis *lapidis virtus.* 389.11
Menaidis usus in magia. 115.3
Menalippus Dianæ mactatur. 16.2
Menandri hæreticum dogma. 103.22
Mendacium à quo primùm inventum sit. 7.4
Mendicus Iustus fictè dæmoniacus. 340.1
Menippus Lycius. 119.14
Mensam refertissimam hospitibus discubituris magus quidam ex improviso apparabat. 118.13
Menstrui mulierum potus quid efficiat. 272.5
Mercurius Alexandriæ abbas. 46.17
Mercurius Deus. 12. 6. *à Gallis humanis hostiis placatus.* 17.4
Mercurius magus. 98.6
Mercurium suum qua herba Chimici fixum reddant. 55.3
Merlinus semideus habitus. 240.9
Merlini fabulæ. 253.2
Messenii qua ratione contra Lacedæmonios victoriam nacti sint. 16.2
Metallici dæmones. 72.7
Methodius quomodo impotens sit factus. 327.6
Methotin insignis magus occiditur. 104.5
Metus quid sit. 557.21
Michaël Villanovus. 422.1
Middelburgi civitatis direptio prædicta. 25.7
Militis cujusdam dormientis historia de bestiola ex ejus ore egressa. 38.2. & 599.7
Minerva Dea. 12.6. *cur sine matre fingatur esse nata.* 179.4
à Scythis culta. 12.2

Minotauro singulis annis Athenienses septem adolescentes & totidem puellas devorandas miserunt. 16.2
Miracula spirituum bonorum ad quid conducant. 79.5
Miracula in brutis. 57.1
Miraculorum diaboli finis. 64.15
Misraim filius Noha magia inventor. 8.2
Missa ad gehennam deturbans. 421.3
Missa usus in magicis artibus. 110.9
Moabitæ quem Deum coluerint. 10.3
ob Mœrorem dæmon multos superat. 177.1
Moloch Deus Ammonitarum sanguine humano placatus. 15.1
Moly nullam inesse antipathiam contra dæmones. 410.3
Monachus quidam à dæmone strangulatus. 48.5
Monachi commixtio cum succuba. 255.7.& 256.1. forma dæmon cuidam viduæ apparet. 53.3
Monacho dæmon apparet, & unà cum eo per montes devios equum amissum quærit. 45.15
sano volentique testes execti. 327.4
Monachorum Aureliæ figmentum. 422.2
forma dæmones prope Spiram Rhenum transvecti. 50.1. quorundam magica divinatio. 149.1
quorundam tragœdia venefica. 227.6
Monialis virginis Hispanæ admirabilis historia. 476.1
Moniales virgines Neomagi à diabolo infestatæ. 301.7
Monialium curatarum apud Mariæ arborem prope Xanctos historia. 443.4
Monstrum nascitur. 252.2. Coloniæ. 319.16
apud Geldros. 324.6
Montaniani hæretici. 103.23
Montani dæmones. 71.7
Mopsum Aphri pro Deo coluerunt. 12.2
Morax dæmon. 652.15
Morbi qui gravissimi sint. 348.3
Morborum curatio divis non est adscribenda. 156.1 magicæ & superstitiosæ curationes. 376.1
Morbos quatenus dæmones sanent. 398.1
Morphei fabula. 39.7
Mortis inventor qui fuerit. 7.4
Morsa quæstoris filius à dæmonio exagitatus. 294.1
Mortuorum animas quomodo dæmon imitari soleat. 34.1. apparitiones quales sint, & quomodo Ethnici dijudicarint. 125.4
suscitatio & apparitio unde depēdeat. 131.3
Mortuos diabolus ad vitam revocare non potest. 86.1
à Mortuis non quærenda veritas. 125.3
Mosis authoritati quantum sit tribuendum. 1.3. decretum de criminibus non in omnibus locis imitandum est. 532.13. edictum contra magos quibus conveniat. 527.1. edictum contra veneficas. 526.1. lex de quibus maleficus agat. 578.9. præceptum contra magicas artes, earumque sectatores. 159.3
operum comparatio cum Pharaonis magorum operibus. 120.2
Mosen à Iosepho artem magicam accepisse. 102.19
Mosselscolp. 491.10
Muhazzimin magi & circulatores apud Fessas. 142.1
Mulier cur ad credendum facilis sit. 178.2
à dæmone exagitata Bononiæ. 321.3
Lutetiæ lapidem habens in utero. 316.6
maleficio læsa clavos & acus vomit. 292.1
unde sit dicta. 178.3. maleficio læsa. 280.7
quædam acum deglutit. 284. 8. quædam varia per urinam excreat. ibid. quædam Marcoduri innocenter tormentis enecata. 503.3. vvell. in pago à dæmone exagitata. 445.1
Mulieris cujusdam maleficæ finis miserabilis figmentum. 479, 1. cujusdam Osnaburgi crudele facinus in maritum. 420.7
moniacæ de partu Lamiæ imputato, historia admirabilis. 257.1. maleficæ constantia in tortura ferenda. 387. 5. phantastica vera historia. 209.9
Mulieres ab initio ad veneficium proclíviores. 545.3. albæ dæmones. 75. 21. complures Hammonæ captæ. 304.7. maliciosæ cur dæmonum illusionibus maximè expositæ sint. 177.& 178.1
Mulierum calculi. 316.8. mole. 240.9
proprium quod sit. 178.2
Mulieribus cur ex lege tutores & curatores dati sint.

ti sint. 179.4
probis illusio incubi accidit. 250.1
Mulieres facilius decipi, & desperare citius quàm viros. 178.2. *minus puniendas viris.* 524.2. & 586.13
Mulierculæ quomodo à dæmone decipiantur. 188.5
Mulierculaᵣum mutua commixtio. 246.2
innocenter ob maleficii opinionem punitarum exempla. 502.1. *trium exustarum confessiones excutiuntur.* 487.1
Mundi magni res naturales. 54.1
parvi res naturales. 55.5
Mundum alterum quomodo diabolus corruperit. 8.1. *quomodo primùm diabolus corruperit.* 6.1
Murem araneum Athribitæ pro Deo coluerunt. 11.2
Mures ne insidiarentur caseis, Apollinus Parnopæi numen invocabatur. 12.4
Murmur dæmon. 659.39
Muscæ ut facesserent, Cyrenaico Achori litatum est. 12.4
Myrrhæ usus. 411.2
Myrton. 338.6
Mythræ simulachrum apud Persas. 12.3

N.

Naberus dæmon. 652.17
Nabuchadonezar maleficio læsus. 81.5. & 279.3
Nabas Hebraica vox quid significet. 91.9
Natalis Ramardus. 422.1
Natura quid sit. 82.7
Naturales res quandoque judicari dæmoniacas. 54.1
Naucleri locus de Benedicto nono. 48.4
Naucratitæ quem Deum coluerint. 12.2
Nazianzeni locus de angelorum natura. 2.4
Neapoli duæ virgines in viros mutatæ. 337.2
Necromantia quid sit. 131.2. *quamdiu durarit etiam in populo Dei.* 132.4
Necromantici quomodo dæmones advocent. 664.1
νεκυομαντεῖαι. 125.4
Neomagi mendici cujusdam dæmoniaci figmentum. 340.1. *moniales à diabolo infestatæ.* 301.7. *quidam ovum integrum deglutiens, mox suffocatur.* 282.2
Nereum veteres Neptuno adjunxerunt. 12.5
Nergal dæmon. 10.3
Nero comperit magicas artes vanas esse. 159.1
Nephilim quid. 237.1
qui dicantur. 233.1
Neptunus Deus. 13.6
Neptuno maris imperium Græci tribuerunt. 12.5
Neuri populi Scythiæ se in lupos transformari posse crediderunt. 472.5. *incantatores insignes.* 100.13
Nibhas dæmon. 10.3
Nicolaus Gottel Wimariæ exustus. 341.4
Nimbi procellosi quando plerunque fiant. 217.21
Ninus quot annis ante tempora Trojana vixerit. 97.3
Nisroch dæmon. 10.3
Noha primus inebriatur. 8.1
Norici quem Deum coluerint. 12.2
Norimbergensis magistratus prudentia summa. 342.8
Notoria ars. 114.10
Nothhembd. 405.6
Nucem grandem Pomerani olim adoraverunt. 11.9
Numa Pompilius hydromantiæ cultor. 134.8 *magicos libros secum recondi in sepulchro voluit.* 99.11. *ludificator magicus.* 118.13 *quo dæmone familiari sit usus.* 75.17
Nursiæ infans posteriore naturæ parte solidus nascitur. 55.5
Nymphæ. 11.6. & 338.6

O.

Ob Hebraica dictio quid significet. 92.12
Obotriti quem Deum coluerint. 14.9
Oceanus dæmon Poëticus. 77.28
Ochosiæ regis interitus causa. 464.2
Octavianum carminibus magicis usum fuisse. 406.1
Oculorum lippitudine cujusdam mulierculæ laborantis curatio magica. 403.1
Oddo Danicus magus submergitur. 105.7
Odhen Gothorum numen. 13.8. & 395.5
Odium quid conciliet. 272.5
Oenothoræ virtutes. 409.1
Oesophagus. 282.5

οἰωνιζόμενοι quid significet. 91.8
Olaus Magnus reprehenditur. 118.11
Olai magni locus de Gothorum diis. 13.8
historiæ quanta sit fides adhibenda. 635.21
Oleum somniferum. 223.5
ex gagate ad quid utile. 412.6
Oliva à meretrice plantata, infructuosa perpetuè manet. 411.2
Olivæ rami ad quid utiles. ibid.
Olympiadis uxoris Philippi Macedonis sententia. 276.11
Onen Hebraica dictio quid significet. 91.8. & 588.16
Onomacritus magus Athenis expulsus. 98.8
ὀνομαντεία quid. 136.5
Ophis quid secundum Pherecydem. 2.6
Ophitæ hæretici. 103.23
Opilio Macrino qui versus obvenerint ex Homero. 137.9
Opis dæmon Poëticus. 77.28
Opium quibus in locis plantetur. 226.1
Opii usus. 224.6. & 225. 1. & 389.10.
Oracula per insomnia quomodo fiant secundum magorum doctrinam. 110.7
dæmonum quando cessarint. 19. 3. post Christum qualia fuerint. ibid.4
unde & ubi olim petita sint. 642.7
Oracula qui lapis reddat. 412.5
Oratio & jejunium cur ferè conjungantur. 174.5
Orationis efficacia. 438.6
Orationum communium in maleficio sanando efficacia. 436.1
Oray dæmon. 651.13
ore materies rejectas non omnes fuisse in corpore. 281.1. & 291.3
Orias dæmon. 660.24
Orientis dæmones qui sint. 650.1
Orificium nervosum & valde sensile. 283.5
Origenis sententia de Samuelis apparitione. 131.8
Orimasda ignem Persæ pro Deo coluerunt. 11.2
Orobas dæmon. 662.57
ὀρνιθεία quid sit. 137.6
Orpheum magum fuisse. 99.10
Osirim Deum Ægyptii coluerunt. 11.1
Osnaburgi cujusdam mulieris crudele facinus in maritum. 420.7
Otis dæmon. 651.9
Otto Imperator à Crescentii uxore venenis necatus. 165.3
Oves ex terra nascuntur. 239.7
earum pestilentia unde. 349.2
Ovidii locus de diis præstitibus. 13. 6. de diis gentium. 12. 2. de hippomanes. 271. 3. & 272.1. de lamiis. 162. 7. de sortilegis. 138. 11. de Strigis. 160. 1. de Vlysse & Circe. 165.14
Ovum integrum quidam Neomagi deglutiens, mox suffocatur. 282.2
Ova lustralia ad quid utilia. 412.6
Oxyrinchum Ægyptii pro Deo coluerunt. 11.2
Oze dæmon. 661.55

P.

Paganorum lustrationes facientes quomodo sint puniendi. 469.11
Pages sacerdotes apud Americos. 76.26
Palestinorum Deus. 10.4
Palmæ Christi portatæ usus. 411.2
Paletheobori populi. 263.4
Paliurum exuccam Parisiis denuò efflo ruisse. 634.20
Panici terrores. 43.10
Paphnutius uno verbo dæmones fugavit. 450.3
Paracelsus qualem præceptorem habuerit. 630.12
Paracelsistæ cujusdam impudentia & inscitia in terra Iuliacensi. 153.5. & 156.14
Paracelsistæ quibus characteribus in curatione utantur. 631.15
Paracelsistarum curationes. 624.4
Paracelsistica profligatio dæmonum. 395.4
πάρεδροι dæmones qui dicti sint. 70.2
Parentum imprecationis exemplum horrendum. 324.6
Parnopion quid significet. 12.4
Parsimoniæ exemplum. 112.7
Pasetes ludificator magicus. 118.13
Pastoris cujusdam commentum. 150.4. & 151.5. & 6
Pastorum officium. 188.5
Patavii agricola quidam se lupum esse credit. 335.2

335.2. monachus quidam veneficus captus. 266.6
Pathmos insula. 103.24
Patrum quorundam sententiæ de Samuelis apparitione. 128.1. adversus dæmonum insidias. 352.3. de dæmonum machinationibus. 59.1. de dæmonum potentiis & studiis. 63.13. de seductis errore & hæreticis non enecandis. 509.1
Paulina vi stupratur. 243.2
Paulinæ probitas. 242.2
Paulus an magus fuerit. 102.18
Pauli diaconi locus de Valentis tyrannide. 25.6
Pauli Grillandi locus de quodam melancholico. 181.4. de materia varia ac dura, sententia. 290.1. verba de fure tormenta nil curante. 386.3. historia de quadam lamia. 522.5. sententia de Lamiis. 519.1
Pauli Schalichii errores & rapsodiæ. 597.3
impius error. 603.15
adversus Paulum Schalichium Wieri apologia. 596.1
Pauli Veneti locus de potu soporifero. 228.6
Paymon dæmon. 653.22
Peccatum unde. 648.2
Peccati author, ubi diabolus appelletur. 67.19
Peccata inæqualia. 536.21
Peccata quot modis committantur. 560.29
Pecora doloso maleficia acta, 459.4
Pecora ab esu quid exterreat. 277.1. & 459.4
venenis tolli. 277.1. & 348.1
Pecoribus lac ne per incubos abstrahatur, conjuratio superstitiosa. 455.5
in Pecoribus exagitandis dolus. 277.1
Penates qui fuerint. 13.6
Penelopes proci quo pacto proditi sint. 134.10
Pentaphyllon herba ad quid utilis. 411.2
Periaptorum physicorum virtutes. 409.2
vanitas. 379.1
Periaptis quantum sit fidendum. 409.2
de Perdicibus falsa. 248.5
Peripatetici negant esse dæmones. 1.2
Persæ Mithræ bovem immolabant 12.3
quantum honorem magiæ tribuerint. 100.12. quid pro Deo coluerint. 11.2.& 97.2
Persarum & Atheniensium prælium. 43.10
magiæ origo. 8.2. & 97.1. magi quam magiam coluerint. 101.17
Pœna contra veneficos. 546.5
apud Persas qui primo magiam excoluerint. 98.5
Pestilentia septuaginta millia virorum cadunt. 9.5. qua ratione in Ionia fit sedata. 16.2
unde generetur. 348.3
Pestis remedium magicum à pontifice Romano Hispanis in Belgis exhibitum. 364.5
Pestes animantium. 348.1.& 349.5
Petrus Aponus cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Petri de Abano elementa magica. 110.9
Petri Alphonsi locus de dæmonum lapsu. 5.4
Petri Blesensis verba de dæmonis mendaciis. 147.6
Petri Brabantii ventriloqui dolus. 141.8
Petri Damiani sententia de Lamiarum confessione phantastica. 189.1
locus de dæmonum lapsu. 5.4
Petri lapsus & conversio. 172.8
Petri Lombardi locus de dæmonis potentia. 107.15
Petri Polignensis confessio. 494.3
Petri Pomponatii Mantuani opus de naturalium effectuum causis. 569.2
Peuceri laus & doctrina, 132.1
Phantasia quid sit, & quomodo vitietur à diabolo. 183.1.& 209.9
Lamiarum doctor. 260.1
Phantasiæ effectus. 183.3
Phantasmata quid fuget. 412.6
Phantasticæ mulieris exemplum. 209.9
Phantastici qui dicantur. 209.9
Pharao imago diaboli. 70.28
invitus Dei miracula agnoscit. 123.10
Pharaonis insomnium. 1642.6
Pharmaca in locis semotis sepulta à lamiis non posse nocere. 260.4
φαρμακεία. 530.9
φάρμακον quid Iosephus appellet. 529.7
φαρμακός. 90.3.& 527.2
Pharsalici belli eventus à dæmone prædictus. 131.2
Phavorini sententia de magorum vaticiniis. 147.8
Phegor dæmon à quibus sit cultus. 10.3
Pherecydis locus de dæmonum lapsu. 2.6
Philetes magus. 98.8

Philippus apostolus draconem in Scythia profligat. 449.2. *ab angelo delatus.* 194.4
Philippus Macedonum rex puellam quandam amat. 275.11
Philippi Melanchthonis judicium de daemoniacis. 453.1
Philippus Wesdich Coloniensis, à daemone exagitatus. 444.6
Phrygiani quem Deum coluerint. 10.3
Phurnuti locus de nymphis. 11.6
Philosophi qui olim habiti & dicti sint. 100.15
Philosophorum sententia de daemonibus. 78.3
Philostrati historiae quanta fides sit adhibenda. 634.19
Philtrum quid sit. 270.1
Philtra cur sint detestanda. 276.12
in amore concitando parum valent. 272.1
mortem saepius accelerant. 274.5. *varia.* 270.1. & 272.5. *vera.* 276.11
Phlegmaticus vapor qualia insomnia moveat. 185.6
Phaedra Hippolyto privigno amatorium poculum propinat. 275.10
Phenix daemon. 663.67
Phorcus daemon Poeticus. 77.28
Phylacteria quid sint. 468.8
Picus avis ad quid utilis. 412.7
Pila in bovis ventriculo unde nata. 318.12
Pilae magnae nigrae ex boum juniorum ventriculo exemptae. 317.11
Pinneti amasia Florina daemon. 256.2
Pirithoum primum à caelo detraxisse lunam. 166.10
Pisces capiendi magicus modus. 378.8
Piscibus Aegyptii divinos honores tribuerunt. 11.2
Pius qualis sit. 353.7
Planetarum characteres quam vim habeant. 392.5
Planipes nomen daemonis. 77.27
Platinae locus de Benedicto octavo. 47.1
Plato unde suam philosophiam hauserit. 79.4
unde sit natus. 239.8
Platonis opinio de daemonibus. 1.2 & 23.2
de mulierum genere. 179.4
de imprecatione parentum. 324.6
Platonicarum scholarum patroni praecipui qui sint, 98.9
Platonici quomodo distinguant daemones. 78.3
ex Platonicis qui magiam coluerint. 98.9
Plinii locus de variis actionibus daemonum. 40.1
item de abolitione oraculorum. 19.3
opinio de animis. 38.3. *item de* [illegible]. 102.13
Plotinus Italicae scholae Platonicae patronus. 98.9
Plotini opinio de daemonibus. 1.2
Plumfascis nomen daemonis. 77.27
Plutarchi locus de abolitione oraculorum. 19.3
Plutoni imperium inferni Graeci attribuerunt. 12.5
Plutonem quem Deum Graeci appellarint. 9.3
Plutus unus ex diis selectis. 13.6
pluvia & grando unde. 576.5
Pluviam cieri non posse carminibus. 221.31
lamia non potest excitare. 261.6
πνιγάλιον quid sit. 229.2
Podaga numen Vandalorum. 14.9
Poeni quem Deum coluerint. 12.2
Poetici daemones qui dicti sint. 77.28
Polaberam Deus. 14.9
Politiani carmen de venefica. 273.2
Pomerani olim grandem unum adoraverunt. 11.9
Pomponatius quomodo melancholicum curarit. 430.4
Pomponatii locus de quodam circulatore. 56.6
sententia de sanatione daemonis. 402.1
Pontani locus de tempestate incantatione excitata. 216.18
Pontifices Romani qui arte magica pontificatum sint adepti. 358.4
Porenutii quem Deum coluerint. 14.9
Poros minime à diabolo distrahi innoxiè posse. 313.2
Porphyrius magus. 98.9
Porphyrii deliramenta. 392.7
opinio de daemonibus. 1.2
Portumnus Deus marinus. 12.5
Possibile punitur in criminalibus actionibus. 550.8
Potus dementans & soporiferus. 227.6
tartareus. 169.3
Potamantis herbae usus. 227.5
Praedictio cujus opus sit. 146.5
Praedictionis daemoniacae exemplum. 24.3

Praedi-

Predictiones dæmonum unde. 23.2
Prænotiones dæmonium unde. 24.3
Præstantii pater in longo altoque somno se equum putabat factum. 333.6
Præstigiatores quibus nominibus in veteri testamento significentur. 90.4
Præstigium quid sit. 963
Præstites dii. 13.6
Priapus dæmon. 10.3
Primasii locus de dæmonum lapsu. 5.3
Principum quorundam singularis prudentia in accusatione ob maleficium. 506.1
Probationes in actione criminali quales esse debeant. 486.3
Proclus Asiaticæ scholæ Platonicæ præceptor. 99.9
Procli opinio de dæmonibus. 1.2
Prodigia varia in variis locis. 30.4
προμαντις. 139.3
Propertii carmen de lunæ obnubilatione. 166.16 de hippomanes. 271.3. de lauro. 135.18
Prophetia donum spiritus sancti. 617.43
Prophetarum testimonia quibus in locis citentur. 619.46
προφήτης quid sit. 95.1
Proserpina. 10.3
Prove idolum Sclavorum. 14.9
Prustas dæmon. 650.4
Psalmi LXVIII. vis contra dæmones. 380.3
Psalmi CVIII. in magicis incantationibus usus. 373.3
Psellus quomodo distinguat dæmones. 78.2 quot genera dæmonum recenseat. 72.8
Pselli locus de dæmonibus. 37.1 nugamenta de Euchetis & Gnosticis. 175.11 opinio de dæmonibus. 1.2
Pseudomonarchia dæmonum unde sumpta sit. 649.1
ψευδόθεοι qui dicuntur. 77.1
Psyches velitatio venerea cũ Cupidine. 252.3
Psylli populi. 262.3
Pucel dæmon. 658.38
Pudenda an dæmon vitiare possit. 261.5
Puella dæmoniaca. 308. 6. precibus communibus à dæmonio liberatur. 437.4
Puella à dæmone vexata. 306. 5. & 320.1 Romæ è mortuis suscitata. 131.2 quædam sponsa in virum trãsmutata. 337.2
Werlensis epileptica, putatur dæmoniaca. 342.1
Puellæ dæmoniacæ historia memorabilis. 286.1 figmentum Clivia. 427.3
Puella historia admirabilis, cujus è latere culter exectus est. 307.1
Puellæ ad septuaginta Romæ dæmoniacæ factæ. 297.3
Puer Beneventi in virginem mutatus secundum Ausonium. 339.7. dæmoniacus novem annorum. 25.7. à dæmone abripitur. 258.2 ex phantastica muliere natus. 254.5
Puerorum dæmoniacorum historia. 296.1
Pueros ad centum & triginta dæmon abducit. 47.2. occidi non posse ceremoniis. 172.1
Puerperis qui dæmones infesti sint. 75.21
Pulveris Susati usus. 485.8
de Purgatorio mortui Parisiis ficta querela. 141.9
Pursan dæmon. 651.11
Pythonicorum & Pythiarum vaticinia. 140.6
Pythagorei cur fabis abstinuerint. 643.7
Pythagoram ob magicam artem nationes longissimas accessisse. 99.12. uno momento & in Thuriis & in Metapontiis fuisse. 119.17
Pythia mulier quæ dicta sit. 139.3
Pythiæ quomodo vaticinentur. 140.6
Pythiarum vatum origo. 18.2. & 139.3
Pythias non esse consulendas, lege Mosaica prohibitum. 18.2
Pytho unde, & Pythium oraculum. 139.2
Python aut Pythonicus spiritus quid Hebraicè significet. 92.12
Pythonissas consulentes quomodo sint puniendi. 565.3

Q.

IN Quæstionibus quomodo taciturnitas induci credatur. 385.1
Quercus in Epiro culta. 28.1

R.

RAed in arce quadam muliercula falsè accusata. 503.2
Rana vir[illegible] ad quid utile sit. 271.5
Raum vel Raym dæmon. 659.41

Raymundi censura de Lamiis. 519.1
Reatinus quidam Mantuanus incredibilia miracula dexteritate manuum operatur. 56.6
Religionis falsæ usus. 243.2
Rampha dæmon. 11.5
Renerus Solenander medicus celebris. 224.8
Reorum custodia. 481.4. pœna apud Gallos. 16.3. stupor & taciturnitas an verbis dissolvatur. 388.7
Revelationum ars. 114.10
Rhabarbari usus. 394.2
Rhodii ventriloqua fœmina. 140.7
Robertus Anglus cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Robur ingens. 196.9
Rodicofano ad focum dormienti dæmon ignitum carbonem in manum tradit. 210.10
Radigast Obotritorum Deus. 14.9
Rogerius Bachon cujus magiæ cognitionem habuerit. 629.11
Rollerus Danus matrem artem magicam exercentem invenit. 206.1
Romæ furis & mulieris maleficæ constantia in tortura ferenda. 387.5. lapis reperitur. quo petiit diabolus. S. Dominicum. 197.12 multa spectra visa, eorumque significatio. 41.8. multi veneficiis horrendis necati. 264.2. puellæ circiter septuaginta, simul una nocte dæmoniacæ factæ. 297.3. quidam juvenis immorigerus parentibus mirè à dæmonio exagitatus. 45.16. quidam se dæmoniacum simulat. 446.3. quidam hydropicus venenato potu præter spem curatur. 266.9
Romanus Argyrus Imperator Orientis ab uxore veneno extinctus. 265.4
Romanus populus à dæmone delusus. 401.7
Romani Diti & Proserpinæ sub terra aram erigunt. 42.7. dominationis natura cupidi. 100.13. unde ritus sacrorum mutuati sint. 15.2
Romanorum idololatria. 12.6. & 13.8
Romanis & Albanis inter se belligerantibus diabolus monstrosa specie apparet. 42.7
apud Romanos quis primùm veneficium invenerit. 545.3
Ronove dæmon. 656.26
Rosearbor nomen dæmonis. 77.27
Roterodamensium victus. 491.10
Rudolphus episcopus Erfurdensis cur factus sit Franciscanus. 49.9
Rugiani miris modis à diabolo delusi. 12.6
Rugievithi quem Deum coluerint. 14.9
Ruperti locus de abolitione oraculorum. 19.3
Rusticus quidam herarum ictus in corde sentiens. 296.4. quidam vermem longitudinis esse pedum excreat. 319.18
Rusticorum superstitio & incredulitas. 220.30
Rutæ virtus. 411.4

S.

Saadiæ opinio de Samuelis apparitione. 128.10
Sabellici locus de dæmone Atheniensi quodam. 40.2
Sabnac dæmon. 657.34
Sacerdotum fraus olim. 244.3
Sacerdotium regale. 569.3
Sacræ scripturæ abusus in curationibus morborum magicis. 363.1
Sacrificus incubum passus. 229.4
Sacrifici quidam inepti, maleficii morbum mentiuntur, & ejus reas statuunt infantes. 149.2
Sacrificorum superstitio. 361.3
quorundam magica divinatio. 149.1
Sacrilegus qui propriè dicatur. 374.1
Sadducæi negant esse dæmones. 1.2
Saga unde dicta. 161.3
Sagæ lædendæ impius modus. 370.8
Sagarum fœdus cum dæmone quomodo fiat. 168.1
Sabacat mulieres veneficæ. 246.2
Saitæ ovem pro Deo coluerunt. 11.2
Saliceti constitutio de magis. 468.5
Salis exorcisati usus varius. 414.17
Salmac dæmon. 657.34
Salomon an magus fuerit. 102.18
quem dæmonem in vase vitreo relegatum habuerit. 655.23
quam Deam coluerit. 10.3
de Salomone necromanticorum figmentum. 655.23. & 658.36
Saltzburgi incantator à serpente occiditur. 107.14

Sama-

Samaritanorum hæresis. 518.12
Samaritani quem Deum coluerint. 10.3
Samii quem Deum coluerint. 12.2
Samuelis apparitionis historia quomodo verè sit intelligenda. 125.2
Sambethen unde dicatur. 620.48
Sanguinis fluxus remedium magicum. 376.4
humani victima à quo sit inventa. 15.1
Sanguinem sistendi modus magicus. 364.3
ad Sanhedrim qui admissi sint. 100.15
Sardii lapidis virtutes. 412.5
Sathan quid significet. 66.9
quomodo sit fugiendus. 434.4
Sathanæ voluntas semper injusta. 81.3
Saturnus dæmon Poëticus. 77.28.
humanis hostiis ab Afris placatus. 17.4
unus ex diis selectis. 13.6
Saturni adulterium. 244.3
Satyri animalis descriptio. 249.4
Satyri cur sabbathum fugiant. 13.7
an veri fuerint dæmones. 249.3
quando & quales sint creati. 13.7
Satyros olim locutos esse. 249.5
Satyrides insulæ. 249.3
Saul cur justè à Deo sit punitus. 126.7
ob quam causam pœnas dederit. 18.2
Saulis interitus causa. 127.8
Saxonis Grammatici historiæ ubi non sit adhibenda fides. 633.19
Saxonibus armatis dæmon horrenda forma apparet. 43.11
Schedula ridicula collo appensa. 403.1
Scheidamensium victus. 491.10
Scillæ in domus limine suspensæ virtus. 411.2
Sclavi quem Deum coluerint. 14.9
Scox dæmon. 658.37
Scythæ cur nulla spectra seu imagines videant. 184.4. quem Deum coluerint. 12.2
Secretum Secretorum dæmon. 663.68
Sedulii locus de dæmonum lapsu. 5.3
Seinkunst. 421.2
Semidei quales crediti. 237.1
Seminis per succubum & incubum translati vanitas. 246.1
profusio in somnis unde eveniat. 604.17
Sempronius Rufus magus. 98.8
Sennacherib rex Assyriorum quem adorarit. 10.3
Senecæ sententia de Lamiarum impotentia. 211.4
Senensium monachorum figmentum. 424.1
Senones quales dicti. 237.1
Sensum quæ simplicia perturbent. 224.6
Sepharvaim civitas quem Deum coluerit. 10.3
Septuaginta interpretum laus. 527.2
Septentrionalium populorum incantationes. 116.8
Serapim Naucratitæ coluerunt. 12.2
quem Deum veteres nominarint. 10.3
Serarum apertio diabolica. 384.3
Q. Serenum carminibus magicis usum fuisse. 406.1
Sergius monachus præceptor Mahometis. 59.3
Serpens magum enecat. 107.14
sub ostii limine repositus quid efficiat. 261.3
Serpentes à Nigritis fascinari. 366.12
Serpentum conjurationis formula. 366.10. & 376.4
Q. Sertorius dæmone familiari usus. 75.17
Servius Tullus semideus habitus. 240.9
Laris filius & scorti. 248.5
Setas porcinas quidam dæmoniacus cum excrementis dejicit. 295.1
Severi Sulpitii sententia de hæreticis non enecandis. 512.11
de Gallorum rusticorum superstitione. 31.6
Sibylla Erythræa quando vixerit. 615.39
ejus ætas. ibid.40
vaticinium. 145.10
Sibyllæ Cumææ descriptio & origo. 616.42
versus. 621.50
Sibyllæ albæ. 75.21. quæ dictæ sint. 612.30
Sibyllæ an vates divinæ fuerint. 617.43
quæ dictæ sint. 620.47
Sibyllarum carmina abolita. 622.52. doctrina qualis fuerit. 619.46. honor apud veteres. 618.45. libri & vaticinia. 18.3. miracula qualia. 620.49. nomina. 614.37
ortus incertus. ibid.36. prima quæ fuerit. ibid.37. sexus. 618.45. vita & mores. 620.50. vaticinia de Christo. 19.3. & 614. 37. & 619. 46. vaticinandi ratio. 617.44
Sibyllas spiritu divino non fuisse præditas. 635.22

Sidonii quem dæmonem coluerint. 10.3.
Sigillorum magicorum nugæ. 381.5
Sigillis nullam vim inesse. 391.5
Signa dæmonum bonorum & malorum quid differant. 78.3
Silices ex ore cujusdam dæmoniaci extrahuntur. 293.3
Simon Apostolus quo nomine simulachrum solis diminuerit. 449.2
Simon magus unde sit natus. 240.9.& 253.2 eadem hora in conclavi cum Nerone, & foris cum populo loquitur. 200. 6. quo dæmone familiari sit usus. 75.18. hæresium seminarium. 102.21. Clementis oculos effascinat. 95.2. ejus interitus. 102.21
Simō Meliter ex Hassia insignis exorcista. 420.7
Sivva numen Vandalorum. 14.19
Smaragdi locus de dæmonum studiis & potentiis. 64.14
Suebergius dæmon. 72.7
Sobrii cur esse debeamus. 174.5
Socrates dæmone familiari usus. 75.17
Socratis locus de Valentis tyrannide. 25.6
temperantia. 335.13
Sodomæ & Gomorræ exitium. 8.4
Sol cur sit inter Deos geniales numeratus. 13.6
unus ex diis selectis. ibid.
Solis simulachrum à Simone Apostolo devastatum. 449.2
Solanum majus herba. 224.8
Solani furiosi radix imagines vanas inducit. 227.3
somnifera herba. 224.7
Somniferum oleum. 223.5
Somnia vera quæ arbor pariat. 135.18
Somniorum imagines quomodo diversas figuras capiant. 185.6
Somniis quibus maximè diabolus se insinuet. ibid.
Somnorina imagines. 186. 7. & 604.17
Somnum furiosum quæ simplicia faciāt. 224.8
Sorciere Lamia Gallis dicitur. 161.3
Sortes variæ. 136.2
Sortilegi unde dicti sint. 138.10
qui dicantur. 136.2
quæ pœna sint puniendi. 47[illegible].14.& 520.2
Sortilegium quid & quotuplex sit. 135.1
Sortilegia quid sint. 138.10
Sosigenis opinio de rebus, quæ in tenebris lucere videntur. 55.4
Sozomeni locus de Valentis tyrannide. 25.6
Spectrum mirum. 43.12
Spectri ficti historia lepida. 427.2
horribilis exemplum. 46.16
Spectra quibus plerunque appareant. 184.4
Spira unde sit dicta. 50.1
Spiræ variæ spectra forma monachorum visa. 50.1
Spiritus carnem & ossa non habet. 234. 5.& 495.3
Spiritus boni & mali quomodo distinguantur. 79.5.6. sitire aut esurire non possunt. 235.5 unde plerunque nomina sumpserint. 10.4
Spirituum apparitiones quomodo inquiri & agnosci debeant, si verè aut fictè appareant. 34. 2. citatio per magos quomodo fiat. 664.1
Spiritibus quæ habitatio ab initio sit data. 82.8
Spoleti ex muliere fit vir. 337.1
Stabulum quid propriè dicatur. 189.1
Stantiæ quem Deum coluerint. 14.9
Statores fulminum dii. 12.6
Steinhusius satrapa Graviæ. 269.1
Stella à magis visa quid designarit. 100.15
Stephanus eques Neapolitanus amatorio poculo in furorem excitatus. 273.3
Stipes fatalis. 204.7
Stipulatio dolosa cur non valeat. 170.4
στοιχειομαντεία quid sit. 137.7
Stolus dæmon. 663.68
Strabonis locus de diis Ægyptiorum. 11.2
sinistra opinio de Mose. 102.19
Striges quæ virga fugentur. 160.2
quæ dicantur. 223.3
Studiosi cujusdam resipiscētis historia. 535.20
Stumpffii locus de Bernatium monachorum fraude. 227.6
Stuporem & taciturnitatem inducentia verba. 385.1
Stupri pœna divina. 306.4
Subligaculum ex ore cujusdam dæmoniaci extrahitur. 293.3
Succot Benoth dæmon. 10.3
Succuba cum monacho rem habet. 255.7
Succubi cur non veri sint. 256.3

Sacca

Suecia rex quatuor lamias secum in bellum contra Danos ducit. 215.16
Sueones Ioviales malleos coluisse. 413.10
Sulphuris virtus in arcendis dæmonibus. 411.1
Suma muliebre numen apud Polabos. 14.9
Sumanus dæmon. 10.3
Superbia institutor qui fuerit. 7.4
Superstitio quomodo imitetur religionem. 403.3
Superstitionis authores qui fuerint. ibid.
Svvantenith Deus Sclavorum humanis victimis cultus. 17.6
Suum pestilentia. 349.2
Sydonay dæmon. 657.35
συνομωσία quid sit. 135.17
Sylla satyrus animal apparet. 249.4
Syllii locus de Marsis. 263.3
Sylvani. 248.1
quando & quales sint creati. 13.7
Sylvester dæmonem in capitolio claudit. 449.2
quomodo pontificatum sit adeptus. 358.4. & 474.1
Symmachus senator Romæ miserè trucidatur à Theoderico rege Gothorum. 43.9
Synesii sententia de dæmonum studiis. 62.10
Syri quem Deum coluerint. 12.2
Sytry dæmon. 653.21

T.

Tabacum herba. 227.5
Taciti sinistra opinio de Mose. 102.19
Taciturnitas & stupor an verbis dissolvatur. 388.7
Taciturnitatem & stuporem inducentia verba. 385.1
Tages aruspicina & extispicina inventor. 42.8
Talionis lex ubi locum habeat. 530.8
Tamaraka. 135.19
Tamerini. 76.23
Tap dæmon. 658.36
Tarantulæ morsus symptomata & curatio. 347.1
Tartac dæmon. 10.3
Tatianus Assyrius. 399.3. ejus locus de angelis & diabolo. 7.4
scriptum de dæmonum studiis. 61.8
Tauri Mahometici docilitas. 59.4
Telchines populi omnia aspectu suo in pejus mutant. 263.4
τελεσμοὶ quid sint. 96.4
Tellus inter quos Deos sit connumerata. 13.6
Teli extractio magica. 365.6
Telorum ictus quid prohibeat. 405,6
Tempestas incantatione excitata in Neapolitano regno. 216.19
ingens in ditione Ravesteinensi. 219.27
Tempestatis sedatio impia. 457.9
Tempestates an campanis baptizatis pellantur. 21.4. quibus rationibus averti possint. 579.11
Tempestates à lamiis nudo pacto excitari posse. 210.1. quo pacto quidam populi avertant. 414.14
contra Tempestates remedia. 413.10
Tentationis permissa causa. 81.2
Tentationes diaboli fortiter sunt ferenda. 433.1
Ternistratores dæmones qui dicti sint. 70.3
Terra cur inter Deos geniales sit numerata. 13.6
Terrei virunculi dæmones. 71.5
Tertulliani locus de Afrorum victimis. 17.4
de Claudia Vestali virgine. 119.5
de curatione dæmonis. 399.2
de dæmonum divinatione. 23.2
de dæmonum operationibus. 34.13
de diis gentium. 9. 2. omnipotentia Dei. 84.13. de ventriloquarum vaticiniis. 140.7
de Samuelis apparitione. 130.8
Testes monacha sano volentique execti. 327.4
quomodo adimi possint. 328.7
Testes carmine non adimi. 326.1
Teutates Deus à Gallis humanis hostiis placatus. 17.5
Theangelidis usus. 227.5
Thebani ovem pro Deo coluerunt. 11.2
Creontis filium mactant pro patria. 16.2
Θελατὼς quid Hebraicè significet. 92.12
Theod nomina habentes Valens imperator omnes interficit. 25.6
Theodoreti locus de omnipotentia Dei. 84.13
Theoderici Gothorum regis crudelitas punita. 43.9

Theodorus filius Ioan. Wieri iure-consultus. 57.10
Theodori Graui laus. 420.6
Theodori Lopers ancillæ consecratio ridicula. 456.8
Theodori Zwingeri epistola ad Wierum. 645.1
Theodosiolus nobilis Hispanus à Valente interficitur. 25.6
Theodosius imperator per quod diuinationis genus sit prœcognitus. 137.5
Theodosii constitutio de magicis libris. 466.5
Theologi quomodo distinguant dæmones. 77.1
qui de dæmonum lapsu scripserint. 4.1
Theologorum Parisiensium determinatio super quibusdam superstitionibus nouiter exortis. 564.1 quorundam figmentum de succubo & incubo. 246.1
Theophylacti sententia de dæmone. 65.17
Theophrasti medicina reprehenditur. 152.2
sententia de Lamiarum potestate. 313.1
de periaptis. 409.3
Thiraphim imagines quo pacto facta sint. 145.11
Therionarca in Cappadocia & Misia usus. 349.4
Thesaurum inquirendi magicus modus. 383.1
Thesphotion magus. 98.6
Thessala gens veneficiis maximè dedita. 564.4
Θεσσαλικὴ γυνὴ prouerbium. ibid.
Θεουργία quid sit. 96.3
Theurgus magus. 98.6
Theutus dæmon inuentor ludorum & aleæ. 77.1
Thibiorum genus in Ponto. 262.2. & 483.3
Thilonem à dracone interfectum, herba quadam suscitatum esse. 135.13
Tholuscol magus. 97.4
Thomas Erastus medicus insignis. 408.5
eius doctissima in Paracelsum scripta. 630.13
Thomæ libri magici falsò sub titulo circumferuntur. 102.18
Thomæ sententia de transformatione hominum. 334.11
Thor Gothorum numen. 13.8
Thracia regio unde dicta. 545.3
venefica. ibid.
Thrasyllus magus Tiberio Cæsari gratus. 98.8
Thus ad quid conducat. 411.2
Tiberium Cæsarem ut felem in tenebris vidisse. 263.4
Tibulli versus de fascinatrice. 163.8
de hippomanes. 271.3
Timixtitæ in America, idola sanguine hominum conspersa. 17.4
Timor & amor imagines fortes gignunt. 184.4
Tipula quid sit. 336.3
Tiresiæ & Calchantis vaticinia de humanis victimis. 15.2
Tiresiæ vatis Thebani transformatio. 339.8
Tobiæ à quo angelo libri magici sint traditi. 108.1
Toletanæ synodi constitutio de magis. 468.8. & 469.13
Tonantes fulminum dii. 12.6
Tonitrua quid avertat. 413.11
Tophacei calculi in utero unde gignãtur. 316.6
Tophi in iuncturis. 315.2
Tormentorum tolerantia an verbis dissoluatur. 388.7
Tormentis fides non est adhibenda. 639.6
Tormenta nil curans fur. 386.3
quomodo quidam non sentiant. 385.1
Torturarum tyrannis 471.4
Trallianus quatenus sit ab authore reprehensus. 635.25
Transformatio phantastica hominum in bestias quomodo fiat. 189.1
Treuoniæ mulier venefica marito suo argentum viuum in olere cocto exhibet. 268.15
Triglas triceps apud Statinenses cultus. 14.9
Trismegistus magus. 98.6
Trismegisti locus de dæmonum lapsu. 3.6
Trithemius in quot ordines dæmones partitus sit. 112.3
Trithemii iudicium de Agrippa. 629.11
locus de dæmonum metamorphosi. 39.7
Steganographia culpatur & examinatur. 112.1. verba de quodam dæmone in aula episcopi Hildesiensis. 73.12
Troia quo anno post mundi creationem sit capta. 97.3
Troianorum dii. 12.6
Trulli dæmones. 73.10
Tuccia virgo vestalis aquam cribro hauris.

rit. 119.15
Tullus Hostilius magus fulmine ictus. 104.3
Tuneti gyromantiæ genus reperitur. 144.6
Turca quidam per Italiæ urbes oberrans mirabilia miracula manuum dexteritate operatur. 56.7
Turca Lecanantiæ cultores. 132.3
natura superstitiosi & idololatræ. 144.9
quod medicamentum contra febrem adhibeant. 378.7. *quomodo fugientes incantatione ligent.* 330.4
Turcarum varii dii. 14.9. *magica divinatio.* 144.9. *proverbium de opio.* 226.2
Turcis ναρομαντεία *familiaris.* 134.13
opii usus frequens. 225.1
Turneri sententia de anseribus Scoticis. 238.5
Tutelares dii. 13.7
Tiberius Aphrorum sacerdotes strangulat. 17.4
Typho ventus. 197.11
Tyranni sacerdotis Saturni adulterium & libido. 244.3
Tyresias ichthyomantia usus. 134.15
τυρομαντεία *quid sit.* ibid.

V.

Vacca ex Iberiacis Pyrenæos delata. 197.11
Valens Imperator per quod divinationis genus sui successoris nomen cognoverit. 137.5
Valenti Imperatori quàm oblique dæmon responderit. 25.6
Valentini hæretici. 103.23
Valerianæ herbæ usus. 411.2
Valerii Maximi locus de dæmonum technis. 29.2. *de cacodæmone quodam.* 41.4
Valefar dæmon. 652.14
Valetudinis adversæ devotio unde. 30.6
Vandali quos Deos coluerint. 14.9
Vapula dæmon. 662.58
Vaticinari quomodo diabolus videatur. 187.1
Vaticinia dæmonum qualia. 30.5
unde. 23.1
Vaticiniorum dæmoniacorum exempla, quæ nostro tempore acciderunt. 25.7
Vegetii suffimentum animantium morbis prohibendis utile. 458.2
Venefica quomodo à lamiis sint dignoscendæ. 587.15 *puniendæ.* 584.6.
Veneficarum aliquot nomina. 545.3
pœna apud Romanos. ibid. 2. *pœna secundum varios authores.* 544.2. *quibus in locis mentio fiat.* 531.10
Veneficis à Mose pœna constituta. 464.2
Venefici cujusdam famuli carnificis, ejusdemque malefica conjugis memoranda historia. 268.1
Venefici qui propriè sint. 264.1
circa quæ versentur. ibid.
quibus nominibus & in quibus locis in veteri testamento significentur. 90.2
quo pacto juxta legem Mosis sint puniendi. 530.8. *quomodo lædant animantia.* 277.1
ad centum Romæ comburuntur. 265.2
Veneficium quis primum apud Romanos invenerit. 545.3
Veneficia ex qua herba quidam pareut. 55.3
quid depellat. 411.4
de Veneficiis Parisiensium Theologorum determinatio. 566.5
Venenosa quomodo carminibus fugiantur. 376.4
Venenum quod efficacissimum sit. 348.3
Venena intro assumpta. ibid. 2
amatoria 272.5
Venereæ delusionis incubi historia. 255.1
Venerei actus organa ubi desunt, desideratur effectus. 543.1
Venetianellus funambulus. 57.10
Venetiis fur quidam arte magica ex vinculis liberatur. 384.3
Ventos an magi sedare possint. 118.11
Ventriculi dolores. 283.5
Ventriloqua. 93.13
Ventriloqua quomodo vaticinentur. 140.6
Ventriloqui cujusdam Parisiis dolus. 141.9
Ventriloqui viri quomodo vaticinentur. 140.8
Venus Dea. 12.6. *Sidonia.* 10.3
Venerem Arabes coluerunt. 12.2
Vepar dæmon. 657.33
Verbasci cum sua radice susi usus. 376.3
Verbenæ usus. 411.2
Verbum Dei non mortua est litera, sed spiritus & vita. 380.1
Verbi Dei genuinus usus. 374.1

Verbis

Verbis neminem lædi posse. 492.1
Vermis longitudinis octo pedum à quodam rustico excretus. 319.18
Vermes duo in cadavere puellæ cujusdam hydropicæ inventi. 316.5. *equorum qua pacto magico remedio curentur.* 365.8
Vermibus quæ potestas ab initio sit indita. 83.11
Vespasiani miraculum. 408.6
Vesta Trojanorum Dea. 12.6
Vettonica herba virtus adversus dæmones. 411.3
Vetula quædam ob zelotypiam marito arsenicum propinat. 268.13
Vetulæ cujusdam historia memorabilis. 223.3
Vetulæ idolum. 310.4
Vetulæ cur maximè dæmonum illusionibus exposita sint. 177.1
Vetularum duarum prope Romam fictæ transformatio. 189.1
Victima humani sanguinis à quo sit inventa. 15.1
Victoria Dea. 13.6
Viduarum cura habenda. 586.13
Vincentii historia de Merlino. 253.2
Vine dæmon. 660.44
Vinum ne vertatur, remedium. 366.9
Vini penuria unde veniat. 577.6
Vir ex muliere fit. 337.1. *quidam prudens credit lupum se rapacem esse.* 335.1
Viri complures Atrebati combusti. 205.8
cur graviori pœna afficiendi sint, quàm mulieres. 524.1
Viri multi Romæ veneficiis necati. 264.2
Viros in fœminas non transformari. 338.4
Virgilii locus de aëris turbatione. 220.28
de Anube. 11.1. *de hippomanes.* 270.2
de incantatoribus. 92.10. *de Lamiis.* 162.5. *de peste pecudum.* 349.2
de Vlyssis sociis. 331.1
Virgilii versus optimus qui sit. 454.4
Virgilianæ sortes. 137.7
Virginitatis hymen. 232.6. *zona & signum quod sit.* 231.1. ibid.3
Virginitatem unde Hispani dijudicent. 231.4
Virgo in puerum transformatur. 337.1
quædam incantatione in furorem concitata. 390.1
religiosa apud Hollandos ob incubum præcipuè exusta. 230.1
Virginis dæmoniacæ superstitiosa curatio. 394.1
Virgines dæmoniacæ arbores conscendunt ut feles. 300.2. *duæ in viros mutatæ.* 337.2
hymene dotatæ sunt. 231.1
Virginum dæmoniacarum Werteti occlusarum historia horrenda. 299.1. *transmutatarum in viros aliquot exempla.* 337.1
Virunculorum montanorum statura & forma. 72.9
Visionis author manifestus. 49.9
Visum qui lapis perstringat. 412.5
Vitalis Besumbæus. 422.1
Viti quem Deum coluerint. 14.9
Vitrum quidam rusticus evomit. 295.4
Vituli aurei adorati. 11.8. & 15.14
Viviani constitutio de magos consulentibus. 468.4
Ulpiani constitutio de magis. ibid.7
sententia de magicis libris. 466.5
Ulricus Molitor jurisconsultus. 254.6
Ulricus Neusesser agricola miserè à dæmone exagitatus. 297.1
Ulysses cur non sit in suem transmutatus. 335.13
Ulyssis socii in bestias mutati. 124.13
Ulyssis sociorum in feras transmutatorum fabula explicatio. 331.1. & 333.9
Umbras inferorum qui lapis educat. 412.5
Unguentum lamiarum imaginarium. 172.2
lamiarum quando vim habeat. 500.9
unde conficiatur. 222.2
terribile lamiarum. 169.3
Volac dæmon. 660.49
Volucribus quæ potestas sit data. 83.11
Voluntas an sit punienda. 526.4. & 586.12
in lamiis an sit punienda. 553.14 *lamiarum quomodo sit interpretanda.* 552.14. *quid sit.* 553.15. *quomodo sit distinguenda.* 526.4
Upupæ pennæ ad quid utiles. 412.6
Uranum Pœni pro Deo coluerunt. 12.2
Urbanus pontifex ad Imperatorem Græcorum tres agnos Dei mittit. 380.4
Ursi transformationis imaginationes quid efficiat. 336.6
Ursum se esse, quidam Hispanus credit. ibid

W.

WAl dæmn. 663.65
Waldat Deus. 11.7
Waldsassiæ mulier phantastica capta. 209.9
Wellensis mulieris obsessio. 445.1
Werteti inclusarum monialium virginum historia horrenda. 299.1
Wervvolff an veri sint lupi. 190.2
Wesaliensis exorcista. 420.6
Wierus cognomine Piscinarius. 422.1
quæ in insula Creta viderit. 320.20
reprehenditur à Paulo Schalichio. 598.6
Wieri filii. 140.8. *jactura ex grandinis procella.* 219.27. *parentes & fratres.* 71.6 *peregrinatio in Prussiam.* 421.8. *præceptor.* 260.2. *Sententia vera de Lamiis, & defensio contra Ioannem Campanum.* 542.35. *vera & Christiana fides.* 571.7
Wiero venenum exhibitum. 267.12
Wirtenbergico in ducatu pascua pecoris veneno inficiuntur. 277.2
Wisenburgensis ducatus Ecclesiæ Hildesheimensi conjunctus. 73.13
Vulcanus Deus. 12.2.& 13.6
Vulpes gallinam auferens, à quodam ligatus ne prædam auferret. 329.2
Wlstavus Vigorniensis episcopus magus. 358.4
Wolgasti Deus. 14.9
Wymariæ quidam impostor eunuchus. 341.4
Uxorem impudicam vir quidam longè profecturus, dæmoni commendat. 74.15

X.

XAnthi historici locus de quodam mortuo suscitato. 131.3
Xenophon de Circes potentia. 335.13
Xerxis copiæ à tempestate magorum ope liberantur. 118.11
Xurgumina quæ dicantur. 192.4

Z.

ZAbulus inventor magicæ artis 98.5.& 470.17.& 613.34
Zacharias Babylonicus an magus fuerit. 102.18
Zachariæ vaticinium de Christo. 19.3
Zagen dæmon. 660.47
Zairagia quid sit. 142.2
Zaleos dæmon. 663.64
Zamares magus. 98.6
Zamolxis magiæ cultor. 98.5. & 613.34
Zaratus magus. 98.6
Zarmocenidas magus. ibid.
Zaroes magus fulguris ictu mortuus. 104.3
Zauberer quomodo alias dicantur. 94.18
Zauberey. 530.9
Zauberin & zauberſche quæ dicatur. 161.3
Zenobia ab Aureliano Imperatore libera dimissa. 524.3
Zepar dæmon. 652.19
Zoe Romanum Argyrum maritum veneno necat. 265.4
Zonaræ locus de Vincentis tyrannide. 25.6
Zoroastres quis fuerit, & quando vixerit. 97.3
ejus interitus. 104.3
Zymymar rex & dæmon 663.69

FINIS.

INDEX SECUNDUS DE LAMIIS ET DE COMMENTITIIS JEJUNIIS.

A.

ABdiæ locus de Hermogene mago. 684.4. de Simone Mago. 683.1
abnegantium quot sint species. 732.5
Abnegatis an sit via resipiscentiæ. 695.4
Athabus Israëlitarum rex ad idolorum cultus perductus. 689.11
Actionum criminalium probationes oportet esse clarissimas. 728.2
Acum aneam mulier quædam deglutit. 722.7
Acus & aciculæ ore ejectæ, an in corpore fuerint. 719.1
Adam & Eva cur levius à Deo puniti sint. 738.6
Ægyptii idololatræ & organa satanæ. 676.6
miserè vexati à ranis & pediculis. 677.8
Ægyptiorum incantatorum nomina. 678.9
Aërem nullo modo à Lamiis turbari posse. 705.1
in Aëre concitando quomodo à dæmone illudantur Lamiæ. ibid.
Alciati sententia de Lamiarum confessione. 730.1
Alexandri Traliani locus. 720.4
Ambrosii locus de Simone mago. 683.1
Amore furentes quales sint. 731.2
Anglicanæ virginis jejunium commentitium. 767.41
Animantia an naturalibus morbis variè affligi possint à Lamiis. 724.1
Anquirensis concilii decreta de Lamiarum confessione. 731.2. & 733.5
Antonii Ægyptii jejunium. 752.8
Antonii Benivenii locus. 720.4
Apostatarum quot sint species. 732.5
Apulei metamorphosis. 711.3
Aquarum Ægyptiacarum transformatio. 676.6
Arioli cur ab ecclesia sint eliminandi. 733.5
Aristotelis locus. 700.3. & 710.1
Arnoldi Wieri jejunium. 754.12
Arteria aspera. 720.3
Aruspices cur ab ecclesia sint eliminandi. 733.5
Athanasii locus de Hermogene mago. 684.4
Augustini sententia de Lamiarum confessione. 731.2. de ceremoniis Lamiarum. 698.8
de Samuelis apparitione. 682.11
Aviti Acimi locus. 678.9
Auvetenamento quid significet. 688.9

B.

BAbylonis casus & interitus causa. 683.3
Baldi sententia de confessione. 730.5
Baptisma in homine abnegato an extinguatur. 694.4
Baptismatis vim non posse externa exemptione tolli. ibid.
Barbara Unnensis. 749.3
Barbaræ Unnensis jejunium detectum. 758.23. imago & viva effigies. 760.27
Bartholomæus Calckreuter medicus. 748.1
Βαρναίνεσθαι & βαρναλεῖν quid significet. 688.9
Bassiani Landi locus. 686.6
Beatorum animæ magorum carminibus non obediunt. 697.5
Bernensium in terra tredecim infantes à Lamiis devorati. 692.2
Bononiensis magistratus quo pacto Lamias puniat. 733.6

Brisaci

Brisiaci saga inventa, quæ miris modis juvenculam instituit. 691.1

C.

CÆcus quidam à diabolo factus. 718.8
Calculus ore rejectus. 720.4
Calor vitalis. 752.10
Canonici Leodiensis jejunium. 762.31
Capitalia quæcunque Moses fecit, an à magistratu ultimo quoque supplicio puniri debeant. 738.8
Carnibus vesci diebus à pontificibus Rom. vetitis quando liceat. 697.6
Carnifex quidam in Wirtenbergico ducatu pabula pecorum inficit. 725.4
Casparus Hoffman medicus celebris. 748.1
Cassali in urbe veneficium horrendum accidit. 686.6
Celare crimina in confessione, an sit contra fidem. 697.7
Ceremoniis non posse occidi pueros. 695.1
Chamæleon. 753.11
Chasaph quid significet. 687.7
Cholera morbus unde oriatur. 721.15
Cholerico ex vapore qualia somnia exoriantur. 701.3. & 4
Chrismatis vim non posse externa exemptione tolli. 694.4
Christi jejunium in deserto. 751.7
Christianismi abnegatio à Lamiis & veneficis quo pacto fiat. 692.2
Chrysostomi locus. 680.5. & 710.1
Ciceronis locus. ibid.
Cinops magus. 683.2
Circes omnipotentia. 711.3
Clementis locus de Simone mago. 683.1
Clavus cuidam viro vivo excisus. 724.3
Clavi ferrei ore rejecti an in corpore fuerint. 719.1
Concilii Anquirensis decreta de Lamiarum confessione. 731.2
Concubitus dæmonis & Lamiarum an & quo pacto fiat. 707.1. & 744.17
Concumbentes cum jumento, Mosis lege esse puniendos. 745.19
Confessio debet continere verum vel possibile. 730.5
Confessioni soli maleficorum standum non esse. 728.1. mente læsi non esse standum. ibid. 2. in criminalibus non est standum. 730.5 quatenus sit standum. ibid.
Confessione ex sola non judicatur, nisi in hæresi. ibid.
Confessiones torturis expressæ sæpius erroneæ. 729.4
Constantini lex de Mathematicis & maleficis. 707.5
Cornelia lex de sicariis & veneficis. 688.8. & 734.3
Cornelia patritiæ gentis Romæ venefica. 685.2
Cornelii centurionis jejunium. 751.7
Corpus humanum cur absque alimenti accessione tempore longo consistere nequeat. 753.11
in Corpus Lamiæ non posse res duras ingerere. 723.1
Corpoream materiam dæmonis potentiæ non subjici. 676.5
Creare solius Dei est. 677.8. & 712.5
Crescentes cur plurimo egeant alimento. 750.5 & 764.35
Criminali in judicio an Moyses semper sit imitandus. 738.8. & 739.9
Crucem calcare secreto, an sit abnegatio fidei. 698.8
Culter è cujusdam puellæ latere exectus. 724.3
Curatores cur ex lege mulieribus dentur. 699.1
Cynanthropi quales sint. 731.2
Cypriani sententia de jejunio. 769.47
Cyrus Babylonem sub Persarum imperium redegit. 683.3

D.

DÆmon an manum verè in stipulatione extendat. 691.1
cur aliquando futura prædicat. 702.7
cui qualitati & humori se libentius insinuet. 701.3. quàm miris & variis modis maleficio homines afficiat. 716.1. quibus rationibus vim imaginativam vitiet. 699.1
quibus artibus muliebrem sexum decipiat. 699. 2. quomodo se in choreis transformet. 709.3. quomodo in corrumpenda phantasia naturalibus quandoque pharmacis soporiferis utatur. 703.1. quo pacto Lamias &

& mages deludat. 702.7. quo pacto se in formam Samuelis tam ex improviso transformârit. 680.7
unde Sauli futura predixerit. 681.9
Dæmonis astutia quanta sit. 728.3. & Lamiarum concubitus quo pacto fiat. 707.1
Dæmonem per se operari maleficia. 718.9
Dæmonum digitus quid sit. 678.9. illusionibus qui homines maximè expositi sint. 698.1
præstigiæ quo tempore cessare cœperint. 669.1. item quales & unde oriantur. 678.9
Dæmones non carnea, sed spirituali concretione constare. 693.1
Dæmoniacus apud Gadarenos maleficio correptus. 717.4
Danielis jejunium. 769.47
Dei potentia & digitus qualis sit. 678.9
Demarchi fabula. 711.3
Dies dominicus quibus rebus sit consecratus. 696.5
die Dominico utiliter jejunari. ibid.
Dioscoridis locus. 688.9

E.

EGesippi locus de Simone mago. 683.1
Elias Thesbites ab angelo cibatus. 751.7
Eliæ levitæ translationi quæ fides sit adhibenda. 687.7
in Endor malefica an una ex Lamiis fuerit. 679.1
Ephialtici quales sint. 731.2
ἐγγαστρίμυθος magus. 674.2
Equos qiud ab esu exterreat. 725.5
Eslingensis virginis impostura. 765.38
Eusebii locus de Simone mago. 683.1

F.

FAunorum ludibria. 731.2
Fidem Christianam abnegantes. 693.3
Filii Dei qui dicuntur. 708.2
Fœcunditatem quid impediat. 713.4
Fœminæ cur maximè dæmonum illusionibus expositæ sint. 698.1
Fruges nullo modo excantari posse. 705.1. & 707.7
Frugum sterilitatem ob nostra peccata inferri. 725.6
Fulgosii locus de Simone mago. 683.1

G.

GAllinarum pestes. 725.2
Galli cujusdam abstinentia. 765.37
Genevæ viri & fœmina veneficia spargentes, supplicio afficiuntur. 686.6
Germanorum vitiosa tralatio vocabuli φαρμακοῦ. 688.9
Gorcomiensis cujusdam puellæ fictum jejunium. 769.45
Grillandi jurisconsulti opinio de incubo & succubo. 709.3
de Lamiarum confessione. 732.3
Grandines an Lamiæ excitare possint. 705.1
Guljelmi ducis Iuliæ filia, Alberto Friderico duci Borussiæ nupta. 748.1
Guljelmi principis clementia. 759.25

H.

HAbar & Hartumim quid Hebraicè significet. 678.10
Hæreseos in confessione quomodo sit agendum. 730.5
Hæretici quomodo sint reducendi. 734.2
Henricus Brusens medicus celebris Rostochii. 748.1
Henrici ab Hasselt jejunium quadraginta dierum. 761.29. interitus. 762.30
Henrici Institoris opinio de concubitu dæmonis. 708.3
Hermogenes magus. 684.4
Hester jejunium. 754.12
Hieronymus quid testetur de Iesu Syrach scriptis. 681.10
D. Hieronymi jejunium. 752.8
Hippocratis sententia de jejuniis. 753.12
Homicida qui sit dicendus. 736.3
Homicidii duo genera. 738.6
Homines cur ex diis ac virginibus nasci fingantur. 709.6. quatenus lædi possint à Lamiis. 713.3. qui maximè illusionibus artibusque dæmonum sint expositi. 698.1
Homines quàm miris & variis modis dæmon afficiat.

afficiat. 716. ullius rei potentia in bestias transformari nequire. 710.1
Horatii locus. 690.1
Humidum substantificum. 752.9

I.

Iabensium civium jejunium. 751.7
Iacobus dominus in Lichtenberg suggillatus. 723.1
Iacobus Schadius Pomeraniae ducum medicus. 748.1
Iacobi Sprengeri opinio de concubitu daemonis. 708.3
Iejunari utiliter die Dominico. 696.5
Iejunium ad quid utile. 769.47
sex dierum cujusdam. 763.33
Iejunii exemplum horrendum. ibid.
ficti & detecti puellae Unnensis enarratio. 754.13. potentia & commendatio. 769.47
Iejunium ii qui crescunt, cur difficulter ferant. 750.5. longum qui perferunt. 751.7
quot diebus homo ferre possint, secundum Hippocratem, Plinium & alios. 753.12
Iejuniorum commentitiorum exempla. 763.34
longorum varia exempla. 751.7
verorum aliquot exempla. 761. & 762.
Iesu Syrach authoritas quantum valeat in scripturis sacris. 681.10
Imaginatio quid sit. 700.3
Imagines somnorinae 701.5
Imaginosi quales sint. 731.2.
Imperatorum constitutiones de magicis libris. 684.4
Impotentiam quid adferat. 713.4
Impotentes quomodo fiant arte magica, & qua ratione curari possint. 744.18
Imprecationes malae inefficaces. 715.8
Incantamenta an valeant aliquid. 684.3
Incantare quid Hebraicè significet. 678.10
Incantatores cur ab Ecclesia sint eliminandi. 733.5. infames magos dici omnes. 690.12
senatusconsulto Italia pulsi. 684.4
Incantatorum quibus in locis sacra scriptura mentio fiat. 674.2
Incubus unde fiat. 708.3
Infantes tredecim à Lamiis devorati. 692.2
Infantes ceremoniis occidi non posse: nec mortuos infantes ex sepulchris effodi. 695.1
Ioannes Barcholt legum doctor. 748.1
Ioannes Cimisces Orientis imp. veneno sublatus. 686.5
Ioannes Knoblochius medicus. 748.1
Ioannes Peristerus Theologiae doctor. ibid.1
Ioannes Ulmerus pater Margaretae Essingensis. 765.38
Ioannis Baptistae jejunium. 752.7
Ioannis Francisci Ponzivibii sententia de Lamiarum confessione. 730.5
Iob quantis maleficiis à diabolo sit affectus. 716.2
Fl. Iosephi locus de veneficis. 688.8
ejus laus. 687.8
Irenaei locus de Simone mago. 683.1
Isidori sententia de Lamiarum confessione. 733.5
Iudaeorum jejunium. 751.7
Iudithae jejunium. ibid.
Iumento qui concumbunt, morte esse plectendos ex Mosis decreto. 745.19
Iumentorum pestes unde. 724.1
Iuris Pontificii sententia de judicis. 729.3
Iustini martyris locus de Samuelis apparitione. 682.11. de magorum Pharaonis miraculis. 678.9

K.

Kimbi opinio de Samuelis apparitione. 682.11

L.

Lac glutinosum an à Lamiis reddatur. 714.7. è juncis non emulgetur. ibid.6
Labes quid significet. 679.10
Lapillus ore rejectus avellanae magnitudine. 720.4
Lamia quid sit. 690.1
Lamia innocens aquis submergitur. 742.13
Lamiae cujusdam confessio falsa deprehensa. 732.4. cujusdam memorabilis historia. 704.3
Lamiae quae vulgo attribuantur. 690.1
Lamiae quae in sacris scriptis vocentur. 673.2
plus centum combustae. 731.1

 in terra

in terra Bernensium tredecim infantes devorant. 692. 2. an aliquid sua sponte faciant. 690.1. an sint secundum legem Mosis. tanquam homicidæ interficiendæ. 743. 16. an lac vitiare & glutinosum reddere possint. 714.7. an spurcam libidinem cum immundis spiritibus exerceant. 743.17 an aërem turbare possint. 705.1. an in bestias verè & substantialiter transmutentur. 710. 1. an carmine testes adimere possint. 713.5. an per fornacem strictum in aërem vi cujusdam unguenti ferantur. 735.1. an imprecatione aliquid nocere possint. 715.8. an propter artem magicam sint puniendæ. 737. 6. an Moysis ætate cognita fuerint. 738.7. an ob id puniendæ sint, quod seducant alios. 745.20. an sint ob id morte plectendæ, quod monstrosas vetitasque ediscant artes. ibid. 22. an sint homicidæ. 743.16, an in fronte stigmata gerant. 727.3. an sint puniendæ ob id, quod ineant fœdus cum satana, & abjurent verum Deum. 739.10. an sint potionibus dementantibus inquirendæ. 729.5. circa quas res versentur. 690.1. cur credantur, quod aërem & tempestatem excitare possint. 706.4. cur non mox sint occidendæ. 741.13 cur minus sint puniendæ viris. 734.3 cur non gravius magis sint mulctandæ. 738. 6. cur sint occidendæ, quot modis & argumentis comprobetur. 736.2. & magi ut differant. 737.6. maleficio affectæ. 719. 10. nulli noxiæ quomodo sint reducendæ, & quæ eis sit statuenda pœna. 733.1. pœnitentes evitant pœnas corporales. 732.5. pœnitentiam agentes cur non sint puniendæ. 742.13. quæ sint puniendæ. 733.5. quas ceremonias contra Ecclesiæ statuta cogantur observare. 696.5. quibus rebus lædere creduntur, ridiculas esse. 712.1. quo pacto à diabolo per phantasiam vexentur. 704.4 quo pacto homicidia committant. 738.6 quo unguento se illiniant. 703.2. quomodo sint dignoscendæ. 726. 1. quomodo à demone illudantur in aëre concitando. 705.1 quomodo per fornacem ac per aërem longè lateque evagentur. 703.1. quomodo noctè per aëra deferri videantur. ibid. 2. quomodo in templis retineri possint, & unde discernantur, quod lamiæ sint. 727. 2. unde sua unguenta conficiant, & per quæ omnia sua instituta explere possint. 691.1. unde suam artem petant. 737.6

Lamiarum actiones ferè omnes imaginarias esse. 696. 2. appellatio in quantum se extendat. 674. 1. concubitus cum dæmone quo pacto fiat. 707.1. & 744.17. confessioni soli non esse standum. 728. 2. confessiones quomodo sint censendæ secundum Iurisconsultorum decreta. 730.5. confessiones torturis expressæ sæpius erroneæ. 729.4. fœdus cum dæmone imaginarium & præstigiosum. 741. 12. maleficia quibus rationibus evitentur. 712. 2. professionis modus & fœdus. 681. 1. professionem & fœdus esse præstigiosum. 692. 1. quibus in locis sacræ scripturæ mentio fiat. 674. 2. quot sint species. 732.5. stipulatio cum dæmone quo pacto fiat. 691. 1. unguentum terribile. 692. 2. unguentum ex quibus conficiatur. 703. 2

Lamiis quæ sit pœna statuenda 734.2

Lamias artes exercere nullas, nec ulla ratione elementa movere, aut viciare posse. 746.22 dæmones cogere non posse, ut aliis noceant. ibid. non posse ope diaboli in corpus materias duras ingerere. 723.1. non posse ceremoniis infantes occidere, nec mortuos ex sepulchris effodere. 695.1

in Lamiis dignoscendis experimenta falsissima esse. 726.1

Larynx ex quibus componatur. 720.3

Leodiensis canonici jejunium. 762.31

cujusdam puellæ fictum jejunium. 769.45

Levinus vir celebris. 748.1

Lex Cornelia de sicariis & veneficis. 688. 8. & 734. 3. duodecim Tabularum suggillatur. 707.7. de mathematicis & maleficis quomodo sint intelligenda. ibid. 5

talionis de veneficis. 736.4

Legis talionis quibus in locis sacræ scripturæ mentio fiat. 737.5

Lucas Bacmeisterus Theologiæ doctor. 748.1

Luciani transformatio. 711.3

Ludovicus Milichius reprehenditur. 723.1

Lupi stercus & caudam animantia ab esu exterrere.

terrere. 725.5
Lupi in Livonia an veri sint lupi. 711.4
Luporum in formam quo pacto homines credant se esse formatos. ibid.
Lycaones quales sint: 731.2

M.

Magia venefica quæ dicatur. 684.1
Magica ars quomodo comprehendatur. 692.2. *ejus finis.* 676.5
Magicæ artes quibus in locis sacræ scripturæ probibeantur. 737. 4. *an sint capitales.* ibid.6
Magicis cum libris quomodo agendum sit. 684.4
Magus circa quas res versetur. 674.1
Græcis quomodo dicatur. ibid.2
infamis quis dicatur. ibid.1
Magi sub nomine qui comprehendantur. ibid.
Magi qui damnandi sint. 690.12
& Lamiæ ut differant. 737.6
Pharaonis cujus factionis fuerint. 675.3
quo pacto Nilum fluvium in sanguinem transformarint. 676.6
unde suam artem petant. 737.6
Magorum ars & opera quibus in locis tam sacræ, quàm profanæ scripturæ damnentur. 683.3. *carminibus non obediunt beatorum animæ.* 679.5. *Pharaonis miracula qualia fuerint.* 678.9. *libri comburuntur.* 746.23 *quibus in locis sacræ scripturæ mentio fiat.* 674.2
Magos qua ratione dæmon deludat. 702.7
nocendi aut perficiendi potentiam nullam habere. 677.8. *quosdam in Lausanensi ducatu proprios infantes coxisse atque comedisse.* 691.1
Maledicendi consuetudo vulgaris. 715.9
Maleficio lamiarum qui affecti sunt, unde evenerit. 716.1
Maleficia quomodo sint inquirenda. 728.1
Lamiarum quibus rebus evitentur. 712.2
per se operari diabolum. 718.9
Margareta Eslingensis impostura. 765.38
figmentum detectum. 766.39
Margaretha in Roedt jejunium. 764.35
Maria Leonora Prussiæ ducissa. 748.1
Martini de Arles opinio de concubitu dæmonis cum lamiis. 708.3
Mathematici senatusconsulto Italia pulsi. 684.4
Matthias Stoius, Regiomonti ducis medicus. 748.1
Mechassepha quàm verè interpretetur. 687.7
quid significet, & unde derivetur. 686.7
Mechassephim ad diversa in bibliis usurpari flagitia. 689.11. *quibus in locis sacræ scripturæ ponatur.* ibid.
Melancholico vapori cur dæmon se libentius insinuet. 698.1. & 701.3
Melancholicorum actiones quales plerunque sint. 699.1. *confessioni non esse standum.* 728.2
Melancholicis quæ usuveniant. 677.6
Menti corruptæ quos affectus medici attribuant. 731.2
Metamorphosis Lamiarum an verè fiat. 710.2
Miracula per incantationes quomodo fiant. 679.10
Monachus quidam Patavii veneficus supplicio capitali afficitur. 686.6
Mortis causa quæ sit. 753.11
à Mortuis veritatem non esse quærendam. 679.4
Moses qua potentia aquas Ægypti in sanguinem transformarit. 676.6
Mosis jejunium. 757.7. & 769.47
& magorum Pharaonis præstigiarum discrimen. 675.4
Muliebrem sexum quibus artibus diabolus decipiat. 699.2
Mulieres cur maxime dæmonum illusionibus expositæ sint. 698.1
cur minus viris sint puniendæ. 734.3
Mulieribus cur tutores & curatores ex legibus dati sint. 699.1
Mutus quidam à diabolo factus. 718.8

N.

Nabuchadonezar rex maleficio læsus. 717.3
Natan Cytræus Poëta celebris. 748.1
Natationis causæ lamiarum. 726.1
Νεκυομαντεία & σκιομαντεία *ut differant.* 680.5

Nicolaæ Bucholdianæ abstinentia. 762.32
Nicolai eremitæ Under valdensis jejunium & laus. 752.8
Ninivitarum jejunium. 754.12

O.

OEsophagus. 720.5
Ore res monstrosas ejectas non fuisse in corpore. 719.1
Origenis opinio de Samuelis apparitione. 682.11
Otto imperator chirothecis veneno infectis necatus. 685.3
Ovidii dictum. 686.6
Ovium pestes. 725.2
Ovum integrum deglutiens quidam, statim suffocatur. 720.2

P.

PArentis imprecatione filiis nihil periculosius esse. 716.9
Patavii monachus quidam, & alii venefici supplicio capitali afficiuntur. 686.6
Pauli post conversionem jejunium. 751.7
Peccata esse inæqualia. 742.14
Pecora qua ratione dolo tollantur. 725.4
Pecora quid ab esu exterreat. ibid.5
venenis tolli posse. ibid.4
Pestes jumentorum. ibid.1
Petrus Memmius excellens medicus. 748.1
Petri ab negatio cum Lamiarum abnegatione comparatur. 742.14
Petri de Palude opinio de concubitu dæmonis cum Lamiis. 708.3
Phantasiam quomodo diabolus corrumpat. 701.6. & 703.1
Pharaon suum errorem agnoscens Deum verum invocat. 677.9
Pharaonis pertinacia unde. 681.8
Pharmaca in locis semotis sepulta non posse nocere. 712.3
Φάρμακα quid significet Hebraicè. 688.9
Φαρμακινεις vel φαρμακοὶ qui dicantur. 687.7
Φαρμακῶν nomen quando in malam partem accipitur, quid significet. ibid.
Φαρμακωσοὶ, &c. qui dicantur. 684.1
Pluviæ an cieri possint carminibus in perniciem à maleficis. 706.5
Pœnitentes quomodo sint restituendi. 733.1
Pogii Florentini locus. 765.37
Pori an innoxiè à dæmone distrahi possint. 723.2
Potionibus dementantibus veritas non elicitur. 729.5
Potus tartareus. 692.2
Probationes in actione criminali oportet esse clarissimas. 728.2
Præstigiatores quomodo Hebraicè & Græcè dicantur. 678.10
per quod vocabulum Hebraicum designentur. 689.11. qui damnandi sint. 690.12
Præstigiatorum opera quibus in locis tam sacra, quam profanæ scripturæ damnentur. 683.3. quibus in locis sacræ scripturæ mentio fiat. 674.2
Pudenda carmine non adimi. 713.5
Puellæ Augustanæ jejunium. 763.34
Puellæ cujusdam Bucholdianæ abstinentia. 762.32. cujusdam in Castilia jejunium. 768.44
item prope Spiram in Roed. 764.35
Puellæ Unnensis historia. 749.3
ieiunium detectum. 758.24
Puellarum trium ficta ieiunia. 769.45
Pueri cur ieiunium difficulter ferant. 750.5 & 764.35
Pythia fœmina, Samuelem à mortuis excitans, an una ex Lamiis fuerit. 679.1

R.

RAbani locus de Samuelis apparitione. 682.11
Raymundi sententia de Lamiarum confessione. 733.5
Regio morbo laborantibus cur omnia lutea & flavescentia videantur. 677.7
Romæ veneficæ mulieres complures se venenis interficiunt, & ad centum septuaginta capitali supplicio afficiuntur. 685.2
Romanus Argyrus Imp. Orientis ab uxore Zoe veneno sublatus. ibid.4
Rostochensis Academiæ celebriores professores. 748.1

S.

Sabellici locus de veneficiis horrendus. 685.2
Sacerdotis cujusdam abstinentia. 765.37
Sagarum species quot sint. 732.5
Samuel an verè à mortuis per Pythiam sit excitatus. 679.3.& 682.11
Samuelis exuscitationis à mortuis vera interpretatio. 681.9
Saræ Raguelis filiæ jejunium. 754.12
Saul cur merito à Deo sit punitus. 681.8
Samuelis manes consulit. ibid.9
Saulis contumacia. 680. 8. interitus causa. 681.9
Sauli unde dæmon futura prædixerit. ibid.
Schorius Brabantiæ præses. 762.30
Seminis effusio in somnis unde accidat. 709.5
Senecæ dictum de pœnitentibus. 734.2
Septuaginta interpretum translationi quanta fides sit adhibenda. 687.7
Serpentes quatenus dæmones efficere possint. 676.5
Servilia patritiæ gentis Romæ venefica. 685.2
Severi abbatis Syri jejunium. 752.8
Severinus Gebelius Dantiscanus medicus. 748.1
Simon magus. 683.1
Σκιομαντεία & Νεκρομαντεία quid differant. 680.5
Somnia quæ ex quatuor humoribus oriantur. 701.3
Somniorum imagines quo pacto figuras diversas capiant. ibid.
Somnorinæ imagines. ibid.5
Somnus naturalis unde gignatur. 765.36
Sortilegi cur ab Ecclesia sint eliminandi. 733.5
Spiritus boni magicis artibus non obediunt. 680.5.& 682.11
Spiritus qua ratione cum mulieribus coeant. 709.6
Spirituum immundorum subtilitas. 699.2
Striges. 704. 3. an Moysis ætate fuerint cognitæ. 738.7
Studiosus quidam à dæmone insidiis adactus, precibus liberatur. 742.13
de Succubo & incubo Theologorum argumentum. 703.3
Superstitiosi quales sint. 731.2
Suum pestes. 725.2

T.

Tatiani locus de Dæmonum natura. 693.1
Tempestates an Lamiæ excitare possint. 705.1
Tertulliani locus de Samuelis apparitione. 682. 11. de jejunio in die Dominico. 697.5
Testiculos carmine non admi. 713.5.& 744.18
Theodosii constitutio de magicis libris. 684.4
Theophrasti Paracelsi sectatores reprehensi. 723.1
Thomæ opinio de incubo & succubo, 709.3
Torturarum tyrannis. 729.4

V.

Venenis tolli pecora. 725.4
veneficæ cur sint puniendæ. 746.2
complures uno ferè tempore variis in locis, supplicio capitali afficiuntur. 686.6
Veneficarum nomen in quantum se extendat. 674.1
Veneficus qui dicatur, 689.12
Venefici & veneficæ qui & quæ dicantur. 684. 1. quomodo Græcis dicantur. Ibid, capite plectendi variis modis ex sacris scripturis probantur. 686.7
Veneficorum quibus in locis sacra scriptura mentio fiat. 674.2
Veneficia horrenda Romæ. 685.2
Veneficiis qui interfecti sint, aliquot exempla. ibid.
Venetianæ vetulæ abstinentia & commentitium jejunium. 768.43
Ventriculi dolores ex flatibus & humoribus. 721.5
Vianensis puellæ jejunium. 769.45
Virgilii locus de peste jumentorum. 725.2
Virgines dæmoniacæ. 724.3
Virginum aliquot sanctarum jejunia. 752.8
Viri venefici cur majori pœna quam mulieres sint afficiendi. 734.3
Virorum quorundam jejunia. 751.7

G doctO-

doctorum aliquot laus & commendatio. 748.1
Vita in quibus consistat. 752.10
Ulpiani jurisconsul. sententia de magicis libris. 684.4
Unguentum Lamiarum ex quibus conficiatur. 703.2. ex infantibus an à Lamiis confici possit. 695.1. terribile Lamiarum. 692.2
Ulmensis puella jejunii ficti & detecti enarratio. 754.13. dolus detectus à Wiero. 756.5 viva effigies. 760
Voluntas quomodo sit distinguenda. 735.4
Voluntatis delictum tantùm à Deo puniri. 743.1
Voluntatem omnem non esse puniendam. 735.4
Werwolf qui sint. 711.4
Wieri jejunium per quatuor dies. 753.12
Wolfgangus Iustus medicus. 748.1

Z.

Zauberer qui in genere dicantur, & qui sint puniendi. 689.12.
Zauberinn quomodo Hebraicè appellentur. 687.7

INDEX TERTIVS
DE
IRA MORBO &c.

A.

Achilles 825.54
Adrianus Imp. 838.77
Aër. 855.6
Affectus quid. 775.3
Affectuum divisio. ibid.
Agamemno. 825.54
Agatho abbas. 859.3
Agrippa Iud. rex. 837.17
Aiax. 795.3. & 825.54
Ἀκρόχολοι. 780.4
Alexander VI. pont. 842.85
Alexand. Aphrodisiei locus. 857.10
Alexandri Magni clementia. 833.71
saevitia. 823.51
Alexandri regis Iud. crudelitas. 822.49
Alphonsus Arag. rex. 841.84
Alphonsus Siciliae rex. 850.12
Ambitio. 776.5
Ambrosii locus. 799.13. & 862.8. & 864.14
Anhelitus compressio, signum irae. 790.2
Animi exacerbatio omnes corporis invalitudines exuperat. 775.2
Antiochus rex. 865.17
Antiochus sophista. 813.31
Antipathia. 788.25
M. Antonius. 836.75
Archytas Tarent. 849.10
Aristippus. ibid.
Aristophanis locus. 791.5
Artabazus. 821.47
Artaxerxes. 833.71
Asdrubal. 827.58
Astyagis ira. 821.46
Ate. 844.90
Atedii Pollionis atrocitas. 812.28
Athenodori [illegible]. 851.16
Avaritia. 776.5.
Augusti clementia. 812.28. & 850.11. 834.72
Augustini locus. 861.7. & 866.18
Ausonii locus. 795.1
αὐτάρκεια. 786.19

B.

Balneum aquae dulcis. 856.7
Basilii concio de ira. 871.32
locus. 799.14. & 863.10. & 864.15
Beda locus. 863.11
Belli gerendi quis finis. 778.3
Beno abbas. 870.29

Bernardi.

Bernardi locus. 868.22
Bias. 819.43
Bilem solam non esse materialem iræ causam. 780.5
Bilem vacuantia. 858.12
Biliosorum ira. 780.3
Bonifacius VIII. 829.64

C.

CÆlius orator. 828.62
Cajaphas. 865.17
Cambysis ira. 821.46
Carolus Burgundus. 830.65
Carolus Magnus. 840.83
Catonis error. 792.7
tolerantia. 816.38. & 849.9
Chærephon. 829.62
χαλεποί. 782.8
Charilaus Laced. rex. 850.11
Chilo. 819.43
Christianorum hostes. 832.69
Chrysostomi locus. 800.16. & 861.8
Cibus. 856.9
Ciceronis locus. 780.2. & 817.40. & 818.42
Claudiani locus. 795.1. & 853.20
Clementiæ exempla insignia. 833.71
Clinias musicus. 858.14
Cogitationes irati. 793.8
Comedere labra, proverb. 791.5
Commodus Imp. 828.60
Concubitus. 858.13
Constantinus Tribunus. 828.61
Contemptus. 787.22
Contumelia. ibid.23
Corraus Trincius. 827.59
Cotys adversus iram præservativum. 812.27
Crapula fugienda. 856.9
Cr. Calphurnius. 837.76
Cypriani locus. 866.20
Cyri mors. 832.70
Cyrilli locus. 801.17

D.

DArii crudelitas 821.47
Dedignatio. 787.23
Demetrius 839.81
Demonax. 850.12
Detractio. 787.23
Deus quomodo hominibus irascatur. 785.16
Diocletianus. 832.69
Diogenes. 849.9
Discordia. 776.5
Domini irati fugiendi. 799.11
Dromichotes rex. 839.79

E.

ECelini sævitia. 822.49
Elizabethæ Angliæ reginæ clementia. 842.86
Empedocles. 858.14
Epicurus. 819.43
Exanimatio. 776.6
Excandescentia. ibid.5
Exercitia cujuscunque ætatis. 856.7

F.

FEllis loco ingens calculus in sene iracundo repertus. 781.5
Formido. 776.6
Fridericus Imp. 838.79
Fulvia uxor Antonii. 828.59

G.

GAlenus quomodo in odium iræ pervenerit. 810.22
Galeni de animi perturbationibus sententia. 775.1
Galienus Imp. 838.78
Gallorum ira. 791.5. & 794.9. & 827.59
Gemmæ iram pellentes. 858.15
Germanorum ira. 792.5
Gregorii locus. 799.15. 800.15. 863.11. & 867.21

H.

HArpagus. 821.46
Herodes. 865.17
Herculis excandescentia. 795.2
Hieronymi locus. 799.14. & 862.8
Hispanorum indignationes. 782.8. & 792.5

Homeri locus. 791.5.& 820.45
Hominis irati simulachrum. 807.18.& 866.19. sedati imago. 811.24
Honorii Vandali immanitas punita. 822.49
Horatii locus. 820.45.& 855.4

L.

Iamnei crudelitas. 822.49
Iecoris obstructiones tollentia. 857.11
Ignominia. 787.23
Indignatio. 786.20
Inediæ incommoda. 857.10
Infermento jacere, proverb. 791.3
Inimicitia. 776.5
Intemperantiæ effectus. ibid.4
Ioannes Gualbertus. 870.31
Iracundia. 781.6
Iracundiæ varia exempla. 820.46
Iracundi non sunt proditores, proverb. 789.31
Ira generosa. 783.11
Ira omnia exuperat vitia. 797.
Ira plumbea. 782.8
Ira præceptis fugatur. 802.1
Ira quid.777.1.quomodo exardescat. 776.5.
Ira Saturnina. 782.8
Ira vehementissimus animi morbus. 775.2. & 777.8
Iræ causa interna prima.779.1. altera. 783.12.tertia.784.15.quarta. ibid.16
Iræ causæ externæ. 786.19
de iræ causis.779.1. definitione. 777.1
Iræ effectus.776.6.& 794.1. & inde. finis, initium pœnitentiæ. 819.43. inaudita exempla nostri ævi. 831. 67. paroxismi curatio Philosophica. 845. 1. præservans curatio medica. 853. 2. primus impetus non semper oratione mulcendus. 852.18
prophylactica curatio Philosophica. 802.1
remedia Theologica. 859.1
Iræ signa ab ætatibus & temperamentis. 794.10.ab auditu. 792.6. ab interioribus sensibus.ibid.8. à diversitate causarum. 791.4. à gestibus variis. 793.9. à variis vitæ institutis.794.11.communia. 790.2. ex facie. 792.7
de Iræ signis. 790.1
Iræ vincendæ capita novem. 804.5.inde
Irarum occasiones vitandæ. 860.4
non Irasci, Deo simillimum. 864.15
Irati magnatis blasphemia. 801.18
Isidori locus. 861.7
Italiæ urbes factiosæ. 830.66
Italorum offensiones. 782.7.792.5.& 794.9
Indicium irati. 793.8
Iulii Cesaris clementia. 813.29. & 833.72
Iuniperthus. 840.81
Iustinianus. 830.65. & 838.78
Iuvenalis locus. 783.13. & 820.45

L.

Lachrymæ iratorum unde. 784.14.& 791.4
Lactantii locus. 801.17
Ladislaus rex. 838.79
Linguæ varietas triplex in iratis. 791.5
Lite. 844.90
Lucretii locus. 780.2. & 818.42.
Ludovicus Gall.rex. 840 83
Ludovicus Pius. 838.78
Luporum famelicorum truculentia. 784.14

M.

Mahometis Othomanni feritas. 823.50
Marius. 826.57
Melancholici ex frigiditate & siccitate ira.782.9.ex sanguine & bile adusta ira. 781.6
Melancholicorum ira. 782.8
Melanthius. 820.44
Memnonis episcopi iracundia. 866.18
Memoria irati. 793.8
Menandri locus. 795.1.817. 40. & 820.45
μελαινα χολη. 781.7
Metus. 776. 6. ejus effectus. 777.8
Mæstitiæ effectus. 777.8
Mora remedium iræ. 851.15
Morositas. 782.9
Mulierum exacerbatio. 783.13
Munatius. 827.58
Musica. 858.14

N.

Nabuchodonosor. 865.17
Nazianzeni locus. 863.11
Neglectus. 787.23
Nemo læditur, nisi à seipso. 816.38

Neronis clementia. 837.77. *ira.* 828.60
Normannorum ira. 791.5
Nutrices infantum quales esse debeant. 853.1

O.

Oculi iratorum quales. 791.4
Odium. 776.5
Onomademus. 840.82
Oratio matutina. 859.2
ὀργίλοι. 780.2
Ovidii locus ibid. 791.3.794.10.808.18. 851.14
Ὀξύθυμοι. 780.4

P.

Pavor. 776.6
Pericles. 849.10
Persis atrocitas. 822.47
Persii locus. 780.3. & 791.4
Pertinax Imp. 837.76
Pesius anachoreta. 870.29
Petrarchæ carmen de Alexandro. 824.53
Phantasia iratorum qualis.
Pherotima furor. 822.49
Philagrius. 855.4
φιλαυτία. 785.17
Philippus rex. 833.71
Philosophia quid. 803.5
Phocion. 848.7
Phocylidis locus. 820.45
Pigritia. 776.6
πικροί. 781.7
Pisistratus. 848.7
Piso ira furens tres insontes punit. 798.11
Pituitosorum ira. 782.10.819.43
Platonis dictum de cognoscendo sapiente. 819. 43. *locus.* 817.41 *moderatio iræ.* 848.7
Plauti locus. 780.3. & 791.3
Pompeii moderatio animi. 813.30. & 835.75
Potus. 856.9
Præsumptio. 785.17
Problemata quædam de ira. 789.26. *inde*
Propertii locus. 811.23
Puerorum educatio. 855.4. *exercitium.* ibid.5 *offensæ.* 783. 10. *præceptores.* 855.4 *vestitus & victus.* ibid.5
Pulsus qualis iratis. 790.2
Pyrrhus. 819.43

R.

Odericus Vivarius. 842.85
Romani cur securibus virgarum fasces alligabant. 851.15

S.

Sabatus rex. 839.81
Saladinus Sultanus. ibid.80
Sanguineorum ira. 783.11
Satyri aures cur cera obturentur. 819.44
Saul rex. 858.14. & 865.16
Scanderbecus. 796.3
Seipsum vincere, victoria maxima. 804.6
Senecæ locus. 780.2. & 809.20
Sennacherib. 865.16
Sergius pontifex. 829.63
Sextius. 804.7
Sigismundus Imp. 838.79
Sixtus II. pont. 842.85
Socrates. 804. 2. 848.8. 849.9. & 850.11
Somnus 856.7. *iratorum qualis.* 793.8
Stephanus pontifex. 829.63
Superbia. 785.17
Syllæ iracundia. 825. 55. *mors.* 796.3

T.

Tamberlanes. 828.61
Temperamenta affectuum matrices. 780.3
Terentii locus. 814.33
Terror. 776.6
Theodosii iracundia. 865.17
Thomyris Massagetarum regina. 832.70
Thraseaspes. 821.46
Thrasybulus. 840.82
Θυμοί. 780.2
θυμός. ibid.
Timor. 776.6
Titus Vesp. 837.76.858.14
Totila iracundia. 822.48
Tyrannorum quorundam catalogus. 831.6. & 832.69

V.

Valerii Publicola ara. 806.13
Veneti. 841.85
Vespasianus. 837.76
Vigilia. 856.7
Virgilii locus. 798.7. & 805.8
Wenceslaus apoplexia ex ira interiit. 795.3

X.

Xerxis immanitas. 822.47

Z.

Zelotypia. 785.18
Zeno. 820.44

INDEX QVARTVS

OBSERVATIONUM

MEDICARUM &c.

A.

Aartwormen. 954.2
Abscessus intra ventris musculos. 999.19
Absinthii Santonici semen. 925.20
Aciculares digitorum curatio. 944.2
Acidula. 976.29
Aetii locus. 903.4
Agriois Hispanis quid. 901.8
Albucasis chirurgus. 938.11
Albus vicus Nabathaeorum emporium. 884.4
Allii usus in hydropis curatione. 931.43
Alratica. 938.11
Alvi profluvium desperationis praesagium. 913.6
Antimonium Praeparatum. 975.26
Ambrosius magirus impostor. 908.19
Anasarca curatio. 925.20
Andreae Vesalii de humani corporis fabrica libri. 939.2. de hymene sententia. 940.2
de radice Chyna. ibid.
Anginae pestilentes anni. 1564. & inde. 910.11
Ani clausi curatio. 944.11
Anisi oleum. 926.27. electuarium. ibid.
Anni MDLXIII. morbi, item MDLXV. inde. 910.11
Anserini stercoris vis calorifica. 893.7
Antidotum contra pestem. 917.2
contra pleuritidem pestilentialem. 916.13
contra quartanam. 908.16
D. Antonius Episcopus Coloniensis, quartanarius. ibid.18
Antonii Benivenii locus. 931.42
S. Antonii ignis. 943.5
Apozema magistrale in hydrope. 923.14
Appetitus vehementia interdum quartanam curari. 907.15
Aquae eductio è pede, & supra talum. 930.42
Aquarum vitiosarum usus noxius. 887.2
Aqua in Ascite per umbilicum educendae ratio. 930.41
Aquae insalubres quae. 897.1
Aqua vitae adversus iliacam Passionem &c. 1000.8
Aranea viva nucleo inclusa, & collo appensa, superstitiosa quartanae curatio. 907.13
Araneae tela noxia assumptio in quartana. 906.11
Aranei usus in quartana qualis. ibid. 10
Arborum tabis causa. 905.9
ex Arthanite unguentum. 924.19
Asthachillos. 943.5
Ascites curatio. 921.2
in Ascite aquam per umbilicum educendae ratio. 930.41
Asclepiadis, de aqua in hydrope educenda ratione sententia. 931.42
ἀτρητοι 938.11

Asca-

Avicenna an cognitus Scorbuti morbus. 885.6

B.

Balduini Ronssei de magnis Hippocratis lienibus liber. 886.6
Barbarea, sive divæ Barbaræ herba. 901.9
Berros Hispanis quid. ibid.8
Bistortæ radix, britannicæ virtute similis. 895.12
Blaufchuit. 883.2
Bribnik usus. 924.18
Britannica herba, ejusque usus. 883.2
Britannica Plinii, diversa à cochlearia. 900.7
item Dioscoridis britannica. ibid.
Brunkressen. 901.8.
Bufonis pulvis in Ascite exhibitus. 925.21

C.

Cachexia. 886. 7. universalis. ibid.
Cancrum à mollientibus irritari. 934.4
Cantharidum usus. 925.21
de Carcinomate sinistri testiculi. 955.1 inde
Cardamina, sysimbrium cardamine. 901.7
Cardiaca palpitatio non semper imminentis mortis signum. 920.9
Chamelææ vinum. 924.17
Chordapsus. 998.2
Cicatricem inducens linimentum. 943.1
Cicuta aquatica. 963.10
Clausura. 938.11
Cochleariæ herbæ descriptio. 898.5
ejus semen. 899.5
radix. ibid.
integræ forma. ibidem ejusdem adolescentia & hyberna folia. 900.6 unde
Cochleariam non esse britannicum Plinii. ibid.
non esse telephium. 899.6. quibus differant. ibid.
Cœlestis influxionis variatio morborum causa. ib
Colon. 997.21
Contages Neapolitana. 965.1
Confortativa Cordis. 987.21
Contagio quomodo potissimum lædat. 889.1
Cor. Celsi locus. 886.6
Cor ac viscera confortantia quæ. 943.2
Corpore vasto homines cur plerunque stolidiores. 904.7
Corpora diu extenuata non affatim reficienda. 905.9. diversa proportione augeri. 906.10
Cotyledon, pro cochlearia. 898.5
Credulitatis etiam superstitiosa vis in morbis curandis. 907.13
Crestione, cresson. 901.8
Crurum litura & ulcera quomodo fovenda. 895.8
Cucumeris erratici succus. 922.5
Cypriani locus. 941.8

D.

Daucopetra. 954.1
Dei erga genus humanum clementia. 879.880
Definitionum libertas medicis permissa. 883.1
Definitionum medicarum, Galeni nomine editarum, locus. 885.5
Diapompholigis linimentum. 943.1
Dioscoridis locus lib. 2. cap. 55. 906.12
Dodonæi in cochleariæ descriptione lapsus. 899.5. ψευδοβύνιον. 901.9
Dracunculi. 948.7

E.

Ebuli virtus. 922. 6, & 924.17
Electuarii Indi majoris virtus. 925.20
Elephantiasis curatio. 932.1
Ephemera Pestilentialis. 982.6
Epidemica lues qualis anno MCCCXLVIII. item anno MDLXV. 970.1. item. 1564. ibid.
Epidemica Tussis qui anno MDLXXX. universam fere Europam invasit. 978.1
ex Equitationis concussione noxa. 933.1.2
Erysipelas phlegmonodes. 944.3
Erysipelas. 988.1
Erysipelatis Nomina. 989.2. species. ibid.3
curatio per venæ sectionem. 989.4. purgationem. 990.5. sudoriferum. 991.6. Topica. seu externa medicamenta. ibid.9
cura præservativa. 995.18.
Exercitium. 950.13
Excrementa etiam sua quadam vi naturali prædita. 893.7

E. Febris

F.

Febris maligna curatio. 917.1
Typodes. 982.6
Fedronis Paracelsista calumnia. 909.19
è Fœniculi seminibus oleum. 926.28
Formica Hispanica. 976.28. *Gallica.* ibid.
D. Franciscus à Loë bis quartana correptus 903.4
Forcipis forma. 939.
Frangulæ usus. 922.8
Frictionum usus in hydrope. 927.31

G.

Gabrielis Fallopii de hymene sententia. 940.3
Gangræna brachii. 944.4
Gangræna pudendi curatio. 943.1
ex Gaudii magnitudine mors. 902.2
Gingipedius morbus. 885.5
Gingivarum putredinis curatio. 895.13
Glandis frenum. 940.5
masculæ clausæ curatio. 943.1
Glycyrrhiza ἄδιψα. 927.32
Gratiola herba usus in hydrope. 971.2
Guidonis de Cauliaco locus. 913.8
Guil. Vatignana de tela aranea traditio. 906.11
Gutte kindren. 946. 2. holden. ibid.

H.

Halecum semi coctorum magna copia devorata, quartana curata. 907.15
Henricus Wierus Philosophiæ & medicinæ Doctor, Ioannis F. 921.11. *ejusdem palpitatio cardiaca assiduis studiorum laboribus contracta.* ibid.
Henricum Hassen XXXIII. *annis quartana laborasse.* 902.1
Herba de sainct Barbe. 901.9
Herteveldia matrona etiam senex, quartana laborans convaluit. 903.5
Hippocr. locus. 885.6. 910.2. 930.41. & 992.9. & 993.9. 931.1
Hippocratis præceptum in angina pestilentiali negligendum. 912.5
Hirundinariæ radicis decoctum. 928.33
Hydrops mulieris utero ex casu eliso curatus. 931.42
Hydropis curatio. 921.1
in Hydropis curatione duo præcipuè observanda. 927.31
Qualis victus ratio conveniat. 931.43
pro Hydropis diversa specie, diversam etiam medendi rationem requiri. 921.2
Hydropis ex splenis consensu orti curatio. 926.24
Hymen virginitatis custos, eoque omne puellarum genus ab initio dotatum esse. 939.1. & 941.9
in Hyposarca extrahendæ è pede & supra talum aquæ ratio. 930.42

I.

Ignis frigidus. 943.5. *S. Antonii.* ibid.
Iridis radicum succus. 922.4. & 924.15
ex Iride conditum. ibid. 16
Iuniperini olei virtus. 925.21
item lixivii. ibid.
Iulapius. 987.21

K.

Kout vier. 943.5

L.

Lactis serum, ejusque salubritas. 897.2
Lauri baccarum electuarium. 926.26
Leonidis, de aqua in hydropis curatione educendæ ratione sententia. 931.42
Leucophlegmatiæ à cerebri fluxione ortæ curatio. ibid. 1
Lignum Guajaici. 966.4
Lienes magnos qui morbi comitentur. 885.6
Lixivium à juniperi cineribus. 925.21. *item sarmentorum ac genistæ.* ibid.
Lotium, sanguinis serum. 897.2
Lumbrici Terrestres. 954.1
Lumbricis in Anasarca pellendis medicamentis. 925.20
Lumbricorum Terristrium virtus. 954.1. *Probatissimum Remedium.* 955.4. *succus.* ibid. 5 *oleum.* ibidem 6. *pulvis.* 956.9. *preparatum ad vermes.* ibid. *Potio.* 957.11
Lues Hispanica. 965.1

M.

Macis oleum. 926.27
Marini de Caballis palpitatione cardiaca laborantis historia. 920.10
Matricis colli phyma, ejusque curatio. 942.1
Mercurius Præcipitatus. 972.21
Diaphoreticus. 973.25
Mezereon. 924.19. *de Mezero oleum.* ibid.
Mitesserent. 949.10
Modus Parandi salem ex herbis. 986.18
Mollificatio putredinis parens & auctrix 934.4
Morborum reliquias, recidivas facere. 902.1
Morbis novis Deum pro sua clementia subinde nova etiam remedia suppeditare. 779.1. inde.
Morbos extremos, extrema quoque remedia postulare. 930.41
Morbus Bovinus. 949.10. *Gallicus* 964.1. *unde originem sumserit.* ibid.
Morbi Gallici nomina. 965.1. *curatio*. ibid. *unguentum ei necessarium.* 969.13
suffumigia. 970.15. *Emplastrum.* 971.16
unguentum Paralyticum. 972.19
ad Morbi Gallici Affectus Exteriores. 972.20
Præcipitatum. 972.21. *Turpetum minerale.* 973.23
Mors unde. 920.9
à Morval Comes quartanarius gaudio mortuus. 901.2
Mosis locus explicatus. 941.8
Mutationes omnis proprietas in unius prædominio. 920.9. *temporum parere ægritudines.* 910.2

N.

Nabatæi scorbuto correpti, Augusti Cæsaris ætate. 884.4
Nagt grift. 950.12. *curatio superstitiosa*. ibid. 13. *Exorcismus*. ibid.
Nasturtium aquaticum minus. 901.8. *majus.* ibid. *sativum* ibid. *hybernum*. ibid. 9. *hyemale.* 890.1
Nasturtii species tres in scorbuti curatione utiles. 901.9
Neapolitana labes ex immoderato veneris usu. 933.4
Nekir. 949.10
Nigrorum, virginalia puellarum consuendi mos. 942.11
Nucum olei usus. 926.27

O.

Olai Magni locus. 886.7. *inde*
Oleum juniperinum. 925.21
Salis. 986.18
Organum Elegans ad Eliciendum spiritus vini aliorumque aromatum. 1001.
Oscedo. 885.5

P.

Palpitatio cardiaca. 920.9
Paracelsi linimentum, ad uteri os contrahendum. 942.11
Paracelsistæ jactabundi. 903.3
Passularum esus ad sitim restinguendam. 927.32
Pavame seu Sassafras. 968.10
Pectorales potiones. 915.12
Peripneumonia pestilens. 913.6
Pestis subito & vehementiori hyemis frigore repressa. 912.6. *grassatio anni.* 1565. *fermè universalis.* 910.2. *contra pestem antidotum.* 917.2
Pestilens & Epidemica Tussis. 978.1. *ejus origo* ibid. *Curatio.* 979.2
Petrolei usus. 925.21
φιλαντίας prurigo. 881.
Phlebotomiæ obstacula. 912.5
Philonium Romanum. 961.3
Petrus Bayrus. 907.12
Pillulæ Barbarossæ. 974.24
Pleuritis pestilens. 913.6. *curatio.* 912.5
Plinii locus. 883.3
Portulacæ folia. 899.6
Prædicendi cautio qualis à Medicis observanda. 919.8
Præcipitatum. 972.21
Proceritas juvenis cujusdam prodigiosa. 906.10
in Prognosticando, duo à Medicis observanda. 919.8
ψευδοβύνιον Dioscoridis. 901.9

Pudendi clausi curatio. 934.1. gangrena curatio. 943.1
Pulsus intermittens, caprizans. 917.1. 918.5. & 919.7. intermittens quatenus non arguat imminens mortis periculum. 920.9.10. intermittentis præsagium. 917.1 continuatio aut defectio quid significet. 920.9.
Pulvis adversus Calculum & Tormina. 999.6 suffocationes matricis. ibid.7
Pulveris Senæ solutivi, usus & descriptio. 919.6

Q.

QUartæ pondus. 893.7
Quartana an quisquam bis laborare possit. 903.4. & 905.8. quatenus interficere hominem possit. 904.5 quinquennio & septennio mortui. 902.3
Quartanæ generatio non præceps. 905.8. paucarum septimanarum spatio abigendæ ratio. 902.3. profligandæ an telæ araneæ usus aliquis. 906.11. prolongatio unde causetur. 902.3. remedia. 908.16. repetitio difficilior cur. 903.4. superstitiosa curatio ex aranea collo appensa. 907.13
Quartanam bis hominem corripere. 903.4 senes non semper enecare. ibid.5. triginta tribus annis durare, posse 902.1.
Quartanarii cur à convalescentia voraciores. 905.9
Quartanarios, ubi convaluere, magis increscere. 906.9

R.

RApi rotundi succus. 928.33
Recidiva ex nimia ingluvie à convalescentia. 905.9
Recidiva morborum ex reliquiis. 902.1
Roborantia medicamenta in hydrope. 925.22
de Role dominus Maximiliani Imp. œconomus, quartana mortuus. 902.3
Rolmannus Bilandii gangræna curata. 944.3
Rutgeri à Randvvick febricitentis historia. 917.1

S.

SAcharum saturni. 975.16
Sambuci virtus. 922.6. & 914.17
Sanguis frenum Choleræ. 990.4
Sanguinis minutio in febribus pestilentibus periculosa. 917.2. profluvium inhibens pulvis. 937.7
Sanguinem menstruum retentum in virgini gigantea, ad nutritionem & corporis molem promovisse. 904.7. & 905.8
Sarcocele. 933.2
Sceletyrbe. 883.3. σκελετύρβη. 884.4 σκελετύρβην non esse scorbutum. 885.5.
Scorbein. 883.2
Scorbuck. ibid. & 886.7
Scorbutus ab Olao Magno descriptus. 886.7 an Ictericia nigra, volvuli species, hæmatite. ibid.6.
Scorbutus quid. 883.1
Scorbuti causæ. 887.1. signa. ibid.1. prognostica. 889.1. curatio. 890.1. lues quibus locis potissimum grassetur. 883.2. lues vetus, sed peculiaribus tantum locis familiaris. 880. morbus an etiam veteribus medicis cognitus. 885.6
Scorbuto laborantibus qualis victus ratio tenenda. 889.1
Scormunt. 883.2
Scroti in hydrope aperiendi ratio. 931.42
Senium certæ anni proprietati non semper assignari posse. 904.6
Serum ex nigrarum caprarum lacte, item vitulo, cæteris præstantius. 898.3
Serum lactis. 897.2. sanguinis. ibid. utriusque vires. ibid.
Senæ solutivi pulveris compositio & usus. 919.6
Sideratio. 943.5
Syrupus S. Ambrosii. 991.7
Sysimbro aquatico. 901.8
Sysimbrium cardamine. ibid.
Sitis toleranda in hydropis curatione. 927.32
Siti restinguendi conducentia. ibid.
Solanus somniferus. 961. descriptio & figura. ibid.
Spiritus vini & alia bona vina abusus in accendendo. 1002.12

Sanni

Surani de hymene sententia. 940.4
Specilli forma. 939.
Speculi incurvi forma. ibid.
Sphacelos. 943.5. extremi pedis. 943.5
Splenes magnos qui morbi comitentur. 885.6
Steinswert insula. 902.1
Stibii usus. 922.10
Stomacace. 883.3
στομάκακη. 884.4
Stomachalia scuta. 927.29
Strabonis aetas. 884.4
Sudor Anglicus. 981.1
Sudoris Anglici putatitia morbi causa. 982.3 causa hujus morbi. 984.12. signa. ibid.14 Pulsus. 985.15. curatio. ibid. 17
Sudor in hydrope curando movendus. 928.33
Sudorem excitantia. 929.38
Sudoriferum decoctum. ibid.35
Suffumigia. 970.15

T.

Taurini stercoris vis. 893.7
Telae araneae noxia assumptio in quartana, vide Aranea. 906.11
Telephium an cochlearia. 899.6. in quibus differ. ibid.
Telephii folia. 900
Testiculi sinistri carcinomatis curatio. 933.1
Thermarum usus in hydrope. 929.37
Thymeleae vinum. 924.17
Tibiarum exulceratio. 896.19
Tibiarum tumores discutientia. 930.40
Tubuli forma. 939.
Tumorum in cruribus fotus. 896.17
Turpetum Minerale. 973.23
Tympanitis curatio. 925.20. 926.26. & 927.31

V.

Valescus de Taranta. 914.8
Varena. 946.1
Varen. ibid. 2. origo nominis. ibid.3 duo genera hujus luis. ibid.5. alia species. ibid.6. an antiquis cognitum. ibid.7
de Varenorum caussis. 951.1 de signis hujus Morbi. 952.1. Prognosticum & praecautio. 953.1. victus ratio. ibid. 1. de peculiari curatione. 954.1
Vena sectio in pleuritide pestilēte noxia. 914.19
Vena cava. 911. 3. civilis. 948. 7. Mideni. ibid. saniosa. ibid.
Volvulus. 997.2
Vermes Verni. 959.20
Vermium Vernorum figura & descriptio quos venenatos esse arbitror. 960
Ventriculo applicanda in hydrope. 926.28
Ventris musculorum abscessus. 909.19
Veronicae vinum. 928.33
Vesicae colli extremitatem non eodem loco apparere in cunctis feminis. 938.1
Victor Trincavella medicus Patavinus. 920.10
Vini sublimati usus in hyposarca. 926.22
Virginalia indicia, quorum Moyses meminit. 941.7
Virginitatis zona. 940.3
Virginale claustrum. ibid.
Virgo gigantea ex quartana morbo reddita. 904.7. & 906.9
Virginum pudenda consuendi mos apud Nigros. 942.11
Virtus coacta fortior quam dispersa. 905.8
Viscera roborantia medicamenta in Ascite & Anasarca. 925.22
Viscerum in hydropis curatione roborandorum ratio. 930.41
Vitis sylvestris radix. 922.9
Vitrioli oleum. 923.11
Umbilici in Ascite aperiendi, & aquae inde educendae ratio. 930.41
ὑμήν. 940.3
Urinarii meatus masculi clausi curatio. 943.1
Uteri cervicis incidendi modus. 935.2. & 936.4. clausi curatio. 934.1. colli gangrena. 943.1
Unde oriantur dolores dorsi. 911.3
ad Uteri incisionem, ejusque curationem, non quivis temerè admittendus. 938.10
Utero ex casu eliso, hydrops curatus. 931.42
Wasserkressen. 901.8
Winterkers. ibid.9
Walkenbaum. 961.2

Z.

Zarza Parilla. 969.12
Zebrende wurme. 648.7

FINIS.



